
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 G
1



R. P.

L I V I I

R A B E S A N I

De Monturſio.

C V R S V S

PHILOSOPHICVS.

CVRSVS PHILOSOPHICVS

Ad mentem Doctoris subtilis

IOANNIS DVNS SCOTI

ORDINIS MINORVM

Pro Tyronibus Scotistis planiori stylo exaratus, ac in tres Partes comiter diuisus.

Auctore Adm. Reu. P.

LIVIO RABESANO DE MONTVRSIO

Vicentino, Ord. Min. Reg. Obser. Almæ D. Antonij Prouinciæ olim Ministro, Philosophiæ, ac Theologiæ Lectore Generali, Sanctissimæq. Inquis. Vicen. Consultore.

PARS PRIMA.

Logicam Minorem, & Maiorem complectens.

Cum duplici Indice locupletissimo, altero Disputationum, & Quæstionum, ac Capitum; altero verò Rerum Notabilium.



VENETIIS, MDCLXV.

Apud Nicolaum Pezzana.

DE SVPERIORVM LICENTIA, ET PRIVILEG.



PERILLVSTRI, AC REVERENDISSIMO

D. D.

ANASTASIO GALDIOLO ABBATI,

Congreg. Casſinenſium Præſidi Generali Vigilantiſsimo, & in Vniuerſitate Patauina, Philoſophiæ Primario Lectori Emerito.

IMmoriturae gloriæ vitam non nulli audent auſpicari, ſi quod opus Dedalea elaboratum induſtria typis, ceù Laconico marmore, Paryſue lapillis affabrè extruere conantur; Sed haud parui refert, ſi Patronum deſiderent, ſub cuius tutelæ, fideique clypeo in publicum proferatur. Nobilis Matrona quam

Seuerinus Boethius deſcripſit, cuius ve-
ſter violentorum quorundam ſciderant manus, nouato, opera mea, induta cultu, fidem tuam, & illuſtre nomen, Reuerendiſsimæ Domine, Abbas ſapientiſsimè exoratura venit.

Te in primis alloqui debuit, cum re vera, gloriam ſuam, Patauino Lyceo, egregijs, nouiſque in dies laudibus cumulare non deſinis. Te inquam, qui eius lacte nutritus, nedùm intra Monachorum clauſtra eruditiſsimis ancellis, omnibus ſed Athenæis illud, ipſa duce, indeptus es nomen, vt nemo veriùs ambitione quæſierit. Te in primis cuius (cum ſcientias omnes pleniſſimè hauſeris) Virtutis, & propoſiti eſt quoſque ſuſcipere, qui Philoſophicæ litarunt Mineruæ, & cum ſummos religionis tuæ honores ſemper vitæ, & literarum ſplendore geſſeris, eos cultu mentis, & affectione proſequi, qui elaborata in ſtudijs requies religionis ſuę honoribus conſulunt. Sed quid hæc iam probata commemoro? Connecterem omnia merita animi, & cognomina fælicitatis tuæ, ſed alia eſt iſta materia & ſuo parata ſtylo. Te tantumo-
do

do oratum nunc volo, vt hos, qualescumq; sint, ingenij mei labores, explicita fronte suscipias, hinc tuo suffulti patrocinio omnium oculos subeant; quod si vllus honor affectandus est, tuo contentus esse debeo iudicio, ex Heracliti sententia, qui summam laudis arbitrabatur vni placere, si foret optimus. Te vno probante, (si tamen hoc merebuntur,) industriæ suæ præmium scio reportaturos. Vale.

Dominationis tuæ Reuerendiss.

Religiosus cultor.

F. Liuius Rabesanus de Montursio Minorita Obseru.

AD TYRONES SCOTISTAS

Auctor.

EN tandem, Humanissimi Tyrones, Cursum Philosophicum, ad mentem Doctoris Subtilis, Minoritanæ scholæ Antesignani, ac Magistri, planiori stylo exaratum, Vobis exhibeo, tempore etiam, quò vita mea cursum penè confecerim: Sexagenarius enim scribo, ni meliùs, ac veriùs dixerim, rescribo: quippe quæ olim meis Auditoribus dictaueram, nunc meliora, & auctiora, porrigo; vt hinc etiam facile percipere valeatis, quanta fuerit in me erga vos beneuolentia, ac fraterna charitas. Nec tamen miremini, quod in euulgandis his paucis lucubrationibus, tantum temporis insumpserim, consulens potius conseruationi boni nominis, hactenus adepti, quàm vestrum indigentijs, quia, vt verum fatear, nec ad præsens, tàm facilè fecissem, si Zelus Doctrinæ Scoticæ ad id me non compulisset: quippe videns, ac audiens, à plerisque ex Nostris, euulgari quædam sub Nomine Scoti, quæ nec vmquam forsan ille somniauerat,

vehe-

vehementer dolui; & vnà mecum ægrè tulerunt præclarioris notæ Scotistæ, non tantum quia iàm labefactari conspiciebatur Scotica Doctrina, & palam detrahebatur bono nomini Doctoris Subtilis, verum, quod peius est, quoniam Doctrina sic vitiata imbuebamini, adeò, vt vel numquàm, vel rarissimè esset vobis otium discernendi, an essetis veri Scoti discipuli, vel potiùs pseudoscotistæ; quandoquidem vt inquit sapiens; Adolescens, iuxtà viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea: *& Poeta:* Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem, Testa diù. *Quamobrem huic pestifero damno, & intolerabili errori, quæ non parum in Religione nostra creuisse; ac fixisse pedem, haud obscurè conspicitur, pro viribus occurrere, & in totum eliminare percupiens, hunc Cursum, ingenti labore, ac diligenti calamo elaboratum, vobis tradere studui, in quo, cum contineatur duntaxat granum purum Scoticæ Doctrinæ, excussis penitus aliorum paleis, proculdubio in subtilium fida palestra, absq; vllo timore aberrandi à tanto Magistro, tutè proficere poteritis; siquidem ferè omnes conclusiones, ac earum probationes, signatis locis, sunt excerptæ ab eiusdem vera doctrina, quam in Perihermenias Vniuersalium, Prædicamentorum, Posteriorum, Elenchorum, Quæstionum de Anima, Metaphysicorum, de*

Primo

Primo Rerum Principio, Quatuor sententiarum, & Quodlibetalium, libris, iàm tradidisse clarissimè constat; reiectis, repudiatisque cæteris omnibus, quos vulgus pro Scoti operibus nominare, ac inscribere placuit; & præsertim octo libris Physicorum, Philosophia Scoti nuncupatis, cùm pro comperto habeatur, (vt etiam adnotauit Lucas Vvadingus Annalista Minorum in censura) huiusmodi opus, non Doctori subtili, sed Marsilio Inguen, (forsàn Scoti conterraneo) adscribendum fore. Diuiditur autem hic noster Cursus in tres partes, quarum prima Logicalem, secunda Physicam, & tertia Animasticam Doctrinam complectitur. Et quamuis non omnium librorum Aristotelis, qui de vtraque Philosophia inscribi solent, Paraphrasim textualem, vt alij Auctores, haud compilauerim, non propterea dicendus est mutilus, siuè non integer Cursus, quandoquidem omnes Quæstiones, ac Difficultates, tùm logicales, tùm philosophicas, & Methaphysicas, hisce nostris temporibus, à Recentioribus agitari solitas, in his tribus Partibus pertractatas, vel saltem, breui calamo solutas, data occasione textus, reperietis: non enim debuit opus in immensum crescere, quod potissimùm isagogicum volui ad Theologicam, ac Diuinam Doctrinam capessendam. Deniquè admonitos vos velim, hunc meum Cursum, non esse pugnacem,

sed

sedpacatum, ac pacificum; & si interdum contigerit, nonnihil cum aliquo congredi, hoc erit solum ad ostendendam veritatem opinionum Doctoris subtilis, à quibus quispiam ex nostris visus fuerit deflectere: Cæterùm quod attinet ad vindicandam Scoticam subtilitatem ab externis aculeis, linquitur huiusmodi munus excellentissimis Magistris Mastrio, & Belluto, quorum acutis calamis multum deferre tenetur tota subtilium schola, siquidem eorum doctissimis, ac diligentissimis lucubrationibus, non solùm Scoti Doctrinam illustrarunt, verum etiam Magistrum, à detractorum linguis, quibus iniustè carpebatur, forti, & adamantino stylo vindicarunt. Superest igitur, vt qualecumque sit opus, grato animo illud accipiatis, alia, si vita comes fuerit, recepturi. Valete in Domino.

TY-

TYPOGRAPHVS AD LECTORES.



Vamuis verissimum sit illud Sapientis effatum: Omni homini insunt à natura, substantia, Vita, Sensus, & Ratio: (est enim, viuit, sentit, & intelligit omnis homo) adeò vt cuncti naturā, & substantia sint similes, ac speciei æqualitate omnes homines sint vnus homo; tamen quia alij duntaxat, vt simplicis substantiæ: alij vt substantiæ, & vitæ: alij vt substantiæ, vitæ, ac sensus: alij denique substantiæ, vitæ, sensus, & rationis actu, atquè operatione funguntur, inferendum est, illos viuendi modo, functione, & arte varios, ac dissimilimos esse; in tantùm, quod nec substantiæ, nec vitæ, nec sensus, nec rationis participatio obsistere possit, quin soli sapientes appellari mereantur veraciter homines. Soli siquidem animą ad supremum vsque rationis apicem, ex imis gradibus euehere dicuntur: Soli in sua ipsius natura, atque substantiā fœnerantur: sunt enim & ipsius naturæ munere, siuè substantiæ participatione, homines, & posteriore virtutis prouentu, ac sacra functione, seú vitæ honestate iterùm homines. Et licet Sapiens, & Insipiens nullum naturæ, aut substantiæ habere videantur discrimen: vterque siquidem est, & corporis, & animæ participatione homo; amborum pariter idem est initium, ac finis Deus, attamen, quoniam huius vacuus, ac desertus est animus, illius verò mens virtute, perfectione, ac spiritali lumine superabundè ditata: Ille virtute, ac sapientia, quasi Deo similis, in suum recurrit principium, naturalemque finem consequitur; Hic verò, & priuatione virtutis, & dissimilitudinis permixtione, contrariorumuè insitione violatur, ac ne in suam recurrat originem, nèue naturali fine perfruatur, infauste aberretur: Illi in promptu adest sui ipsius numerus; quandoquidem partes omnes suas apprehendit, corpus, animam, congruum in seipso ordinem naturæ seruat, vt hæc pars dominetur, illa huic famuletur: cunctas animi vires, naturalesve potentias, atque facultates, iuxtà seipsas metitur, illam cunctis præfert, ac super omnes excolit, qua ad immortalitatem, ac beatitudinem via illi reseratur: viuitque in terris, vt Deus alter: Hic verò contraria experitur omninò: nam cum illi ex ignoran-

tia

tia sui, nullà adsit immortalitatis spes, meritò in hæc Salomonis verba prorumpit: [Sap.c.2. *Exiguum, et cum tædio est tempus vitæ meæ: posthac ero tamquam non fuerim*, nemo deinceps memoriam habebit operum meorum, propterea iure merito concludendum est, solos sapientes, veraciter homines vocari posse: siquidem studiosorum operum prouentu, naturalem hominem, virtutis homine duplicant, euaduntque, & natura, & voluntate homines: at è contra insipientes, torpore emarcidi, naturalem hominem nulla virtute illustrare satagentes, aut solius substantiæ homines, vel verius non homines, verum pseudohomines appellari demerentur. Quare vtrique, haud immerito ascribendum venit illud Diuinum Oraculum: [Matth.13. Lucæ 8.] *Habenti dabitur, & abundabit: Ab eo vero, qui non habet, id quod habet, auferetur ab eo*. Accepit enim sapiens à natura substantialis munus hominis, ex cuius fæcunditate, studiosum hominem genuit, ac parturiuit: Insipiens verò parem quoquè, ac substantialem hominem mutuauit à natura, sed nullo virtutis fœnore operatur, & splendescit. Hic igitur homo ritè habere, & non habere; Ille verò habere, & habere prædicatur. Habenti igitur simpliciter vtrumque hominem, naturalem videlicet, ac studiosum, datur à Domino præmium immortalitatis, & fælicitatis æternæ. Hinc fit, quod cùm *omnes homines*, teste Philosopho in Proemio Metaphysicæ, *natura scire desiderant*, & ego cupidus sim videre omnes homines naturales in homines studiosos mutatos, cunctos Sapientes, & nullos insipientes, hunc Philosophicum CVRSVM, imprimendum meo prælo curaui, quippèqui cùm sit methodo facilis, Doctrina sapidus, & clarus, sufficienti breuitate compositus, nec non mira subtilitate, ac fœcunditate refectus, quemadmodum studiosorum animos allectione sua adducet ad scientiam comparandam, ita sua claritate eorumdem intellectus iuuabit, vt pernici, quasi dixerim, volatu per semitam immortalitatis currentes, virtutum culmina, & fastigium fœlicitatis, quam anxiè affectant, pertingere, & consequi valeant. Quapropter aiebat Diogenes: *Multi cùm breuem, & facilem viam, quæ ducit ad fælicitatem, esse audiunt, volunt, quemadmodum, & nos philosophari*: apertè innuens, philosophiam, quam noster Cursus continet, esse breuem, ac facilem viam, qua duci possunt homines ad immortalem, perennemque fælicitatem; quandoquidem ipsa est fons beatitudinis, vitæ humanæ purgatio, atque perfectio: purgatio quidem, cum fęce rationi contraria, mortalique corpore liberat; perfectio verò, cum suæ vitæ recuperata præstantia, ad diuinam similitudinem reducit: inquit enim Hierocles cap.47. carm. Pythag. *Philosophia, quæ versatur in agendo, virtutum vi hominem probum efficit, quæ autem in contemplando, illustratione mentis, atque veritatis, Deo similem reddit*. Vndè cecinit Poeta in eius laudem. [Battilius.]

Hæc

Hæc nempè, & rerum occultas cognoſcere cauſas;
Doctrina, & mores excoluiſſe ſuos,
Hoc vnum, noſtrum eſt, quod auorum vincat honores,
Omni alia, & generis nobilitate prius:
Hic clypeus, nobis vnus, tela omnia contra
Fortunæ, in quem illa, & torta, retuſa cadant.

Accipite igitur, lectores humaniſſimi, hunc meorum laborum impenſum, & votis veſtris Auctorem, & me longæuæ ſoſpitati donate, plura, & meliora, vt ſpero, recepturi. Interim ſi inter legendum, nonnullos impreſſorum errores offendere vobis contigerit, veſtrum ſit benignitatis releuare, non culpare crimina: eſſet enim nimium fælix liber ille, qui foret ab erroribus liber. Valete, memores verborum Salomonis Eccleſiaſtes 12. *Faciendi plures libros nullus eſt finis; frequenſque meditatio, carnis afflictio eſt*. Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.



AT

ATTESTATIO R. P. CARELLI.

CVrſum Philoſophicum ad mentem Doctoris Subtilis, qui à calamo A.R.Patris Liuij de Monturſio, Lectoris Generalis, & Almæ noſtræ Prouinciæ S. Antonij Exprouincialis emeriti, prodit, Ego infranotatus, ex cõmiſſione Reuerendiſs. P.noſtri Generalis vidi, legi, atq; adamuſsim conſideraui. Opus, vt typis mandetur, plane dignum. Qui nouit Auctorem, idipſum plurimi faciet. Stylo breui, omnibus commodo, nouo methodo omnibus facili, Scoti doctrinam porrigit: Et ſi pro Iunioribus ſolis ſe laboraſſe fateatur, nihilominus etiam prouectis in Subtilium, & Aliorum ſchola ad vberiorem veritatis frugem præſtabit emolumenta non pauca.

Dat. Vicentiæ, die 30. Ianuarij 1663.

Frater Hieronymus Carellus de Scledi
Lector Generalis, & Prouinciæ Pater.

APPROBATIO OPERIS.

EX commiſsione Reuerendiſs. P.F. Angeli de Sambuca totius Ordinis Seraphici P.N. S. Franciſci Generalis Miniſtri, vidi, ac diligenti obtutu luſtraui Curſum Philoſophicum ab A.R.P. F. Liuio de Monturſio eiuſdem noſtri Ordinis de obſeruantia Almæ D. Antonij Prouinciæ olim Miniſtro, S. Theologiæ, Artiumq; Generali Profeſſore, necnon S. Inquiſitionis Vicentiæ Qualificatore, ingenti labore, ac ſolerti ſtudio pro Tyronibus Scotiſtis elaboratum: in quo cùm nihil Orthodoxæ Fidei aduerſum; nihil quod non Scoticam redoleat ſubtilitatem; nihil quod Peripateticam non ſapiat Doctrinam, conſpexerim, opus planè dignum, publicæq; vtilitati conſonum, vt typis mandetur, cenſeo.

Dat. Paduæ die 15. Februarij 1663.

F. Hieronym. Feramuſca S. Theol. Lect. General. ac Prouinc. Pater.

Fr.

Fr. M. Angelus de Sambuca totius Ord. Minor. S. P. N. Francisci Min. Generalis, & seruus. Dilect. nobis in Christo P. F. Liuio de Monturfio Prouinc. nost. S. Antonij Theol. ac olim Ministro, salutem.

CVm iuxta Apostolicas, nostriq; ord. Constitutiones reuisum, & approbatum fuerit quoddam opus á te collectum, cuius titulus est, Cursus Philosophicus. Tenore presentium, ad salutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus seruatis seruandis illud Typis mandare queas. Vale in Domino, quem pro nobis exorare memento.

Datum Romæ in nostro celeber. Aracœlitano. Conuentu. Hac die xv. Decembris 1663.

F. M. Angel. de Sambuca Minister Generalis.

De Mandato S. Reuerendissimæ P.
Fr. Ioannes Eslenan Secr. General. Ord.

NOI REFORMATORI
dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nei tre libri intitolati Cursus Philosophicus ad mentem Doctoris Subtilis, del P. F. Liuio Rabesano da Montorso Vicentino non esserui cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza, che siano stampati, osseruandosi gli ordini, &c.

Dat. a' 30. Nouembre 1663.

(Andrea Contarini Cau. Proc. Ref.
(
(Nicolò Sagredo Cau. Proc. Ref.

Angelo Nicolosi Segretario.

INDEX

TRACTATVVM, SECTIONVM, ET CAPITVM, quæ in summulis continentur.

b Ca-

Se-

INDEX
DISPVTATIONVM ET QVAESTIONVM,
quæ in tota Logica continentur.

INDEX

RERVM NOTABILIVM PRIMI TOMI.

Prior numerus paginam, ſecundus columnam indicat.

ab-

Ar-

Relationes diuinæ.

Relatiua.

FINIS.



INCIPIUNT SUMMULÆ MAGISTRI PETRI HISPANI DOCTORIS EXIMII.

De Syllogiſmo, ad diſcernendum notum ab ignoto, & verum à falſo.

PER ADM. R. P. F. LIVIUM DE MONTURSIO

Almæ D. Antonij Prouinciæ Exprouincialem, & S. Theologiæ Lectorem Generalem, ad mentem Doct. Subt. Scoti diligenter exaratæ, ac denuò reuiſæ.



VMMVLAS Petri Hiſpani Doctoris eximij ad mentem Doct. Subt. Scoti, vobis explanaturus, & ad breuiorem, quo potero, Diſcurſum redacturus, tria, tamquàm apprimè neceſſaria, præmittenda eſſe decreui, vt ex eorum cognitione, Logicæ Ariſtotelicæ principia faciliùs apprehendatis: principia enim, ex Philoſopho in Procmio Metaphiſicæ text. primo, & ſecundo, ſunt difficilia: at volenti nihil difficile. Ea igitur, quæ ſolent Doctores in explicatione alicuius facultatis præmittere, ac diligenti examine diſquirere, ſunt titulus libri, eiuſdem cauſæ, & ſubiectum; vt addiſcentes hiſce perſpectis, videant non fruſtrà ſe laborare, non chimeras in aere fingere, ſed omnia firmo, atquè tuto fundamento, necnon gratia alicuius finis, percipere. Quæ, nè talem ordinem miſſum facere videar, etiam ego breui, ſed acurato examine, ac diligentia, perſtringam.



DE INSCRIPTIONE Huius Operis.

PRÆLVDIVM PRIMVM.

TITVLVS Huius Libri à multis,data fuæ Scholæ occasione, variè inscribitur. Nos autem, qui Scoticæ Doctrinæ sectatores esse profitemur, sic inscribendum censemus. Incipiunt Summulæ Magistri Petri Hispani Doctoris Eximij de Syllogismo, ad discernendum notum ab ignoto, & verum à falso. Pro cuius intelligentia,

Primò Notandum est, Titulum, inspecta sui nominis ethimologia ex græco, derinari à voce Titan, quæ in Latinum versa, Solem seù Phœbū significat; sicut enim Sol suis radijs, totum emisphærium illuminat, pulsis procul caliginibus, nebulisuè nocturnis, vt videre valeamus, quæ in ipso continentur, sic Titulus alicuius Libri, intellectum addiscentis illustrat, manifestando auctoritatem, dignitatem, ac nobilitatem Scriptoris, vel Auctoris; causas, ob quas in lucem prodeat, & tamdem subiectum, seù materiam circa quam versatur; vt omnibus posthabitis trepidationibus, firmiter, & indubitanter adhærere valeat conclusionibus demonstratis, & demonstrandis in eodem.

Secundò Notandum. Titulum, quoad quid rei, sic describi posse. Titulus est denominatio libri secundū omnes, vel aliquas, vel aliquam suarum causarum. Exemplum potest sumi in præsenti titulo; quandoquidem denominatur hic liber à causa efficienti, dùm dicitur Magistri Petri Hispani; ipse enim volens fauere tyronibus, ac eos ad studia cùm Logicalia, tùm Philosophica animare, Aristotelis Logicam, quæ nimis obstrusa illis videbatur, in hoc libro compendiosè quidem, sed etiam dilucidè, ac clarè tradidit. Denominatur autem à causa finali dicendo. Ad discernendum notum ab ignoto, & verum à falso. Si quidem tota intentio Logici est manifestare veritatem, aliam à falsitate, vt inferiùs dicemus.

Tertiò Notandum est, pro exacta Tituli exlicatione, Sūmulas dupliciter accipi posse, vno modò propriè; & sic sunt quædam notitiæ adhæsiuæ, seù quędam principia Logicalia,quibus mediantibus, intellectus noster adhæret Conclusionibus Logicalibus, ità firmiter, vt de earumdem veritate dubitare nequeat. Alio modo impropriè, nimirum pro cōclusionibus logicalibus in hoc libro contentis; vel vt clariùs loquamur. Summulæ impropriè sumptæ, sunt hi parui tractatus, qui summulæ appellantur; ad differentiam Logicæ Aristotelis, quæ summa dicitur; cùm in ea fusiùs, atquè prolixiùs pertractentur ea omnia, quæ hic strictim, ac succintè continentur.



De

De Causis huius Operis, tùm intrinsecis, tùm extrinsecis.

PRÆLVDIVM II.

QVatuor Causas enumerat Philosophus pluribus in locis suæ Doctrinæ, sed præcipuè in libris Topicorum, & secundo Physicorum, scilicet efficientem, finalem, materialem, & formalem, quarum definitiones, videbimus, Deo fauente in tract. 3. sect. 2. ideò pro nunc sufficit scire, efficientem causam esse illam, per quam fit res aliqua; vt per domificatorem fit domus, & per statuarium statua. Finalem verò eam dici, gratia cuius efficiens operatur: vt domus fit à domificatore, vt à causa efficiente; vt verò defendat nos à pluuia, tempestatibus, cæterisquè periculis, tamquàm à causa finali. Materialem autem dici illam, ex qua cum alio, scilicet cum forma, fit compositum: vt lapides, cœmentum, ligna, ferrum, & similia, sunt materia domus. Formalem tamdem dicimus illam, quæ dat esse rei, & conseruat rem in esse: vt quod tectum sit fundatum super parientibus, & hi initantur fundamento, dicuntur causa formalis domus, à quibus habet esse, & conseruatur in esse domus; quandoquidem dedructis, vel ab inuicem disiunctis hisce partibus, desinit esse domus.

Secundò Notandum, duas tantum ex his causis competere posse alicui scientiæ, vel facultati, & consequenter etiam logicæ, scilicet efficientem, & finalem: nàm scientia, cum sit accidens spirituale, caret, propriè loquendo, materia, & forma. Vndè causa efficiens logicæ totalis integratur ex intellectu, & syllogismo, quorum vterquè concurrit ad gignendam scientiam, quæ Logica appellatur; ex obiecto enim, & potẽtia, iuxtà Philosophum tertio de Anima, seù ex cognoscente, & cognito, vt inquit D. Augustinus septimo de Trinitate, capit. vltimo, paritur notitia. Causa verò finalis huius facultatis est duplex, scilicet intrinseca, quæ est cognitio sui subiecti, scilicet syllogismi, seù argumentationis; & extrinseca, ad quam ordinatur perfecta cognitio syllogismi, scilicet vt sciamus syllogizari, & argumentari, discernendo notum ab ignoto, & verum à falso, non solum in logica, sed etiam in qualibet scientia, & facultate.

Tertiò Notandum, quòd licet quælibet scientia careat materia, & forma, propriè loquendo, impropriè tamen possumus dicere subiectum scientiæ esse causam materialem eiusdem; nàm circa ipsum versatur tota intentio scientifici; similiter modum procedendi, seù tractãdi, qui consistit in diuisione alicuius facultatis per tractatus, tractatuum per sectiones, & sectionum per capitula, appellare possumus eiusdem formam, seù causam formalem; vndè in proposito materia logicæ, est syllogismus, de quo potissimùm tractat logicus; forma verò est diuisio eiusdem in tres tractatus totales, iuxtà tres operationes intellectus. In quorum primo agendum est de Terminis: in secundo de Propositionibus, & earumdem passionibus; & in tertio tamdem de syllogismo, tùm in communi, tùm in particulari, scilicet de Demõstratiuo, Dialectico, & Sophystico. Et licet Petrus Hispanus diuiserit has Summulas in tresdecim tractatus, in quorum primo agit de terminis, & propositionibus; in secundo de Prædicabilibus, in tertio de Prædicamentis, in quarto de Syllogismo simpliciter, in quinto de syllogismo Dialectico, seù Topico, in sexto de syllogismo Sophystico, & in reliquis septem de paruis logicalibus, scilicet de Passionibus terminorum, & propositionum; tamen sequendo ordinem naturæ, & operationes intellectus, hæc omnia reducimus ad illos tres tractatus, in quibus erit distinctus sermo omnium, quæ in suis tractatibus ille tradidit, vt suo loco dicemus.



De Subiecto huius Operis.

PRÆLVDIVM III.

DE ſubiecto Logicæ, quod eſt ſyllogiſmus, ad mentem Doctoris ſubtilis Scoti, quæſt. tertia ſuorum Vniuerſalium, deberemus multa dicere; ſed quia huiuſmodi tractatio requirit altiorem indaginem, ideò in hoc principio tãtum neceſſaria tangemus, vt aliqualiter, quid nomine ſubiecti intelligendum ſit, appræhendere valeatis. Subiectum in ſciẽtia eſt illud, quod principaliter conſideratur in eadem, & ad quod cætera conſiderata reducuntur. Vt ſyllogiſmus in Logica, corpus naturale in Phyſica. Se habet enim veluti fundamentum in domo, quo exiſtente, manet domus; & quo deſtructo, deſtruitur. Ita manente ſubiecto, perſeuerat ædificium ſcientificum; at ipſo amoto, vel deſtructo, remoueri, vel deſtrui ſcientiam neceſse eſt.



TRA-



TRACTATVS PRIMVS SVMMVLARVM PETRI HISPANI

SECTIO PRIMA.

De Terminis Subiectiuis.

De Definitione Dialecticæ, seù Logicæ.

CAPVT PRIMVM.

DIALECTICA, secundũ nominis ethimologiam, potest scribi cum Y Græco, vel cum I Latino. Si priori modo scribatur, significat sermonem, seu disputationem duorum, scilicet opponentis, & respondentis; siquidem, vt sic, deriuatur à dya, quod est duo, & logos, sermo; quasi duorum termo. Si autem posteriori exaretur modo, præsefert scientiam de sermone: tunc enim, ly Dia dicit, De, & Logos, sermonem; & Icos, à quibus omnibus deriuatur, scientiam, idest scientia de sermone. Dialectica igitur secũdum interpræ tationem nominis, vel est sermo, seù disputatio duorum; vel scientia de sermone. Vtraquè descriptio, seù definitio, est bona; sed prior videtur magis esse ad mentem Auctoris.

Dialectica autem, quoad quid rei. Est ars artium, scientia scientiarum, ad omnium methodorũ principia viam habẽs. In qua definitione Petrus Hispanus, de more, reddit auditores beneuolos, dociles, & attentos, ostendendo nobilitatem, excellentiam, vtilitatem, & necessitatem Logicæ. Excellentiam, & nobilitatem ostendit, dum dicit. Ars artium, scientia scientiarum. Quandoquidem genitiuus reflexus supra nominatiuum, dicit excellentiam. Vtilitatem, ac necessitatem demonstrat dicendo. Ad omnium methodorum principia viam habens. Quapropter aliqui dixerunt, Dialecticam esse ianuam ad omnes scientias capescẽdas, qua aperta, omnes aperiuntur, & qua clausa, omnes pariter clauduntur. Quod intelligendum est de acquisitione perfecta, & modo demonstratiuo, & non de imperfecta; quia sic possunt haberi sine Logica, vt in quæstionibus præambulari bus ad Logicam maiorem demonstrabitur.

Primò Notandum, pro huius definitionis clara notitia. Dialecticã posse du-

 plicitur

pliciter sumi, scilicet generaliter, & specialiter. Primo modo idem est, quod logica, & sic accipitur in proposito. Secundo modo sumitur pro vna parte Logicæ, scilicet libris Topicorum, in quibus cum agatur de syllogismo Dialectico, appropriatè dicitur illa pars Dialectica, & sic non sumitur in præsenti definitione.

Secundo Notandum, Artem dupliciter accipi, vno modo largè; & sic non dicit nisi collectionem multorum præceptorum in vnum finem tendentium: vt collectio præceptorum Gramaticæ, appellatur ars Gramaticæ. Et hoc modo accepta, Ars non distinguitur contra scientiam, imò est quoddam superius ad ipsam, & cæteros habitus intellectuales, scilicet sapientiam, artem, scientiam, intellectum, & prudentiam; & ad septem Artes Liberales, scilicet: Gramaticam, Rethoricam, Logicam, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, & Astrologiam. Alio modo sumitur strictè: & sic est habitus intellectualis distinctus contra sciētiam, diffiniturque per hoc. Quod sit recta ratio rerum à nobis factibilium. Cōprehenditque sub se septem Artes Mechanicas, quæ in his versibus continentur.

Lana, nemus, miles, nauigatio, rus, medicina.
His ars fabrilis connumerari potest.

Quarum definitiones videbimus alibi, cùm erit sermo de habitibus intellectualibus. In proposito, sumitur ars primo modo, vt sit idem, ac scientia. Quarè dicendo. Ars artium, scientia scientiarum. Cum sumantur pro eadem facultate, vna erit explicatiua alterius, & ambe positę ad maiorem expressionem laudis Dialecticæ.

Tertiò Notandum. Logicam dici excellentiorem alijs artibus, & scientijs, non in perfectione, ac dignitate sui subiecti; quia cum versetur circà syllogismum, qui est ens rationis, est imperfectior cæteris scientijs, quæ considerant entia realia; sed in administratione, & [illegible]itute; quia nimirum tradit illis for[illegible] arguendi, diffiniendi, diuidendi; mam [illegible] notitur, excepta logica, qua nulla alia [illegible] esse excellen-
Vel dicendum, Log[illegible].

tiorem cæteris artibus rationalibus, & adminiculatiuis, cuiusmodi sunt Gramatica, & Rethorica; nàm sermo verus, circa quem versatur Logica, est perfectior ornato, & congruo, qui considerantur à Rethorica, & Gramatica.

His notatis, definitio Dialecticæ, sic est intelligenda. Dialectica, idest Logica, est ars artiū, scientia sciētiarum; idest habitus intellectualis, dignior, & excellentior omnibus artibus adminiculatiuis, vel etiam scientijs realibus, non in perfectione, sed in administratione. Ad omnium methodorum principia viā habens; idest docens conficere argumētationes ex principijs omnium scientiarum, tradendo illis regulas, diuidendi, diffiniendi, syllogizandi, ac verum a falso discernendi.

De Diffinitione Termini, ac eiusdem multiplici diuisione.

CAPVT II.

Terminum diffiniri in ordine ad propositionem, ferè omnes fatentur siquidem ex terminis constat; & sicut totum habet relationem ad suas partes, ità & partes debent necessariò respicere suū totum, vt vtrobique relatio sit mutua.

Terminus igitur, vt ad propositum spectat. Est extremum propositionis, in quod ipsa resoluitur. Vt verbi gratia, homo est animal. Dicitur propositio. Tàm homo, quàm animal dicuntur termini. Tum quia ipsam vndequaquè terminant; tum etiam quia si resoluatur, remanent per se distincti, tamquàm partes ex quibus priùs ipsa constabat.

Terminus autem propositionis est triplex, scilicet mentalis, vocalis, & scriptus; sicut, & propositio tripliciter conficitur, scilicet mente, voce, & scripto. Mentalis, est conceptus simplex, quem habeo in mente de hoc termino homo, vel animal. Vocalis, est eadem dictio ore prolata. Scriptus verò, ipsa dictio calamo in papyro exarata.

Cùm autem Logica ordinetur ad disputationem, & disputatio, vt plurimū, fiat voce, idcircò de termino vocali potissimum

tissimum erit nobis sermo, qui est idem, ac vox; ac propterea habet diuidi sicut illa.

Vox est duplex, scilicet significatiua, & non significatiua. Prior est illa, quæ auditui nostro aliquid repræsentat. Vt homo hominem, leo leonem, animal repræsentat animal. Posterior verò, dicitur illa, quæ auditui nostro, præter se ipsam, nihil repræsentat: vt buf, baf.

Vox significatiua, de qua est sermo, est duplex, scilicet significatiua naturaliter, & ad placitum. Vox significatiua naturaliter est illa, quæ apud omnes cuiuscunque idiomatis, idem repræsentat. Vt gemitus infirmorum, & latratus canum. Prior enim dolorem, vel tristitiã; posterior verò dolorem, vel gaudium demonstrat. Vox significatiua ad placitum est, quæ ad voluntatem primi instituentis aliquid significat. Vt homo significat hominem, leo leonem, &c. quia primus institutor linguę Latinæ sic ordinauit, vt illæ voces denotarent huiusmodi animalia. Et hæc vox constituit terminum significatiuum vocalem, de quo est sermo apud logicum.

Terminus autem significatiuus ad placitum est triplex, scilicet Cathegorematicus, Syncathegorematicus, & Mixtus. Cathegorematicus, est ille, qui se ipso, sine additione alicuius, aliquid determinatè significat. Vt homo, animal, Angelus, & cætera nomina substantiua pariter, & adiectiua. Sincathegorematicus, est, qui per se, idest sine additione alterius termini, nihil determinatè significat. Vt omnis, nullus, quidam, alter, neuter, & huiusmodi cætera pronomina. Mixtus tandem, est qui includit vtrumque. Vt nemo, nihil, & hujusmodi. Nam, nemo, idem est, ac nullus homo: & nihil, nulla res. Vbi manifestè apparet vterquè terminus, scilicet cathegorematicus, & sincathegorematicus.

Terminus autem cathegorematicus est duplex, scilicet materialis, & personalis, seu formalis. Materialis est, qui solam vocem, quam importat, significat. Vt amo: est verbum, homo est nomen, animal est trisyllabum. Personalis verò, seu formalis est, qui præter vocem, quam præsefert, etiam rem significat. Vt homo: præter literas, & syllabas, significat etiam naturam humanã.

Terminus personalis, seu formalis, est duplex, scilicet complexus, & incomplexus. Prior est ille, qui pluribus dictionibus, seu vocibus constat. Vt homo albus, animal terribile, leo rugiens. Et hic est duplex, scilicet distans. Inter cuius dictiones cadit verbum. Vt homo est animal: & indistans, vbi nullum ponitur verbum: vt homo albus. Posterior verò, scilicet incomplexus. Est vna simplex dictio. Vt homo, leo, animal. Eodem modo potest diuidi terminus materialis.

Terminus incomplexus est duplex, scilicet absolutus, & connotatiuus. Absolutus est qui vltra rem, quam significat, nihil importat. Vt homo, leo, animal, & cætera nomina substantiua. Cõnotatiuus est ille, qui vltra rem, quam significat propriè, & principaliter, aliud secundariò importat. Vt album, propriè significat albedinem, de connotato autem, & secundariò importat subiectum, cui inhæret albedo, scilicet parietem, vel lignum. Quod dictum est de albo, dicendum venit de omnibus nominibus adiectiuis, quæ dicuntur etiam termini concreti, quia significant formam concernentem subiectum: vt album, significat albedinem concernẽtem parietem, vel lapidem.

Terminus absolutus duplex est, scilicet communis, & singularis. Terminus communis est, qui natus est dici de pluribus. Vt homo de hominibus, animal de animalibus. Singularis, qui, & discretus appellatur est, qui de pluribus prædicari non potest, sed tantum de se solo. Vt Petrus, Paulus, hic homo, hoc animal. Ex his sequuntur duo: Primũ, quod terminus communis, vniuersalis, & prædicabilis, pronunc sunt idem. Secundum, quod terminus singularis, discretus, indiuiduum, persona, & suppositum, vt ad præsens spectat, pro eodem accipiuntur. Eodem modo diuiditur terminus connotatiuus.

Terminus communis, & singularis pariter dupliciter sumuntur, scilicet pro inten-

Intentione prima, & secunda. Terminus primæ intentionis, vt homo cognitus, vel Petrus cognitus ab intellectu, quatenus est communicabilis, ille pluribus hominibus, iste verò incommunicabilis alijs à seipso. Terminus verò secundæ intentionis, est qui significat secundas intentiones habentes tantum esse per operationem collatiuam intellectus. Vt genus, species, subiectum, prædicatum, indiuiduum, de quibus est dicendum per ordinem.

De Quinque Vniuersalibus.

SECTIO II.

De Vniuersali, seu Prædicabili in communi.

CAPVT I.

VNIVERSALE est duplex, scilicet in causando, & in prædicando. Vniuersale in causando dicitur illud, quod est causa plurium effectuum. Vt Deus, respectu omnium creaturarum, & Sol respectu omnium rerum Sublunarium. Vniuersale verò in prædicando dupliciter sumitur, scilicet propriè, & impropriè. Vniuersale propriè sumptum est illud, quod de pluribus prædicatur. Vt homo de hominibus, animal de animalibus, lapis de lapidibus, & cætera huiusmodi. Vniuersale verò impropriè sumptum potest dici omne illud, quod aliquo modo de pluribus prædicatur, siuè secundū nomen tantum, siuè secundū nomen, & rē simul. Et sic canis, indiuiduum, & cætera huiusmodi, possunt dici vniuersalia; quia hæc vox, canis, dicitur de animali latrabili, pisce marino, & sydere cælesti; & indiuiduum dicitur de Petro, Paulo, Francisco, &c. valet enim dicere Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum, Franciscum est indiuiduum, & sic de cæteris.

Vniuersale in prædicando propriè acceptum, dupliciter sumitur, pro prima, & pro secunda intentione. Vniuersale sumptum pro prima intentione. Est natura communis, quatenùs est cognita ab intellectu actu recto, communicabilis pluribus. Vt natura hominis cognita ab intellectu, vt communicabilis Petro, Paulo, Francisco, & cæteris hominibus. Vniuersale verò pro secunda intentione. Est respectus, seù relatio rationis attributa per opus intellectus coll atiuum, vniuersali pro prima intentione. Vt genus attributum animali cognito; species attributa homini cognito, & sic de alijs, dicuntur vniuersalia pro secunda intentione. Vniuersale vtroque modo sumptum est duplex, scilicet simplex, & mixtum. Mixtum dicitur illud, quod habet plures modos prædicandi de pluribus, scilicet in quale, & in quid. Et sic diffinitio dicitur vniuersale, vt animal rationale; quia cum constet ex genere, & differentia, ratione generis prædicatur in quid, & ratione differentiæ dicitur in quale de omnibus hominibus: valet enim dicere. Petrus est animal rationale. Paulus est animal rationale, & sic de alijs. Simplex verò dicitur illud, quod habet tantum vnum modum prædicandi, scilicet, vel in quid, vel in quale duntaxat. Et hoc compræhendit sub se quinque vniuersalia, scilicet Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, de quibus dicemus in sequentibus per ordinem.

His positis, diffinitio vniuersalis in prædicando, propriè accepti, & pro secunda intentione, sic est intelligenda. Vniuersale est, quod est aptum prædicari de pluribus. Vt animal, leo, asinus, homo, &c. Et dicitur notanter. Quod est aptum prædicari de pluribus. Propter Solem, & Phœnicem, Lunam, & quædam alia, quæ sunt vniuersalia, & tamen non dicuntur actu de pluribus, sed tantum aptitudine; quandoqnidem non sunt plures Soles, vel Lunæ, aut Phœnices.

De

De Genere.

CAPVT II.

Genus tripliciter dicitur, ex Porphyrio, capite de Genere. Primo modo. Genus est collectio multorum se habentium ad inuicem, & ad vnum principium. Vt collectio Romanorum, prout descendunt à Romulo, dicitur genus Romanorum; & sic genus, gens, stirps, prosapia, cognatio, pro eodem sumuntur. Secundo modo. Genus est principium generationis, vel conseruationis aliquorum. Et sic Pater, dicitur genus filiorum; & Vicentia dicitur genus eorum, qui in ea nascuntur, ratione conseruationis. Tertio modo tandem. Genus dicitur illud, cui supponitur species. Et sic, animal, dicitur genus hominis, leonis, equi, & cœterorum; quia ipsi supponitur species humana, leonina, equina, &c. & de genere, hoc modo accepto, tantum est sermo; nàm reliqua duo spectant ad Phylosophos, vel Iuristas; & sic diffinitur à Porphyrio.

Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. Scilicet genus est vniuersale, quod prædicatur de pluribus, quæ differunt specie quiditatiuè, & essentialiter. In qua definitione ponuntur duæ particulæ explicandæ, scilicet ly. Differentibus specie. Et ly: In quid.

Diffinitio igitur tot modis dicitur, quot modis dicitur idem cui opponitur: nàm secundū Phylosophum, quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur, & reliquum. Idem autem dicitur tribus modis, scilicet idem genere, idem specie, & idem numero. Illa dicuntur eadem genere, quæ sub eodem genere continentur. Vt homo, & leo sub animali. Illa verò dicuntur eadem specie, quæ sub eadem continentur specie. Vt Petrus, & Paulus sub homine. Illa tandem dicuntur eadem numero, quæ non faciunt diuersum numerum. Vt Petrus, vel Paulus. Similiter differens dicitur tripliciter, scilicet genere, specie, & numero. Differentia genere sunt illa, quæ sub diuersis generibus continentur. Vt homo sub animali, & cædrus sub plāta. Differentia specie sunt, quæ sub diuersis speciebus continentur, vt Petrus, & hic leo; nam prior sub specie humana, posterior sub leonina continentur. Differentia tamdem numero sunt, quæ faciunt diuersum numerum, vt Petrus, & Paulus, & Franciscus: nàm duo priores faciunt numerum binarium, tertius verò cum illis, numerum ternariū facit, qui est diuersus à binario.

Prædicari autem in quid, est prædicari essentiam, & quiditatem per modum per se stantis, & non alteri inhærentis: vt animal prędicatur in quid de homine, quia dicit partem essentiæ hominis per modum per se stantis: ad differentiam rationalis, quod dicit pariter hominis partem essentiæ, sed per modum alteri inhærentis, idest animali; siquidem antequam descendat in hominem, prius iūgitur, & inhæret animali, cum quo postea constituit hominem. Vel dicitur genus prædicari in quid de speciebus, quia ad interrogationem factam per quid de specie, idest de homine, respondetur per animal, quod est genus.

Genus autem hoc modo diffinitum, est duplex, scilicet generalissimum, & subalternum. Genus generalissimum est, quod non habet aliud genus super se. Vel quod cum sit genus, nequit esse species. Et sic diuiditur in decem genera generalissima, scilicet substantiam, quātitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, situm, habitum, vbi, & quando; de quibus in sequenti Sectione. Substantia enim dicitur genus generalissimum, quia non habet aliud supra se, quod sit genus, vt videre est in Arbore Porphyriana. Et licet ens ponatur supra substantiam, non tamen dicitur genus, cum sit illimitatum ad decem prędicta genera generalissima: Genus autem debet essem limitatum ad aliqua tantum: vt substantia ad substantias, quāti tas ad quantitates, &c.

Genus verò subalternū est illud, quod cum sit genus, benè potest esse species: vt animal est genus hominis, & leonis; species verò respectu corporis animati; si-

militer, corpus animatum, est genus respectu animalis; species autem respectu corporis. Corpus tandem est genus respectu corporis animati, & species respectu substantiæ. Vndè concludit Porphyrius, quod ea omnia, quæ ponuntur infrà speciem specialissimam, & genus generalissimum, sunt genera, & species, ad aliud tamen, & ad aliud comparata; quia genera dicuntur, si inferiora, & species si superiora respiciant; vt videbimus in sequenti capite.

De Specie, & Indiuiduo. CAPVT III.

SPecies, antequam diffiniatur, dupliciter sumitur; vno modo pro speciositate, seù forma, venustate, vel pulchritudine, sicut Antiqui de Priamo dicere solebant. Species Priami digna est imperio. Alio modo accipitur species pro eo, quod directè, & immediatè supponitur generi; & sic homo dicitur species animalis, quia immediatè, & directè ponitur sub animali, tamquam sub suo genere: & de hac pertractant Logici, ac Philosophi, & non de primo modo sumpta.

Species autem hoc accepta modo, duplex est, scilicet specialissima, & subalterna. Species specialissima est, quæ cum sit species, nequit esse genus: vt homo, leo, equus, &c. quandoquidem, cum de ratione generis sit, vt sub se habeat species inferiores, & homo non habeat sub se, nisi indiuidua, ita dicitur species, vt non possit dici genus. Species verò subalterna est, quæ cum sit species benè potest esse genus: vt animal, corpus animatum, corpus; dicuntur namquè species, & genera subalterna secũdũ diuersam habitudinem; quia animal dicitur species corporis animati, & genus hominis; corpus animatum dicitur species corporis, & genus animalis; corpus verò dicitur species substantiæ, & genus corporis animati, vt videre est in sequẽti Arbore.

Genus tantum	Substantia	Generalissimum
Genus, &	Corpus	Species subalterna
Genus, &	Corpus Animatum.	Species subalterna
Genus, &	Animal	Species subalterna
Species tantum	Homo	Specialissima

Ex his eliciuntur duę diffinitiones speciei, quarum prior specialissimæ tantum; posterior verò tàm specialissimæ, quam subalternæ conuenit.

Prima Diffinitio. Species specialissima est vniuersale, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid. Vt homo de Petro, Paulo, Antonio, qui numero differunt, cum faciant diuersum numerum. Et in quid, quia ad interrogationem factam per quid de Petro, Paulo, & de quolibet illorum, respondetur per hominem.

Secunda Diffinitio. Species, siuę specialissima, siuè subalterna, est quæ ponitur sub assignato genere, & de qua genus,

nus in quid prædicatur: vt homo respectu animalis, animal respectu corporis animati, &c. dicuntur species; quia vnumquodquè illorum ponitur immediatè sub alio, tamquàm sub suo genere, & alterum de altero quidditatiuè prædicatur.

Indiuiduum, seù singulare est duplex, scilicet determinatum, & vagum. Indiuiduum determinatum, est terminus discretus, vel communis cum pronomine demonstratiuo: vt Petrus, Paulus, hic homo, hic lapis, hoc lignum. Indiuiduum vagum, est terminus communis cum signo particulari sumptus: vt quidam homo, aliquis lapis, aliquod animal. Et dicitur vagum, quia est indeterminatum, & indifferens ad omnia indiuidua determinata; quandoquidem dum dico, aliquis homo, non denotatur Petrus, vel Paulus determinatè, sed omnis homo indeterminatè; quarè magis dicendum est vniuersale, quàm singulare, cum plura importet, licet confusè, ac indeterminatè.

Indiuiduum primo modo est illud, quòd prædicatur tantum de vno solo determinatè: vt Petrus, vel Paulus de seipsis, & hic homo de hoc homine tantum.

De Differentia.

CAPVT IV.

Differentiam dupliciter considerari posse aduertendum est; & in ratione differentiæ, & in ratione vniuersalis. Differentia primo modo considerata est, qua vnum differt ab alio: vt homo per rationale, quod est differentia eius, differt ab asino. Differentia secundo modo considerata est, quæ prædicatur de pluribus in quale: vt rationale de Petro, Paulo, Antonio, & sic de alijs.

Differentia priori modo accepta est triplex, scilicet communis propria, & magis propria, seù essentialis. Differentia communis, seù accidentalis est, qua vnum differt ab alio accidente communi, seù separabili: vt Petrus per albedinem differt ab Antonio nigro; siquidem albedo, & nigredo sunt accidentia communia, & separabilia à subiectis, vt videbimus cap. 6. Differentia propria, est qua vnum differt ab alio accidente proprio, seù inseparabili: & sic Franciscus habens nasum simum, differt ab Antonio habente nasum aquilinum; vel Petrus risibilis differt à leone rugibili; siquidem simitas, & aquilinitas, sunt accidentia nasi inseparabilia, sicut risibilitas est accidens proprium Petri, & rugibilitas leonis. Differentia tàmdem magis propria, seù essentialis est, qua vnum differt ab alio essentialiter: vt homo per rationale differt ab asino: & hæc est duplex, scilicet generica, & specifica. Generica est, qua vnum genus differt ab alio genere essentialiter: vt animal per sensibile, differt à planta, quæ est insensibilis. Specifica verò est, qua vna species differt ab alia essentialiter: vt homo per rationale differt ab asino, & leone.

Differentia verò specifica, vltrà hoc munus, quod est facere differre vnam speciem ab alia, habet etiam aliud; quod est diuidere genus, & constituere speciem, per eius aduentum ad genus; vndè ex hoc desumptum est tale axioma commune. Differentia aduenniens generi constituit speciem: vt patet in sequenti Arbore.

Corpo-

Corporea	Substantia	Incorporea
Animatum	Corpus	Inanimatum
Sensibile	Corpus animatum	Insensibile
Rationale	Animal	Irrationale
Petreitas	Homo	Pauleitas
Petrus	Antonius	Paulus

Vndè manifestè patet, substantiam diuidi per corpoream, & incorpoream, tamquàm per suas differentias. cui adueniens, corporea, constituit primam speciem substantiæ, scilicet corpus; quod posteà diuiditur per animatum, & inanimatum: ac animatum adueniens corpori, constituit secundam speciem substã tiæ in communi, & primam substantiæ corporeæ, scilicet corpus animatum, seù viuens. Hoc diuiditur per sensibile, & insensibile; & sensibile adueniens corpori animato, seù viuenti, constituit animal. Animal verò diuiditur per rationale, & irrationale: sed rationale adueniens animali, constituit hominem: qui posteà potest diuidi per differentias indiuiduales, vt per Petreitatem, & Pauleitatem, quæ aduenientes homini constituunt Petrum, & Paulum, & sic de cæteris hominibus. Quod diximus de corpore animato, sensibili, & rationali, ita dicendum est de reliquis differentijs oppositis, siquidem incorporeum, aduenieñs substantiæ, constituit substantiam incorpoream, scilicet Spiritum, vt est Angelus: inanimatum, constituit substantiam corpoream carentem anima, vt sunt lapides, ac metalla. Insensibile verò, substantiam corpoream animatam, sed sensus expertem, vt sunt plantæ: & irrationale tamdem, adueniens animali, constituit brutum, scilicet leonem, equum, &c.

Differentia autem, quatenus de pluribus prædicatur, est duplex, scilicet generica conuertibilis cum genere, & specifica, quæ cum specie conuertitur.

Differentia Generica in ratione vniuersalis est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale essentiale: vt sensibile de homine, leone, asino, & cæteris.

Differentia specifica in ratione vniuersalis est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quale essentiale: vt rationale, de Petro, Paulo, Antonio, Francisco, & cæteris hominibus.

Quia tamen modus prædicandi in quale, conuenit etiam Proprio, & Accidenti, vt videbimus; idcircò sciendum est, quòd prædicari in quale est duplex, scilicet in quale essentiale, & in quale accidentale. Prædicari in quale essentiale, est prædicari essentiam per modum qualis, scilicet alteri inhærentis: & sic rationale prædicatur de homine, quia dicit partem essentiæ hominis, scilicet rationalitatem, non per modum per se stantis, sicut faciunt genus, & species, sed alteri inhærentis; quia priùs rationale iungitur, & adhæret animali, antequã ambo descendant in hominem. Prædicari autem in quale accidentale, est prædicari accidens per modum qualis, idest alteri adhærentis, idest substantiæ: & sic proprium, & accidens dicuntur in quale accidentale. Hoc autem est duplex, scilicet in quale accidentale separabiliter, & constituit accidens; ac inseparabiliter à subiecto, & constituit proprium; de quibus in sequentibus.

Ex his elicitur modus prædicandi conueniens differentiæ, prout facit tertium vniuersale ab alijs distinctum, esse prædicari in quale essentiale; quia per hoc differt differentia ab Accidente, & Proprio, quę prædicantur in quale accidentale.

His

His præmissis sequitur, quod differentia, vt constituit tertium vniuersale, non est differentia generica, vel specifica, sed quoddam commune ad vtrumque, & sic diffinitur. Differētia est vniuersale, quod prædicatur de pluribus in quale essētiale. Et hæc diffinitio comprehendit sub se differentiam genericam, & specificam; cū prædicari de pluribus, vt sic, sit commune ad prædicari de pluribus differentibus specie, & differentibus numero. Ex quo patet, Porphyrium male tradidisse diffinitionem differētiæ in ratione tertij vniuersalis per prędicari de pluribus differētibus specie in quale; quia sic non conueniet differentiæ specificæ, sed tantum genericæ.

De Proprio.

CAPVT V.

DE Proprio differentes, priùs illud diuidunt, antequàm diffiniant; siquidem omne æquiuocum prius est diuidēdum, quam diffiniendum, teste Aristotele pluribus in locis suæ doctrinæ; & nos videbimus in sequēti Sectione, cap. de Diffinitione.

Propriū igitur dicitur quadrupliciter: & primò est quoddā accidens, quod conuenit soli speciei, sed non omni indiuiduo illius speciei; vt esse logicum, vel gramaticum, artificialiter conuenit soli speciei humanæ, sed non omni indiuiduo eiusdem, vt est manifestum. Secundo modo, est quoddam accidens conueniēs omni indiuiduo vnius speciei, sed non soli speciei: vt esse bipedem, conuenit omni homini, sed non soli; quia etiam aues sunt bipedes. Tertio modo est quoddam accidens conueniens omni indiuiduo, & soli vni speciei, sed non semper: vt canescere, conuenit soli homini, omni homini; at non semper, quia hoc accidit tātum in senectute. Quarto modo est accidens, quod conuenit omni indiuiduo, soli vni speciei, & semper: vt esse risibile, conuenit omni homini, soli homini, & semper: quia pro quocumquè tempore verum est dicere, hominem esse risibilem.

Proprium autem hoc quarto modo sumptum, quod spectat ad propositum nostrū, vocatur multis nominibus; quandoquidem proprium, propria passio, naturalis proprietas, naturalis inclinatio, & naturalis propensio sunt synonima; quia significant omninò eamdem rem; & potest definiri in ratione proprij, & in ratione quarti vniuersalis.

Proprium in ratione proprij quarto modo sumptum, est accidens, quod cōuenit omni, soli, & semper, & conuertibiliter prædicatur de eo, cuius est proprium: vt risibile conuenit omni homini, soli homini, semperquè homini, & conuertibiliter; quia valet dicere: omne risibile est homo, & omnis homo est risibilis.

Proprium verò in ratione quarti vniuersalis, est illud, quod prædicatur de pluribus in quale accidentale inseparabiliter, seù intransmutabiliter. In qua definitione ponitur ly in quale accidentale, ad differentiā tertij vniuersalis, quod prædicatur in quale essentiale. Dicitur verò inseparabiliter, seù intransmutabiliter: ad differentiam accidentis communis, quod naturaliter etiā potest separari à suo subiecto, vt videbimus in sequenti capite: at proprium per nullam potentiam, nec etiam diuinam, potest separari à suo subiecto: vt risibile ab homine, rugibile à leone: nec à Deo possunt auferri, vt sint homo, & leo, & hic non sit rugibilis, & ille risibilis.

De Accidente.

CAPVT VI.

ACcidens est duplex, scilicet commune, & proprium. Commune est illud, quod potest conuenire pluribus subiectis: vt albedo, quæ pōtest subiectari in lignis, lapidibus, hominibus, & cæteris. Proprium, quod vni soli conuenire potest: vt risibile, conuenit soli homini, & non alijs ab homine. Accidens commune est duplex, scilicet separabile, & inseparabile. Accidens separabile est, quod naturaliter potest separari à subiecto, cui inest: vt albedo, vel nigredo huius

& il-

& illius parietis. Accidẽs inseparabile est illud, quod per potentiam naturalem nequit à moueri à subiecto cui inest, licet bene per potentiam diuinam; vt albedo cigni, vel nigredo æthiopis.

Accidens commune separabile, de quo est sermo, potest dupliciter cõsiderari, vel in ordine ad subiectũ, quod afficit; vt albedo in ordine ad hominem, lapidem, lignum, & cætera; & sic constituit quintũ vniuersale à cęteris distinctũ; prædicatur enim de pluribus subiectis transmutabiliter, seu separabiliter. Vel in ordine ad sua inferiora, vt color in ordine ad album, nigrum, rubeum, &c. vel albedo in ordine ad hanc, vel illam albedinem; & sic non distinguitur à genere, vel specie, quia prædicatur vel de differentibus specie, vel de differentibus numero in quid. Si posteriori modo prædicatur; sic est species; si verò priori modo dicitur; sic est genus.

His peractis, sequuntur quatuor diffinitiones accidentis communis, quarum tres priores sunt accidentis in quantum afficit subiectum, & non prædicatur de eo; quarta verò conuenit accidenti, vt constituit quintum vniuersale ab alijs distinctum.

Prima. Accidens est illud, quod potest adesse, & abesse à subiecto, præter subiecti corruptionem; vt albedo, nigredo, &c.

Secunda. Accidens est, quod non est genus, nec species, nec differentia, nec proprium, inest autem rei; idest subiecto: vt scientia inest intellectui scientis.

Tertia. Accidens est illud, quod contingit eidem inesse, & non inesse, idest, quod nec essẽtialiter, nec inseparabiliter inest subiecto. Et hæc diffinitio videtur esse eadem cum prima.

Quarta. Accidens est vniuersale, quod prædicatur de pluribus subiectis in quale accidentale transmutabiliter, seu separabiliter; vt album de pariete, ligno, lapide, papyro, &c. & hæc constituit vltimũ vniuersale ab alijs distinctum, vt ex sequenti capite erit manifestum.

De Conuenientia, & Differentia horum quinque Vniuersalium inter se.

CAPVT VII.

PRimò conueniunt omnia vniuersalia, quia vnumquodque prædicatur de pluribus, saltem in aptitudine, vt visum est in suis locis.

Secundò. Genus, & species conueniunt interse, quia ambo prædicantur in quid; vt patet ex diffinitionibus eorum.

Tertiò. Differentia, Proprium, & Accidens conueniunt, quia omnia prædicantur in quale.

Quartò. Proprium, & Accidens conueniunt, quia vtrumquè prædicatur in quale accidentale.

Differunt verò ab inuicem quintupliciter.

Primò. Genus differt à specie, quia genus prædicatur de pluribus differentibus specie: Species verò de pluribus differentibus numero.

Secundò. Ambo differunt à Differentia, Proprio, & Accidente; quia hæc prædicantur in quale, illa verò in quid.

Tertiò. Differentia differt à genere, & specie; quia differentia diuidit genus, & constituit speciem; genus verò, & species, nec diuidunt, nec constituunt aliquid.

Quartò. Differentia differt à Proprio, & Accidente; quia hæc prædicantur de pluribus in quale accidentale, illa verò in quale essentiale.

Quintò. Proprium differt ab Accidente, quia Proprium prædicatur intransmutabiliter, Accidens verò transmutabiliter. Insuper, quia proprium conuenit omni, soli, & semper; Accidens verò conuenit pluribus differentibus specie, & etiam genere, & non semper; vt albedo conuenit non tantum hominibus, sed etiam equis, lignis, & cæteris corporibus mixtis. Deniquè, quia proprium est inseparabile ab eo cui inest, etiam per potentiam Diuinam; Accidens verò, saltem per potentiam diuinam, separari potest à suo subiecto.

Ex

Ex his habetur sufficientia horum quinquè vniuersalium. Quia omne vniuersale, aut prædicatur in quid, aut in quale. Si in quid, hoc est dupliciter; aut de differentibus specie, & sic est genus; aut de differentibus numero, & sic est species. Si verò in quale prædicatur, hoc dupliciter contingit; aut in quale essentiale, & sic est differentia; aut in quale accidentale; & istud dupliciter, aut inseparabiliter, seù intransmutabiliter; & sic est proprium; aut transmutabiliter, & separabiliter; & sic est accidens. Cùm autem non inueniatur alius prædicandi modus ab his distinctus, restat, vt tantum sint quinque vniuersalia, & non plura, nec pauciora quinque.

De Anteprædicamentis, tùm in Generali, tùm in Speciali.

SECTIO III.

De primo Antepredicamento in generali, hoc est, de Diffinitione, & eius diuisione.

CAPVT I.

DIFFINITIONIS nomen, à verbo Diffinio, is, quod idem est, ac determino, as, oriri cautum est; cùm diffinitio, secundũ nominis ethimologiam, nil aliud præseferat, quàm orationem decisiuam, seù alicuius rei determinatiuam; vt esse animal, duos habens pedes, caput versus cælum erectum, disciplinæ capax, est hominis definitio, per quam, cuius sit formæ, ac naturæ demonstratur.

Sed hanc diffinitionem diuidentes in duo membra secare debemus, in diffinitionem quid nominis, & quid rei.

Diffinitio quid nominis est illa, per quam, quid nomen alicuius importat, explicatur: & sic Theologia diffinitur, quod sit sermo de Deo: Philosophia est amor sapientiæ. Dialectica sermo duorum, vt vidimus in eius definitione.

Diffinitio quid rei est oratio explicatiua, seù indicatiua alicuius rei; vt animal rationale, est diffinitio hominis; nam per ipsam explicatur, quæ nam res sit homo: & hæc est duplex scilicet quiditatiua, & descriptiua.

Diffinitio quiditatiua, est oratio indicans esse rei per essentialia: vt animal rationale, est diffinitio hominis; quia animal. & rationale exprimũt quiditatem hominis. Et hæc diuiditur in purè quiditatiuam, & non purè quiditatiuam, seù datam per additamentum.

Diffinitio purè quiditatiua, est oratio indicans esse rei per essentialia tantum; idest in qua nihil ponitur, quod non pertineat ad quiditatem rei; vt animal rationale, diffinit purè quiditatiuè, quid sit homo; quia nihil ponitur impertinens ad eius essentiam, & quiditatem.

Diffinitio non purè quiditatiua, seù per additamentum data, est illa, cuius aliqua pars non pertinet ad quiditatem diffiniti, sed est extrinseca: vt color disgregatiuus visus, est diffinitio albedinis, non purè quiditatiua: non enim requiritur illa dictio visus ad essentiã albedinis, sed sufficit, vt sit color disgregatiuus; additur tamen ly visus, vt sit terminus in quem tendit disgregatio.

Diffinitio verò descriptiua, est oratio indicans esse rei per accidentalia: vt esse animal disciplinæ capax, est hominis descriptio; quia esse capax disciplinę non est de essentia hominis, cum competat multis alijs animalibus.

Hęc autem est duplex, scilicet propria, quæ datur per genus, & accidens proprium; vt esse risibile, est definitio descriptiua propria hominis, quia tantum ei, & non alteri competit; & communis, quæ datur per genus, & accidens commune; vt esse animal capax locutionis dicitur diffinitio psitaci communis; quia esse capax locutionis competit alijs animalibus præter psitacum, vt putà homini, picę, & alijs auibus.

Ad cognoscendum autem, quæ nam sit bona diffinitio, notandæ sunt tres cõditiones.

Prima, quod diffinitio competat soli diffinito; idest non conueniat alijs alterius

rius

rius speciei ab illo.

Secunda, quod competat cuilibet cō-tento sub diffinito, idest, quod diffinitio generis conueniat omnibus speciebus, & diffinitio speciei omnibus eius indiuiduis.

Tertia, quod manifestet naturam definiti per genus, & differentiam. Ex quibus sequitur, hominem benè, ac rectè diffiniri per animal rationale; quia competit soli homini, omni homini, & explicat eius naturam per genus, & differentiam; quia animal est genus, & rationale est differentia constitutiua eius.

De Diffinitionibus Vniuocorum, aequiuocorum, & Denominatiuorum, quæ constituunt primum antepradicamentum in speciali.

CAPVT II.

ANtequam descendamus ad Æquiuocorum definitionem, notandū est, quòd isti termini æquiuocū, & multiplex, idem sonant. Similiter isti, ratio substantiæ, diffinitio, & conceptus quidditatiuus, seù formalis, pro nunc, accipiuntur pro eodem; quamquàm reuera differant, si rectè perpendantur, vt aliàs videbimus. Vndè æquiuocum dicitur, quasi plura æquè vocans, sub vna, & eadem voce: vt canis, æquè respicit, seù sub se vocat animal latrabile, piscem marinum, & sydus cæleste, quæ dicuntur canes. Multiplex autē plura appellat; quia per vnam, & eamdem vocem, plura significata multiplicantur: vt hæc vox, homo, dicitur multiplex, quia sub illa multiplicantur significata, scilicet homo viuus, & pictus.

Æquiuoca autem sunt duplicia, scilicet æquiuocata, & æquiuocantia. Æquiuoca æquiuocata sunt illa, quorum nomen, est illis commune, & ratio substātiæ, seù diffinitio est diuersa in eisdem; vt homo viuus, & homo pictus, conueniunt in hac voce, homo; quia ambo dicuntur homines; tamen diffinitio est diuersa in illis; quia homo viuus, est animal rationale, & homo pictus, est quædam imago coloribus delineata, quæ sunt valdè diuersa inter se.

Æquiuoca æquiuocantia, sunt nomina, seù termini vocales communes pluribus, diuersa tamen significantes: vt canis, qui est communis ad animal latrabile, piscem marinum, & sydus cæleste. Similiter homo, ad hominem viuum, & pictum: & hæc sunt duplicia, scilicet à casu, & à consilio.

Æquiuoca à casu, sunt voces, seù termini cōmunes, qui ex impositione, plura æquè primo important: vt canis, qui æqualiter significat canem latrabilem, canem marinum, & canem cælestem.

Æquiuoca verò à consilio sunt voces, seù termini communes, qui ex impositione, plura important, ordine quodam, scilicet vnum per prius, & reliquum per posterius: vt homo, qui prius hominem viuum, & posterius hominem pictum repræsentat. Dicuntur tamen æquiuoca à consilio hæc, & illa à casu; quia sicut casus obliqui cadunt æqualiter à recto sine aliquo ordine, ita æquiuoca à casu sine aliquo ordine plura important. Similiter quia in consilio datur ordo, vt prius significet Regem, deindè Proregem, & Senatores, posteà secundū dignitatum præcellentiam, ita æquiuoca à consilio plura significant ordine quodam, scilicet vnum per prius, & reliquum per posterius, vt supra exemplificatum est. Hæc æquiuoca, quę à nobis vocantur à consilio, ab alijs dicuntur æquiuoca analoga; & quæ appellantur à casu, dicuntur communiter, æquiuoca pura.

Vniuoca, (quasi plura sub vna voce, & eadem significatione, seù diffinitione, ad se vocantia) sunt duplicia, scilicet vniuoca vniuocata, & vniuoca vniuocantia.

Vniuoca vniuocata dicuntur illa, quæ habent idem nomen, & eamdem significationem communem: & sic omnes homines vniuocantur in homine; quia non solum participant de voce hominis, sed etiam de eius diffinitione, quia dicuntur animalia rationalia.

Vniuoca vniuocantia sunt illa, in quibus conueniunt vniuoca vniuocata. Et sic homo respectu omnium hominū, leo respectu leonum, & animal respectu omnium

omnium animalium, dicuntur Vniuoca vniuocantia; quia illa important secundum idem nomen, & eamdem diffinitionem. Et hæc sunt duplicia, scilicet vniuoca pura, & vniuoca analoga; de quibus in logica maiori, in quæstione de vniuocatione entis.

Denominatiua autem dicuntur illa, quæ differunt à suis denominantibus solo casu, idest sola cadentia finali. Vt gramaticus, dicitur à gramatica; albus ab albedine; studiosus à studio: quæ omnia conueniunt in principio dictionis, & differunt in fine eiusdem dictionis, vt patet intuenti. Et hæc sunt triplicia, scilicet voce tantum, significatione tantum, & voce, ac significatione simul.

Denominatiua voce tantum sunt, quæ conueniunt in principio vocum, differunt tamen in significatione; quia non important eamdem formam significatam. Vt studiosus, denominatur à studio hoc modo; quia conueniunt in principio vocis, & differunt in fine; sed non important eamdem rem, seù formam; quia studiosus significat hominem studio deditum, studium verò, importat exercitium, seù laborem, quo comparatur virtus.

Denominatiua significatione tantum, sunt quædam voces, seù termini, qui nec conueniunt in principio, nec differunt in fine, sed tantum in re significata per tales voces. Vt studiosus, denominatur à virtute, qua pollet; nam illi duo termini, studiosus, & virtus, non conueniunt in vocibus, sed tantum in re significata; quia studiosus, de principali significato importat idem, quod virtus.

Denominatiua tamdem voce, & significationem simul, sunt quædam voces, seù termini, quæ non solum conueniunt in principio, & differunt in fine, sed etiam important eamdem rem significatam per eosdem. Vt album, & albedo; in quibus est conuenientia in principio vocum, seù dictionum, & etiam in re significata; quia album, importat de significato principali eamdẽ formam significatam per albedinem; licet cum aliqua differentia; quia album, significat formam, seù qualitatem afficientem subiectum; albedo verò, eamdem, sed abstrahentem à subiecto.

Ex his sequuntur duo corollaria. Primum, quòd isti termini denominatiuum, concretum accidentale, & adiectiuum idem important, licet diuersimodè; quia hæc vox, album, dicitur denominatiuum; quia importat albedinem secundum quam subiectum denominatur album. Dicitur verò concretum, in quantum significat albedinem cum concernentia ad subiectum. Dicitur tamdem adiectiuum; quia significat albedinem per modum adiecentis subiecto. Similiter hi termini, Denominans, abstractum, & substantiuum accidentale, sunt idem de significato principali; quia hæc dictio, albedo, dicitur denominans; quia est ratio denominandi subiectum album. Dicitur posteà abstractum; quia abstrahitur ab albo, quod est concretum; & deniquè appellatur substantiuum accidentale, quia significat formam ad modum substantiæ, idest per se stantem, & nulli actu inhærentem.

Secundum Corollarium est. Quod in qualibet denominatione, propriè dicta, tria reperiuntur, scilicet denominatum, quod est subiectum; denominatiuum, quod est concretum; & denominans quod est abstractum: verbi gratia. Paries est albus, ab albedine: paries est denominatum, albus denominatiuum, & albedo denominans. Dicitur notanter, in denominatione propriè dicta; quia in denominatione impropriè dicta, cuiusmodi est illa quæ fit à denominatiuis voce, & non significatione, non est necesse illa tria reperiri. Ex quo sequitur, denominatiua propriè sumpta, esse solum denominatiua voce, & significatione simul.

De secundo Antepredicamento in Generali, scilicet de Diuisione, ac eius partitione.

CAPVT III.

Viso primo Anteprædicamento, tàm in Generali, quam in speciali, quod valet ad cognoscendum quomodo prædicamenta dicantur de suis, inferioribus, an vniuocè, vel æquiuocè, aut denomina-

natiuè; in præsenti, cũ opus sit cognoscere, ea, quæ ponuntur in prædicamentis, ab ijs, quæ excluduntur; de diuisione, quæ huiusmodi cognitionem præstat, erit nobis sermo. At quia Diuisio, vt sic, est quoddam commune ad tales diuisiones prædicamentales, sicut diffinitio ad illas diffinitiones, ideò primum de Diuisione sic generaliter accepta pertractabimus, & postmodum de duabus diuisionibus Antepraedicamentalibus cognitionem subijciemus.

Diuisio igitur, spectata nominis interpretatione, deriuatur à verbo Diuido, is, quod idem est, ac separo, as; seù partior partiris. Vndè Diuisio, nil aliud est, quam quædam separatio, seù partitio vnius rei ab alia re. Atqui, cum separatio, seù partitio dupliciter fiat, scilicet realiter, diuidendo nimirum aliquod in partes; vt lignum in frusta: & per intellectum, considerando aliquod commune partiri in sua inferiora; vt animal in hominem, leonem, &c. ideò duplex est Diuisio, scilicet Realis, & Rationalis.

Diuisio Realis, est partitio alicuius in partes ex quibus componitur: vt V. G. diuisio ligni in quatuor, vel quinque frusta, ex quibus totum lignum constat.

Diuisio verò Rationalis, est manifestatio communitatis alicuius superioris per sua inferiora; vt E. G. Animalis, per hominem, leonem, asinum, & cætera animalia, in quantum animal est talis naturæ, vt se extendat ad omnia animalia.

Vndè aduertendum est, quod isti termini, Diuisio, Superdiuisio, Subdiuisio, & Condiuisio, valdè differunt. Nam Diuisio, secundum D. Damascenum cap. 6. suæ dialecticæ, est prima rei partitio. Superdiuisio, est rei semel diuisæ iterata sectio. V. G. Cùm Propositio secatur in veram, vel falsam; tunc talis sectio appellatur diuisio; quia est prima partitio propositionis. Cùm verò subditur. Propositionum, alia est Cathegorica, & alia Hipothetica: tunc dicitur superdiuisio; quia priorem, in veram, vel falsam supponit. Subdiuisio verò, est partitio alicuius membri diuisionis, vel superdiuisionis in alia membra; vt dicendo. Propositionũ Cathegoricarum, alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita, & alia singularis. Condiuisio tandem, est communis per duo membra opposita partitio; vt animalis diuisio, per rationale, & irrationale.

Diuisio Rationalis subdiuiditur in diuisionem per se, & per accidens. Diuisio per se, est illa, in qua nec diuidentia, nec diuisum sunt alteri accidens commune. Vt Animalium, aliud rationale, & aliud irrationale. Et hæc est triplex, scilicet vniuoci in sua vniuocata, æquiuoci in sua æquiuocata, & Totius in partes.

Diuisio vniuoci in sua vniuocata est illa, cuius diuisum est vniuocum vniuocans, & membra diuidentia sunt vniuoca vniuocata. Vt Animalium, aliud homo, aliud leo, aliud equus, &c. & hæc adhuc est triplex, scilicet Generis in species, Generis in differentias, & speciei in Indiuidua.

Diuisio Generis in species est illa, cuius diuisum est Genus, & membra diuidentia sunt species eiusdem. Vt Animalium, aliud homo, aliud leo &c.

Diuisio Generis in differentias est illa, cuius diuisum est genus, & membra diuidentia sunt differentiæ. Vt Animalium, aliud rationale, & aliud irrationale.

Diuisio speciei in Indiuidua est illa, cuius diuisum est species specialissima, & membra diuidentia sunt indiuidua eiusdem. Vt hominum, alius Petrus, alius Paulus, alius Franciscus &c.

Diuisio Æquiuoci in sua æquiuocata est illa, cuius diuisum est æquiuocum æquiuocans, & membra diuidentia sunt æquiuocata. Vt Canum, alius latrabilis, alius marinus, & alius cælestis. Et hæc est duplex, scilicet diuisio Æquiuoci à casu, & à consilio; de quibus superius dictum est.

Diuisio totius in partes est illa, cuius diuisum est totum, & membra diuidentia sunt partes. Et hæc est duplex, scilicet totius essentialis, & totius integralis in suas partes.

Diuisio totius essentialis est illa, cuius diuisum est totum essentiale, & membra diuidẽtia sunt partes essentiales eiusdem.

Et sic,

Et sic, Homo, diuiditur in animam, & corpus physicè; vel methaphysicè, in rationale, & animal, ex quibus componitur.

Diuisio totius integralis est illa, cuius diuisum est totum integrale, & membra diuidentia sunt partes integrales. Et sic, corpus, diuiditur in caput, brachia, pedes, &c. quid autem sit totum essentiale, vel integrale, videbitur in tertio tractat. sect. 3.

Diuisio per accidens est illa, in qua aut diuisum, aut diuidens, vel vtrumque est accidens commune. Et hæc est triplex, subiecti in accidentia, accidentis in subiecta, & accidentis in accidentia.

Diuisio subiecti in accidentia est illa, cuius diuisum est subiectum, & membra diuidentia sunt accidentia. Vt animalium, aliud sanum, & aliud ægrum: ægritudo enim, & sanitas, sunt accidentia diuidentia animal per accidens; sicut rationale, & irrationale illud diuidunt per se.

Diuisio verò accidentis in subiecta est illa, cuius diuisum est accidens, & membra diuidentia sunt subiecta. Vt frigidorum, aliud lapis, aliud ferrum. Vel sanorum, aliud homo, aliud leo, & aliud equus.

Diuisio autem accidentis in accidentia est illa, cuius diuisum, & etiam membra diuidentia sunt accidentia. Vt saporum, alius dulcis, alius amarus.

Notandum est tamen primo, pro complemēto tractatus de diuisionibus; quamlibet diuisionem posse fieri per affirmationem, & negationem. Exemplum prioris. Vt animalium, aliud homo, aliud æquus, &c. Exemplum posterioris. Vt animalium, aliud homo, & aliud non homo; nàm per ly non homo, intelligi possunt quæcumque animalia contenta sub illo, præter hominem. Ex quo sequitur, quod illa famosa propositio. Omnis bona diuisio debet esse bimembris. Habet veritatem dumtaxat de Diuisione data per negationem.

Notandum est secundo: ad quamlibet bonam diuisioné, siuè per affirmationé, siuè per negationé, tres conditiones requiri. Prima, quod membra diuidentia sint opposita, saltem disparatè. Idest quod nequeant de se inuicem verè prædicari, & essentialiter. Secunda, quod membra diuidentia non excedant diuisum. Idest quod nihil contineatur sub membris diuidentibus, quin contineatur etiam sub diuiso. Tertia, quod membra diuidentia non excedantur à diuiso. Idest nihil contineatur sub diuiso, quod etiam non contineatur sub membris diuidentibus. Ex his sequitur, hanc diuisionem, Animalium aliud rationale, & aliud irrationale, esse bonam; quia de illa verificantur prædictæ conditiones. Siquidem primo membra diuidentia, scilicet rationale, & irrationale, nequeunt de se inuicem prędicari; secundo, non excedunt animal; quia omne rationale, vel irrationale, est animal; tertio tamdem, quia omne quod est animal, vel est rationale, vel irrationale.

De secundo Antepredicamento in speciali, idest de duabus Diuisionibus requisitis ad cognitionem Prædicamentorum habendam.

CAPVT IV.

Prima diuisio rerum, quæ ponuntur in prædicamentis, est ista. Eorum, quæ dicuntur, idest per voces, seu terminos vocales exprimuntur; quædam sunt complexa; vt homo est animal; quædam verò incomplexa; vt homo, vel animal.

Secunda Diuisio. Eorum, quæ sunt; quædam dicuntur de subiecto, in subiecto verò nullo sunt; vt genera, & species prædicamenti substantiæ, & eorum differentiæ: vt animal, homo, & rationale, vel irrationale.

Pro intelligentia huius diuisionis primo notandum est. Subiectum in proposito, dupliciter accipi posse. Vno modo pro omni eo, quod subijcitur accidentibus; sicut dicimus, parietem esse subiectum albedinis, vel nigredinis. Alio modo, pro omni inferiori, quod substat superiori; & sic dicimus, Franciscum esse subiectum hominis; hominem animalis; animal corporis animati; corpus animatum corporis; & corpus substantiæ. Subiectum in proposito vtroque modo sumitur; cum

hac tamen aduertentia, quod si coniungatur cum (dici de) accipitur pro inferiori; si verò construatur cum (esse in) sumitur pro subiecto accidentium. Ex quo sequitur, quod dici de subiecto, est superius prædicari de inferiori; vt homo de Petro, Paulo, Antonio &c. Esse verò in subiecto, est esse in alio, vt accidens in subiecto; vt album in pariete.

Secundò Notandum est, quod esse in alio, secundum Aristotelem hic, & Boetium, contingit nouem modis; qui continentur in his duobus versibus.

In sunt pars, totum, species, genus, & calor igni:

Rex in regno, res in fine, locoque locatum.

Vndè per ly pars, indicatur primus modus essendi in alio, qui est, sicut pars integralis in suo toto: vt manus, vel pes in toto corpores. Secundus modus innuitur per ly totum; & est, cum aliquid est in alio sicut totum integrale in suis partibus simul sumptis: vt corpus in capite, collo, brachijs, &c. Tertius explicatur per ly species; & est, quando species est in suo genere, & quodlibet inferius in suó superiori; vt homo in animali; animal in corpore, & sic ascendendo vsque ad substantiam. Quartus insinuatur per ly genus; & est, quando genus est in suis speciebus, & quodlibet superius in suo inferiori. Vt substantia est in corpore; corpus in corpore animato; corpus animatum in animali; & animal in homine, leone, equo &c. Quintus modus est, quo forma substantialis est in sua materia; vt anima in corpore. Sextus denotatur per ly calor igni; & est, quo forma accidentalis est in subiecto. Vt calor in igne, sciétia in intellectu, & albedo in pariete. Septimus modus est, quo aliquid est in suo efficiente, seù gubernante; sicut Regnum in Rege, & domus in domificatore. Octauus modus est, quo aliquid est in alio, tamquam in suo fine: vt virtus in beatitudine; nam ipsa ordinatur ad beatitudinem, tamquam medium ad suum finem; & inuitur illis verbis. Res in fine. Nonus modus deniquè est, quo aliquid est in alio, vt contentum in suo continente, vel locatum in loco; vt vinum in vase, vel corpus in loco. Hic est sermo tantum de sexto modo essendi in alio; cęteri enim dati sunt ad vberiorem doctrinam.

His notatis, secunda diuisio est sic intelligenda. Eorum, quæ sunt, idest habent esse in rerum natura, & extra suas caussas, quædam dicuntur de subiecto, idest prædicantur de suis inferioribus, in subiecto verò nullo sunt; supplè, vt accidens in subiecto. Et sic omnia genera, & species prædicamenti substantiæ, prædicantur de suis inferioribus, & non sunt in illis, vt in subiecto, quia non sunt accidentia.

Quædam verò, nec dicuntur de subiecto, idest prædicantur de suis inferioribus, cum illis careant; nec sunt in subiecto; quia non sunt accidentia. Vt Petrus Paulus, & cętera indiuidua prædicamenti substantiæ.

Quædam tamdem, & dicuntur de subiecto, idest predicantur de suis inferioribus, & sunt in subiecto; quia sunt accidentia. Et sic, omnia genera, & species accidentium, dicuntur de suis inferioribus. Vt color, de coloribus; sapor de saporibus, & sic de alijs. Et sunt in subiecto; quia sunt accidentales formæ, quarum esse, est in subiecto esse.

Ex his inferuntur duo corollaria. Primum; quod prima diuisio, valet ad cognoscendum illa, quæ debenr poni in prædicamentis; quia debent esse in complexa, & non complexa. Secundum corollarium; quòd secunda diuisio iunat ad cognoscendum illa, quæ ponuntur in diuersis prædicamentis: nam illa, quæ dicuntur de subiecto, & non sum in subiecto; & illa, quæ nec dicuntur de subiecto, nec sunt in subiecto, ponuntur in prædicamento substantiæ: illa verò, quæ dicuntur de subiecto, & sunt in subiecto, habent reponi in alijs nouem prædicamentis accidentium; de quibus omnibus in sequentibus.

De tertio Antepradicamento.

CAPVT V.

Visis in præcedentibus ijs, quæ ponuntur in vno prædicamento, ac in diuersis; in præsenti videndus est ordo, quem

quem seruant ea, quæ reponuntur in vnoquoquè prædicamento; quarè ponuntur duæ Regulæ, quarum prima est. Quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, quæcumquè de eo, quod prædicatur dicuntur, omnia de subiecto dicuntur. Idest, quando superius aliquod prædicatur de inferiori, quecumque prædicantur de illo superiori, prædicantur etiam de illo inferiori. Vt homo prædicatur de Petro, Paulo, & cæteris: igitur, quæ prædicantur de homine, etiam de Petro, Paulo, ac cæteris inferioribus prædicari debent. Sed animal, corpus animatum, corpus, & substantia prædicantur de homine; valet enim dicere, homo est animal, corpus animatum, corpus, & substantia; ergo huiusmodi prædicata habent dici de Petro, Paulo, & cæteris hominibus. Et hæc regula valet ad cognoscendum ordinem eorum, quæ ponenda sunt in vnoquoquè prædicamento. Siquidem ordinari debent secundum subiectionem, & prædicationem de se inuicem.

Secunda Regula. Diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species, & differentiæ. Vt animal, & scientia; quia sunt diuersa genera non subalternatim posita; quando quidem animal est genus de prædicamento substantiæ, & scientia de prædicamento qualitatis; ideò habere debent diuersas species, & differentias; nàm animalis species sunt Homo, Leo, Equus &c. differentiæ verò sunt, rationale, & irrationale. Species autem scientiæ sunt, generalis, naturalis, sermocinalis, & diuina. Differentiæ verò diuidentes scientiam, sunt practicum, & speculatiuum; quæ omninò diuersa sunt à speciebus, & differentijs animalis. Et hęc regula valet ad cognoscendum distinctionem prædicamentorum, & diuersitatem generum, specierum, & differentiarum, ex quibus coalescunt.

Ex his eliciuntur quatuor conditiones prærequisitæ ad cognoscendum illa, quæ ponuntur in prædicamentis, ab ijs, quę excluduntur ab eis.

Prima conditio. Quod illa, quę ponuntur in prędicamentis sint res primę intentionis. Defectu cuius, secundę intentiones excluduntur ab his prædicamentis; habent enim reponi in proprio prędicamento, vt suo loco dicemus.

Secunda conditio. Quod huiusmodi res sint finitę. Ideò res infinitę, cuiusmodi sunt Deus, & omnia, quę dicuntur de Deo, nequeunt in prędicamentis collocari.

Tertia conditio est. Vt sint res limitatę, idest determinatę ad aliquod genus, scilicet prędicamentum: vt substantię, collocentur in prędicamento substantię; qualitates in prędicamento qualitatis; & sic de cęteris. Vndè sequitur, quod ens, cum sit illimitatum ad omnia prędicamenta, non sit in genere prędicamentali.

Quarta, & vltima conditio. Vt tales res sint incomplexę. Vndè res complexę, vt sunt orationes, & propositiones, exulant à prædicamentis.

De Decem Prædicamentis.

SECTIO IV.

De Prædicamento, seù Genere Generalissimo in communi.

CAPVT I.

Prędicamentum dupliciter accipi posse prænotandum est. Vno modo pro coordinatione generum, specierum, & indiuiduorum secundum sub, & supra, idest secundum subiectionem, & prędicationem. Vt nimirum, quod substantia ponatur supra corpus; corpus supra corpus animatum; corpus animatum, supra animal; animal, supra hominem; & homo, supra Petrum, Paulum, & Franciscum. Alio modo pro supremo illius coordinationis, scilicet pro substantia in coordinatione substantię; pro quātitate, in eius coordinatione; pro qualitate, in sua; & sic de alijs. Priori modò, propriè ap-

pellatur Prædicamentum; & posteriori modo dicitur Genus Generalissimum. Et sic vtroque modo describi potest.

Prædicamentum, est coordinatio Generum, specierum, & indiuiduorum, secundum subiectionem, & prædicationem: Et sic coordinatio substantiarum, secundum subiectionem, & prædicationem, constituit prædicamentũ substantiæ; coordinatio quantitatũ, prædicamentũ quantitatis; & sic de cæteris.

Generalissimum verò, vt dictum est Sect. secunda, cap. 2. est, quod cum sit Genus, nequit esse species. Vel dicitur illud, quod non habet aliud genus superueniens, vt substantia, quantitas, qualitas in communi. Et vtroquè modo accipiendo prædicamentum, diuiditur in decẽ prædicamenta, seù Generalissima; scilicet Substantiam, Quantitatẽ, Qualitatẽ, Relationem, Actionem, Passionem, Situm, Habitum, Vbi, & Quando. Quorum tria priora, dicuntur absoluta, & septem posteriora relatiua.

Prædicamenta absoluta sunt illa, quorũ esse, est ad se esse; idest non refertur ad aliud. Et hæc sunt tria, scilicet substantia, quantitas, & qualitas. Nam certum est, substantiam, vt puta hominem, non referri ad aliud, sed per sè existere. Quantitas verò, & qualitas, licet nequeant per se existere, cum sint accidentia, quæ egent subiecto; attamen non referuntur, nec ad illud, nec ad aliud, vt ad suum terminum: qua ratione dicuntur absoluta, & distinguuntur à relatiuis.

Prædicamenta verò relatiua sunt illa, quorum esse est ad aliud se habere, vt ad suum terminũ. Et hæc sunt septem, scilicet Relatio, Actio, Passio, Situs, Habitus, Vbi, & Quando. Pater enim refertur ad filium, & è conuersò; Agens ad Passum, & è contrà; quia in huiusmodi correlatione vnius ad aliud, consistit eorum esse. At quia prædicamenta relatiua fundantur super absolutis, ideò priùs agendũ est de absolutis quàm de relatiuis: & cùm inter absoluta primum locum sibi vendicet substantia, quæ est fundamentum cæterorum; igitur priùs de substantia agendum est.

De substantia, & eius Proprietatibus.

CAPVT II.

Svbstantia, secundum nominis interpretationem, dicitur à substando, eò quod substet accidentibus; Siquidem ipsa sola, est subiectum vltimatum accidentiũ. Dico tamen vltimatum; ad differentiam quantitatis; quia, & ipsa substat qualitatibus, non vltimatè, sed immediatè tamen; vltimatè verò, & qualitas, & quantitas subiectantur in substantia: substare autem dupliciter contingit; vno modo accidentibus: & sic est esse subiectum accidentium; alio modo superioribus; & sic inferius dicitur substare superioribus. Substantiæ nomen, deriuatur ab vtroquè modo substandi; & sic diuiditur in primam, & secundam substantiam.

Prima substantia est illa, quæ propriè, & principaliter, maximèquè substare dicitur. Vt Petrus, Paulus, hic Leo, ille Equus, iste Asinus, & cætera huiusmodi indiuidua, dicuntur primæ substantiæ; quia propriè substant accidentibus: ad differentiã quantitatis huius, & illius, quæ non substant propriè, sed solum mediantibus primis substantijs, cæteris accidentibus. Dicitur principaliter: ad differentiam secundarum substantiarũ, scilicet generũ, & specierum prædicamenti substantiæ, quæ principaliter non substant accedentibus, sed tantum ratione primarum substantiarum: nàm, ideò homo dicitur gramaticus, vel logicus, vel albus, aut niger; quia hic homo, scilicet Petrus, est gramaticus, logicus, albus, vel niger. Dicitur tandem, maximè; ad differentiam earumdem secundarum substantiarum; quia primæ substantiæ maximè, idest pluribus modis substandi substant, quàm secundæ substantiæ. Siquidem Petrus, non solùm substat accidentibus, vt albedini, vel nigredini, sed etiam homini, animali, corpori animato, corpori, & substantiæ. Homo verò, qui est secunda substantia, licet substet animali, corpori ani-

animato, corpori, & substantiæ, non tamen substat sibi, & indiuiduis, ac accidentibus, vt faciunt primæ substantiæ; atquè adeò primæ substantiæ, dicuntur maximè substantiæ; quia pluribus modis, quàm secundæ substantiæ substant.

Vel secundo sic diffinitur prima substantia. Prima substantia est, quæ nequè est in subiecto, nequè de subiecto dicitur. Idest non est in subiecto, quia non est accidens; nec dicitur de subiecto, quia non habet inferiora, de quibus possit prædicari: vt Petrus, Paulus &c.

Secundæ substantiæ sunt genera, & species, in quibus sunt primæ substantiæ; suple, vt inferiora in suis superioribus. Vt homo, animal, corpus animatum, corpus, & substantia, dicuntur secundæ substantiæ; quia in eis continentur Petrus, Paulus, hic Leo, iste Asinus, & cætera indiuidua, vt inferiora in suis superioribus.

Ex his sequuntur tres comparationes substantiarum inter se. Prima comparatio est secundarũ substantiarum cum primis. Secundis substantijs conuenit vniuocè prædicari de primis; idest secundum idem nomen, & eamdem diffinitionem: vt homini competit prædicari vniuocè de Petro, Paulo &c. Primæ autem substantiæ, cum sint indiuidua, nec nomine, nec ratione, seù diffinitione, dicuntur de pluribus, cum careant inferioribus.

Secunda comparatio secundarum substantiarum inter se. Secundarum substantiarum, species est magis substantia, quam genus. Et ratio est; quia illa dicitur magis substantia, vel quæ est propinquior primæ substantiæ, vel quæ pluribus modis substandi substat; sed species est huiusmodi, & non genus; igitur species est magis substantia, quam genus. Quod etiam manifestatur exemplo. Nam homo, est species; & animal, corpus animatum, corpus, & substantia, sunt genera; at clarum est, hominem esse viciniorem Petro, & Paulo, qui sunt primæ substantiæ, quam animal, & quodlibet ex prædictis generibus. Insuper, homo substat animali, corpori animato, corpori, & substantiæ; animal verò licet substet superioribus, non tamen substat homini, & sibi: qua ratione dicendum est, hominem esse magis substantiam, quam animal, & animal magis, quam corpus animatum, & sic ascendendo vsque ad substantiam, quæ cum sit genus generalissimum, nulli substat; vt inferius superioribus; licet substet, tamquàm subiectum accidentibus.

Tertia comparatio secundarũ substantiarum, quæ sunt species specialissimæ ad inuicem. Species specialissimæ sic se habent, vt vna non sit magis substantia, quam alia; tùm quia sunt æqualiter propinquæ suis inferioribus; tùm etiam, quia ijs modis substandi, substant suis superioribus; vt Homo, Leo, Equus, & sic de alijs.

Hactenus egimus de substantia quoad sui quiditatem manifestatam per diffinitiones; modo agendum est de proprietatibus eiusdem, ex quibus, quasi ab extrinseco, quid sit substantia ostendemus: sunt autem quinque.

Prima est ista. Commune, seù proprium est omni substantiæ, tàm primæ, quàm secundæ in subiecto non esse. Et ratio est; quia esse in subiecto, est esse in alio, tamquàm accidens; atqui nulla substantia est accidens, vt patet ex diffinitione vtriusquè. Et licet differentiæ essentiales substantię, vt rationale, & irrationale; partes essentiales, cuiusmodi sunt materia, & forma; & partes integrales, vt sunt caput, manus, pedes &c. sint in alio, non tamen sunt accidentia; quia non sunt in alio, tamquàm in subiecto, sed vt differentię in specie; vel vti partes in suo toto essentiali, aut integrali.

Secunda proprietas. Prima substantia est hoc aliquid; idest indiuiduum, vnum numero, seù singulare. Secunda verò substantia est quale quid; idest commune pluribus, vt homo, animal &c.

Tertia proprietas. Substantię nihil est contrarium. Idest vna subbstantia non contrariatur alteri, propriè loquendo. Quia contrarietas propriè reperitur in qualitatibus tantũ, scilicet in caliditate, & frigiditate, & humiditate, ac siccitate; at substantia non est qualitas, cum sint prędicamenta diuersa; igitur substantię nihil est contrarium. Dicitur tamen propriè loquendo; quia accipiendo contrarium pro nociuo, vel disconuenienti, & sub-

ſtantię eſt aliquid contrarium: aer enim malè affectus, contrariatur corporibus naturalibus, quę ſunt ſubſtantię.

Quarta proprietas. Subſtantia non ſuſcipit magis, & minus. Ideſt vna ſubſtantia non ſuſcipit maiores gradus intenſionis, & remiſſionis: ſicut albedo, & nigredo; quarum vna eſt intenſior alia. Petrus verò non eſt magis homo, quàm Paulus; nec Leo eſt magis animal, quam muſca.

Quinta proprietas. Proprium eſt ſubſtantiæ primæ, cum ſit vna, & eadem numero, ſecundum ſui mutationem, eſſe ſuſceptiuam contrariorum. Nàm Antonius eſt aliquando albus, aliquando niger; interdum calidus, & interdum frigidus.

Et ſi quis dicat; quòd etiam oratio ſit ſuſceptiua contrariorum; quia hæc. Paulus dormit. Ipſo dormiente, eſt vera; & ipſo vigilante, eſt falſa; & tamen oratio non eſt ſubſtantia, ſed, aut quantitas, aut qualitas; igitur non eſt proprium ſolius ſubſtantiæ ſuſcipere contraria, ſecundum ſui mutationem.

Reſpondetur, quod licet oratio mutari poſſit de veritate in falſitatem, quæ ſunt contraria, hoc non habet ex ſe, ſed rationem ſubiecti mutabilis de vno ad aliud contrarium, vt patet; quia nimirum Paulus mutari poteſt de dormitione in vigiliam: ideò hæc oratio, Paulus dormit: poteſt eſſe falſa, quæ prius erat vera; ſed hoc non eſt ratione propoſitionis, cum ſemper eadem perſeueret, ſed ratione mutationis Pauli, qui eſt ſubiectum propoſitionis. Vndè infert Ariſtoteles. Ab eo, quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa.

De quantitate; & eius ſpeciebus.

CAPVT III.

Quantitas in communi, cum ſit Genus generaliſſimum, nequit propriè diffiniri, cum hæc conſtet ex genere, & differentia; poteſt tamen ſic deſcribi. Quantitas eſt illa, ſecundum quam quanti, vel quoti eſſe dicimur. Vt ſecundum longitudinem longi, ſecundum latitudinē lati. Similiter tres homines, ſecundū numerum ternarium, dicuntur tres; ſecundū quaternarium quatuor &c. Et hæc diffinitio comprælendit quantitatem continuam, & diſcretam; ſiquidem ſecundum continuam dicimur quanti; & quoti, ſecundum diſcretam. Quantitas igitur, quæ eſt Genus generaliſſimum, diuiditur in quantitatem continuam, & diſcretam, vt in duo genera ſubalterna.

Quantitas continua eſt illa, cuius partes copulantur ad vnum terminum communem, qui eſt principium vnius partis, & finis alterius: vt partes lineæ copulantur ad punctum, quod eſt principiū vnius partis lineæ, & finis alterius. Et hæc ſubdiuiditur in quinque ſpecies, ſcilicet in lineam, ſuperficiem, corpus, tempus, & motum.

Linea eſt longitudo ſine latitudine, & profunditate, cuius extrema ſunt duo puncta.

Punctum verò eſt quoddam indiuiſibile continuatiuum partium lineæ, & earumdem terminatiuum............ Nàm, à puncto incipit linea, & punctis continuantur partes lineæ, & tandem in puncto terminatur; itaut quidam dixerint, lineam eſſe punctum protractum.

Superficies, eſt longitudo cum latitudine, & ſine profunditate, cuius extrema ſunt duæ lineæ; vt perſpicitur in hac figura.



Corpus verò, vt eſt ſpecies quantitatis continuæ, eſt longitudo, cum latitudine & profunditate, cuius extrema ſūt duę ſuperficies; vt patet in ſequenti figura.



Tempus eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius; ideſt ſecundum partem priorem, & poſteriorem; vt hora, dies, menſis, annus; quę menſurant motum vnius horæ, vnius diei, vnius menſis, & vnius anni.

Motus tandem, eſt actus mobilis, in quantum mobile. Ideſt forma quædam accidentalis, ſubiectiuè exiſtens in eo, quod dicitur moueri, ſecundum

quam

quam denominatur moueri. Quod autem omnes hæ species, sint quantitates continuę, manifestè liquet ex eo, quod partes omnium copulantur ad aliquem terminum cōmunem, qui est principium vnius, & finis alterius; nàm partes lineæ copulantur ad punctum; partes superficiei, ad lineam; partes corporis, ad superficiem; partes temporis, scilicet præteritum, & futurum, ad præsens; & partes motus ad mutatum esse; quod se habet in motu, veluti instans in tempore, & punctum in linea; quæ omnia sunt indiuisibilia formaliter, licet materialiter partiri possint.

Quantitas autem Discreta est illa, cuius partes non copulantur ad aliquem terminum communem, qui sit continuatiuus partium ad inuicem, sed ipsæ sunt semper ab inuicem discretæ, seù separatæ. Et hæc subdiuiditur in duas species, scilicet in numerum, & orationem.

Numerus autem est triplex, scilicet numerus numerans, numerus numeratus, & numerus formalis, quo numeramus. Numerus numerans est anima, seù intellectus, qui numerat, seù discernit vnam rem ab alia: vt hominem distinctum à lapide; vel lapidem distinctum à planta. Numerus numeratus, sunt ipsę res numeratæ; vt tres homines, quatuor lapides, quinquè denarij &c. Numerus, quo numeramus, seù formalis est, quo numeramus res discretas, seù separatas ab inuicem: vt duo, tria, quatuor &c. & sic diffinitur.

Numerus formalis, est multitudo ex vnitatibus causatis, ex diuisione continui, aggregata. Vt si diuideretur hæc tabula in quatuor, vel quinque partes, illæ possent numerari hoc numero formali. Ex quo sequitur, quod duo homines, vel tres Angeli, non dicuntur duo, vel tres, numero prædicamentali, sed tantum transcendentali, cum non sint partes causatę ex diuisione alicuius continui.

Vnitates etiam, ex quibus coalescit numerus, sunt in duplici differentia; aliæ enim dicuntur materiales; & tales nō sunt, nisi partes materiales alicuius continui, vt tres, vel quatuor partes huius tabulæ: & tales vnitates aggregatę, non faciunt numerum prædicamentalem, sed transcendentalem. Aliæ verò sunt formales: & hęc sunt quædam formæ accidentales, repertæ in vnitatibus materialibus, secundū quas, vnaquequè pars denominatur vna, & ex talibus dumtaxat conficitur numerus prædicamentalis. Et hoc benè notandum est, nè confundatur numerus prædicamentalis cum transcendentali.

Oratio etiam est multiplex, & æquiuoca; aliquando enim sumitur pro oratione mentali, vocali, aut scripta, quæ est pars syllogismi; & de hac agendum est in sequenti Tractatu. Aliquando sumitur pro aggregatione quarumdam mensurarum mensurantium sillabas, quoad correptionem, vel productionem; & sic vna simplex dictio, constans ex duabus silabis, potest vocari oratio; & de hac est sermo in proposito, & sic diffinitur.

Oratio, vt est species quantitatis discretæ, est multitudo aggregata ex mensuris accidentalibus, mensurantibus sillabas orationis vocalis, secundum longitudinem, vel breuitatem. In qua diffinitione, ly multitudo aggregata, ponitur tamquam genus, indicans quantitatem discretam; & ly ex mensuris accidentalibus; ad differentiam numeri prędicamentalis, qui constat ex vnitatibus accidentalibus, repertis in partibus causatis ex diuisione alicuius continui.

De Proprietatibus Quantitatis.

CAPVT IV.

Quatuor sunt proprietates quantitatis, ex quibus à posteriori patet, quid sit quantitas, & quomodo differat ab alijs prædicamentis.

Prima proprietas. Quantitati nihil est contrarium, propriè loquendo. Quia contrarietas propriè, reperitur inter qualitates, quæ ad inuicem pugnant, vt videbimus suo loco; modo quantitas non

est

est qualitas; igitur sibi nihil est contrarium.

Secunda proprietas. Quantitas non suscipit magis,& minus. Quia suscipere magis, & minus, est suscipere maiores, & minores gradus perfectionis in eodem loco, & situ, se inuicem penetrantes; sicut patet de caliditate, quæ aliquando est maior, aliquando minor; atqui quantitas non est huiusmodi; quia vna linea non est essentialiter magis linea, quàm alia; nec numerus binarius,est minus perfectus, quàm ternarius.

Tertia proprietas. Quantitas benè suscipit maius, & minus. Quia suscipere maius, & minus, est suscipere maiorem, vel minorem extensionem, scilicet maiorem,vel minorem longitudinem, latitudinem, vel profunditatem in quantitate continua; vel maiores, aut minores vnitates, vel mensuras in quantitate discreta; at certum est, quod vna linea est longior alia; vna superficies latior; vnum corpus, profundius alio corpore: Similiter numerus ternarius est maior binario; & oratio octo sillabarum est maior oratione, quæ tantum quatuor sillabas habet.

Quarta proprietas. Proprium est quantitati, secundum eam æquale,vel inæquale dici. Idest,ęqualitas,vel inæqualitas fundantur immediatè in quantitate; patet, quia æqualitas, est rerum differentium eadem quantitas: nam duæ lineæ palmares dicuntur æquales; similiter vna palmaris, & alia bipalmaris dicuntur inæquales; quia inæqualitas est rerum differentium diuersa quantitas.

Ex his eliciuntur quinque quæsita conuenientia huic prædicamento; scilicet quantum, quanti, quot, quoties, & quandiù. Quorum duo priora, & vltimum, respondent quantitati Continuæ; & reliqua Discretæ. Quærenti enim quantus est mons aureus? respondetur centumpedalis, plusuè minus. Si verò queratur. Quanti mensurat hęc vlna? Respondetur bipedaliter, vel bipalmariter. Si autem quæratur. Quot sunt homines in plateà? Respondetur centi, vel ducenti, aut mille. Si verò interogetur quis. Quoties hoc fecisti? Respondebit bis, ter, vel quater. Si tamdem quæratur. Quandiù manebis Vicentiæ? Respondetur duobus mensibus, vel tribus annis. Et hæc de prędicamento quantitatis dicta sufficiant.

De relatione, seù ad aliquid, & eius Diuisione.

CAPVT V.

POst Prędicamentum quantitatis, sequendo ordinem naturę, agendum esset de Prędicamento qualitatis; at quia ordo doctrinę expostulat, vt fiat sermo prius de Prędicamento Relationis, quę habet cognosci per substantiam, & quantitatem, super quibus potiori modo fundatur; Ideò omisso pro nunc Prędicamento qualitatis, statim tractabimus, quid, & quotuplex sit Relatio, seù Relatiuum, tùm in communi, tùm in particulari.

Ad aliquid, seù Relatiua duplici diffinitione diffiniuntur ab Aristotele, tùm hic, tùm quinto Meth. cap. de ad aliquid: Quarum prior est communis omnibus Relatiuis, siuè propriè, siuè communiter sumptis; posterior verò explicat naturam Relatiuorum propriè dictorum.

Prima diffinitio. Ad aliquid vero talia dicuntur, quæcunque hoc ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud. Idest Relatiua sunt illa, quę ad aliud referuntur, vt ad suum terminum, sub habitudine alicuius obliqui casus, scilicet genitiui: vt Pater, filij Pater; Filius, Patris filius; Vel datiui: vt similis, simili similis. Vel ablatiui: vt maius, minore maius; vel minus, maiore minus. Vndè notandum est, quod per ly Ad aliquid, circumloquimur aliquod incomplexum, cuius natura sit referri ad aliud, vt ad suum terminum.

Secunda

Secunda diffinitio. Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum esse proprium, quod sunt, aliorum dicuntur, quodammodo se habere. Idest Relatiua sunt illa, quæ secundum propriam naturam, & essentiam, se habent ad aliud sub habitudine alicuius obliqui casus; vt dictum est in præcedenti. Ex quibus sequitur; quod Relatiua sunt duplicia, secundum dici, & secundum esse; ex quorum cognitione patebit differentia inter primam, ac secundam diffinitionem.

Relatiua secundum dici sunt, quæ ex sua essentia, & natura, important ens absolutum, scilicet substantiam, quantitatem, vel qualitatem; ex connotato verò, & secundariò dicunt relationẽ, scilicet esse ad aliud, vt ad suum terminum. Vt scientia, & scibile, secundum suam quiditatem, important qualitatem, vel substantiam, si est scibile substantiale; aut quantitatem, si circa illam versetur intellectus scientis; secundariò verò scientia dicit relationem mensurabilis ad suam mensuram; quia mensuratur à scibili; nàm tanta est scientia, quantum est scibile, & nihil amplius.

Relatiua verò secundum esse, sunt illa, quæ secundum suam naturam, & essentiam habent, quod ad aliud referantur primariò, & perse. Vt Pater, refertur ad filium totaliter; quia nihil est in illo, quod non referatur ad filium. Ex his patet differentia inter primam, & secundam diffinitionem: siquidem secunda tantum competit Relatiuis secundum esse. Vndè in illa notanter dicitur. Quibus hoc ipsum esse proprium, quod sunt, idest, quæ secundum propriam naturam, quam habent, ad aliud referuntur: at prima conuenit vtrisquè; quod manifestatur ex illa particula. Quecumquè hoc ipsum esse, quod sunt. In qua nihil determinatè ponitur, quod explicet essentiam relatiuorum per se; sicut accidit in secunda, in qua dicitur. Quibus hoc ipsum esse proprium, quod sunt. Quod nequit conuenire alijs à relatiuis propriè dictis, quæ secundum propriam, & totalem suam naturam, & essentiam, dicuntur ad aliud, vt ad suum terminum.

Relatiua secundum esse, sunt duplicia, scilicet realia, & rationis. Realia sunt, quæ referuntur ad inuicem mediante relatione reali. Vt Pater, & Filius, qui referuntur ad inuicem medijs Paternitate, & Filiatione, quæ sunt relationes reales, idest habentes esse extra opus intellectus. Relatiua rationis sunt, quæ referuntur ad inuicem, mediante relatione rationis, idest causata per opus collatiuum nostri intellectus: vt sunt secundæ intentiones, de quibus suo loco erit peculiaris disputatio, ac tractatus. Hic est sermo de relatiuis realibus; quæ adhuc sunt duplicia, aptitudinalia, & actualia.

Relatiua aptitudinalia sunt illa, quæ referuntur ad terminum non actualiter, sed tantum in potentia existentem. Vt risibile, hinnibile, rugibile, & cæteræ passiones propriæ, inclinationes naturales, & aptitudines; quæ cum reducantur ad illa prædicamenta, quorum unt subiecta illarum; vt risibile, & hinnibile, ad prædicamentum substaniæ, in quo ponuntur homo, & equus, non sunt propriè relatiua, nec spectant ad hoc prædicamentum.

Relatiua actualia sunt illa, quæ referuntur ad terminũ actualiter existentem: vt Pater, & Filius. Nàm Pater nequit esse, quin sit Filius; nequè Filius, quin sit Pater. Et hæc sunt duplicia, scilicet intrinsecùs, & extrinsecùs aduenientia.

Relatiua intrinsecùs aduenientia sunt illa, ex quorum extremis positis in quacunquè distantia, resultat relatio inimpedibiliter: vt Pater, & Filius. Nàm posito Patre in oriente, & Filius in occidente, dummodò ambo viuant, semper ille vocabitur Pater, & hic Filius; ita quod neque per Diuinam potentiam impediri possit, quin resultet paternitas in Patre, & filiatio in filio.

Relatiua extrinsecùs aduenientia sunt illa, ex quorum extremorũm positione, nequit insurgere relatio, nisi fiat debita approximatio eorundem. Nam posito igne, & stupa in aliqua distantia, non resultabit relatio combustionis, nisi fiat debita approximatio stupæ ad ignem;

qua

qua etiam facta, adhuc est impedibilis per potentiam Diuinam. Vt patet in camino ignis ardentis de tribus pueris, cuius flamma erat eis applicata, nec tamen quemquàm eorum læsit; cum eius vis actiua comburendi, fuerit impedita. De his erit sermo in sex vltimis prædicamentis.

Relatiua intrinsecùs aduenientia, sunt triplicia, scilicet Æquiparantiæ, superpositionis, & suppositionis.

Relatiua æquiparantię sunt illa, quorum fundamentum, & terminus sunt adæquata, scilicet eiusdem rationis. Vt simile, quod fundatur in duabus albedinibus adæquatis, & eiusdem speciei: & æquale, quod fundatur in duobus quantis habentibus eamdem quantitatem specie, scilicet in duabus lineis, vel corporibus eiusdem longitudinis, vel latitudinis, ac profunditatis.

Relatiua superpositionis sunt illa, quorum fundamentum vnius, denotat dominium, seù potestatem super fundamento alterius. Vt duplum, supponitur dimidio, & Dominus seruo.

Relatiua tamdem suppositionis sunt illa, quorum fundamentum vnius, dicit suppositionem, seù subiectionem fundamento alterius, scilicet termini: vt seruus, supponitur Domino, & Filius Patri.

Ex his sequuntur duo Corollaria. Primum est. Ad hoc, vt relatiuum aliquod ponatur in hoc prędicamento, quatuor requiruntur conditiones. Prima, quod sit relatiuum secundum esse. Et propter hanc, excluduntur relatiua secundum dici, quæ reducuntur ad illa prædicamenta, in quibus collocantur eorum fundamenta. Secunda, quod sit reale. Quarè excluduntur relatiua rationis, quæ habent collocari in proprio prædicamento. Tertia, quod sit actuale. Defectu cuius, excluduntur relatiua aptitudinalia. Quarta, quod sit intrinsecus adueniens. Vndè excluduntur relatiua extrinsecùs aduenientia ab hoc prædicamento, cum ex eis ordinentur sex vltima prædicamenta.

Secundum Corollarium. Duo esse extrema cuiuslibet relationis, scilicet fundamentum, & terminum. Nàm fundamentum dicitur illud, super quo fundatur relatio; terminus verò, ad quem eadem terminatur. Exemplo res exponitur. Sint duo homines habentes omninò eadem lineamenta, & colores eosdem; tales dicuntur similes ratione similitudinis in eisdem coloribus repertæ. Dùm Franciscus, exempli gratia, dicitur similis Antonio, tunc relatio similitudinis fundatur in colore Francisci, & terminatur ad colorem Antonij. Cum verò, e conuerso, Antonius assimilatur Francisco, color Antonij erit fundamentum, & color Francisci terminus eiusdem similitudinis. Idem exemplum potest sumi in Patre, & filio. Nàm potentia generandi in Patre, est fundamentum paternitatis, per quam Pater refertur ad filium: & potentia passiua ad generari in filio, est terminus paternitatis; & est fundamentum filiationis, per quam filius refertur ad Patrem; & hæc terminatur ad potentiam actiuam generandi in eodem Patre. Ex quibus infertur, relatiuum non habere pro termino correlatiuum, vt autumant aliqui; sed fundamentum correllatiui, vt docet Scotus in pluribus suæ doctrinæ locis.

De Proprietatibus relatiuorum.

CAPVT VI.

Qvinquè sunt Proprietates Relatiuorum, quarum duæ priores sibi conueniunt ratione suorum fundamentorum; tres verò posteriores, illis accidunt, quatenus relatiua sunt.

Prima proprietas. Relatiua sunt ad inuicem contraria. Nàm virtus, contrariatur vitio; simile dissimili; quæ sunt relatiua. Hoc tamen non conuenit omnibus relatiuis, sed tantum illis, quæ fundantur super qualitate, in qua reperitur propriè contrarietas

Nam

Nam illa, quæ fundantur super substantia; vt pater, & filius; vel super quantitate; vt æquale, & inæquale; duplum, & dimidium, non contrariantur; sicut nec substantiæ, & quantitates, in quibus fundantur.

Secunda Proprietas. Relatiua, quæ fundantur super qualitatibus, suscipiunt magis, & minus; & quæ fundantur super quantitatibus, maius, & minus. Prima pars patet; quia aliquid dicitur magis, vel minus simile alteri, sicut aliud magis vel minus dissimile; & hæc sequuntur naturam qualitatis, cuius est suscipere magis, & minus. Secunda pars etiam probatur; quia aliquid dicitur maius vel minus æquale, aut inæquale, quàm aliud; vtpotè si habet maiorem quantitatem, suscipit maius; & minus, si minorem retineat; quia æqualitas, & inæqualitas sortiuntur naturam quantitatis maioris, vel minoris, super quibus fundantur.

Tertia Proprietas. Relatiua dicuntur ad conuertentiam, idest vnum refertur ad aliud, mutuò prædicando de se inuicem, mediante aliquo casu obliquo. Vt Pater, filij Pater; Filius, Patris filius; maius, minore maius; minus, maiore minus.

Quarta Proprietas. Relatiua sunt simul natura, idest simul naturali intelligentia. Ita quod vnum sine alio nequit perfectè intelligi. Nam Pater, non potest cognosci sine filio, nec filius sine Patre. Ex quo sequitur illud commune axioma. Si quis diffinitè nouerit vnum relatiuorum, diffinitè noscet, & reliquum. Vt si quis diffinitè cognouerit, quid sit pater, diffinitè noscet, etiam quid sit filius. Necesse est enim in diffinitione patris, ingredi filium; & in diffinitione Filij, ingredi Patrem, saltem fundamentaliter, vt benè aduertit Doctor subtilis pluribus in locis suæ doctrinæ.

Quinta Proprietas. Relatiua, posita se ponunt, & perempta se perimunt. Vt si Pater est, filius est, & è conuersò. Si autem, Pater non est, nec filius est, & è conuerso. Et ratio est; quia vnum ità necessario pendet ab alio, quoad conseruationem, quemadmodum ad sui esse; at impossibile est, vt vnum sit sine alio, ità pariter impossibile est, vt vnum sine alio conseruetur. Et hæc de Prædicamento Relationis.

De Qualitate, & eius modis.

CAPVT VII.

Qualitas in communi, seù prout est genus generalissimum, describitur eodem modo, quo quantitas. Qualitas est, secundum quam quales esse dicimur. Nam secundum albedinem dicimur albi; secundum nigredinem nigri; secundum scientiam scientes &c. Quæ diffinitio est sic intelligenda. Qualitas est forma accidentalis, secundum quam, substantiæ denominantur quales.

Qualitatis autem quatuor sunt modi afficiendi substantiam, scilicet Habitus, & Dispositio; Naturalis potentia, vel impotentia; Passio, & Passibilis qualitas; & Forma, ac Figura.

Habitus est qualitas de difficili mobilis à subiecto, reddens habentem promptum, & habilem ad perfectè operandum. Vt scientia, quæ est in aliquo Doctore, seù Magistro, dicitur habitus; quia difficulter ab ipso mouetur, & per ipsam perfectè intelligit, ac operatur; docendo, discurrendo, sicut sibi placet.

Dispositio verò, est qualitas de facili mobilis à subiecto, reddens habentem imperfectè dispositum ad operandum. Vt scientia, & virtus, quæ est in tyrone: similiter parua calliditas alicuius. Sub hoc modo continentur omnes scientiæ, siuè practicæ, siuè speculatiuæ; omnes artes, siuè liberales, siuè mechanicę; omnes virtutes, tam Morales, quam Theologicæ; omnes actus intellectus, & voluntatis; omnes species tùm sensibiles, tùm intelligibiles; quia his omnibus competit disponere, vel qualificare subiectum ad operandum: aut perfectè, & sic erunt habitus: aut imperfectè, & sic dicentur dispositiones.

Naturalis potentia, est quædam qualitas inexistens rei à natura, qua ipsa fit potens ad exercendum suas

suas operationes, & resistendum contrarijs. Vt sanitas inexistens Francisco, dicitur eius naturalis potētia; quia per ipsam fit potens ad laborandum, pugnandum, studendum, & resistendum ægritudini. Similiter durities in ferro, vocatur eius naturalis potentia, secundum quam dicitur resistere sectioni.

Naturalis impotentia, ex opposito, est qualitas inexistens rei à natura, qua redditur impotens ad exercendum suas operationes, & resistendum contrarijs. Vt ęgritudo in aliquo, reddit ipsum impotentem ad laborandum, pugnandum, studendum, &c. & ad resistendum tribulationibus, &c. Ad hunc modum reducuntur, omnes habilitates, & inhabilitates.

Passio, vt est species, seù modus qualitatis, est qualitas inferens passionem in sensibus, citò transiens à subiecto. Vt rubedo proueniens ex verecundia; vel palledo adueniens vultui ex timore.

Passibilis qualitas, est qualitas inferens passionem in sensibus, habens esse permanens in subiecto. Vt rubedo, albedo, vel nigredo proueniens à natura, & diù perseuerans in subiecto. Ad hunc modum reducuntur, omnes sensibiles qualitates, scilicet dulcedines, amaritudines, omnes sapores, odores, soni, & primæ quatuor qualitates, scilicet caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas; quæ si diù perseuerant in subiecto, dicuntur passibiles qualitates; si verò citò transeunt, dicuntur passiones.

Forma autem dupliciter potest accipi; vno modo pro forma physica, seù naturali, siuè substantiali, siuè accidentali, quæ cum materia facit compositum, aut per se, aut per accidens: de quibus erit sermo in Philosophia. Alio modo pro forma artifitiali, qua distinguitur res artificialis à rebus naturalibus; vt est forma scamni, ensis, &c. & de hac est sermo, & sic diffinitur.

Forma est ordo partium ad inuicem, & ad totam rem artifitiatam. Idest quædam continuitas huius partis ad hanc, & non ad illam; vt nimirum caput sit super collo; collum iunctum spatulis; brachia humeris, & sic de cæteris.

Figura etiam dupliciter accipitur, scilicet fundamentaliter, & formaliter. Priori modo sumpta figura, est res figurata; & sic potest esse substantia, vel quantitas; diffiniturque sic. Figura est, quæ termino, vel terminis clauditur. Et hæc diffinitio conuenit potissimum figuris Mathematicis, vt sunt triangulus, quadrangulus, & similes. Posteriori modo distinguitur realiter à re figurata, non tamen à forma artificiali: quia diffinitur eodem modo, quo forma artificialis.

Figura est ordo partium ad inuicem, & ad totum, & ad locum. Et sic ordo, quem tenent partes corporis ad inuicem, & ad totum corpus, seù ad locum in quo sunt, dicitur figura; quæ tamen propriè loquendo, non est qualitas, sed relatio; cum ordo, in quo ratio figuræ sita est, sit pura relatio. Dicitur tamen modus qualitatis, pro quanto disponit partes subiecti ad inuicem, & in toto: at disponere subiectum conuenit solum qualitati; propriè loquendo.

De Proprietatibus qualitatis.

CAPVT VIII.

PRima proprietas, seù communitas, conueniens omnibus qualitatibus est, vt qualitas suscipiat magis, & minus. Quia aliquis dicitur magis, vel minus iustus; magis, vel minus calidus, frigidus &c. Hæc tamen conuenit qualitatibus quarti modi; quia non sunt propriè qualitates, sed relationes, quæ non suscipiunt magis, & minus, vt dictum est in præcedenti prædicamento.

Secunda proprietas. Qualitatibus inest contrarietas. Quia frigidita s contrariatur caliditati; humiditas siccitati; albedo nigredini. At hæc proprietas non conuenit omnibus qualitatibus; quia medij colores, vt sunt rubedo, viredo, flauedo, & similes, non contrariantur ad inuicem, propriè loquendo; quia vnus non expellit alium formaliter; & tamen sunt verè qualitates.

Tertia proprietas. Proprium est qualitati secundum eam simile, vel dissimile dici. Idest similitudo, & dissimilitudo fundantur immediatè in qualitatibus. Patet; quia similitudo, est rerum differen-

rentium eadem qualitas specie: vt album albo, iustum iusto, calidum calido assimilantur. Dissimilitudo verò, est rerum differentium diuersa qualitas specie. Et sic albedo est dissimilis nigredini, caliditas frigiditati, &c. ex quibus sequitur, quòd si vnum contrariorum est qualitas, vel quale, & reliquum erit qualitas, vel quale; siquidem contraria, vt videbimus in Postprædicamentis, habent fieri sub eodem genere proximo; vt patet de albedine, & nigredine, albo, & nigro; quæ continentur sub eodem genere coloris.

De Actione, & eius Proprietatibus.

CAPVT IX.

DE sex vltimis Prædicamentis sermonem facientes, priùs de actione, quàm de Passione nobis agendum erit; quia sicut Agens est prestantius Passo, ita Actio Passione; ideò à nobiliori incipiendum est.

Actio igitur sic diffinitur à Gilberto Porrectano. Actio est, secundum quam, in id quod subijcitur agere dicimur. Idest, est respectus extrinsecus adueniens, quo Agens denominatur formaliter agere in passum. Vt sectio, calefactio. Nàm sectio dicit respectum secantis ad sectum; calefactio verò respectum ignis calefacientis, ad aquam calefactam.

Differunt autem Actio, & Factio; quia effectus actionis non remanet post ipsam: vt cantatio, sonatio, &c. effectus verò factionis remanet post ipsam: vt ædificatio, calefactio. Nam post ædificationem remanet domus, & post calefactionem calor; non tamen cantus, vel sonus post cantationem, & sonationem.

Actionis tres sunt proprietates. Prima est; quod Actioni inest contrarietas; non ratione sui, sed ratione qualitatis super qua fundatur. Patet, quia calefactio est contraria frigefactioni, ratione caliditatis, & frigiditatis, quæ ad inuicem contrariantur.

Secunda Proprietas. Actio suscipit magis, & minus: ratione qualitatis, quæ suscipit magis, & minus. Quia vnus ignis dicitur magis, vel minus calefacere, ratione maioris, vel minoris caliditatis.

Tertia Proprietas. Actio est in Agente, & terminatur in Passum. Idest, est respectus fundatus in agente, & terminatus ad passum; secundum quem, Agens denominatur agere in passum.

De Passione, & eius Proprietatibus.

CAPVT X.

PAssio, est effectus, illatioque actionis. Idest, est respectus extrinsecùs adueniens passi ad agens, quo passum dicitur formaliter pati ab Agente. Vt calefieri, infertur ex calefacere; denominatque aquam, exempli gratia calefactam, ab igne calefaciente.

Passionis tres sunt proprietates, sicut, & Actionis. Prima est; quod Passioni inest contrarietas ratione fundamenti, si fundetur in qualitate; quia calefieri, contrariatur ei, quod est frigefieri; & albefieri, ei, quod nigrefieri; ratione caliditatis, & frigiditatis, albedinis, & nigredinis, quæ ad inuicem opponuntur contrariè.

Secunda Proprietas. Passio suscipit magis, & minus; ratione fundamenti. Quia aliquid dicitur magis, vel minus calefieri, vel frigefieri, ratione caliditatis, & frigiditatis, quæ suscipiunt magis, & minus.

Tertia Proprietas. Passio est in passo, & terminatur ad agens, à quo patitur. Idest respectus denominans, passum pati ab Agente, fundatur in passo, & terminatur ad Agens.

De Quando, & eius Proprietatibus.

CAPVT XI.

QVando tripliciter accipi potest, scilicet interrogatiuè: vt cum dicitur. Quando hæc erunt? Relatiuè; vt Franciscus veniet, quando Antonius abibit; & prout tantum valet sicut esse in tempore, seù habere respectum ad tempus. Et hoc modo sumptum, est duplex, scilicet Actiuum, & Passiuum.

Quan-

Quando Actiuum, est respectus extrinsecus adueniens temporis ad rem temporalem. Vt esse in hora, in die, in anno, &c.

Quando Passiuum, est respectus extrinsecus adueniens rei temporalis ad tempus. Vt esse hodie, cras, fore, esse in anno, &c. Ex his sequitur quòd nec quando actiuum, nec quando passiuum constituunt prædicamentum Quando, sed quoddam commune ad illa; quod sic describi potest. Quando, est respectus extrinsecùs adueniens temporis ad rem temporalem; vel rei temporalis ad tempus.

Quando, sunt tria genera subalterna, quæ supplentur per esse, fuisse, & fore. Species verò sunt, esse in die, in mense, fore in anno, fuisse in lustro, in sæculo. Indiuidua; in hac hora, in hoc die, mense anno, &c.

Proprietates Quando, sunt tres. Prima. Quando nihil est contrarium. Quia hodie, cras, &c. nihil est contrarium.

Secunda. Quando, non suscipit magis, & minus. Nam hodiè, non est magis quando, quàm cras.

Tertia. Quando, suscipit maius, & minus. Quia dies, est maior hora; septimana maior die; mensis maior septimana, &c. Ratio verò harum omnium proprietatum est; quia Quando, fundatur in tempore, quod est quantitas; modò quantitas non habet contrarium, nec suscipit magis, & minus, sed tantum maius, & minùs; ità nec quando, suscipit magis, & minus, sed tantum maius, & minus; & non habet contrarium.

De Vbi, eius Generibus, Speciebus, Indiuiduis, ac Proprietatibus.

CAPVT XII.

VBI, prout constituit octauum Prædicamentum, est respectus extrinsecus adueniens loci ad rem locatam, vel rei locatæ ad locum. Vt dùm Franciscus est in domo, dicit respectum ad domum, vt locatum ad locum; & domus importat respectum loci ad ipsum, vt locatum. Et hoc est duplex, scilicet actiuum, & passiuum. Vbi actiuum, est respectus loci ad rem locatam. Vbi verò passiuum, dicit respectum rei locatæ ad locum; si quidem vbi actiuum fundatur in loco, & terminatur ad locatum: vbi verò passiuum, è conuersò, fundatur in locato, & terminatur ad locum. Ex quo sequitur, quòd vbi, prout est octauum Prædicamentum, non est vbi actiuum, aut passiuum, sed vbi commune ad vtrumque; & suppletur per diffinitionem datam in principio; quia comprætendit vtrumque sub disiunctione.

Genera subalterna huius Prædicamenti sunt, sursum, deorsum. Species verò: in camera, in domo, in platea, in theatro, &c. Indiuidua; in hac domo, in hac camera, in hac platea, in hoc theatro, &c.

Proprietates vbi, sunt tres. Prima. Vbi nihil est contrarium. Nam domus, non contrariatur domui, nec aer aeri, aut theatrum theatro &c.

Secunda. Vbi, non suscipit magis, & minus. Quia vna domus non est magis locus, quam alia; nec vnus aer altero.

Tertia. Vbi tamen suscipit maius, & minus. Quia vnus locus est maior alio; nam domus est maior camera, theatrum domo, & Platea theatro, &c.

De Situ, seu Positione, ac eius Proprietatibus.

CAPVT XIII.

Situs, seù positio, est respectus extrinsecus adueniens partium totius locati ad partes loci. Vt sessio, statio, iacentia in lecto. Nam cùm Franciscus iacet, dicit correspondentiam capitis, ad locum capitis; dorsi ad suum locum; crurium, & pedum ad propria loca sibi correspondentia. Et in tali ordine partium totius locati ad partes loci sibi respondentes, consistit situs, seù positio, constituens nonum Prædicamentum ab alijs distinctum.

Genera subalterna sunt, situs sursum, & situs deorsum. Species sunt, sedere, stare, iacere. Indiuidua verò sunt, stare Francisci, sedere Antonij, iacere Petri.

Pro-

Proprietates Situs sunt tres. Prima Situs non habet contraria. Quia sicut loca, & substantiæ, in quibus fundatur situs, carent contrarijs; sic, & situs, seù positio.

Secunda. Situs non suscipit magis, & minus. Quia vna sessio non est magis situs, quàm alia. Benè tamen situs suscipit maius, & minus; quia vna statio est maior alia.

Tertia. Proprium est situs fundari in substantia. Quia tantum substantiæ conuenit locari; scilicet sedere, stare, iacere.

De Habitu, ac eiusdem Proprietatibus.

CAPVT XIV.

Habitus tandem, qui constituit vltimum prædicamentum; est respectus extrinsecùs adueniens eorum, quæ sunt circa corpus, ad ipsum corpus. Vt respectus, quem dicit tunica ad corpus tunicatum, dicitur habitus.

Genera subalterna sunt. Habitus partis; vt capitis, manus, pedis: & Habitus totius corporis. Species verò sunt; armatum esse, loricatum esse, tunicatum esse, & similia. Indiuidua denique: vt tunicatio Petri, armatio Pauli, loricatio Antonij, & cætera huiusmodi.

Proprietates eiusdem, sunt tantum duæ; & prima est. Quod Habitus suscipit maius, & minus. Quia Eques, est armatior pedite.

Secunda. Habitus non habet contrarium. Vt loricatum esse, non contrariatur ei, quod est tunicatum esse. Et hæc de decem Prædicamentis dicta sint satis.

De Postprædicamentis.

SECTIO V.

Postprædicamentum, ex communi omnium sententia, est quoddam documentum, valens à posteriori (sicut antepredicamentum à priori) ad cognitionem Prædicamentorum habendam. Quandoquidem, cum in superioribus dictum fuerit, Prędicamenta repugnare ad inuicem; vnum esse prius alio; Relatiua esse simul natura, non habere contraria, & cætera huiusmodi; consequenter videndum est, in quo consistat repugnantia, oppositio, prioritas, simultas, & alia; vt ex his totaliter innotescat nobis doctrina Prædicamentorum superius recensita. Postprædicamenta autem sunt numero quinque, scilicet Oppositio, Prius, Simul, Motus, & Habere; de quibus, in sequentibus per ordinem erit sermo.

De Oppositione, ac eius Speciebus.

CAPVT I.

Oppositionem esse duplicem, scire necessarium esse duximus, scilicet cōplexam, quæ est propositionum; de qua in sequenti tractatu; & incomplexam, quæ videlicet reperitur inter terminos; de qua est sermo in præsenti; & potest sic diffiniri.

Oppositio incomplexa, est repugnantia duorum extremorum non se permittentium in eodem simul, & semel, & respectu eiusdem. Vt album, & nigrum; videns, & cæcus; Pater, & Filius. Et hæc continet sub se quatuor species: oppositionem relatiuam, priuatiuam, contrariam, & contradictoriam.

Oppositio relatiua est repugnantia duorum relatiuorum; vel relatiui ad corellatiuum, quæ non possunt verificari de eodem simul, & semel, & respectu eiusdem. Vt Pater, & Filius; duplum, & dimidium. Licet enim idem homo possit vocari Pater respectu Francisci, & Filius respectu Petri, tamen nequit dici Pater, & Filius respectu Francisci, vel Petri solum.

Oppositio priuatiua, est repugnantia duorum extremorum, quæ habent fieri circa idem subiectum, ordine irregressibili, & tempore determinato à natura. Vt visus, & cæcitas circa oculum; auditus, & surditas circa aurem. Ex quo sequitur, quod visus, & surditas, auditus, & cæcitas non opponuntur priuatiuè; quia non habent fieri circa idem subiectum. Dicitur etiam, ordine irregressibili: quia à priuatione perfecta ad habitum non datur naturaliter regressus; impossibile est enim, vt cæcus perfectus naturaliter videat. Dicitur insuper, tempore determinato à natura: propter catulos, quibus nouem dierum spatium à natura conceditur, vt possint videre: quos si transierint, & non vi-

derint, tunc possunt dici cæci à natiuitate

Oppositio contraria, est repugnantia duorum extremorum, quæ sub eodem genere posita, maximè à se inuicem distant; mutuò se expellunt ab eodem susceptibili, cui nata sunt successiuè inesse; nisi alterum illorum insit à natura. Vt calidum, & frigidum, album, & nigrum &c. Dicitur notanter; nisi alterum illorum insit à natura: propter albedinem cygni, & nigredinem corui, quæ naturaliter nequeunt ab eis auferri.

Contraria tamen sunt duplicia, scilicet mediata; inter quæ cadit aliquod medium: vt album, & nigrum; inter quæ cadunt medij colores; vt rubeus, viridis, flauus &c. qui non opponuntur contrariè, sed tantum disparatè: & immediata, inter quæ nullum cadit medium. Vt sanū, & ægrum: aut enim animal est sanum, aut ægrum.

Oppositio tandem contradictoria, est repugnantia duorum extremorum secundum affirmationem, & negationem de eodem, simul, & semel, ac respectu eiusdem non verificabilium. Vt album, & non album; nigrum, & non nigrum; homo, & non homo; doctus, & non doctus. Aut enim homo est doctus, aut non doctus; cum inter cōtradictoria nō sit dare medium. Hoc postprædicamentum valet ad cognoscendum illa, quæ ponuntur in prædicamentis. Quia aliqua opponuntur relatiuè; vt Pater, & Filius; alia priuatiuè; vt visus, & cæcitas; alia contrariè; vt album, & nigrum; alia demùm contradictoriè; vt album, & non album.

De Priori.

CAPVT II.

PRius, quod est secundum Postprædicamentū, dicitur quadrupliciter, scilicet prius tempore, natura, ordine, & honore. Quæ continentur in sequentibus versibus.

Tempore, natura, prius ordine, dic, & honore.

Causam causato, dicimus esse prius.

Prius tempore, est inter illa, quorum duratio vnius, præcedit durationem alterius. Vt Petrus triginta annorum, præcedit Antonium habentem tantum viginti annos.

Prius natura, est inter illa, quæ se habent, vt causa, & effectus. Vt inter partes, & totum. Nàm, partes, scilicet anima, & corpus sunt causa totius hominis. Vel illud dicitur prius natura alio, à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Vt si homo est, animal est: valet consequentia: at non sequitur. Si animal est, ergo homo est. Igitur animal est prius natura homine; quia ab esse animalis ad esse hominis, non conuertitur consequentia.

Prius Honore, est inter illa, quorum vnum est dignius, & honorabilius altero. Et sic dicimus, Summum Pontificem esse priorem Imperatore, Imperatorem Rege, Regem Duce, Ducem Principe, Principem Marchione, & hunc Comite &c. quia se præcedunt secundum honorem, ac dignitatem.

Prius ordine, est inter illa, à quorum vno, secundum debitum ordinem, fit inceptio. Et sic in disciplinis, Gramatica est prior Rethorica; hæc Logica; Logica, Phisica, & sic de alijs. In Gramatica verò, litteræ sunt priores syllabis; syllabæ dictionibus. Similiter in Rethorica, exordium dicitur esse prius ordine narratione, quia ab his omnibus, secundum debitum ordinem fieri debet inceptio.

Hoc Postprædicamentum valet ad cognoscendum ordinem, quem seruant prędicamenta inter se. Substantia enim est prior accidentibus, tempore, natura, & honore. Quantitas qualitate; Qualitas relatione; & sic de alijs per ordinem.

De Simul.

CAPVT III.

SImul, tertium Postprædicamentum, dicitur tribus modis, scilicet tempore, natura, & diuisione; vt patet in his versibus.

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est.

Quę conuertuntur, dicimus esse simul.

Suntq; simul, species, genus, vnum condiuidentes.

Simultas temporis, reperitur inter illa, quorum vnius generatio non præcedit generationem alterius. Vt Petrus, & Paulus nati eodem tempore, dicūtur simul tēpore.

Simultas natura, est inter illa, quæ ad inuicem

inuicem conuertuntur secundum essendi consequentiam: vt Pater, & Filius; valet enim dicere. Si Pater est, filius est, & è conuerso.

Simul diuisione, sunt illa, quæ diuidunt idem genus. Et sic species specialissimæ; vt Homo, Leo, Equus; & differentiæ constitutiuæ earum; vt rationale, & irrationale, dicuntur simul diuisione; quandoquidem æqualiter diuidunt animal.

Hoc Postpredicamentum valet ad cognoscendum ordinem eorum, quæ ponuntur in eodem Prædicamento. Nam subiectum, & passio, sunt simul tempore, non natura: relatiuum verò, & corellatiuum sunt etiam simul natura: species verò, ac differentiæ eiusdem generis, sunt simul diuisione; quia æqualiter condiuidunt illud.

De Motu.

CAPVT IV.

Motus dupliciter consideratur: vno modo propriè, quatenus intrinsecè includit successionem vnius partis post aliam partem, & earumdem continuitatem ad inuicem; & sic non facit quartum post prædicamentum; cùm, vt sic, directè ponatur in Prædicamento quantitatis, vt visum est. Alio modo impropriè, & communiter, prout se extendit etiam ad mutationes instantaneas, scilicet generationem, & corruptionem; & sic facit, quartum Postprædicamentum. Et diuiditur in sex species, seù modos, scilicet in Generationem, Corruptionem, Augmentationem, Diminutionem, Alterationem, & secundum locum mutationem; quæ in his versibus continentur.

Auget, Diminuit, Corrumpit, vel Generatur.
Alterat, & Mutat, per multa loca vagatur.

Generatio, est mutatio de non esse ad esse. Vt cum Antonius generatur, mutatur de non esse, ad esse eiusdem.

Corruptio, est mutatio de esse ad non esse. Vt quando Franciscus moritur, mutatur de esse hominis, ad nõ esse eiusdem.

Augmentatio, est præexistentis quantitatis maioramentum. Vt si Antonius, qui duorum cubitorum longitudinis, fieret trium cubitorum, diceretur mutari secundum augmentationem; quia quantitas vnius cubiti, addita quantitati præexistenti duorum cubitorum, maioraret illam.

Diminutio, est præexistentis quantitatis minoramentum. Vt si quantitas tricubitalis rediret ad bicubitalem, diceretur minui; quia minoraretur.

Alteratio, est mutatio ab vna qualitate contraria, in contrariam, seù mediam. Vt quãdo paries albus mutatur de albedine in nigredinem, vel rubedinem; aut aqua, de frigiditate in caliditatem.

Secundum locum mutatio, est progressio de vno loco ad alium locum. Vt si Franciscus hinc discendens iret ad plateam, diceretur mutari, secundum locum. Hæc autem mutatio habet sex species, iuxtà sex modos, quibus potest aliquis mutare locum, scilicet ante, retro, sursum, deorsum, dextrorsum, & sinistrorsũ.

Hoc postprædicamentum valet ad cognoscendam illam proprietatem substantiæ, in qua dicitur. Proprium est substantię secundum sui mutationem, suscipere contraria: quia hoc potest fieri, vel per alterationem, vel per aliam speciem mutationis.

De Habere.

CAPVT V.

Habere dicitur septem modis, in his versibus contentis.

Affectum, quantum, vestitum, dic velut aurum.
Membrum, contentum, possessio, vir mulierem.

Primo modo aliquis dicitur habere affectum, idest qualitatem, qua afficiatur, scilicet Amorem, Odium, Logicam, Gramaticam. Secundo modo dicitur quis habere quantum, idest quantitatem, scilicet longitudinem, latitudinem profunditatẽ. Tertio modo dicitur quis habere vestimentum; vt tunicam, calceos &c. Quarto modo dicitur quis habere membrum; vt manũ, pedes &c. Quinto modo dicitur habere contentũ; vt puteus aquã, vas vinum. Sexto modo quis dicitur habere possessionem

nem, vt domum, agrum, castrum &c. Septimo modo dicitur vir habere mulierem, & è conuerso, mulier virum;& iste modus, non est propriùs modus habendi; quia sicut vir habet vxorem; ità habetur ab ea.

Hoc Postprædicamentum valet ad cognoscendum quando habitus est species qualitatis; quomodo est Prædicamentum, & quomodo est postprædicamentũ. Nam, quatenus est qualitas de difficili mobilis à subiectio, esse species, seù modus qualitatis: prout verò compræhendit sub se vnum modum habendi, scilicet vestimentum, constituit vltimum prædicamentum; & quatenus continet omnes modos iam enumeratos, est Postprædicamentum. Et hæc de primo Tractatu dicta sufficiant.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Propositionibus, & earũ Passionibus differens.

De partibus Materialibus, & Formalibus Propositionis.

SECTIO I.

Propositionis partes, alia dicuntur materiales, formales alia. Materiales illa dicuntur, ex quibus, vti ex materia, constat propositio. Et hæ sunt duæ, scilicet Nomen, & Verbum. Formales vero censentur illa, quæ cum his materialibus partibus formãt propositionem; cuiusmodi sunt, subiectum, & prædicatum, & copula. De quibus omnibus agendum est in præsenti Sectione hoc ordine; vt priùs de materialibus, & posteà de formalibus pertractemus; Siquidem illa præcedunt, sicut materia formam.

De Nominis Diffinitione.

CAPVT I.

Nomen est terminus significatiuus ad placitum, finitus, ac rectus; cuius nulla pars separata aliquid significat, sinè tempore; vt Homo, Leo, Animal. In hac diffinitione ponitur, terminus, loco generis, cum sit quodam commune ad terminos significatiuos, & non significatiuos: ly significatiuus; ponitur ad differentiam termini non significatiui, qui nequit vocari nomen. Ad placitum; ponitur ad differentiam termini significantis naturaliter. Finitus; ad differentiam termini infiniti. Rectus; ad differentiam termini obliqui. Cuius nulla pars separata per se aliquid significat: ponitur ad differentiam orationis; cuius partes separatæ, per se aliquid significant. Nàm partes huius orationis, homo est animal; si separentur ab inuicem, significant aliquid; quia homo hominem; & animal naturam animalis important: vt partes huius nominis, homo, separatæ, scilicet ho, & mo; nihil significant. Sine tempore; ponitur ad differentiam verbi; quod significat cũ tempore, præsenti, præterito, vel futuro.

Notandũ est primo, pro intelligentia diffinitionis; terminum significatiuum ad placitum esse duplicem, scilicet rectum, & obliquum. Rectus, qui ponitur in casu nominatiuo: vt Homo, Leo, Animal. Obliquus, qui ponitur in alijs casibus, scilicet genitiuo, vt Hominis, Leonis, Animalis: datiuo, vt Animali, Homini, Leoni; & sic de cæteris. Rectus duntaxat, est nomen, secundum Logicum; obliqui verò non sunt nomina, sed casus nominum.

Notandũ secundo. Terminum significatiuum ad placitum rectum, esse adhuc duplicem, scilicet finitum, & infinitum. Finitus est, cui nulla præponitur negatio infinitãs, scilicet negatio, non; vt Homo, Leo, Animal. Infinitus dicitur ille, cui præponitur huiusmodi negatio; vt non Homo, non Leo, non Animal. Dicitur autem ille finitus, quia determinatè aliquem significat; vt Homo Hominem, Leo Leonem tantum. Dicitur verò iste infinitus, quasi indeterminatus; quia indeterminatè aliquid significat, vel aliqua, principali

significato

significato prius abnegato; vt dicendo, non homo: ly non, negat hominem, & indeterminatè significat, quodcumquè non est homo, scilicet Leonem, Asinum, Equum &c. De termino finito hic est sermo; quia ille duntaxat constituit nominis rationem, secundum logicum.

Notandum tertio. Terminum rectum, & finitum posse dupliciter accipi, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Terminus primo modo acceptus, est obiectum cognitum ab intellectu actu recto, vel reflexo, quatenus potest esse subiectum, vel prædicatum in propositione: vt homo cognitus, animal cognitum. Terminus secundo modo sumptus, est secunda intentio subiecti, vel prędicati, aplicata ab intellectu huic termino, homo, vel animali; prout homo in propositione ponitur à parte subiecti, & animal à parte prędicati. Hic est sermo de termino sumpto pro secunda intentione, quia logicus per se considerat secundas intentiones, primas verò solum per accidens

Notandum quarto. Quod aliud est significare tempus, & aliud cum tempore. Illud significat tempus, quod de principali significato importat tempus; & sic etiam nomen significat tempus; quia dies, mensis, annus, sunt nomina, & significant tempus. Illud verò significat cum tempore, quod aliquid importat sub aliqua differentia temporis, scilicet præteriti, præsentis, vel futuri. Et sic nomen significat sine tempore, verbum verò cum tempore. Nàm, amo, significat cum tempore præsenti; amaui cum præterito; & amabo cum futuro.

Ex his habetur clara intelligentia diffinitionis nominis. Nomen est terminus significatiuus ad placitum &c. idest, est vna secunda intentio subiecti, vel prædicati, attributa termino significatiuo ad placitū sine tempore, finito, & recto, cuius nulla pars separata per se aliquid significat.

De Diffinitione Verbi.

CAPVT II.

Verbum, est terminus significatiuus ad placitum, cum tempore, finitus, & rectus; cuius nulla pars separata aliquid per se significat: vt amat, legit, currit. In qua diffinitione ponuntur omnes particulæ, & loco generis, & loco differentiæ, sicut ponebantur in diffinitione nominis; præter illam particulam, cum tempore; quæ ponitur ad differentiam nominis, quod significat sine tempore; vt dictum est in præcedenti.

Notandū primo. Verbum esse duplex, scilicet substantiuum, & adiectiuum. Substantiuum, est illud, quod significat per modum per se stantis, & nulli inhærentis: & huiusmodi verbum, est solum, sum, es, est. Adiectiuum verò est illud, quod significat aliquid per modum adiacentis alteri; & huiusmodi sunt omnia verba, præter sum, es, est; & omnia ab ipso composita, aut dependentia; nàm, amo, significat actum amoris à me procedentē, & alteri adhærentem; ità lego, doceo, & similia. Hic est sermo de vtroquè, & præsertim de substantiuo; quia in tantum alia considerantur à logico, in quantum ei adhærent, & in illud reducuntur. Siquidem in hac propositione, homo currit, ly currit, resoluitur per, est, & participium currens, idest homo est currens; quia ipsi adhæret, vt adiectiuum suo substantiuo.

Notandū secundo. Vtrūque verbum esse duplex, scilicet finitum, cui nulla præponitur negatio; vt est, currit, legit, docet: & infinitum, cui nimirum præponitur negatio infinitans, scilicet non; negans ab ipso significatum principale, & relinquens indeterminatum in significando: vt non est, non amat, non currit: Vtrumque spectat ad logicum; sed finitum constituit veram rationem verbi; infinitum verò tantum per æquiualentiam; vt inferius dicemus.

Notandū tertio. Verbum finitum esse duplex, scilicet rectum, & obliquum. Rectum, est verbum præsentis temporis, indicatiui modi, & tertiæ personę; vt currit, legit, amat. Obliquum verò verbum, sunt omnia alia, præter verbum præsentis temporis, indicatiui modi, & personæ tertiæ: vt amauit, amabat, legebat, docebat; & cætera aliorum modorum; licet etiam sint indicatiui modi, sed temporis præteriti, aut futuri, vel primæ aut secundæ personæ; quia nullum

spectat ad logicum, nisi in quantum habent omnia reduci ad verbum rectum, scilicet præsentis temporis, tertiæ personæ, & indicatiui modi.

Notandum quarto. Verbum rectum, & finitum, tàm substantiuum, quàm adiectiuum dupliciter considerari posse, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Primo modo est obiectum cognitum ab intellectu, in quantum est aptum natum copulare subiectum, & prædicatum in propositione syllogistica: vt hoc verbum est; quatenus coniungere potest animal cum homine, dicendo: homo est animal. Secundo modo, est secunda intentio copulæ huic verbo, est; cognito ab intellectu attributa, quatenus actu coniungit prædicatum cum subiecto in propositione logicali; & hoc modo consideratur à logico.

Ex his, diffinitio verbi sic explicatur. Verbum est terminus significatiuus ad placitum, idest vna secunda intentio copulæ, applicata ab intellectu verbo significatiuo ad placitum, cum tempore præsenti, modi indicatiui, & personæ tertiæ, cuius nulla pars separata, aliquid per se significat. Et quia ex nomine, & verbo conficitur oratio, quæ est quoddam commune ad propositionem logicalem, seù enuntiatiuam; ideò videndum est, quid, & quotuplex sit oratio.

De Oratione, eiusque Diuisione.

CAPVT III.

ORatio, est terminus complexus, significatiuus, ad placitum, cuius partes separatæ, aliquid per se significāt. Vt homo albus; Leo est Animal. In qua diffinitione ponitur terminus, loco generis; cum sit communis ad terminos incomplexos, & complexos: ly complexus, ponitur ad differentiam nominis, & verbi, quæ sunt termini incomplexi. Cuius partes separatæ aliquid per se significant; ponitur pariter ad differentiam nominis, & verbi, quorū partes separatæ, per se nihil significant, vt dictum est.

Oratio autem est duplex, scilicet perfecta, & imperfecta. Perfecta est illa, quæ perfectam cognitionem generat in intellectu auditoris, remota quacunquè interrogatione, aut dubitatione. Vt homo est albus: Petrus currit. Imperfecta verò est, quæ imperfectam cognitionem generat in animo auditoris, ansam interrogationis relinquens. Vt homo albus. Hæc enim ità imperfectam cognitionem generat, vt statim debeamus quærere, an homo albus currat, legat, vel doceat, aut quid simile operetur. De perfecta hic est tantum sermo. Quæ adhuc est quintuplex, scilicet indicatiua, imperatiua, optatiua, coniunctiua, & deprecatiua.

Oratio indicatiua est, in qua ponitur verbum indicatiui modi, vt homo est animal. Imperatiuam dicimus, quæ construitur cum verbo imperatiui modi: vt Petre fac ignem. Paule disputa. Optatiua est, quæ fit cum verbo optatiui modi: vt vtinam essem doctus. Coniunctiua, quæ constat ex verbo coniunctiui modi; vt si veneris ad me, dabo tibi Equum, vel pecuniam. Deprecatiua tandem, in qua ponitur verbum deprecationem importans: vt miserere mei bone Deus. Adiuua me misericors Dominus. Quæ cum fiat per verbum imperatiui modi, materialiter non differt ab imperatiua, licet formaliter sit diuersa; vtpotè non imperium, sed deprecationem importans. Logicus considerat tantum indicatiuam; quia tantum hæc constat ex nomine, & verbo finito, ac recto, quæ duntaxat spectant ad logicum.

Oratio autem indicatiua dupliciter accipitur; pro prima, & pro secunda intentione, vt dictum est de nomine, & verbo.

Ex his habetur clara intelligentia diffinitionis orationis indicatiuæ. Oratio indicatiua, est terminus complexus &c. idest secunda intentio attributa ab intellectu termino complexo, significatiuo, ad placitum; cuius partes separatæ, aliquid per se significant.

De Subiecto, Prædicato, & Copula.

CAPVT IV.

SVbiectum est illud, de quo aliud dicitur, scilicet prædicatum: vel affirmatiuè mediante copula affirmata; vel negatiuè, mediante copula negata.

Præ-

Prædicatum est, quòd implicitè, vel explicitè, affirmatiuè, vel negatiuè, dicitur de alio, scilicet de subiecto.

Copula verò est illa, quę affirmatiuè, vel negatiuè, mediante negatione negante, coniungit prædicatum cum subiecto: vt in hac propositione: homo est animal: homo est subiectum, animal prædicatum; quia prædicatur de homine: & illud verbum, est, dicitur copula; quia copulat, & coniungit animal cum homine. Ex quo sequitur differentia inter negationem negantem, & negationem infinitantem; nàm negatio negans cadit immediatè super copulam: vt Homo non est Asinus. Negatio verò infinitans, immediatè fertur super subiectum, vel prædicatum, scilicet, non Homo est Asinus; vel Homo est non Asinus.

De Propositionibus, ac earum Passionibus intrinsecis.

SECTIO II.

PRopositionum, alię dicuntur Cathegoricę, & alię Hipotheticę. Cathegoricarum autem, alię vocantur de inesse, & alię Modales; de quibus omnibus agendum nobis est in pręsenti Sectione secunda. Prius tamen de Cathegoricis, quàm de Hipotheticis; & inter Cathegoricas, primò dicemus de illis de inesse, & posteà de Modalibus.

De Diffinitione Propositionis, eiusque Diuisione.

CAPVT I.

PRopositio est oratio indicatiua, verū, vel falsum significans. Vt Homo est Animal. In quà diffinitione ponitur, oratio, loco generis; est enim communis ad orationem perfectam, quę est propositio, & imperfectam, quę non est propositio. Ly indicatiua: ad differentiam orationum imperatiuarum, optatiuarum, coniunctiuarum, & deprǽcatiuarum; quę secundum se, nō sunt propositiones, sed solum prout reducuntur ad indicatiuam. Verum, vel falsum significans. Ponuntur ad differentiam nominis, & verbi, quę secundum se, nec veritatem, nec falsitatem ostendunt. Ex quo sequitur, veritatem, & falsitatem reperiri duntaxat in complexis, non autem in incomplexis, vt sunt nomen, & verbum.

Propositio autem, hoc modo accepta, dupliciter cōsideratur; & pro prima, & pro secunda intentione. Propositio primo modo considerata, est oratio vocalis, mentalis, vel scripta, quatenus cognita ab intellectu, actu recto, vel reflexo, vt repræsentatiua veritatis, vel falsitatis. Secundo modo, est secunda intentio applicata ab intellectu orationi vocali, mentali, & scriptæ; prout comparantur ad suum significatum. Et sic sumitur in hac diffinitione: est quę sensus.

Propositio, est oratio indicatiua, idest vna secunda intentio attributa ab intellectu orationi indicatiuę, veritatem, vel falsitatem significanti. Et sic supplendę sunt omnes diffinitiones, quę inferiùs dabuntur, de Propositionibus Cathegorica, & Hipothetica.

Propositio hoc modo diffinita, diuiditur in Cathegoricam, & Hipotheticam; de qua inferius erit sermo. Cathegorica propositio, secundum nominis ethimologiam, deriuatur à verbo gręco, cathegorizo, as; quod in latinum versum, significat idem, quod prædico as. Vndè propositio cathegorica, secundum interpretationem nominis, dicitur propositio prędicatiua; quia in ipsa prędicatum enunciatur de subiecto.

Propositio autem Cathegorica, secundum diffinitionem quid rei, est illa, in qua ponuntur prędicatum, subiectum, & copula, tamquam principales partes sui. Vt homo est animal. Homo, est subiectum, animal, prędicatum: est verò, copula coniungens animal cum homine. Dicitur notanter; tamquam principales partes sui; quia licet pręter subiectum, prędicatum, & copulam, ponantur alij termini se tenentes, vel ex parte subiecti, vel prędicati; tales non pertinent ad essentiam propositionis Cathegoricę, sed potiùs, vt modificent subiectum, vel prędicatum: vt patet in hac propositione. Franciscus Antonij filius legit. Vel Franciscus ambulat, simul cum Antonio.

Propositioné autem cathegoricam, habere

bere subiectum, prædicatum, & copulam amquā partes principales sui, potest tripliciter intelligi, scilicet explicitè, implicitè, & æquiualenter. Tunc habet explicitè, cū omnia manifestè ponuntur: vt homo est animal. Tunc verò dicitur habere implicitè, quando prędicatum implicatur in copula: vt homo currit. Nam illud verbum, currit, cum sit verbum adiectiuum, resoluitur per substantiuū, est, & participium pręsentis temporis indicatiui modi, scilicet currens, currentis; hoc modo: homo est currens. Tunc demùm habet ęquiualenter; quando ex aliqua impositione facta alicui voci, vel syllabę, talia dignoscuntur. Vt si aliquis imponeret huic litterę. A. vt tantum valeret, quantū hęc propositio. Homo est animal. Tunc talis littera. A. esset propositio cathegorica ęquiualenter; quia ex tali impositione, haberet subiectum, prędicatum, & copulam, tamquàm principales partes sui, ęquiualenter.

Propositio Cathegorica est duplex, scilicet de est secundo adiacente, & de est tertio adiacente. Propositio de est secundo adiacente est illa, in qua præter copulam, est, non ponitur aliud prędicatum explicitum, sed tantum implicitè. Vt homo est; idest, homo est ens. Propositio verò de est tertio adiacente est illa, in qua pręter copulam, est, ponitur aliud prędicatum materiale explicitum. Vt homo est animal; vel Franciscus est risibilis.

Ex his habetur clara diffinitio Propositionis Cathegoricę, scilicet. Propositio Cathegorica est illa, quæ explicitè, vel implicitè, formaliter, vel æquiualenter, habet subiectum, prędicatum, & copulam, tamquàm partes principales sui. Vt homo est risibilis; vel Franciscus currit.

De prima Subdiuisione Propositionis Cathegoricę.

CAPVT II.

Propositionum Cathegoricarum, alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita, & alia singularis.

Propositio vniuersalis est illa, in quā explicitè, vel implicitè, formaliter, vel æquiualenter, subijcitur terminus communis, signo vniuersali determinatus. Vt omnis homo currit.

Propositio particularis est illa, in qua implicitè, vel explicitè, formaliter, vel ęquiualenter subijcitur terminus cōmunis, signo particulari determinatus. Vt quidam homo currit.

Propositio indefinita est illa, in qua implicitè, vel explicitè, formaliter, vel ęquiualenter subijcitur terminus cōmunis, nullo signo determinatus. Vt homo est animal.

Propositio tamdem singularis est illa, in qua explicitè, vel implicitè, formaliter, vel ęquiualenter subijcitur terminus discretus, vel terminus communis, cum pronomine demonstratiuo determinatus. Vt Petrus est homo; vel hic homo currit.

Signa autem determinatiua terminorū in propositione, alia sunt vniuersalia: vt omnis, nullus, quilibet, & similia: alia sunt particularia: vt quidā, aliquis, alter &c. alia tamdem sunt demonstratiua: vt sunt omnia pronomina demonstratiua; hic, iste, ille, ipse, & similia; quę omnia dicuntur signa; quia pręter illam paruam significationem, quam de se pręseferunt, indicant etiam quantitatem propositionis, scilicet, quæ sit vniuersalis, quę particularis, quę indefinita, & quę singularis.

Quid autem sit terminus cōmunis, & discretus, visum est in primo tractatu, Sect. prima cap. 2. Pro nunc aduertendum est, vtrumque posse poni in propositionibus quadruplicitèr, scilicet implicitè: vt nihil est in aula; idest, nulla res est in aula: vel quilibet currit. In qua ponitur implicitè, scilicet homo, qui est terminus communis; vt sit sensus. Quilibet homo currit. Secundo modo explicitè, & formaliter; vt homo est animal. Tertio modo ęquiualenter: vt si. A. esset imposita ad significandum hunc terminum cōmunem vniuersalē, scilicet omnis homo; dicendo. A. currit. Æquiualenter significaret, omnem hominem currere. Quarto modo potest poni terminus impeditus per negationem præpositam signo vniuersali, vel particulari: vt, non omnis homo currit. Nam ly

omnis

omnis homo, sine negatione, facit propositionem vniuersalem; cum negatione verò, facit propositionem particularem; vt videbimus inferiùs, de æquipollentijs propositionum.

De secunda Subdiuisione Propositionis Cathegoricæ.

CAPVT III.

PRopositionum Cathegoricarum, alia est affirmatiua, alia negatiua, & alia mixta.

Propositio affirmatiua est, in qua prædicatum, siuè explicitum, siuè implicitum, affirmatur de subiecto, mediante copula non negata. Vt homo est animal; vel Petrus currit.

Propositio negatiua est illa, in qua prædicatum, siuè implicitum, siuè explicitum, mediante copula negata, de subiecto negatur. Vt Petrus non currit; vel lapis non est animal.

Propositio mixta est illa, in qua ponuntur duæ copulæ disiunctæ, quarum vna sit affirmata, & altera negata. Vt quodlibet est, vel non est. Chymera est, vel non est.

Ex his diuisionibus, ac subdiuisionibus propositionis in communi in Cathegoricam, & Hipotheticam; Cathegoricæ, in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem; insuper, in affirmatiuam, negatiuam, & mixtam; elicitur substantia, quantitas, & qualitas propositionis. Nàm substantia, seù quiditas propositionis, consistit in hoc, vt sit cathegorica, vel hipothetica. Quantitas, vt sit vniuersalis, particularis, indefinita, & singularis. Qualitas deniquè, vt sit affirmatiua, negatiua, vel mixta. Vndè huic triplici considerationi propositionis, respondent tria quæsitiua, scilicet quæ, quanta, & qualis.

Quæsitiuum, quæ; quærit de substantia, & quiditate propositionis; & ideò ad interrogationem factam per, quæ, de propositione. Respondetur per Cathegoricam, vel Hipotheticam.

Quæsitiuum, quanta; quærit de quantitate; & ideò quærenti; quanta sit propositio? Respondetur, vniuersalis, vel particularis, indefinita, aut singularis.

Quæsitiuum, qualis; quærit de qualitate propositionis; vndè quærenti, qualis est hæc propositio? Respondetur affirmatiua, vel negatiua, aut mixta. Vt autem huiusmodi quæsitiua faciliùs memoriæ mandare valeatis, sequentem versum, in quo continentur, mente retinere necesse est.

Quæ, ca, vel hyp; qualis ne, vel aff. v,
Quanta, par, in, sin.

De tertia, & quarta Subdiuisione Propositionis Cathegoricæ.

CAPVT IV.

PRopositionum Cathegoricarum, alia est de simplici extremo, alia verò de extremo coniuncto.

Propositio de extremo simplici est illa, in qua tantum vnus terminus est subiectum, vel prædicatum; siuè determinetur aliquo signo, siuè non; vt omnis homo est animal; quidã homo est substantia.

Propositio verò de extremo coniuncto est triplex, iuxtà triplicẽ coniunctionem, scilicet de coniuncto copulato, conditionali, & disiunctiuo.

Propositio de extremo coniuncto copulato est illa, in qua, siuè à parte subiecti, siuè à parte prædicati, ponuntur plures termini coniuncti per hanc coniunctionem copulatiuam, &; vel relatiuum, qui, quæ, quod, vel quid. Vt Deus est iustus, & misericors. Vel Antonius, qui non currit, disputat.

Propositio de extremo conditionaliter coniuncto est illa, in qua, siuè à parte subiecti, siuè à parte prædicati, ponuntur plures termini coniuncti per hanc coniunctionem conditionalem, si. Vt Ioannes mouetur, si currit.

Propositio tàndem de extremo cõiuncto disiunctiue est illa, in qua, siuè à parte subiecti, siuè à parte prædicati coniunguntur plures termini, per hanc coniunctionem disiunctiuam, vel; Vt Deus prędestinat, vel damnat. Petrus est doctus, vel indoctus. Ex quo sequitur, quod totum id, quod ponitur à parte subiecti, vel prędicati, tenet locũ subiecti, vel prędicati.

Item. Propositionum cathegoricarum, aliæ

aliæ participant vtroque termino; aliæ vno tantum; aliæ verò neutro.

Propositiones participantes vtroque termino, sunt illæ, quæ habent idem subiectum, & idem prædicatum; cum hoc, vt vna sit affirmatiua, altera negatiua: vel vna vniuersalis, & alia particularis: vt omnis homo est animal: nullus homo est animal: vel omnis homo currit: quidam homo currit.

Propositiones autē participantes altero tantum termino, sunt, quæ habent, vel idem subiectum, vel idem prædicatum tantum. Vt homo currit; & homo disputat. Vel Petrus est animal; Franciscus est animal.

Propositiones verò neutro termino participantes, sunt quæ differunt, tàm subiecto, quàm prædicato. Vt homo est animal; & lapis est corpus inanimatum.

Propositiones participantes vtroque termino, subdiuiduntur; quia aliæ participant ordine eodem; aliæ ordine è conuerso.

Propositiones participantes vtroque termino, ordine eodem, sunt illæ, quæ habent eosdem terminos à parte subiecti, & à parte prædicati. Vt omnis homo est animal; nullus homo est animal.

Propositiones demùm participantes vtroque termino, ordine è conuerso, sunt illæ, quæ habent eosdem terminos ordine conuerso, idest, quod est subiectum in vna, est prædicatum in alia; & quod est prædicatum in vna, in alia est subiectum. Vt homo est risibilis; & risibile est homo. Vel lapis est corpus; & quoddam corpus est lapis.

De Oppositionibus Propositionum participantium vtroque termino ordine eodem.

CAPVT V.

DVplicem oppositionem agnouimus in fine præcedentis tractatus; incomplexam, scilicet, & complexam; de priori quæ est terminorum, egimus loco præcitato: de complexa verò, quæ est propositionum, est sermo in præsenti; & sic potest describi. Propositio complexa, est repugnantia duarum propositionum, secundum quantitatem, & qualitatem. Priori modo opponuntur propositiones vniuersales, & particulares. Posteriori verò modo, affirmatiuæ, & negatiuæ. Et hæc oppositio est quadruplex, scilicet contraria, subcontraria, contradictoria, & subalterna.

Oppositio contraria, est repugnantia duarum propositionum, vtroque termino participantium, ordine eodem; quarum vna est vniuersalis affirmatiua, & altera vniuersalis negatiua. Vt omnis homo currit; & nullus homo currit.

Oppositio subcontraria, est repugnantia duarum propositionum participantium vtroque termino, ordine eodem, quarum vna est particularis affirmatiua, altera particularis negatiua. Vt quidam homo currit; & quidam homo non currit.

Oppositio contradictoria, est repugnantia duarum propositionum participantiū vtroque termino, ordine eodem; quarum vna est vniuersalis affirmatiua, & alia particularis negatiua: vel vna, vniuersalis negatiua, & altera particularis affirmatiua. Vt omnis homo currit; & quidam homo non currit. Vel nullus homo currit; & quidam homo currit.

Oppositio deniquè subalterna, est repugnantia duarum propositionum participantium vtroque termino, ordine eodem; quarum vna est vniuersalis affirmatiua, & alia particularis affirmatiua; vel vna vniuersalis negatiua, & alia particularis negatiua. Vt omnis homo currit; & quidam homo currit. Vel nullus homo currit; & quidam homo non currit; vt melius videre est in sequenti figura.

Omnis homo currit. | CONTRARIÆ | *Nullus homo currit.*

SVBALTERNÆ — CONTRADICTORIÆ — CONTRADICTORIÆ — SVBALTERNÆ

Quidā homo currit. | SVBCONTRARIÆ | *Quidā homo nō currit.*

De Materia Propositionum Cathegoricarum.

CAPVT VI.

Materia propositionis dupliciter potest accipi, scilicet materialiter, & formaliter. Materia primo modo, nihil aliud est, quam subiectum, & prædicatum propositionis, ex quibus constat. Materia verò secundo modo, est habitudo subiecti ad prædicatum: exempli gratia in hac propositione. Homo est animal. Tàm homo, quam animal, sunt materia eiusdem primo modo; quia ex illis conficitur: at habitudo hominis ad animal, in quantum homo, continet essentialiter animal, dicitur materia secundo modo: & de hac loquimur; quæ est triplex, scilicet naturalis, contingens, & remota.

Propositio de materia naturali est illa, in qua prædicatum est de essentia subiecti; vel proprium eius. Vt homo est animal; vel homo est risibilis.

Propositio de materia contingenti est illa, in qua prædicatum potest adesse, & abesse à subiecto, præter subiecti corruptionem. Vt homo est albus; vel Petrus est doctus.

Propositio de materia remota est illa, in qua prædicatum nequit conuenire subiecto, immò eidem repugnat. Vt homo est asinus; vel Petrus est lapis. Ex his sequitur, quod omnes illæ propositiones, in quibus prædicata sunt de essentia, vel propriæ passiones subiectorum, sunt de materia naturali: si verò prædicata repugnant, dicuntur de materia remota: si autem prædicata possint conuenire, & non conuenire, dicuntur contingentes. Vt autem magis harum propositionum conuenientia, vel oppositio, fiat manifesta, obseruandæ sunt sequentes Regulæ.

De Regulis Oppositionum Propositionum in qualibet materia.

CAPVT VII.

Prima Regula Contrariarum, talis est. Propositionum contrariarum de materia naturali, vel remota, si vna est vera, altera necessariò est falsa; vt ista. Omnis homo est animal. Est vera in materia naturali: sua contraria, scilicet nullus homo est animal; est falsa: vel ista. Omnis homo est Asinus. Est falsa in materia remota; & sic eius opposita: nullus homo est asinus; erit vera. Probatur hæc regula: quia impossibile est, idem esse de essentia, & non esse de essentia; proprium, non proprium alicuius; vel repugnare, & non repugnare: sed prædicatum de materia naturali est de essentia subiecti, vel proprium eius. In materia verò remota repugnat subiecto; vt patet ex diffinitionibus suprapositis: ergo si vna contraria de talibus materijs est vera, altera necessariò est falsa.

Secunda Regula. Propositionum contrariarum de materia contingenti, non semper est necesse alteram esse veram, reliqua existente falsa; immò ambæ possunt esse falsæ. Vt omnis homo currit; nullus homo currit. Probatur: quia in hac materia, prædicatum potest conuenire, & non conuenire subiecto, scilicet omni sub subiecto contento: & etiam non conuenire omnibus, sed tantum aliquibus: atqui inquantum non conuenit omnibus, falsificatur vniuersalis; ergo in hac materia contingenti, propositiones contrariæ possunt esse ambæ falsæ.

Tertia Regula. Subcontrariarum, si vna est vera, altera necessariò est falsa, in materia naturali, & remota. Vt quidam homo est animal; & quidam homo non est animal. Vel quidam homo est asinus; & quidam homo non est asinus. Probatur hæc regula, sicut prima contrariarum. Quia prædicatum conuenit essentialiter, vel repugnat essentialiter subiecto; at impossibile est, idem essentialiter conuenire, vel non conuenire; repugnare, & non repugnare; ergo si vna est vera, altera necessariò est falsa.

Quarta Regula. Subcontrariæ de materia contingenti, possunt esse ambæ veræ, sed non ambæ falsæ. Probatur prima pars. Quia potest esse, vt de facto est, vt quidam homo sit albus, & quidam non sit albus. Secunda pars probatur. Quia contradictoriæ nequeunt esse ambæ falsæ; igitur nec duæ subcontrariæ. Consequentia probatur. Quia ad falsitatem particularis, sequitur falsitas vniuersalis: sed vna particularis, & altera vniuersalis contradicunt; ergo si subcontrariæ possunt esse ambæ falsæ, etiam contradictoriç possent esse ambç falsç; quod est impossibile.

Quinta Regula. Contradictoriarum in qualibet materia, si vna est vera, reliqua necessario est falsa. Probatur: quia particularis falsificat vniuersalem, & è contra, vniuersalis falsificat etiam particularem. Sed contradictoriç sic se habent, vt vna sit vniuersalis affirmatiua, & alia particularis negatiua; vel vna particularis affirmatiua, & alia vniuersalis negatiua; igitur si vna est vera, reliqua necessariò est falsa.

Sexta Regula. Subalternæ de materia naturali, & remota, sunt ambæ veræ, vel ambæ falsç. Non enim vniuersalis erit vera, particulari existente falsa; nec è conuersò. Probatur: quia vniuersalis includit particularem, & particularis de tali materia naturali, necessariò includit prędicatum vniuersalis, vel ei repugnat, si sit de materia remota; ergo vel sunt ambæ veræ, vel ambæ falsæ.

Septima Regula. Propositionum subalternarum, si vniuersalis est vera, vel falsa, etiam particularis erit vera, vel falsa, de materia contingenti; tamen ad veritatem particularis non esse, nec inferre veritatem vniuersalis. Probatur prima pars. Quia vniuersalis includit omnes particulares. Secunda pars suadetur. Quia prædicatum de materia contingenti potest conuenire vni supposito, & non alteri; sed quatenus non conueniat omnibus, falsificatur vniuersalis; ergo si particularis de materia contingenti est vera, non est necesse inferre veritatem, etiam vniuersalis.

De Conuersionibus Propositionum Cathegoricarum.

CAPVT VIII.

Conuersio propositionis in aliam propositionem, dupliciter accipi potest; vno modò largè, prout dicit mutationem prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum; siuè vna propositio sequatur ad aliam, siuè non; siuè verè, siuè falsè. Et sic hæ duæ propositiones possunt conuerti. Omnis homo est animal, & omne animal est homo; cum tamen prior sit vera, & posterior falsa. Alio modo strictè; & sic est mutatio prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum cum bona consequentia. Vt quidam homo est animal; & quoddam animal est homo; & de hac conuersione loquimur. Quæ est triplex, scilicet simplex, per accidens, & per contrapositionem.

Conuersio simplex, est subiecti in prædicatum, et prædicati in subiectum mutatio, cum

cum bona consequentia, manente eadem qualitate, & quantitate. Et sic conuertuntur duo genera propositionum, scilicet vniuersalis negatiua in seipsam, & affirmatiua in seipsam. Vt nullus homo est lapis; & nullus lapis est homo. Vel quidam homo est animal; & quoddam animal est homo. Aduertendum tamen, quòd secundum hanc conuersionem, conuerti possunt omnes propositiones particulares, indefinitæ, & singulares, in quibus non mutatur qualitas, vel quantitas.

Conuersio per accidens, est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum cum bona cōsequentia, manēte eadem qualitate, sed mutata quantitate. Et sic conuertuntur duo genera popositionū, scilicet vniuersalis negatiua in particularē negatiuā, & vniuersalis affirmatiua in particularē affirmatiuā. Vt nullus homo est lapis; ergo quidam lapis non est homo: vel omnis homo est animal; ergo quoddam animal est homo.

Conuersio per contrapositionem, est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectū cum bona cōsequentia, manente eadē qualitate, & quantitate, sed mutatis terminis finitis in terminos infinitos. Et sic conuertuntur duo genera propositionū, scilicet vniuersalis affirmatiua in seipsam, & particularis negatiua in seipsā. Vt omnis homo est animal; ergo omne non animal est non homo. Vel quidam homo non est lapis; ergo quidam non lapis non est non homo. At, vt faciliùs mente retineantur hæ conuersiones, quæ multum valent in probandis consequentijs, notandi sunt versus sequentes, in quibus continentur.

Simpliciter FECI, conuertitur EVA per acci.

ASTO per contra, sic fit conuersio tota.

Qui, vt intelligantur, notandum est. Propositionens cōuertibiles in vnaquaquē conuersione insinuari per vocales contentas in his tribus dictionibus, scilicet FECI, EVA, ASTO, cum hac aduertentia; vt, E, indicet vniuersalem negatiuā, A, vniuersalem affirmatiuam, I, particularem affirmatiuam, & O, particularem negatiuam, vt patet in sequentibus versibus.

Asserit A, negat E, sunt vniuersaliter ambæ.

Asserit I, negat O, sunt particulariter ambæ

De propositione Hipothetica, eiusquè diuisione.

CAPVT IX.

PRopositio Hipothetica, secundum ethimologiam nominis, est suppositiua locutio; quasi vna pars propositionis hipotheticæ supponatur alteri in eadē locutione, mediante aliqua cōiunctione. Deriuatur enim ab, Hipos, dictione græca, quæ in latinum versa, sonat sub; & thesis, positio, quasi suppositio, seù suppositiua locutio.

Propositio verò hipothetica, secundum rem, est illa, quæ explicitè, vel implicitè, formaliter, vel æquiualenter, habet duas propositiones cathegoricas, tamquam partes principales sui; coniunctas per aliquam coniunctionem. Vt si homo currit, homo mouetur. In quà diffinitione ponuntur illæ particulę, explicitè, vel implicitè, formaliter, vel æquiualenter. Quia ad hipotheticam sufficit habere duas cathegoricas aliquo horum modorum, vt dictum est de prædicato, subiecto, & copula, in propositione Cathegorica. Ex quibus colligitur, quòd sicut essentia propositionis cathegoricæ consistit in habere subiectum, prædicatum, & copulam, tanquam principales partes sui, sic essentia hipotheticæ constat ex duabus cathegoricis, aliquo prædictorū modorū, in eadem contentis.

Propositio hipothetica, sic definita, diuiditur in conditionalem, copulatiuam, disiunctiuam, causalem, temporalem, & localem: quia rationalis, à multis apposita, non distinguitur à conditionali, vel copulatiua. Huius autem diuisionis sufficientia, desumitur ex diuersitate coniunctionum, quæ sunt sex, scilicet, si, &, vel, quia, quando, & vbi; inter sè essētialiter distinctæ, sex pariter propositiones hipotheticas, inter se specificè distinctas, constituentes. Et licet aliquæ inueniantur cōiunctiones, quæ videntur ab his distingui, tamen hoc tantū materialiter accidit; cū formaliter, ad has reducantur. Nàm, ista coniunctio, igitur, reducitur ad conditionalem, si. Hæ verò, tàm, quàm; ad copulatiuā, &c. Hæ autem, nè, vt; ad causalem, quia. Ista tamdem, dùm; ad temporalem, quando. Vnde infertur, cum sint tantum sex coniunctiones inter se distinctæ, sex pariter, & non plures fore propositiones hipotheticas, iā enumeratas.

Ad-

Aduertendum tamen, prædictas coniunctiones posse dupliciter sumi, scilicet coniunctiuè, & coniunctim. Priori modo, coniungunt propositiones cathegoricas, quæ faciunt vnam hipotheticam. Vt Petrus currit, vel Antonius disputat. Posteriori modo, coniungunt terminos, vel à parte subiecti, vel à parte prædicati: & sic faciunt propositiones cathegoricas de extremo coniuncto; vt superius vidimus in hac eadem Sect. cap. 4. Vt homo est animal, & rationale: aut Petrus, vel Antonius sedet. Hic accipiuntur coniunctiuè, & non coniunctim.

De Conditionali.

CAPVT X.

PRopositio conditionalis est illa, in qua explicitè, vel implicitè, formaliter, vel æquiualenter, coniunguntur duæ cathegoricæ, vel duo complexa, reducibilia ad duas cathegoricas per hanc coniunctionem, si, vel ei equiualentem. Vt si Petrus currit, Petrus mouetur. Vel, nullus potest esse homo, nisi sit animal. Quæ æquiualet isti. Si aliquis non est animal, non est homo. Dixi notanter, duo complexa ad duas &c. Propter has, & similes propositiones de verbis, & nominibus obliquis. Si Asinus volaret, Asinus haberet alas. Quæ conficiunt vnam hipotheticam conditionalem; & tamen non sunt cathegoricæ; immò nec propositiones logicales; cum nec veritatem, nec falsitatem significent; non enim sunt propositiones indicatiuæ, quod necessario requiritur, vt oratio sit propositio, vt supra dictum est, capitulo primo huius Sectionis.

Propositio Rationalis, quæ ad conditionalem reducitur, debet coniungere duas cathegoricas, vel saltem duo complexa ad eas reducibilia per hanc coniunctionem, igitur, vel ergo. Vt Franciscus est homo, ergo est animal. Quæ reducitur ad istam conditionalem. Si Franciscus est est homo, Franciscus est animal. Dicitur autem rationalis; quia supponit iudicium de bonitate consequentiæ vnius cathegoricæ ad aliam, mediante coniunctione, igitur, vel ergo.

Aduertendum tamen, quod cùm in qualibet propositione hipothetica sint duæ cathegoricæ coniunctæ per aliquam coniunctionem, prior cui immediatè præponitur coniunctio, vocatur antecedens; posterior verò consequens; quia ad illam sequitur.

Hoc notato, ponuntur duæ regulæ, ex quibus patebit veritas, & falsitas propositionis conditionalis: quæ non consistit in hoc, vt antecedens, vel consequens sit verum, aut falsum, sed quod consequens in bona consequentia sequatur ad antecedens, ad veritatem; & quod antecedens possit esse verum, consequente existente falso, ad eius falsitatem: ista est conditionalis. Si Franciscus est Asinus, Franciscus est rudibilis. Et tamen, tàm antecedens, quàm consequens, est falsum, & impossibile.

Prima Regula. Ad veritatem conditionalis necessariò requiritur, vt consequens sequatur ad antecedens. Vt si Franciscus est homo, Franciscus est animal.

Secunda Regula. Ad falsitatem cōditionalis, sufficit, vt antecedens possit esse verum, consequente existente falso. Vt si Franciscus est homo, Franciscus est albus. Potest enim esse, quod sit homo, absque eo, quod sit albus; cùm albedo non sit de essentia hominis, neque ad eius esse necessariò sequatur.

De Copulatiua.

CAPVT XI.

PRopositio copulatiua est illa, in quà explicitè, vel implicitè, formaliter, vel æquiualenter, coniunguntur duæ cathegoricæ, vel duo complexa reducibilia ad duas cathegoricas, per hanc coniunctionem copulatiuam, &, vel ei æquiualentem. Vt Franciscus currit, & Antonius disputat. Vel Antonius est tàm bonus, quam Petrus malus. Quæ æquiualet huic. Petrus est malus, & Antonius bonus.

Prima Regula pro veritatè copulatiuæ. Ad eius veritatem requiritur, ambas partes esse veras. Vt omnis homo est animal; & nullus homo est lapis.

Secunda Regula. Ad falsitatem copulatiuæ, sufficit alteram partem esse falsam. Vt homo est animal, & Petrus est lapis.

Tertia

Tertia Regula. Ad necessitatem eiusdem requiritur, vt ambæ cathegoricæ sint de materia naturali. Vt homo est animal, & homo est rationalis.

Quarta Regula. Ad possibilitatem copulatiuæ requiritur, ambas partes esse de materia contingenti. Vt Franciscus studet, & Antonius disputat.

Quinta Regula. Ad impossibilitatem copulatiuæ requiritur, ambas partes esse de materia remota. Vt Petrus est lapis, & homo est irrationalis.

Sexta Regula. Ad contingentiam copulatiuæ sufficit, alteram partem esse de materia contingenti, & alteram de naturali. Vt Petrus est homo, & Petrus disputat. Nam, quod Petrus, quatenus homo, disputet, hoc sibi accidit; cum multi sint homines, & non disputent, licet disputare possint.

De copulatiua negatiua, sicut, & de alijs, sunt ferè oppositæ regulę, quàs pro nimia difficultate, & quia non sunt in vsu, consultò omittimus.

De Disiunctiua.

CAPVT XII.

PRopositio disiunctiua est illa, in qua implicitè, vel explicitè, formaliter, vel æquiualenter, coniunguntur duæ cathegoricæ, vel duo complexa reducibilia ad duas cathegoricas, per hanc coniunctionem disiunctiuam, vel; aut ei æquiualentem. Vt Franciscus currit, vel Paulus sedet. Vel Petrus dormit, aut vigilat.

Prima Regula. Ad veritatem disiunctiuæ sufficit, alteram partem esse de materia naturali; etiamsi altera sit de contingenti, vel remota. Vt Petrus est homo, vel Franciscus est Asinus. Aut ambæ possunt esse veræ. Vt homo est Animal, vel Leo est rugibilis.

Secunda Regula. Ad falsitatem disiunctiuæ requiritur, ambas partes esse falsas, & de materia remota. Vt homo est Asinus, vel Leo est rudibilis.

Tertia Regula. Vt disiunctiua sit necessaria requiritur, vel altera pars sit de materia naturali; vel vt ambæ sint de materia remota, & contradictoriæ. Vt Petrus currit, vel homo est animal. Nam prior est contingens; posterior necessaria. Vel Franciscus est Asinus, aut non est Asinus. Nam, alterum contradictorium necessariò inest ei, à quo aliud remouetur.

Quarta Regula. Vt disiunctiua sit possibilis, sufficit alteram partem esse possibilem, & de materia contingenti. Vt homo est lapis, vel homo est albus.

Quinta Regula. Vt disiunctiua sit impossibilis, requiritur ambas partes esse impossibiles, & de materia remota. Vt homo est Asinus, vel homo est irrationalis.

Sexta Regula. Vt disiunctiua sit contingens, requiritur ambas partes esse de materia contingenti. Vt Petrus studet, vel Petrus ambulat.

De Causali.

CAPVT XIII.

PRopositio causalis est illa, in qua explicitè, vel implicitè, formaliter, vel æquiualenter coniunguntur duæ cathegoricæ, vel duo complexa reducibilia ad duas cathegoricas, per hanc coniunctionem causalem, quia, aut eidem æquiualentem. Vt quia Petrus est homo, est animal. Vel Petrus benefacit, vt effugiat mortem.

Prima Regula. Ad veritatem causalis requiritur, vt ambæ partes sint necessariò veræ; & vt antecedens sit causa consequentis. Vt quia Petrus est animal rationale, Petrus est risibilis. Nam vtraquè est vera; & prior est causa posterioris; quia esse animal rationale, est causa, vt Petrus sit risibilis.

Secunda Regula. Ad falsitatem causalis, sufficit alteram partem esse falsam; vel quod antecedens non sit causa consequentis. Exemplum primæ. Vt Antonius est Theologus, quia est Astrologus. Vel homo est rationalis, quia est lapis. Exemplum secundæ. Petrus currit, quia est albus. Nam esse album, non est causa, vt

Petrus currat; sed quia habet instrumenta apta, & non impedita ad motum progressiuum.

Tertia Regula. Ad necessitatem causalis requiritur, ambas partes esse necessarias; & vt antecedens sit causa necessaria consequentis. Vt quia Franciscus est animal rationale, Franciscus est homo.

Quarta Regula. Ad impossibilitatem causalis sufficit, antecedens non esse causam consequentis. Vt quia homo est rationalis, homo est rudibilis. Nam licet ista sit impossibilis: homo est rudibilis; attamen nequit causare impossibilitatem causalis; sed solum, quia esse rationale, non est causa rudibilitatis.

De Temporali.

CAPVT XIV.

PRopositio Temporalis est illa, in qua implicitè, vel explicitè, formaliter, vel æquiualenter, coniunguntur duæ cathegoricæ, vel duo complexa reducibilia ad duas cathegoricas, per hanc coniunctionem temporalem, quando; vel ei æquiualentem. Cuiusmodi sunt omnia aduerbia temporis. Vt Petrus dormit, quādo Paulus vigilat. Vel Franciscus studet, dum Antonius ambulat.

Prima Regula. Ad veritatem temporalis exigitur, vt ambæ partes sint veræ, pro eodem, vel diuerso tempore. Vt Petrus est subditus pœnæ, quando non obseruat legem. Vel Franciscus est homo, quando est albus.

Secunda Regula. Ad falsitatem temporalis, sufficit alteram partem esse falsam. Vt Petrus dormit, dum vigilat.

Tertia Regula. Vt temporalis sit necessaria, exigitur necessitas vtriusque, antecedentis scilicet, & consequentis. Vt Petrus est, dum homo est.

Quarta Regula. Ad possibilitatem temporalis requiritur, vt ambæ partes sint possibiles. Vt Franciscus legit, quando Antonius currit.

Quinta Regula. Vt temporalis sit impossibilis, sufficit impossibilitas alterius partis; licet possint esse ambę impossibiles. Vt Paulus est Asinus, dum est homo. Vel Petrus est Leo, quando est lapis.

De Locali.

CAPVT XV.

PRopositio localis est illa, in qua explicitè, vel implicitè, formaliter, vel æquiualenter coniunguntur duæ cathegoricæ, vel duo complexa reducibilia ad duas cathegoricas, per hanc coniunctionem localem, vbi; vel ei æquiualentem. Vt Franciscus legit, vbi Antonius bibit.

Prima Regula. Ad veritatem propositionis localis exigitur, vt ambæ partes sint veræ, pro eodem vel diuersis locis. Vt Franciscus legit, vbi dormit.

Secunda Regula. Ad falsitatem localis, sufficit alteram partem esse falsam. Vt Paulus dormit, vbi Antonius canit.

Tertia Regula. Ad impossibilitatem, sufficit alteram partem esse impossibilem. Vt Petrus ambulat, vbi non est spatium locale.

De his omnibus propositionibus hipotheticis formantur vtillimi modi arguendi, quos ad præsens omittimus, cum spectent ad sequentem tractatum; in quo erit sermo etiam de syllogismo hipothetico, sicut de cæteris arguendi modis.

De Æquipollentijs Propositionū de inesse, tum Cathegoricarum, tum Hipotheticarum.

CAPVT XVI.

ÆQuipollentiam esse duplicem, terminorū scilicet, & propositionum, non est ignorandum; vt de qua ad propositum specter, commodiùs, & clariùs agere valeamus. Prior, est duorum terminorum in significando æquiualentia; cuiusmodi sunt termini synonimi. Posterior verò est duplex: altera in significando tantum; vel ratione materiæ, ex qua componuntur; cum videlicet duæ propositiones idem significant: vt sunt istæ. Omnis homo est risibilis; & omne animal rationale est risibile: quæ omninò idem important: Altera in significando, & in inferendo simul ratione formæ; cum videlicet vna propositio de eadem forma, ratione negationis sibi additæ, infert aliam.

Et

Et de hac æquipollentia est sermo in præsentiarum, quæ sic describitur.

Æquipollentia, est duarum propositionum vtroque termino participantium, ordine eodem, formalis æquiualentia in significando, & inferendo simul; ob negationem præpositam tantum, postpositam tantum, vel præpositam, & postpositam simul, signo vniuersali, vel particulari. Vndè cùm sint quatuor genera propositionum participantium vtroquè termino ordine eodem, scilicet contrariæ, subcontrariæ, contradictoriæ, & subalternæ, totidem Regulæ pro earumdem æquipollentijs, subijciendæ sunt.

Prima Regula pro Contradictorijs est ista. Si alicui signo vniuersali, vel particulari præponatur negatio, æquipollet suo contradictorio: vt istæ sunt contradictoriæ. Omnis homo currit; & quidam homo non currit. Præponendo negationem illi signo, omnis; hæc propositio vniuersalis. Omnis homo currit: æquipollet huic particulari. Quidam homo non currit. Vel è conuersò sic dicendo. Non omnis homo currit. Igitur quidam homo non currit: vel è contra. Non quidam homo non currit; infertur ergo omnis homo currit. Idem dicendum est de cæteris contradictorijs.

Secunda Regula pro Contrarijs. Si alicui signo vniuersali postponatur negatio, æquipollet suo contradictorio. Exempli gratia, hę sunt contrarię. Omnis homo currit, & nullus homo currit. Si ergò postponatur negatio illi signo vniuersali, omnis, dicendo. Omnis homo non currit: ęquipollet isti; Nullus homo currit. Vel è conuersò. Nullus homo non currit; æquipollet isti; ergo omnis homo currit.

De subcontrarijs potest poni eadem regula, sed valdè impropriè; cum nec propriè ęquipolleant, vt claré ostendemus in explicatione.

Tertia Regula pro subalternis. Si alicui signo vniuersali, vel particulari præponatur, & postponatur negatio, æquipollet suo subalterno; Vt omnis homo currit, & quidam homo currit; sunt subalternæ; vel istæ. Nullus homo currit, & quidam homo non currit; præponendo, & postponendo negationem illi signo vniuersali, omnis, vel particulari, quidam; adinuicem æquipollent: vt hæc. Non omnis homo non currit; æquipollet huic. Quidam homo currit: vel è conuerso. Non quidam homo non currit; æquipollet isti. Omnis homo currit. Idem dicendum est de subalternis negatiuis. Et istæ regulæ continentur in sequenti versu.

Pra contradic, post contra: pre postque subalter.

Quarta Regula. Si duo signa vniuersalia negatiua ponantur in eadem locutione, itàut vnum se teneat à parte subiecti, aliud verò à parte prædicati; cum hoc tamen, vt vtrumque ponatur ante copulā; primum æquipollet suo contrario, secundum suo contradictorio. Vt Nihil, nihil est; æquipollet isti. Quodlibet aliquid est. Quia primum signum, vt æquipolleat suo contrario, includit implicitè terminum communem, scilicet ens; vt sit sensus. Nullum ens, nihil est: ergo quodlibet, aliquod est. Quod est contrarium affirmatiuum. Vt verò secundum æquipolleat suo contradictorio, debet includere implicitè terminum communem, ens; & primum nihil esse, pura negatio; vt faciat sensum. Nonnullum ens est: ergo aliquod, quodlibet est.

De Propositione Modali.

CAPVT XVII.

Dvplicem esse propositionem Cathegoricam, scilicet de inesse, & modalem, diximus superiùs in principio Sectionis. Propositio de inesse est illa, cuius copula non est modificata aliquo termino, seù modo, denotante compositionem prædicati cum subiecto: vt hęc, homo est animal. Quæ dicitur de inesse; quia prædicatum dicitur conuenire simpliciter, & absolutè subiecto, non determinando possibilitatem, vel impossibilitatem, necessitatem, aut contingentiam eius ad subiectum, sicut accidit in modalibus. Propositio verò modalis est illa, cuius copula est modificata aliquo modo denotante compositionem possibilem, vel impossibilem, necessariam, vel contingentem prædicati cum subiecto. Vt Franciscum currere, est possibile. Quæ dicitur modalis ab illo modo, possibile;

virtute cuius indicatur, cursus esse possibilis Francisco.

Modus autem est determinatio adiacens rei determinabili: vt cum dico. Homo albus currit. Ly albus, est modus, seù determinatio; non cuiuscumque hominis ad cursum, sed talis, qui sit albus: similiter. Petrus velociter currit. Ly velociter, est modus, seù determinatio cursus, significans non qualemcunquè cursum inhærere Petro, sed velocem tantum.

Modus verò, secundum logicum, cum sit idem, quod adiectiuum, secundū Grammaticum; est duplex sicut adiectiuum, scilicet nominis: vt album, nigrum, pulchrum; et verbi, scilicet velociter, possibiliter, & similia verba: siquidem aduerbium, secundum Priscianum, est vi verbi adiectiuum; ità etiam duplex est modus, scilicet nominalis, & verbalis. Modus nominalis est, qui nomen modificat; & verbalis, qui verbum determinat. Hic est sermo de verbali; quia hic solum compositionem prædicati cum subiecto determinat, secundum quam, fit propositio modalis.

Modi autem verbales, quibus propositiones modales constare videntur, sunt quatuor magis vsitati (licet plures possint esse) scilicet possibile, impossibile, necesse, & contingens. Qui dupliciter sumi possunt, scilicet secundo intentionaliter; & sic sunt differentiæ propositionis; significantque possibilitatem, impossibilitatem, necessitatem, & contingentiam propositionis; & sic constituunt propositionem modalem compositam; denotant enim propositionem, quam modificant, esse possibilem, impossibilem, necessariam, vel contingentem. Alio modo sumi possunt primo intentionaliter; & hoc dupliciter, scilicet cathegorematicè: & sic sunt differentiæ entis: nam possibile, idem est, ac res possibilis; impossibile, res impossibilis; necesse, res necessaria; & contingens, res contingens: & sincathegorematicè; & ità sunt signa, quædam denotantia possibilitatem, impossibilitatem, necessitatem, vel contingentiam prædicati cum subiecto; & sic conficiunt propositionem modalem diuisam. Ad propositum, accipiuntur primo intentionaliter sincathegorematicè, pro diuisa; & secundo intentionaliter, pro composita modali.

Propositio modalis composita est illa, in qua modus subijcitur, vel prædicatur; id est ponitur, vt subiectum, vel prædicatum, aut saltem tamquàm pars subiecti, vel prædicati. Vt, Antonium currere est possibile; vel necesse est, hominem esse animal.

Propositio modalis diuisa est illa, cuius copula modificata est aliquo prædictorum modorum, determinante compositionem prædicati cum subiecto. Vt, hominem necesse est esse animal: vel. Franciscum possibile est esse album: aut Petrus contingenter currit.

Ex his sequitur quadruplex differentia inter propositionem compositam, & diuisam, ex quibus facilè dignosci potest, quænam sit modalis composita, & quæ diuisa.

Primò igitur differunt. Quia in compositis, illud verbum, est, duntaxat est copula; in diuisis verò nedum illud verbū, est, sed etiam infinitum, quod sequitur, si modus teneatur nominaliter; vel illud, est, determinatum aliquo modo, si modus accipiatur ad verbialiter.

Secundo Differunt. Quia in compositis, modus semper est subiectum, vel prædicatum; in diuisis verò, nec subiectum, aut prædicatum, sed solum determinatio copulæ.

Tertio differunt. Quia in compositis, modi tenentur secundo intentionaliter, & cathegorematicè; in diuisis verò, primò intentionaliter, & sincathegorematicè.

Quarto Differunt. Quia in compositis, totum dictum, est subiectum, vel prædicatum; in diuisis verò, vna pars eiusdem, est subiectum, reliqua autem prædicatum: ista enim est composita. Hominem esse animal est necesse. Quia in ea subijcitur totum dictum, quod aggregatur ex illis accusatiuis, hominem, & animal; ac ex infinito esse. Et vocatur dictum; quia de ipso totaliter, & de qualibet eius parte, enunciatur modus; hæc enim, homo est animal, quæ ex dicto resoluitur, est necessaria; & similiter; Hominem esse animal, est necessarium. Ista autem est diuisa. Hominem necesse est esse animal. Quia in ea hæc dictio, hominem, est subiectum; animal prædicatum; hoc totum, est

est esse, copula; & ly necesse, est modus, seù determinatio copulæ; determinat enim compositionem animalis cum homine, esse necessariam.

De Quiditate, & Qualitate Propositionum Modalium.

CAPVT XVIII.

SVpponendum est, ex dictis superius cap. 3. huius Sect. quiditatem propositionis in eo sitam esse, vt sit cathegorica, vel hipothetica. Aut enim propositio habet subiectum, prædicatum, & copulam tamquam partes principales sui: & sic est cathegorica. Aut habet duas cathegoricas, vel saltem duo complexa reducibilia ad duas cathegoricas: & sic est hipothetica. Qualitatem verò in hoc consistere, vt propositio sit affirmatiua, vel negatiua.

Hoc supposito, dicendum est primo. Propositiones modales secundum quiditatem, esse cathegoricas; habent enim subiectum, prædicatum, & copulam, veluti partes principales sui; vt in hac propositione. Hominem necesse est esse animal. Ly hominem, est subiectum; ly animal, prædicatum: ly est esse, copula; & ly necesse, modus se tenens ex parte copulæ; non quod sit eius pars, sed tantum eiusdem determinatio: & hoc, quoad modales diuisas. In compositis verò, aliter ponitur, vt in hac. Totum hominem esse animal, est necesse. Ly totum hominem esse animal est subiectū; ly est, copula; & ly necesse, prædicatum. Ex quo sequitur, copulam totalem in modalibus compositis esse solum illud verbum, est; in diuisis etiam, cùm modus tenetur aduerbialiter, copula est tantum, illud est. Cùm verò accipitur nominaliter, præter ly est, requiritur illud infinitum esse; quia ex his integratur copula totalis. Vlteriùs sciendū, cùm in diuisis integratur copula ex infinito esse, & est; ly esse, censetur copulæ pars principalior; quia ipsa affirmata, propositio est affirmatiua; & ipsa negata, simpliciter erit negatiua, vt mox dicemus.

Dicendū secundo. Propositionum modalium, secundum qualitatem, alias esse affirmatiuas, & alias negatiuas, vt dictū est superiùs in illis de inesse. Propositio modalis affirmatiua est illa, cuius copula totalis, aut saltem pars principalior, non est negata formaliter, aut virtualiter (quod dico propter modalem de modo impossibili, in qua licet non ponatur negatio ad copulam formaliter, ponitur tamen virtualiter: quia, ly impossibile, includit negationē, sicut signum, nullus) vt hominem necesse est esse animal. Illa verò est negatiua, cuius copula totalis, vel principalior pars, est negata formaliter, vel virtualiter. Vt hominem currere non est possibile. Vel hominem currere est impossibile. Quæ virtualiter est negatiua, ob negationem inclusam in illo modo, impossibile. Dicitur notanter, vel principalior pars copulæ; ob propositiones diuisas negatiuas, in quibus, vt plurimum, non negatur illud verbum, est; sed infinitum esse, quod est principalior copulæ pars, cùm modus tenetur nominaliter: Vt, omne animal necesse est non esse hominem. Idem dicendum est de alijs propositionibus de possibili, & contingēti.

De Quantitate Propositionum Modalium

CAPVT XIX.

PRopositiones Modales secundum quantitatem, aut sunt vniuersales, aut particulares, aut indefinitæ, aut singulares; sicut dictum fuit superius de illis de inesse. Quantitas autem earumdem, tripliciter potest attendi; aut ex parte modi tantum, aut subiecti solum, aut ex parte vtriusque simul. Illæ propositiones sunt quantæ primo modo, quæ sunt de modis vniuersalibus, aut particularibus: vndè, modi vniuersales sunt duo; quorum prior, scilicet necesse, est affirmatiuus; posterior verò, nempè impossibile, est negatiuus: modi verò particulares, sunt paritèr duo, scilicet possibile, & contingens, qui sunt affirmatiui; sed possunt fieri negatiui, mediante negatione illis præposita. Vndè istæ sunt vniuersales de modo. Hominem necesse est esse animal. Hominem impossibile est esse lapidem. Hę verò sunt particulares de modo. Hominem possibile est esse album. Hominem contingens est esse doctum, vel indoctum. Illæ autem propositiones di-

cuntur secundo modo quantæ, quæ sunt de subiectis determinatis cum signis vniuersalibus, vel particularibus, aut demonstratiuis; aut sunt de terminis discretis; aut tamdem, de terminis communibus, nullo signo determinatis; vt sunt istæ. Omnem hominem currere, est possibile. Nullum hominem currere, est contingens. Aliquem hominem volare, est impossibile. Hunc hominem esse doctum, est contingens. Franciscum studere, est possibile. Hominem esse animal, est necesse. Illæ tandem sunt quantæ tertio modo, quæ sunt de subiectis determinatis signis vniuersalibus, vel particularibus;& quæ sunt de modis vniuersalibus, aut particularibus. Vt, omnem hominem necesse est, esse animal. Nullum hominem impossibile est currere. Quarum duæ priores, sunt vniuersales de signo, & de modo simul; tertia verò est tota particularis ex parte vtriusque.

Ex dictis ponuntur definitiones propositionum modalium, secundum quantitatem, tùm ex parte modi, tùm ex parte signi, tùm etiam ex parte vtriusque.

Propositio modalis vniuersalis est illa, in qua, vel subiectum est determinatum. Signo vniuersali; vel modus est vniuersalis, vel vtrumque. Vt, omnem hominem possibile est currere. Aliquem hominem impossibile est esse irrationalem. Omnem hominem necesse est esse animal.

Propositio modalis particularis est illa, in qua vel subiectum est determinatum signo particulari, vel modus est particularis, vel vtrumque. Vt, aliquem hominem impossibile est esse asinum. Hominem possibile est esse album. Vel, aliquem hominem contingens est esse nigrum.

Propositio modalis indefinita est illa, in qua subiectũ est terminus communis, nullo signo determinatus. Vt, hominem contingens est esse doctum. Hæc enim est indefinita, tantum ratione subiecti; quia ratione modi, nequit dari indefinita, sicut nec singularis; cum modi sint tantum vniuersales, vel particulares, vt superius notatum est.

Propositio tamdem modalis singularis est illa, in qua subiectum est terminus discretus, vel communis, signo demonstratiuo determinatum. Vt, Petrum currere est possibile. Vel contingens est hunc hominem esse doctum.

De Oppositionibus Propositionum Modalium.

CAPVT XX.

Propositionum Modalium, aliæ sunt oppositæ contrariè, aliè subcontrariè, aliæ contradictoriè, & aliæ subalternè, vt sunt illæ de inesse. Hæc autem oppositio potest attendi, vel ex parte formæ, vel secundum legem. Tunc dicuntur propositiones modales opponi secundum formã, quæ ad inuicem repugnant, & ratione subiectorum, & ratione modorum simul; vt hæ opponuntur contrariè. Omnem hominem necesse est esse animal. Nullum hominẽ impossibile est esse animal. Tunc verò opponuntur secundum legem, quæ participant legem alicuius oppositionis, vel ratione modi tantum, vel subiecti tantum, vel ratione vtriusque. Exemplum modalium contrariarum, tantum de modo. Necesse est, hominem esse risibilem. Impossibile est, hominem esse risibilem. Quia modi, necesse, & impossibile, sunt contrarij. Exemplum contrariarum de subiecto tantum. Omnem hominem possibile est currere. Nullum hominem possibile est currere. Exemplum tamdem contrariarum ratione vtriusquè. Omnem hominem necesse est esse animal, Et, nullum hominem impossibile est esse animal. In quibus apparet contrarietas, tàm ex parte subiectorum, quæ sunt determinata signis vniuersalibus contrarijs, quàm ex parte modorum, qui sunt oppositi contrariè. Vt autem perciperè possitis harum oppositionum valorem, tàm secundum formam, quàm secundum legem, subijciemus statim earum definitiones singilatim, cum sua figura.

De

De Oppositionibus Modalium de forma.


CAPVT XXI.

Oppositio contraria propositionum modalium de forma, est repugnantia duarum propositionum vtroque termino participantium, ordine eodem; quarum vna est tota vniuersalis affirmatiua, & altera tota vniuersalis negatiua. Vt, omnem hominem necesse est currere. Omnem hominem impossibile est currere.

Oppositio sub contraria, est repugnantia duarum propositionum modalium, vtroquè termino participantium, ordine eodem; quarum vna est tota particularis affirmatiua, & altera tota particularis negatiua. Vt, aliquem hominem possibile est currere. Et, aliquem hominem possibile est non currere.

Oppositio contradictoria, est repugnantia duarum propositionum modalium, participantium vtroquè termino, ordine eodem; quarum vna est tota vniuersalis affirmatiua, & altera tota particularis negatiua; vel vna, tota vniuersalis negatiua, & altera, tota particularis affirmatiua. Vt omnem hominem necesse est currere. Aliquem hominem possibilé est non currere. Vel omnem hominem impossibile est currere. Et, aliquem hominem possibile est currere.

Oppositio tamdem subalterna, (quæ non est propriè oppositio, vt dictum fuit etiam in illis de inesse) est repugnantia duarum propositionum participantium vtroque termino, ordine eodem; quarum vna est tota vniuersalis affirmatiua, & altera tota particularis affirmatiua, vel vna, tota vniuersalis negatiua, & altera tota particularis negatiua. Vt, omnem hominem necesse est currere. Et, aliquem hominem possibile est currere. Vel, omnem hominem impossibile est currere. Et, aliquem hominem possibile est non currere. Vt patet in sequenti figura.



De Oppositionibus Modalium de Lege.

CAPVT XXII.


Oppositio Modalium contrariarum de lege, est repugnantia duarum propositionum, vtroque termino participantium, ordine eodem; quarum vna est tota vniuersalis affirmatiua, & altera partim vniuersalis de subiecto, particularis tantum de modo: vel è conuersò; vniuersalis de modo, & particularis de subiecto. Vt omnem hominem necesse est currere. omnem hominem possibile est non currere. Vel, aliquem hominem impossibile est currere.

Oppositio subcontraria, est repugnantia duarum propositionum modalium, participantium vtroquè termino, ordine eodem; quarum vna est tota particularis affirmatiua; altera partim particularis, vel de subiecto est negatiua. Vt, aliquem hominem possibile est currere. Aliquem hominem impossibile est currere; aut, omnem hominem possibile est non currere.

Oppositio autem contradictoria, est repugnantia duarum propositionum participantium vtroquè termino, ordine eodem; quarum vna est vniuersalis de modo, & particularis de subiecto, affirmatiua; altera particularis de modo, & vniuersalis de subiecto, negatiua. Vt, aliquem hominem necesse est currere. Omnem hominem possibile est non currere. Vel è conuersò. vna est vniuersalis de subiecto, particularisque de modo, affirmatiua; & altera particularis de subiecto, & vniuersalis de modo, negatiua. Vt, omnem hominem possibile est currere. Et, aliquem hominem impossibile est currere.

Oppositio tandem subalterna, est repugnantia duarum propositionum participantium vtroquè termino, ordine eodem, quarum vna est tota vniuersalis affirmatiua, altera partim particularis, vel de subiecto, vel modo affirmatiua. Vt, omnem hominem necesse est currere. Et, omnem hominem possibile est currere. Vel aliquem hominem necesse est currere. Vel vna tota vniuersalis negatiua, & altera partim particularis de subiecto, vel de modo, negatiua. Vt, nullum hominem impossibile est currere. Et, aliquem hominem impossibile est currere. Aut, omnem hominem possibile est non currere.

Propositiones modales de subiectis singularibus, opponuntur aliqua istarum oppositionum, ratione modorum tantum. Sequitur figura harum oppositionum.



De

De Æquipollentijs Propositionum Modalium.

CAPVT XXIII.

PEtrus Hispanus tamdem peruentus ad æquipollentias Modalium, considerans earum difficultatem, & sui finis oblitus, (qui erat Tyronibus, obstrusa Aristotelica dilucidare) tradidit regulas difficultatibus plenas, omni carentes parcitate: & præterquamquod sunt superfluæ, magis conducunt iuuenes ad desperationem, quam ad cognitionem æquipollentiarum: vndè exiuit illud commune proloquium. De modalibus non capit Asinus. Idcircò inixi quorumdam expositorum auctoritati, & præcipuè A. R. P. Francisci de Catharo Magistri mei Doctissimi, ac amantissimi, relinquendo tot ambages, eodem modo ponemus æquipollentias, sicut in illis de inesse, easdem omninò regulas repetendo; cum hac tamen differentia, vt præpositio, & postpositio negationis, quæ in illis ponebatur, ad signum vniuersale, vel particulare, hic ad modum vniuersalem, vel particularem transferat. Et ratio est; quia quantitas propositionis modalis, ex parte modi, præsertim attendenda est; sicut in illis de inesse, ex parte signi solùm consideratur. Quo prænotato, sequuntur quatuor Regulæ pro æquipollentijs Modalium.

Prima Regula. Si alicui modo vniuersali, vel particulari præponatur negatio, æquipollet suo cotradictorio. Vt, aliquem hominem non necesse est currere; ergo aliquem hominem possibile est non currere: Vel è conuersò. aliquem hominem non possibile est non currere, ergo aliquem hominem necesse est currere. Idem dicendum est de reliquis contradictorijs.

Secunda Regula. Si alicui modo vniuersali postponatur negatio, æquipollet suo contrario. Vt, aliquem hominem necesse est non currere, ergo aliquem hominem impossibile est currere. Notandum tamen, quod quando postponitur negatio, modo, debet immediatè proponi infinito, si modus teneatur nominaliter; vel verbo, si teneatur aduerbialiter. Vt, aliquis homo necessariò non currit, ergò aliquis homo impossibiliter currit: vel è conuersò. Aliquis homo impossibiliter non currit, ergo aliquis homo necessariò currit.

Tertia Regula. Si alicui modo vniuersali, vel particulari præponatur, & postponatur negatio, æquipollet suo subalterno. Vt, aliquem hominem non necesse est non currere, ergo aliquem hominem possibile est currere: vel è conuersò. Aliquem hominem non possibile est non currere, ergo aliquem hominem necesse est currere. Idem dicatur de negatiuis.

Quarta Regula. Si in propositionibus modalibus attendatur quantitas, non tantum ex parte modi, sed etiam ex parte subiecti, determinati signo vniuersali, vel particulari, debet fieri præpositio, & postpositio negationis, nedum modo, vt dictum est, sed etiam subiecto, iuxtà regulas traditas superius cap. 15. Vt, aliquem hominem possibile est non currere; contradicit isti. Omnem hominem necesse est currere. Nedum, quoad subiectum, sed etiam quoad modum; quæ sic æquipollent. Non aliquem hominem non possibile est non currere, ergo omnem hominem necesse est currere; vel è conuersò. Non omnem hominem non necesse est currere, ergo aliquem hominem possibile est non currere. Et idem dicatur de reliquis secundum regulas præfixas contrarijs, & subalternis.

Pro tota i tamen intelligentia propositionum modalium, & æquipolentiarum earumdem; aduertendum est. Quod ex quolibet prædictorum modorum, possunt fieri quatuor propositiones, præponendo subiecto signum vniuersale, & particulare. Vt, omnem hominem necessè est currere. Nullum hominem necesse est currere. Aliquem hominem necesse est currere. Aliquem hominem necesse est non currrere. Idem dicendum de impossibili, possibili, & contingenti, quæ opponuntur, & æquipollent sicut illæ de inesse, præponendo, & postponendo negationem signo vniuersali, vel particulari tantum; siquidem, quantitas illarum attenditur ex parte subiecti duntaxat; cum hac tamen aduertentia,

vt quando debeat postponi negatio, præponenda est immediatè copulæ principaliori, scilicet infinito, si modus teneatur nominaliter; vel minus principali, si teneatur aduerbialiter, vt superius diximus, loquendo de qualitate propositionum modalium, de quibus hæc parua dicta sufficiant.

De Proprietatibus Terminorum, ac Propositionum extrinsecis simul.

SECTIO III.

Post tractatum de terminis, ac propositionibus, quo ad quidditatem, qualitatem, & quantitatem, nec non de passionibus eorumdem intrinsecis, in præsentiarum videnda sunt proprietates, tùm terminos, tùm propositiones ab extrinseco committantes; quæ sunt sex, scilicet suppositio, ampliatio, restrictio, appellatio, distributio, & exponibilitas; de quibus per ordinem erit sermo, vt magis, ac magis elucescat veritas propositionum, quæ deseruire debeant pro confectione syllogismorum; cum sint illorum partes propinquæ.

De Quibusdam acceptionibus Terminorum.

CAPVT I.

PRo intelligentia eorum, quæ dicturi sumus, prius recolenda sunt, memoriæquè reuocanda ea omnia, quæ hactenus diximus de terminis, ac propositionibus; quippèquæ inseruiunt dicendorum cognitioni. Deindè notandum est, terminum cathegorematicum, & absolutum, diuidi in substantiuum, & adiectiuum. Prior dicitur ille, qui importat entitatem per modum per se stantis; cuiusmodi sunt omnia nomina substantiua gramaticalia, siuè substantias, siuè accidentia significent: vt homo, lapis, albedo, & similia. Posterior verò est ille, qui rem importat per modum adiacentis alteri; vt sunt omnia nomina adiectiua gramaticalia, scilicet album, nigrum, dulce, bonum, quantum, doctum, & similia.

Secundo Notandum est; hæc tria, scilicet significare, supponere, & copulare, differre inter se; nàm significare, est rem per vocem exprimere, seù repræsentare; vt homo, hominem; albedo, albedinem repræsentat. Supponere verò, est terminum iam significantem, pro aliquo, vel aliquibus accipere. Vt homo, supponit, vel pro homine in communi, vel pro suis inferioribus. Copulare autem, est accidens subiecto coniungere. Vt homo albus. Nàm ly albus, copulat, seù coniungit albedinem cum homine. Ex quibus sequitur quod significare, conuenit omnibus terminis, siuè substantiuis, siuè adiectiuis; supponere tantum substantiuis; & copulare, adiectiuis duntaxat.

Tertio Notandum; aliquem terminum posse dici substantiuum dupliciter, scilicet formaliter, & materialiter, seù æquiualenter. Primo modo dicitur substantiuus; cum secundum propriam significationem, importet rem per se stantem, seù per modum per se stantis, à se distinctam: vt Homo, Leo, Lapis, Albedo, Nigredo &c. Secundo modo, cùm gerit vicem substantiui in propositione cathegorica. Vt homo est bissillabus. Album, est bissillabum. Nàm, ly homo, & ly album, gerunt vicem nominis substantiui. Terminus substantiuus primo modo descernit suppositioni formali: secundo modo suppositioni materiali.

De Suppositione, & eius Diuisione.

CAPVT II.

SVppositio, est acceptio termini substantiui in propositione pro aliquo, vel aliquibus; de quo, vel de quibus, huiusmodi terminus verificatur, mediante copula suæ propositionis: vt in hac propositione. Homo currit. Ly homo, supponit pro omnibus hominibus; quia verum est dicere. Petrus est homo. Paulus est homo; & sic de alijs. In qua diffinitione, ly acceptio, ponitur loco generis; est enim

enim communis ad significationem, suppositionem, & copulationem. Ly termini substantiui; ponitur ad differentiam termini adiectiui; qui propriè, & formaliter non supponit, sed tantum significat, & copulat. Dicitur in propositione; ad differentiam significationis, quæ est termini extra propositionem repræsentatio. Dicitur pro aliquo, vel aliquibus; ad denotandum diuersas species suppositionis vnius termini substantiui: Siquidem in hac propositione. Homo est species. Ly homo, supponit simpliciter in hac verò. Homo est animal. Supponit personaliter; vt inferiùs videndum est. Dicitur tandem; de quo, vel de quibus verificatur terminus supponens, mediante copula suæ propositionis. Ad inuendum, quod suppositio nequit fieri sine propositione; quidquid dicant aliqui Moderni. Siquidem, logicus considerat proprietates terminorum secundo intentionaliter; quę dicunt respectum rationis in ordine ad aliud subiectum, & aliud prædicatum; vt docet Scotus in primo sent. dist. 21. quæst. vnica.

Suppositio autem prima sui diuisione, partitur in materialem, & formalem. Suppositio materialis, est acceptio termini substantiui, siuè formaliter, siuè æquiualenter, pro suo significato materiali, seù non vltimato. Vt, homo est vox. Homo est dictio bissyllaba. Amo est verbum. Nam homo, de suo primario significato, importat humanitatem; de secundario verò, importat illam vocem compositam ex quatuor litteris, & duabus syllabis, quæ eiusdem materia dicuntur. Dicitur notanter, formaliter, vel æquiualenter. Quia etiam termini sincathegorematici, & adiectiui, possunt supponere materialiter, & gerere vicem terminorum substantiuorum: vt omnis, est signum vniuersale; quidam particulare: album, est nomen adiectiuum, vel dictio bissyllaba.

Suppositio materialis, est duplex, scilicet communis, & discreta. Communis, est acceptio termini communis pro suo significato materiali. Vt, animal est trisyllabum. Et hæc duplex, scilicet confusa, & distincta; vt infrà dicemus. Discreta verò, est acceptio termini discreti pro suo significato materiali. Vt, Petrus est bissyllabus; vel Paulus est nomen proprium.

Suppositio formalis, est acceptio termini pro suo significato formali, seù ex impositione sibi attributo. Et sic, homo supponit pro humanitate. Et hæc est duplex, scilicet simplex, & personalis. Suppositio simplex, est acceptio termini in propositione pro suo significato formali, primario, & adæquato tantum, respectu prædicati, vel subiecti, ponentis differentiam inter superiùs, & inferiùs. Vt animal est genus: homo est species. Petrus est indiuiduum. Nam genus, quod est prædicatum, conuenit tantum animali in communi, & non in particulari. Sic species, tantum homini, vt sic, & non huic, & illi homini. Et indiuiduum competit huic, & illi homini, & non homini in communi. Ex quo sequitur, duplex esse significatum hominis, scilicet primarium, quod nimirum ex impositione importatur ab eo; & secundarium, quod secundariò, & ex impositione ab eo exprimitur. Et sic, significat Petrum, Paulum, Franciscum, & cæteros homines. Dicitur notanter, respectu subiecti, vel prædicati ponentis differentiam inter superiùs, & inferiùs. Quia non tantum subiectum respectu prædicati potest supponere simpliciter, verum etiam prædicatum respectu subiecti.

Suppositio simplex est duplex, scilicet communis, & discreta. Communis, est acceptio termini communis pro suo significato primario. Vt homo est species. Nam homo est terminus communis, cui solùm, secundum significatum primarium, conuenit ratio speciei. Discreta verò, est acceptio termini discreti pro suo significato primario. Vt Petrus est indiuiduum. Siquidem ratio indiuidui conuenit Petro, prout dicitur de se solo, quoad eius significatum primarium, & adæquatum.

Suppositio personalis, est acceptio termini pro suo significato secundario, respectu prædicati non ponentis differentiam inter superiùs, & inferiùs; vt homo currit; homo est animal. Nam, illa prædicata, currit, & animal; non tantum conueniunt homini in communi,

etiam

etiam cuilibet homini inferiori. Et hæc est duplex, communis, scilicet, & discreta. Communis, est acceptio termini communis pro suo significato non adæquato, respectu prædicati non ponentis differentiam inter superius, & inferius. Vt homo est animal. Discreta, est acceptio termini discreti, vel communis, singulariter tenti, cum pronomine demonstratiuo: vt Petrus currit: vel hic homo est doctus.

Suppositio personalis communis est duplex, scilicet respectiua, & absoluta. Prior, est acceptio relatiui gramaticalis. Vt Petrus, qui mouetur, currit. Dicitur notanter, & relatiui gramaticalis; quia relatiua logicalia supponuntur absolutè: vt seruus obedit: Dominus præcipit. Posterior verò, scilicet absoluta, est acceptio termini absoluti pro suo significato secundario. Et hac suppositione supponunt omnes termini substantiui, siuè substantiam, siuè accidens significent; exceptis relatiuis gramaticalibus. Et hæc est duplex, scilicet naturalis, & accidentalis.

Suppositio naturalis, est acceptio termini in propositione, cuius copula absoluitur, seù abstrahit ab omni temporis differentia: vt homo est animal, Leo est rugibilis. Nàm, hæ propositiones sunt veræ, etiam si nullum adesset tempus; Siquidem ly est, non importat aliquam temporis differentiam, sed tantum connotat prædicatum cum subiecto, secundum exigentiam suæ naturæ. Accidentalis verò, est acceptio termini cum copula importante aliquam differentiam temporis. Vt homo currit; vel cucurrit, aut curret.

Suppositio naturalis est duplex, scilicet determinata, & confusa. Determinata, est acceptio termini communis, sub quo per aliquam propositionem disiunctiuam ad sua singularia potest fieri descensus. Vt homo currit; ergo ille homo currit, vel hic homo currit; & sic de alijs. Confusa verò, est acceptio termini communis pro suis significatis primarijs, & secundarijs determinatè. Et hæc est duplex, scilicet confusa tantum, & confusa, ac distributiua simul.

Suppositio confusa tantum, est acceptio termini communis, sub quo potest fieri descensus disiunctus, vel copulatus. Vt omnis homo est animal. Ly animal, supponit confusè tantùm; quia sub eo potest fieri descensus disiunctus; ergo omnis homo est hoc animal, vel illud animal; demonstratis speciebus diuersis animalis per illam coniunctionem disiunctiuam, vel: aut copulatus. Vt, nullum caput habet omnis homo; ergo nullum caput habet hic homo, & hic homo; & sic de alijs.

Suppositio confusa, & distributiua simul, est acceptio termini communis cum signo vniuersali à parte subiecti, vel à parte prædicati, cum æquiualenti; sub quibus, potest fieri descensus copulatus. Vt omnis homo est animal, ergo hic homo, & hic, & hic homo est animal. A parte prædicati. Vt homo non est lapis; ergo homo non est hic lapis, nec hic, nec ille; & sic de alijs.

Pro maiori intelligentia, tamen huius suppositionis, est aduertendū primò; descensum esse duplicem, scilicet diuisiuum, & arguitiuum. Prior fit per diuisionem termini communis per differentias oppositas. Vt animalium, aliud rationale, & aliud irrationale. Posterior autem fit per consequentiam necessariam, & formalem. Et hic est quadruplex, scilicet disiunctiuus, & disiunctus; copulatiuus, & copulatus.

Descensus disiunctiuus est, qui fit per vnam hipotheticam disiunctiuam, habentem tot partes, quot inferiora, saltem implicitè. Vt omnis homo currit; ergo ille homo currit, vel hic homo currit, vel ille homo currit; & sic de alijs. Et hic descensus deseruit suppositioni confusæ determinatæ.

Descensus disiunctus est, qui fit per vnā cathegoricam de pluribus extremis, scilicet subiectis, vel prædicatis disiunctis, per hanc coniunctionem disiunctiuam, vel; aut æquiualentem. Vt omnis homo est animal; ergo omnis homo est hoc, vel illud, aut illud animal; demonstratis singulis speciebus animalis. Et per huiusmodi, descenditur in suppositione confusa tantum.

Descensus copulatiuus est, qui fit per vnam hipotheticam copulatiuam de tot cathegoricis, quot sunt inferiora, sub termino communi, sub quo descenditur.

Vt

Vt omnis homo est animal; ergo hic homo est animal, & ille homo est animal; & sic de alijs. Et hic deseruit suppositioni confusæ, & distributiuæ simul.

Descensus copulatus, fit per vnam cathegoricam de pluribus extremis copulatis, idest coniunctis per illam coniunctionem copulatiuam, &; vel ei æquiualentem. Vt nullum caput habet omnis homo; ergo nullum caput habet hic, & hic, & hic homo, & sic de alijs. Et per hunc descenditur in suppositione confusa tantum.

Secundo Aduertendum: non posse fieri descensum in suppositione simplici, vel discreta; tùm quia in illa prædicatum ponit differentiam inter superius, & inferius, idest conuenit soli superiori, & non inferiori: non enim valet. Homo est species; ergo hic homo est species. Quia hoc prædicatum, simpliciter conuenit homini: tùm quia in discreta, siuè personali, siuè materiali, sub subiecto nequit descendi, cum careat inferioribus; Siquidem terminus discretus, de vno solo enunciatur.

Tertio Aduertendum, quod subiecta propositionum indefinitarum, & particularium, supponunt suppositione determinata; prædicata verò, si sint propositiones affirmatiuæ, confusa tantum; siquidem sub eis potest fieri descensus diiunctus. Vt homo est animal; ergo homo est hoc, vel illud animal. Similiter in singularibus, eodem modo supponunt: vndè benè sequitur. Petrus est homo; ergo est hic, vel hic homo. Item, prædicata propositionum indefinitarum, particularium, & singularium negatiuarum, supponunt confusè distributiuè; quandoquidem illa negatio, non; & confundit, & distribuit terminum communem pro sua inferiora; vndè valet. Homo non est lapis; ergo non est hic lapis, nec hic, nec ille lapis. Similiter; Petrus non est lignum; ergo non hoc, ne illud lignum.

Quarto Aduertendum: in propositionibus vniuersalibus quibuscumque, subiecta supponere confusè distributiuè; na illud signum vniuersale, omnis, distribuit terminum communem suis inferioribus, vt visum est. Similiter prædicata earumdem in negatiuis, supponunt distributiuè; quia, ly non; æquiualet signo vniuersali negatiuo. In affirmatiuis vero, prædicata supponunt confusè tantum, vt dictum est. Et hæc de suppositionibus, ac regulis earumdem. dicta sint satis. Si plura desideratis, consulite Petrum Hyspanum, ac cæteros Summulistas, & habebitis vsquè ad satietatem, & vltrà; necessaria enim duntaxat dedimus.

De Ampliatione, & Restrictione Terminorum in Propositione.

CAPVT III.

Ampliatio, est extensio termini communis in propositione, à minori ad maiorem suppositionem proportionaliter. Vel, est acceptio termini communis pro aliquo, vel aliquibus, respectu diuersorum temporum. Vt homo potest esse Antichristus. Ly, homo, non solum supponit pro his, qui sunt, sed etiam, qui erunt: & ideò coniunctus cum illo verbo, potest esse; ampliatur ad homines præsentes, & futuros.

Ampliatio autem potest fieri multipliciter, scilicet per verbum. Vt homo potest esse Imperator. Per aduerbium. Vt homo necessariò est animal. Et per nomen. Vt homo potens est, esse Cardinalis. Ex quibus infertur, posse fieri ampliationem tripliciter, scilicet respectu suppositorum; & fit per verbum: respectu temporis; & fit per aduerbium: & respectu loci; & fit per nomen.

Ampliatio respectu suppositorum, est extensio termini communis in suppositione personali ad omne suppositum. Vt homo potest esse albus. In qua, ly homo, extenditur ad omnes homines; est enim sensus. Quilibet homo, seu quodlibet humanum suppositum, potest esse album.

Ampliatio respectu temporis, est extensio

tensio termini communis ad omnem differentiam temporis. Vt homo necessariò est animal. Vbi; ly necessario, ampliat ad omnem tempus; est enim sensus. Homo pro omni differentia temporis præsentis, scilicet præteriti; & futuri, est animal.

Ampliatio respectu loci, est extensio termini ad omnem locum. Vt homo, vbiquè est risibilis; idest, in quolibet loco existathomo, est risibilis.

Restrictio, ex opposito, est constrictio termini à maiore, ad minorem suppositionem. Scilicet est acceptio termini restricti in propositione, ratione alicuius determinationis determinantis illum pro paucioribus, quàm ante supponebat. Vt homo albus currit. Nàm, ly albus, restringit hominem, qui absolutè supponit, ad standum tantum pro hominibus albis.

Restrictio pariter, sicut, & ampliatio, fit pluribus modis, scilicet per vocem: vt homo albus. Per participium: vt homo currens disputat. Per implicationem relatiui: vt homo, qui ambulat, loquitur. Et tamdem per nomen locale: vt Paulus Romæ militat. Ex quibus sequitur triplicem esse restrictionem, scilicet respectu suppositorum, temporis, & loci.

Restrictio respectu suppositorum, restringit terminum communem ad standum pro paucioribus, quam si sibi non adderetur. Vt homo albus currit.

Restrictio respectu temporis, coarctat terminum ad aliquam temporis differentiam. Vt quidam homo nunc est doctus.

Restrictio respectu loci, coarctat terminum ad aliquem locum. Vt Petrus Romæ, est dignus honore. Nam, ly Romæ, restringit dignitatem Petri ad illam Vrbem tantum.

Aduertendum tamen, ampliationem, & restrictionem dupliciter sumi posse, scilicet pro prima intentione, & pro secunda, Priori modo, sunt termini vocales, vel scripti, cogniti actu recto, vel reflexo; extensio, vel coarctatio. Posteriori verò modo, sunt respectus rationis causati ab intellectu in talibus terminis cognitis, & comparatis; ad quæ, vel pro quibus ampliantur, vel restringuntur.

De Appellatione Terminorum in Propositione.

CAPVT III.

APpellatio, secundum Petrum Hispanum, est acceptio termini pro re existente. Vt Petrus est animal. Vbi, ly Petrus, si existat, appellat ad se animal; sin autem, solùm supponit personaliter. Ex quo sequitur, acceptionem termini abstrahendo ab existentia, conuenire suppositioni, ampliationi, & restrictioni, non autem appellationi; quæ secundum hunc Doctorem, necessariò requirit existentiā termini in rerum natura. Vndè, Antechristus est homo. Cæsar est Imperator. In his propositionibus, subiecta non appellant ad se prædicata, sed tantum supponunt; cum reuera non existant.

Appellatio verò, secundum Tartaretum, & alios, diffinitur aliter, per hoc nimirum. Quod sit acceptio termini connotatiui in propositione pro suo significato formali, quod principaliter significat. Vt album, pro albedine; nigrum, pro nigredine, formaliter appellant; supponunt verò pro subiectis, quibus insunt albedo, & nigredo.

Appellatio, secundum priorem diffinitionem, potest diuidi, secundum suppositionem termini appellantis, in communem, & particularem, in determinatam, & confusam; non autem in simplicem, & personalem; quia terminus supponens simpliciter, cum abstrahat ab existentia, nequit appellare.

Appellatio tandē potest dupliciter accipi, scilicet pro prima, & pro secunda intentione; vt dictum est de suppositione, ampliatione, & restrictione.

De Distributiuis, seu Distributione Terminorum in Propositione.

CAPVT V.

DIstributio, est acceptio termini commu-

munis pro suis significatis secundarijs; seù, est multiplicatio termini communis, virtute alicuius signi vniuersalis facta. Vt omnis homo currit. Ly homo, distribuitur in omnes homines inferiores, virtute illius signi vniuersalis, omnis; quod distributiuum appellatur. In qua diffinitione, ponitur acceptio, loco generis, sicut dictum est in alijs. Dicitur termini communis: ad differentiam termini discreti, vel particularis, qui propriè non distribuitur, vel multiplicatur. Dicitur virtute signi vniuersalis: ad differentiam signorum particularium, quę non sunt signa distributiua, sed potius coarctatiua; vt quidam, aliquis, & similia. Et licet, quidam, videatur aliquo modo distribuere terminum communem; quia sub eo potest fieri descensus, saltem disiunctiuè; vt quidam homo currit; ergo, vel hic, vel iste, vel ille homo currit; tamen non est propria distributio; quia illæ terminus, homo, determinatus per ly quidam, non multiplicatur in plures, sed tantum indeterminatè se habet ad hunc, vel illum hominem.

Signum autem est duplex, scilicet repræsentatiuum, & dispositiuum. Repræsentatiuum adhuc est duplex, scilicet naturale, & ad placitum. Exemplum prioris. Vt gemitus infirmorum, & latratus canum. Exemplum posterioris. Vt Homo, Leo &c. dicuntur signa ad placitum; quia repræsentant illas entitates, quę per huiusmodi voces exprimuntur: & de his signis, ad presens, non loquimur. Dispositiuum verò est duplex, scilicet dispositiuum rei, seù vocis, prout rem, vel entitatem significat; cuius modi est adiectiuum respectu substantiui: vt album, nigrum &c. Et aliud est dispositiuum termini, prout est subiectum, vel prædicatũ: vt omnis, nullus, quidam, aliquis &c. & de talibus est sermo in proposito. Quæ tamen adhuc sunt duplicia, scilicet particularia, & vniuersalia, seù non particularia. Priora, disponunt terminos particulares: vt quidam, alter &c. Posteriora verò, res in communi pro suis inferioribus, disponunt.

Signa vniuersalia adhuc sunt duplicia, scilicet substantialia, & accidentalia substantialia; vt omnis, nullus &c., quæ dicuntur substantialia, non quia sint tantum dispositiua substantiarum, sed quia disponunt subiecta se habentia ad modum substantiarum. Accidentalia; vt qualiscunquè, quantuscunquè, & huiusmodi. Quæ dicuntur accidentalia, quia non disponunt entitates subiectorum, siuè talia sint substantiæ, siuè accidentia, sed quantitates, vel qualitates eorumdem.

Signa distributiua substantiarum, sunt in duplici differentia; quædam enim distribuunt partes subiectiuas. Vt omnis homo currit. Nullus homo ambulat. Idest nec Petrus, nec Paulus; & sic de cæteris. Quędam verò sunt distributiua partium integralium. Vt totus Petrus est albus. Idest quęlibet pars integralis eiusdem, est alba. Vndè, ly totum, non accipitur cathegorematicè, prout dicit compositum ex partibus, sed sincathegorematicè, vt dicit distributionem totius in partes.

Signa distributiua partium subiectiuarum, adhuc sunt duplicia; quædam enim sunt distributiua duorum tantum: vt vterquè, neuter. Vt vterquè homo currit, scilicet hic, & ille homo currit. Quædam verò plurium; & hęc sunt adhuc duplicia, scilicet distributiua omnium, & non omnium.

Signa distributiua omnium, sunt duo, scilicet omnis, nullus: non omnium; vt plures, multi; & cætera huiusmodi.

Signa distributiua plurium, sunt in duplici differentia quædam enim sunt distributiua determinatè: vt omnis, nullus; quædam verò indeterminatè, & infinitè. Vt plures homines currunt. Idest; non tot quin plures homines currunt. Vel infiniti homines currunt. Idest innumerabiles homines currunt.

Ex quo sequitur infinitum dupliciter accipi, scilicet cathegorematicè; & significat entitatem infinitam, vel secundum multitudinem, vel secundum magnitudinem, vel secundum intentionem; & hoc siuè in actu, siuè in potentia & sincathegorematicè; & sic est signum distributiuum rerum, quasi innumerabilium, vel excedentium captum intellectus creati; quemadmodum dicimus; infinitas esse stellas, vel arenas maris, idest à nobis sunt innumerabiles: & tunc accipitur infinitum in proposito;

nam

nam de priori erit sermo in philosophia. Distributio tandem potest dupliciter accipi, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Priori modo, importat acceptionem signorum distributiuorum, prout cognoscuntur à nobis actu recto intellectus nostri. Posteriori verò modo, dicit respectum rationis, causatum ab intellectu in talibus signis cognitis ad sua signata, seù distributa, per ea, de quibus aliàs erit sermo; pro nunc sufficiat, nè prolixitatem offendamus.

De Exponibilitate Propositionum.

CAPVT VI.

Exponibilitas, est proprietas, seù passio propositioni congruens, siuè secundum se, siuè ratione termini; facitque propositionem claram, quæ prius erat obscura, vel dubia; & sic potest describi.

Exponibilitas, est declaratio propositionis obscuræ propter sincathegorema positum in ea, circa aliquem terminum, vel à parte subiecti, vel à parte prędicati. Vt homo, in quantum rationalis, discurrit. Vel homo, in quantum homo, est rationalis. Nàm ly in quantum, in vtraquè propositione reddit sensum obscurum; siquidem potest esse sensus. Homo rationalis discurrit; & homo discurrit per rationalitatem. Propositio autem exponibilis, multiplicari potest iuxtà numerum sincathegorematum, quæ illam, vel illas obscurare possunt: at, regulariter loquendo, secundum logicos, est octuplex, scilicet exclusiua, exceptiua, reduplicatiua, inceptiua, desitiua, infinitiua, excessiua, & distributiua; de quibus per ordinem erit sermo.

De Propositione Exclusiua.

CAPVT VII.

Propositio exclusiua est illa, in qua ponitur dictio exclusiua. Vt tantum homo est risibilis: vel solus homo est risibilis. In quibus illæ dictiones, seù sincathegoremata, tantum, & solum, faciunt sensum exclusiuum, scilicet hominem, & nullum aliud animal præter hominem, esse risibilem.

Dictio autem exclusiua (solum) potest dupliciter accipi, scilicet cathegorematicè, & sincathegorematicè. Primo modo, solum, significat solitarium esse, seù non cū alio. Vt solus Petrus est in domo. Idest; nullus cum illo est in domo. Et sic non facit propositionem exclusiuam. Secundo modo, solum, denotat aliquid conuenire illi, cui additur, & nulli alij; idest ab omnibus remoueri, præterquam ab illo. Vt solus Deus est infinitè sapiens, idest nullus aliùs à Deo est infinitè sapiens. Et sic accipitur in proposito.

Propositionum autem exclusiuarum, quædam sunt affirmatiuæ. Vt tantum homo currit: quædam negatiuæ. Vt non tantum homo currit: quædam sunt de subiecto excluso; idest in quibus signa exclusiua ponuntur circa subiecta illarum. Vt solus Petrus vigilat: quædam de prędicato excluso. Vt Petrus est tantum homo; quædam verò de copula exclusa. Vt Petrus est non albus. Et in his, dictio exclusiua afficit totam propositionem. Omnes autem hæ propositiones possunt tripliciter exponi scilicet gratia alietatis, pluralitatis, & infinitatis.

Gratia alietatis propositio exponitur per duas cathegoricas, conficientes vnam copulatiuam; quarum prior est affirmatiua, posterior negatiua: vt hæc. Tantum Petrus currit: sic exponitur. Petrus currit, & nihil aliud à Petro currit.

Si verò propositio exponibilis sit negatiua de subiecto excluso, exponitur per duas cathegoricas affirmatiuas. Vt non tantum Petrus currit; idest. Petrus currit, & aliquis alius à Petro currit.

Si verò est negatiua de prędicato excluso, exponitur per duas cathegoricas; quarum prior est negatiua, & prędiacens, posterior autem affirmatiua. Vt tantum Petrus non dormit; idest Petrus non dormit, & omnes alij à Petro dormiunt.

Si tandem sit cum duplici negatione, & à parte subiecti, & à parte prædicati, exponitur per duas cathegoricas negatiuas; vt ista. Non tantum Petrus non vigilat; idest. Non tantum Petrus non vigilat, & alquis alius à Petro non vigilat.

Gratia pluralitatis propositio vniuersalis exponitur per duas cathegoricas copulatas; quarum prior est affirmatiua, posterior negatiua; vt hę duę propositiones.

Vni-

Vniuersalia sunt tantum quinquè: & Prędicamenta sunt tantum decem: sic exponuntur. Vniuersalia sunt quinquè, & non sunt plura; ergo sunt tantum quinquè. Vel, Prędicamenta sunt decem, & non sunt plura decem; ergo sunt tantum decem.

Si verò propositio exponibilis, sit negatiua, exponitur per duas cathegoricas; quarum prior sit negatiua, & posterior affirmatiua. Vt, non tantum quinquè sunt prędicamenta; idest. Prędicamenta non; sunt quinquè, & sunt plura quam quinque; ergò non tantum quinquè sunt prędicamenta.

Gratia infinitatis propositio exponitur sicut gratia alietatis; sed infinitatur subiectum, si dictio exclusiua cadat super ipsum; vel prædicatum, si fuerit de prædicato excluso; vt ista. Tantumodò Alexander est Dux strenuus: sic exponitur. Alexander est Dux strenuus, & omnis non Alexander, non est Dux strenuus.

De Propositione Exceptiua.

CAPVT VIII.

Propositio exceptiua dicitur illa, in qua ponitur signum, seu dictio exceptiua, exceptiuè sumpta. Vt omne animal, præter hominem, est irrationale. Signa exceptiua sunt illa, quæ excipiunt aliquod contentum sub termino distributo, respectu alicuius prædicati; cuiusmodi sunt, præter, præterquàm, excepto, nisi, & similia; vt in hac propositione. Omne animal, præter hominem, est irrationale. Ly præter, excipit hominem, contentum sub animali, distributo in omnia animalia, ab illo prædicato, irrationale.

Propositio exceptiua, si est vniuersalis affirmatiua, exponitur per vnam hipoteticam copulatiuam, habentem tres cathegoricas; quarum prima est vniuersalis affirmatiua præiacens, sumpta cum addito, quod sit aliud ab illo termino excepto. Secunda, est affirmatiua subiecti de termino excepto; & tertia negatiua prædicati à termino excepto. Vt omne animal, pręter hominem, est irrationale: sic exponitur, Omne animal, aliud ab homine, est irrationale; homo est animal, & homo non est irrationalis; ergò omne animal, præter hominem, est irrationale.

Si verò exceptiua exponibilis sit negatiua, exponitur per vnam copulatiuam, habentem tres cathegoricas; quarum prima est vniuersalis negatiua præiacens, cũ ly aliud, à termino excepto: secunda vt affirmatiua subiecti de termino excepto: tertia, affirmatiua prædicati de eodem. Vt nullum animal præter hominem est rationale: sic exponitur. Nullum animal, aliud ab homine, est rationale; homo est animal, & homo est rationalis; ergo nullum animal, præter hominem, est rationale. Huiusmodi propositiones non videntur diferre ab exclusiuis; ideò sufficit innuisse.

De Propositione Reduplicatiua.

CAPVT IX.

Propositio reduplicatiua est illa, in qua ponitur signum, siue dictio reduplicatiua, reduplicatiuè sumpta. Vt homo, in quantum rationalis, est discursiuus. Signa autem reduplicatiua, quæ denotant, prædicatum conuenire subiecto sub tali ratione formali, sunt; in quantum, quatenus, secundum quod, sub ratione qua; & huiusmodi. Quæ dupliciter accipi possunt, scilicet relatiuè, & coniunctiuè. Primo modo, non faciunt propositionem reduplicatiuam. Vt Petrus, in tantum viuit, in quantum potest. Siquidem ly in quantum, dicit relationem ad ly in tantum; & sic facit propositionem specificatiuam. Secundo modo constituunt reduplicatiuam. Vt homo, in quantum rationalis, intelligit; & est sensus. Ratio quare homo intelligat, est quia est rationalis.

Signa autem coniunctiuè sumpti, ex Doctore subtili, quæst. 3. quol. art. 2. §. Quantum ad logicam &c. possunt dupliciter accipi, scilicet specificatiuè, & reduplicatiuè. Primo modo, dicunt concomitantiam, seu non repugnantiam prædicati cum termino reduplicato respectu subiecti. Vt homo, in quantum albus, est risibilis. Vbi ly in quantum, specificat, album non habere repugnantiam cum risibili, vt simul possint verificari de homine: & est sensus. Homo, qui est albus, est risibilis. Secundo modo, dicunt rationem formalem inhærentiæ prædicati cum subiecto

biecto, si propositio est affirmatiua; vel repugnantiæ eiusdem prædicati cum eodem subiecto, si est negatiua. Vt homo, in quantum rationalis, est risibilis. Vel homo, in quantum rationalis, non est rudibilis. Nam ly in quantum, indicat rationalitatem dicere causam, seu formalem rationem, propter quam risibile inest, & rudibile repugnat homini. Et de signis hoc secundo modo sumptis, loquimur in proposito; quia hæc solum faciunt propositiones reduplicatiuas exponibiles.

Aduertendum tamen, quatuor requiri in propositione qualibet reduplicatiua, scilicet subiectum, prædicatum, terminũ reduplicatum, & signum reduplicatiuum; vt patet in hoc exemplo. Homo, in quãtum rationalis, est risibilis. Vbi ly homo, est subiectum; risibilis prædicatum; rationalis, terminus reduplicatus; & ly in quantum, est signum reduplicatiuum.

His prænotatis, dico primo, propositionem reduplicatiuam, si est affirmatiua, communiter exponi per quatuor cathegoricas affirmatiuas; quarum prima affirmat prædicatum de subiecto; secunda affirmat terminum reduplicatum de subiecto; tertia affirmat de reduplicato prædicatum; & quarta reddit rationem, quare in prima prædicatum insit subiecto; vt patet in sequenti exemplo. Homo, in quantum rationalis, est risibilis: quæ sic exponitur. Homo est risibilis; omnis homo est rationalis: omne rationale est risibile; & quia homo est rationalis, est risibilis.

Dico secundo si propositio reduplicatiua sit negatiua, exponitur per quatuor cathegoricas; quarum prima negat prædicatum de subiecto; secunda affirmat terminum reduplicatum de subiecto; tertia negat prædicatum de reduplicato, & quarta affirmat causam repugnantiæ prædicati cum subiecto; vt patet in sequenti exemplo. Homo in quantum rationalis, non est rudibilis: quæ sic exponitur. Homo non est rudibilis; omnis homo est rationalis; nullum rationale est rudibile; & quia homo est rationalis, ideò homo non est rudibilis.

Breuiter tamen, huiusmodi propositiones possent exponi per vnam hipotheticã causalem, sic dicendo. Homo, in quantum rationalis, est risibilis; scilicet homo est risibilis, quia homo est rationalis. Quandoquidem reduplicatio, cum dicat rationem formalem in termino reduplicato, quare prædicatum insit, vel repugnet subiecto; & ipsa sufficienter explicetur per vnam causalem, restat, vt cathegoricæ, quæ præmittuntur antè dictam causalem, sint superfluæ.

De Propositione Inceptiua, & Desitiua.

CAPVT X.

PRopositio Inceptiua dicitur illa, in qua ponitur verbum Incipit, & Desitiua, in qua ponitur verbum Desinit. Vt Petrus incipit esse albus. Antonius desinit esse doctus. Et licet aliæ sint affirmatiuæ, & aliæ negatiuæ, quia tamen æquiualent ad inuicem, si negatio ponatur post ly incipit, vel desinit, non videntur propriè posse distingui: exemplo comprobatur. Quia ista de incipit negatiua. Homo incipit non esse. Equiualet isti affirmatiuæ de desinit; scilicet homo desinit esse. Et è conuerso, hæc. Homo desinit nõ esse: æquiualet huic: ergo homo incipit esse.

Res autem, quæ possunt incipere esse, vel desinere, sunt omnia creata; cuiusmodi sunt omnes res, quæ directè ponuntur in decem prædicamentis; præsertim tamen in tribus prioribus, scilicet substantia, in quantitate, & qualitate. Et istæ sunt in triplici differentia; quia quædam sunt permanentes, quædam successiuæ, & quædam instantaneæ.

Permanentes sunt, quæ possunt acquiri totæ simul: vt homo, Angelus &c. Et hę sunt duplices, quia alię sunt spirituales; vt Angeli, & Animę rationales: & hæ acquirunt esse necessariò per creationem, & desinunt per annichilationem. Quędam verò acquiruntur, & deperduntur per motum, & mutationem; vt sunt omnes substãtię corporeę, quę generantur, & corrumpuntur.

Successiuę autem sunt, quarum partes nequeunt acquiri, totę simul; vt sunt motus, & tempus. Et istæ sunt in duplici differentia; quædam enim sunt successiuæ tantum in fieri; idest dum fiunt, non acquiruntur simul, secundum omnes partes, licet posteà maneant totæ simul: vt albedo,

albedo, nigredo, & cæteræ qualitates sensibiles. Aliæ verò dicuntur successiuæ in fieri, & in facto esse; quia earum partes nequeunt esse totæ simul; cuiusmodi sunt motus, & tempus; nam cum adest præsens, præteritum transijt, & futurum nondum venit.

Instantaneæ verò sunt, quæ durant tantum per instans; vt sunt instantia continuatiua partium temporis, & mutata esse, quæ copulant partes motus ad inuicem.

Instantia autem, in quibus res incipiunt, vel desinunt esse, sunt quatuor, scilicet primum instans esse rei; primum instans non esse rei; vltimum instans esse rei; & vltimum instans non esse rei.

Primum instans esse rei dicitur illud, in quo verum est dicere. Hæc res nunc est, & immediatè ante non fuit.

Primum instans non esse rei dicitur illud, in quo verum est dicere. Hæc res nunc non est, & immediatè antè hoc fuit. Vltimum instans esse rei dicitur illud, in quo verum est dicere. Hæc res modo est, & immediatè post, non erit.

Vltimum instans non esse rei dicitur illud, in quo verum est dicere. Hæc res modò non est, & immediatè post hoc erit.

Ex his, dico primo. Res permanentes incipere per primum instans sui esse, & desinere per primum sui non esse; propositionesquè confectas de rebus permanentibus, exponi per primum sui esse, & per primum sui non esse: Exemplum; Hæc. Petrus incipit esse: sic exponitur. Petrus nunc est, & immediatè ante hoc non fuit. Exemplum secundi. Petrus desinit esse: sic exponitur. Petrus nunc non est, & immediatè ante hoc fuit.

Dico secundo Res instantaneas incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse: vndè propositiones sic exponuntur. Mutatio incipit esse; idest, mutatio nunc est, & immediatè ante non fuit. Vel mutatio desinit esse; sic exponitur. Mutatio nunc est, & immediatè post hoc non erit.

Dico tertio Res successiuas incipere per vltimum non esse rei, & desinere per primum non esse rei: vndè propositiones sic exponuntur. Vt motus incipit esse; idest, motus nunc non est, & immediatè post hoc erit. Vel motus desinit esse: sic exponitur. Motus nunc non est, & immediatè ante hoc fuit. Pro nunc de his satis; quia adhuc in physicis redibit sermo.

De Propositione Infinita, Distributiua, & Excessiua.

CAPVT XI.

QVid sit infinitum, & quod dupliciter consideretur, scilicet cathegorematicè, & sincathegorematicè, visum est superiùs, in cap. de Distributione. Modò videndum est, quomodo conficiantur, & exponantur propositiones de infinito.

Dico igitur primo propositionem de infinito in virtute, vel in quantitate, exponi debere per vnam copulatiuam continentem duas cathegoricas; quarum prior sit affirmatiua, posterior negatiua: vt ista. Deus est infinitus: exponitur sic. Deus est magnus secundum virtutem, & magnitudinis eius non est finis; ergo est infinitus. Vel ista. Linea est infinita: sic exponitur. Linea est longa, & longitudinis eius non est terminus; ergo est infinita. Vel ista. Numerus est infinitus: sic exponitur. Numerus est multus, & multitudinis eius nō est terminus; ergo est infinitus.

Dico secundo Propositiones de infinito sincathegorematico, exponi per vnam copulatiuam, in cuius priori parte affirmetur certa quantitas indeterminata, & in posteriori negetur prædicatum inesse subiecto, secundum talem quantitatem: vt ista. Infiniti homines currunt: sic exponitur. Multi homines currunt, & non tot, quin plures, & plures; ergo infiniti homines currunt. Et hoc modo exponi possunt omnes propositiones de infinito sincathegorematico.

Propositio distributiua, non accipitur in tota sua latitudine, sed tantum prout restringitur ad illas, quæ conficiuntur ex toto, & partibus, siuè qualitatiuis, siuè quantitatiuis.

Propositiones igitur huiusmodi, exponuntur per vnā cathegoricā de eodem subiecto, & prędicato, distribuendo totum pro qualibet parte integrali: vt ista. Totus Petrus est albus: sic exponitur Petrus

E est

est albus, secundum quamlibet partem. Et sic de alijs; siuè sint affirmatiuæ, siuè negatiuæ.

Propositio excessiua est, in qua ponitur dictio importans excessum; cuiusmodi sunt dictiones comparatiuæ, & superlatiuæ, aut æquiualentes. Vt Petrus est sanctior alijs. Et Tullius est doctissimus omnium.

Comparatiua sunt in duplici differentia; quædam dicuntur comparatiua propriè: & sunt illa, quæ habent formam, in qua fit comparatio. Vt Petrus est sanctior Paulo. Datur enim forma sanctitatis, in qua comparantur Petrus, & Paulus. Quædam verò dicuntur comparatiua abusiuè; quia nullam habent formam, secundum quam comparentur. Vt Angelus est sanctior Diabolo. Siquidem sanctitas, quæ reperitur in Angelo, repugnat Diabolo.

Propositio comparatiua propriè, exponitur per copulatiuam de tribus cathegoricis; quarum prima affirmat prædicatum de re excedente; secunda affirmat idem de re excessa; & tertia ponit excessum in excedente, super re excessa: vt ista. Petrus est sanctior Paulo: sic exponitur. Petrus est sanctus, & Paulus est sanctus; & Petrus est sanctior Paulo.

Propositio autem exponibilis superlatiua, exponitur pariter per tres cathegoricas; quarum prima affirmat formam positiuam de excedente: secunda affirmat de excesso; & tertia explicat excessum excedentis super re excessa. Vt Hæctor est fortissimus omnium Ducum: sic exponitur. Hæctor est fortis, & omnes Duces sunt fortes; sed Hæctor est fortissimus; idest, nullus Dux est fortis, sicut Hæctor.

Possent exponi etiam propositiones negatiuæ eodem modo, sed valdè impropriè; quia negari videtur forma, in qua fit excessus, vel comparatio ab vtroque, scilicet excedente, & excesso: quod fieri non debet; vt patet in hac. Rosa non est pulcherior Lilio; idest Rosa nõ est pulchra, & Lilium non est pulchrum. Quod videtur satis ineptè dictum; quia pulchritudo reperitur in vtroquè.

De Propositione Distinctiua.

CAPVT XII.

Propositio exponibilis distinctiua est illa, in qua ponitur aliquod verbum, vel sincathegorema denotans distinctionem prædicati à subiecto; cuiusmodi sunt; differt, aliud, ab illo, & æquiualentia. Vt Petrus differt ab æquo. Et substantia, est aliud ens ab accidente. Vnde.

Dico primo. Si propositio exponibilis distinctiua, sit affirmatiua, exponitur per vnam copulatiuam ex tribus cathegoricis confectam; quarum prima affirmat esse de subiecto; secunda affirmat esse de prædicato; & tertia negat prædicatum à subiecto: vt ista. Homo differt ab æquo: sic exponitur Homo est, & Æquus est; & Homo non est Æquus; ergo differt ab æquo. Ex quo sequitur, quod ista distinctiua, differt, aliud ab, implicitè important negationem vnius ab alio; licet sint sincathegoremata affirmatiua: & ideò ad expositionem, requiritur tertia exponens negatiua.

Dico secundo si talis distinctiua sit nenegatiua, exponitur per vnam disiunctiuam habentem tres cathegoricas contradicentes: vt ista Petrus non differt à Paulo: sic exponitur. Petrus non est, vel Paulus non est; vel Petrus est Paulus. Et hæc expositio est vera; quia ad veritatem disiunctiuæ, sufficit alteram partem esse veram. Et hæc de Propositionibus Exponibilibus, ac de secundo Tractatu, dicta sufficiant. Qui plura cupit, consulat textum Petri Hispani, & ad satietatem, ni dicam nauseam, vsquè habebit: nostrum enim est, tantum necessaria præbere.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

De Syllogiſmis diſſerens.

De Syllogiſmo ſimpliciter, & reliquis Argumentationis Speciebus.

SECTIO I.

Eclaratis in duobus precedentibus Tractatibus, ſyllogiſmi partibus; tùm propinquis, tùm remotis; quę ſunt termini, & propoſitiones; in pręſenti; de ſyllogiſmo in communi, ſeù ſimpliciter, nobis diſſerendum eſt; tradendo modum diſcernendi notum ab ignoto, & verum à falſo, mediante argumentatione. Cęterum, quia argumentatio eſt quoddam commune ad ſyllogiſmum. Inductionem, Enthimema, & exemplum, idcircò primùm de Argumentatione, deindè de ſpeciebus eiuſdem, erit nobis ſermo.

De Argumento, & argumentatione.

CAPVT I.

ARgumentum eſt ratio, rei dubiæ faciens fidem; ideſt medium inferens, & probans concluſionem. Vndè ratio ſumitur ſex modus. Primo modo accipitur pro definitione, vt dictum eſt in diffinitione vniuocorum, ſcilicet vniuoca dicuntur, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantię, ideſt definitio, eſt eadem. Secundo modo ſumitur pro intellectu, qui eſt potentia rationalis. Tertio pro oratione, ſeù locutione aliquid oſtendente. Sicut in diſputationibus ſolemus dicere: hæc eſt mea ratio. Quarto pro forma alicuius rei. Sicut in cultello, ferrum eſt materia; illa verò diſpoſitio materiæ, dicitur forma, ſeù ratio cultelli. Quinto pro eſſentia communi, prædicabili de pluribus: vt humanitas, de omnibus hominibus. Sexto tamdem, pro medio Inferente, & probante concluſionem. Et ſic ſumitur in definitione argumenti, dum dicitur. Argumentum eſt ratio, rei dubiæ faciens fidem, ideſt medium certificans concluſionem, quæ prius erat dubia.

Medium verò eſt id, quod habet duo extrema; vt exempli gratia, in hoc argumento. Omnis homo eſt animal; Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt animal. Ly homo, eſt medium; quia mediat inter animal, & Petrum, eiuſdem extrema.

Argumentatio autem, eſt argumenti per orationem explicatio; vt inquit Boetius in Thopicis. Ex quibus ſequitur differentiam inter argumentum, medium, & argumentationem. Na in eadem oratione, hæc tria reperiuntur; exempli gratia Omne animal eſt ſubſtantia; omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Illæ duæ primæ propoſitiones, ſcilicet omne animal eſt ſubſtantia, & omnis homo eſt animal, dicuntur argumentū; quia habent vim probandi, ſeù certificandi illam concluſionem; omnis homo eſt ſubſtantia. Ly animal verò, medians inter hominem, & ſubſtantiam dicitur medium; quia mediat inter duo extrema. Tota autem oratio, compoſita ex illis dnabus propoſitionibus, & concluſione dicitur argumentatio; in qua manifeſtatur vis argumenti, inferendo illam concluſionem. Argumentationis verò ſpecies, ſunt quatuor, ſcilicet Syllogiſmus, Inductio, Enthimema, & Exemplum; de quibus per ordnem agemus; & primùm de ſyllogiſmo, vtpotè perfectiori; ad ipſum namquè, cæteræ reducuntur, vt ad ſuam perfectionem.

De Syllogiſmo, & eius partibus, tàm materialibus, quàm regulatiuis.

CAPVT II.

PArtes materiales ſyllogiſmi ſunt duæ, ſcilicet termini, & propoſitiones; hæ propinquæ, & illi remotæ: de quibus ſatis egimus in ſuperioribus. Partes etiam regulatiuæ, ſeù formales, quæ dant eſſe ſyllogiſmo perfectum, vt inficiari non poſſit Reſpondente, ſunt duæ, ſcilicet Dici de omni, & Dici de nullo.

Dici de omni est, quando nihil est sumere sub subiecto, de quo non dicatur prædicatum. Exempli gratia, hæc propositio. Omnem animal est substantia. Regulatur per dici de omni; quia nihil est sumere sub animali, de quo non dicatur substantia: valet enim arguere. Omne animal est substantia; sed homo est animal; ergo Homo est substantia; sed Leo est animal; ergo Leo est substantia; sed equus est animal; ergo æquus est substantia. Et sic discurrendo per cætera animalia, infertur de quolibet, quod sit substantia; quia de quolibet dicitur animal.

Dici de nullo est, quando nihil est sumere sub subiecto, à quo non remoueatur prædicatum: vt si hæc sit vera. Nullus homo currit. Cum cursus remoueatur ab homine, vt prædicatum à subiecto, habet etiam remoueri à quocunquè homine, sic dicendo. Nullus homo currit; sed Petrus est homo; ergo Petrus non currit: sed Antonius est homo; ergo Antonius non currit &c.

Dici autem de omni, sicut, & dici de nullo, est duplex, scilicet Prioristicum, & Posterioristicum. Dici de omni Prioristicum est, quando nihil est sumere subiecto, subiecto, de quo non dicatur prædicatum, siuè verè, siuè falsè. Vt omnis homo est doctus. Ly doctus, non conuenit homini necessariò, vt inferendum sit de necessitate, omnem hominem esse doctum. Et per oppositum, Dici de nullo Prioristicum est, quando nihil est sumere sub subiecto, à quo non remoueatur prædicatum, siuè verè, siuè falsè: vt dicendo. Nullus homo est doctus. Tunc, doctrina remouetur ab omni homine, itaut nullus inueniatur homo, qui sit doctus; cum tamen sit falsum; quia sunt multi homines docti.

Dici verò de omni Posterioristicum est, quando nihil est sumere sub subiecto, de quo non dicatur prædicatum verè. Vt omnis homo est animal. Regulatur per dici de omni Posterioristico; Quia prædicatum, animal, necessario conuenit homini, & consequenter omni homini. Dici verò de nullo Posterioristicum est, quando nihil est sumere sub subiecto, à quo non remoueatur prædicatum verè: vt si ab homine remoueatur esse lapidis; quia hæc est vera. Homo non est lapis; remouebitur etiam ab omni homine; quia nullus homo est lapis. Vnde sequitur, quod omnes syllogismi constituti ex propositionibus de materia naturali, vel remota, regulantur per dici de omni, & dici de nullo Posterioristico. Omnes verò syllogismi confecti ex propositionibus de materia contingenti, habent regulari per dici de omni, & dici de nullo Prioristico.

Ex his subiungitur, quid sit syllogismus in communi sumptus. Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, necesse est aliud accidere per ea, quæ posita sunt. Quę diffinitio est sic intelligenda. Syllogismus est secunda intentio attributa orationi hipothetica rationali, vel conditionali; in qua positis duabus propositionibus cathegoricis, necesse est ex illis conclusionem sequi. Vt omne animal est substantia; omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Nam primę propositiones dicuntur syllogismus; tertia verò ex illis illata, appellatur conclusio.

Omnis autem syllogismus constat ex tribus terminis, & duabus propositionibus, ex illis confectis; quarum prior dicitur maior, posterior minor. Termini verò sunt, maior extremitas, minor extremitas, & medium. Maior extremitas, est terminus sumptus in maiori propositione cum medio. Minor extremitas, est terminus sumptus in minori propositione cum medio. Medium verò, est terminus bis sumptus ante conclusionem, nec eam ingrediens. Quæ omnia, sunt clara in allato exemplo. Nam hæc: omne animal est substantia: est maior propositio: hæc verò: omnis homo est animal: dicitur minor propositio. Ille terminus, substantia, in maiori, dicitur maior extremitas; alter terminus, homo, in minori, dicitur minor extremitas; & ille terminus, animal, sumptus in maiori, & repetitus in minori, dicitur medium; quod nequit ingredi illā propositionem; ergo omnis homo est subiecto, quæ appellatur conclusio.

Conclusio autem, est argumento, vel argumentis probata propositio. In qua diffinitione ponitur, ly argumento, vel argumentis; ad denotandum quod vna, & eadem conclusio potest vnico, vel pluribus argumentis probari; vt in praxi videbimus, Deo dante.

Syllogismus

Syllogismus autem, est duplex, scilicet Cathegoricus, & Hipothericus. Cathegoricus est ille, qui constat ex propositionibus cathegoricis. Vt omnis homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est animal. Hipotheticus, qui constat ex propositionibus hipotheticis ambabus; vel saltem ex vna cathegorica, & altera hipothetica; vt hic. Si omnis homo currit, omnis homo mouetur; sed omnis homo currit; ergo omnis homo mouetur.

Syllogismus verò cathegoricus est duplex, scilicet communis, & expositorius. Communis est ille, cuius medium est terminus communis; vt hic omnis homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est animal. Expositorius verò est ille, cuius medium est terminus singularis; vt iste. Petrus est Doctor; Petrus est homo; ergo homo est Doctor. De omnibus erit sermo, sed prius de cathegorico, quàm de hipothetico; propositiones enim cathegoricæ, ex quibus ille coalescit, sunt priores hipoteticis, ex quibus formatur iste. Similiter, prius de communi, quam de expositorio agendum nobis est; commune enim præfertur particulari.

De Formatione Syllogismi in modo, & Figura.

CAPVT III.

AD bonum syllogismum conficiendũ, nedum requiruntur tres termini, & duæ propositiones; verùm etiam, vt huiusmodi disponantur in modo, & figura; quia ex his, sicut apparet diuersitas illationum, ita elucescit veritas, quæ attenditur ex discursu syllogistico.

Figura igitur, est ordinatio trium terminorum, secundum subiectionem, & prædicationem. Quia aliquando medium subijcitur in maiori, & prædicatur in minori; & sic habetur prima figura. Aliquando verò prædicatur in vtraquè; & sic constituitur secunda figura. Et interdum subijcitur in vtraquè; & sic conficitur tertia figura: nàm ex diuersa habitudine medij ad extremitates, insurgit diuersitas figurarum. Cum igitur tantum tribus modis varietur huiusmodi habitudo, hinc sequitur dari duntaxat tres figuras, in quibus possit confici diuersitas syllogismorũ.

Ex his habetur diffinitio vniuscuiusquè figuræ, prout traduntur, ex Aristotele, ab Auctore, dicendo. Prima figura est, in qua medium subijcitur in maiori, & prædicatur in minori propositione. Vt omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia.

Secunda Figura est, in qua mediũ prędicatur in vtraquè propositione. Vt omnis homo est animal; nullus lapis est animal; ergò nullus lapis est homo.

Tertia Figura est, in qua medium subijcitur in vtraquè propositione. Vt omnis homo est animal; omnis homo est substantia; ergò quædam substantia est animal. Vndè ad maiorem expræssionem, ponitur sequens versus, in quo omnes cõtinentur. *Sub, præ, prima, secunda præ bis: tertia, bis sub.*

Modus, est ordinatio duarum propositionum, scilicet maioris, & minoris, in debita quantitate, & qualitate. Vndè debita quantitas est, quod sint vel vniuersales, vel particulares; vel vna vniuersalis, vel altera particularis. Debita qualitas consistit, vt si vna sit affirmatiua, altera sit negatiua; vel ambæ affirmatiuæ. Et huiusmodi quantitas, & qualitas denotetur per quatuor vocales, A E I O, positas in dictionibus modorum, vt in sequenti videbimus. A enim denotat propositionem vniuersalem affirmatiuam, E, vniuersalem negatiuam, I, particularem affirmatiuam, & O, particularem negatiuam. Vnde modus Barbara, cum in ipso ter replicetur littera, A, habet confici ex tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis. Celarent verò, ex duabus vniuersalibus negatiuis designatis in duplici, E, & vna vniuersali affirmatiua, denotata per A, Et sic potest exemplificari in reliquis modis trium figurarum. Ordo tamen disponendi tales propositiones, consistit in hoc, vt prima vocalis indicet maiorem; secunda minorem propositionem; & tertia conclusionem; cum hac aduertentia; quod si plures tribus inueniantur, tales erunt superfluæ, quoad propositum spectat. Modi autem conficiendi syllogismum in his tribus Figuris, sunt decem, & nouem, scilicet *Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, (Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.) Cæsare, Camestres, Festino,*

no, Baroco. Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.) Quorum primi nouem, pertinent ad primam Figurã; reliqui quatuor sequentes, ad secundam; & cæteri sex, ad tertiam spectant; vt in proprijs locis videbimus. Cæterum, vt tales dispositiones, tùm terminorum in Figuris, tùm propositionum in prędictis modis, rectè ordinentur obseruandæ sunt quædam Regulæ generales.

De Regulis Generalibus, bonitatem syllogismorum concernentibus in communi.

CAPVT IIII.

PRima Regula. Ex puris particularibus, indefinitis, & singularibus nihil sequitur, in qualibet Figura; sed requiritur, vt altera propositionum dispositarum in modo, sit vniuersalis; alioquin ex veris, sequeretur falsum; vt patet in hoc exemplo. Quoddam animal est equus; sed homo est quoddam animal; ergò quidam homo est equus. Quod est omninò falsum.

Secunda Regula. Ex puris negatiuis, nihil sequitur in quauis Figura; sed oportet, alteram præmissarum esse affirmatiuam; aliter ex veris sequeretur falsum; vt patet in sequenti exemplo. Nullus homo est lapis; sed adamas non est homo; ergò adamas non est lapis. Quod est falsum. Vel sic in secunda. Nullus homo est lapis; sed Petrus non est lapis; ergò Petrus non est homo. Quod pariter est falsum. Vel sic in tertia. Nullus lapis est animal; quidam lapis non est homo; ergò quidam homo nō est animal. Quod est omninò absurdum.

Tertia Regula. Si aliqua præmissarum fuerit particularis, vel negatiua, conclusio erit particularis, vel negatiua, & non è conuersò. Idest si conclusio fuerit particularis, quod altera præmissarum debeat esse particularis. Ratio primæ partis Regulæ est; quia conclusio semper sequitur debiliorem partem; atqui inter præmissas, particularis, aut negatiua, sunt debiliores vniuersali, & affirmatiua; igitur si vna fuerit particularis, vel negatiua, talis pariter euadet conclusio inferenda. Ratio secundæ partis Regulæ est; quia tertia figura habet duos modos, scilicet Darapti, & Felapton, in quibus maior, & minor sunt vniuersales, conclusiones verò particulares, vt suo loco erit manifestum.

Quarta Regula. Medium numquàm debet poni in conclusione; tùm quia medium debet vnire extremitates in præmissis; sed nequit sic vnire in conclusione; aliter tres termini ingrederentur conclusionem, quod est impossibile; siquidem propositio cathegorica, cuiusmodi est semper conclusio, est duobus contenta terminis, scilicet prædicato, & subiecto: tùm etiam, quia cum medium sit ratio, seù causa inferendi conclusionem, idem causaret se ipsum; quod est contra naturam causæ, vt suo loco videbimus. Præter has regulas generales, quælibet figura habet proprias, de quibus suis in locis.

De Prima Figura, & eius modis.

CAPVT V.

PRima Figura, in qua medium subijcitur in maiori, & prædicatur in minori propositione, nouem habet modos, scilicet Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, & Fisesomorum. Quorum primi quatuor concludunt directè, & reliqui quinquè, indirectè.

Concludere autem directè, est maiorem extremitatem prędicari de minori in conclusione. Vt omnis homo est animal; Petrus est homo; ergò Petrus est animal.

Concludere verò indirectè, est minorem extremitatem prædicari de maiori in conclusione. Vt omnis homo est animal; nullus lapis est homo; ergò nullum animal est lapis.

Vlterius. Prima Figura habet duas regulas particulares, quarum prima est. Maiore existente particulari, nihil sequitur directè; licet benè indirectè. Vt quoddam animal est irrationale; omnis homo est animal; ergò quidam homo est irrationalis; quod est falsum: & ratio est, quia medium debet esse terminus communis distribuibilis minori extremitati; at si propositio est particularis, etiam medium erit terminus particularis; sub quo non poterit fieri distributio; igitur dicendum est cum regula, vt maior in prima figura nō debeat esse particularis, sed vniuersalis.

Secunda

Secunda Regula. Minore existente negatiua, nihil sequitur; vt patet in sequenti syllogismo. Omne animal est substantia; nullus lapis est animal; ergo nullus lapis est substantia; quod est absurdum.

His præmissis, sequunturr modi; quorum primus est Barbara, qui constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore pariter vniuersali affirmatiua, vniuersalem affirmatiuam directè concludentibus.

BAR Omne animal est substantia,
BA Omnis homo est animal; ergò
RA. Omnis homo est substantia.

Colarent secundus modus, constat ex maiore vniuersali negatiua, minore vniuersali affirmatiua, vniuersalem negatiuam directè concludentibus.

CE Nullum animal est lapis,
LA Omnis homo est animal; ergo
RENT. Nullus homo est lapis.

Darij tertius modus, constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore particulari affirmatiua, particularem affirmatiuam directè concludentibus: vt

DA Omne animal est substantia,
RI Quidam homo est animal; ergo
I. Quidam homo est substantia.

Ferio quartus modus, constat ex maiori vniuersali negatiua, minore particulari affirmatiua, particularem negatiuam directè cocludentibus; vt

FE Nullum animal est lapis,
RI Quidam homo est animal; ergò
O. Quidam homo non est lapis.

Ad hos quatuor modos habent reduci omnes alij quindecim, cum sint cæteris perfectiores; qui ppèqui regulantur per dici de omni, & dici de nullo; vt discurrenti patebit.

Baralipton quintus modus, cōstat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore vniuersali affirmatiua, particularem affirmatiuam indirectè concludentibus.

BA Omne animal est substantia,
RA Omnis homo est animal, ergò
LI. Quædam substantia est homo.

Celantes sextus modus, constat ex maiore vniuersali negatiua, minore vniuersali affirmatiua, vniuersalem negatiuam indirectè concludentibus: vt

CE Nullum animal est lapis,
LAN Omnis homo est animal; ergò
TES. Nullus lapis est homo.

Dabitis septimus modus, constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore particulari affirmatiua, particularem affirmatiuam indirectè concludentibus: vt

DA Omne animal est substantia,
BI Quidam homo est animal; ergò
TIS. Quædam substantia est homo.

Fapesmo octauus modus, constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore vniuersali negatiua, particularem negatiuam indirectè concludentibus: vt

FA Omne animal est substantia,
PES Nullus lapis est animal: ergò
MO Quædam substantia non est lapis.

Frisemorum nonus modus, constat ex maiore particulari affirmatiua, minore vniuersali negatiua, particularem negatiuam indirectè concludentibus: vt

FRI Quodam animal est substantia,
SE Nullus lapis est animal; ergò
SO. Quædam substantia non est lapis.

De Secunda Figura, & eius Modis.

CAPVT VI.

IVxtà ea, in qua medium prædicatur in vtraque propositione. Et in ipsa conficiuntur quatuor syllogismi, secundum quatuor modos in eadem enumerandos; scilicet Cesare, Camestres, Festino, & Baroco; qui tenent, virtute sequentium Regularum.

Prima Regula. In secunda Figura, maiore existente particulari, nihil sequitur. Quarè, maior semper debet esse vniuersalis; non enim sequitur. Quoddam animal est homo; nullus Asinus est homo; ergò quidam Asinus non est animal.

Secunda Regula. Ex puris affirmatiuis in secunda Figura, nihil sequitur; sed altera propositio debet esse negatiua: vnde nō sequitur. Omne animai est substantia; omnis lapis est substantia; ergo omnis lapis est animal.

Tertia Regula. In secunda Figura, conclusio semper debet esse negatiua: quæ sequitur ex secunda. Si enim necessarium est in secunda figura alteram præmissarum esse negatiuam, & conclusio erit negatiua; cum sequatur debiliorem partem.

Verùm, si tales Regulæ rectè perpendantur, non minus videntur falsæ, quàm

vere; cũ ex qualibet data, sequatur bona argumentatio. Prima siquidẽ valet; quia ista est bona argumentatio, maiore existente particulari. Quoddã animal est substantia; omnis homo est substantia; ergò quidã homo est animal. Secunda etiã non est bona; quia ex affirmatiuis sequitur verũ in secũda figura; Vt omnis homo est animal: Petrus est animal: ergò Petrus est homo. Tertia verò falsificatur ex falsitate secundæ sicut esset vera, si illa veritatem haberet.

Dicendum tamen, has instantias esse nullas, quia Regulæ accipiuntur coniunctim, nõ diuisim; itaut ad bonum syllogismum in secunda figura, obseruentur omnes. Instantiæ verò procedunt contra illas diuisim sũptas; vt patet. Vel dicendũ, instãtias factas teuere, ratione materiæ tantum; Regulas verò, respicere formam duntaxat.

Cæsare primus modus, constat ex maiore vniuersali negatiua, minore vniuersali affirmatiua, vniuersalem negatiuam directè concludentibus: vt

CE Nullus lapis est animal,
SA Omnis homo est animal; ergo
RE Nullus homo est lapis.

Camestres secundus modus constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore vniuersali negatiua, vniuersalem negatiuam directè concludentibus.

CA Omnis homo est animal,
MES Nullus lapis est animal: ergò
TRES Nullus lapis est homo.

Festino tertius modus, constat ex maiore vniuersali negatiua, minore particulari affirmatiua, particularem negatiuam directè concludentibus: vt

FE Nullus lapis est animal,
STI Quidam homo est animal; ergò
NO Quidam homo non est lapis.

Baroco quartus modus, constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore particulari negatiua, particularem negatiuam directè concludentibus: vt

BA Omnis homo est animal,
RO Quidam lapis non est animal; ergò
CO Quidam lapis non est homo,

De Tertia Figura, & eius Modis.
CAPVT VII.

TErtiam figuram esse illam, in qua mediũ subijcitur in vtraque propositione, superius capitulo tertio declaratum fuit. Nunc restat videre duas regulas sibi peculiares, & sex modos conficiendi syllogismum in eadem; qui sunt. Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

Prima Regula est talis. Minore existente negatiua, in tertia figura nihil sequitur; sed necessario exigitur, vt minor sit affirmatiua, vt patet inspicienti modos.

Secunda Regula. In tertia figura conclusio semper debet esse particularis; aliter ex veris sequeretur falsũ; vt patet in hoc exẽplo. Omnis homo est animal; sed omnis homo est substantia; ergò omnis substantia est animal: quod est falsũ; quia lignum, lapis, arbor &c. sunt substantiæ, & tamen nõ sũt animalia. His premissis, sequũtur modi

Darapti primus modus tertiæ figuræ, constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore vniuersali affirmatiua, particularem directè concludentibus; vt

DA Omnis homo est substantia,
RA Omnis homo est animal; ergò
PTI Quoddam animal est substantia.

Felapton secundus modus, constat ex maiore vniuersali negatiua, minore vniuersali affirmatiua, particularem negatiuam directè concludentibus; vt

FE Nullus homo est lapis,
LAP Omnis homo est substantia; ergò
TON Quædam substantia non est lapis.

Disamis tertius modus, constat ex maiore particulari affirmatiua, minore vniuersali affirmatiua, particularem affirmatiuam directè concludentibus; vt

DI Quidam homo est animal,
SA Omnis homo est substantia; ergò
MIS Quædam substantia est animal.

Datisi quartus modus, constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore particulari affirmatiua, particularem affirmatiuam directè concludentibus; vt

DA Omnis homo est substantia,
TI Quidam homo est animal; ergo
SI Quoddam animal est substantia.

Brocardo quintus modus, constat ex maiore particulari negatiua, minore vniuersali affirmatiua, particularem negatiuam directè concludentibus; vt

BRO Quidam homo non est lapis,
CAR Omnis homo est substantia; ergò
DO Quædam substantia non est lapis.

Ferison sextus modus, constat ex maiore vniuersali negatiua, minore particulari affirmatiua, particularem affirmatiuam directè concludentibus; vt

FE Nullus homo esr lapis,

RI

RI Quidam homo est animal; ergò
SON Quoddam animal non est lapis.

In omnibus his modis trium figurarum possunt fieri syllogismi, ex quibuscunquè terminis, tàm substantialibus, quàm accidentalibus; dummodò seruetur ordo figurarum, & modorum suprapositus.

De Reductione Modorum quindecim, ad quatuor priores Modos primæ Figuræ.

CAPVT VIII.

PRO intelligentia huiusmodi reductionis, notandum est primo, ex Aristotele libro primo Priorum cap. 10. syllogismum esse duplicem, scilicet perfectum, & imperfectum. Syllogismus perfectus est, qui nullius indiget, vt appareat necessarius. Et sic, se extendit tantum ad quatuor modos primæ figuræ, scilicet Barbara, Celarent, Darij, & Ferio. Quippèqui, cum regulentur per dici de omni, & dici de nullo, sunt ex se ità euidentes, vt nil dubij relinquatur, quin conclusio necessariò sequatur ex præmissis; vt patebit discurrendo per omnes. Syllogismus verò imperfectus dicitur ille, qui indiget aliqua euidentia, vt appareat necessarius; idest, vt conclusio sequatur euidenter ex præmissis. Et cōpræhendit sub se reliquos modos, præter enumeratos. Talis autem euidētia habet reducendo illos, vt imperfectos ad perfectos.

Secundo Notandum est; hanc reductionem posse fieri quatuor, scilicet per conuersionem alicuius propositionis, maioris, scilicet vel minoris, aut conclusionis, simpliciter, vel per accidens, vel per transpositionem præmissarum, aut per impossibile. Huiusmodi, aut modi reducendi, indicantur per quatuor consonantes, consultò appositas dictionibus Modorum reducibilium, scilicet S, P, M, C.

S. indicat propositionem præcedentem, conuertendam esse simpliciter P, per accidens. C, per impossibile, & M, significat fieri debere transpositionem premissarum, scilicet de maiore in minorē, & è conuersò; vt patet ex sequentibus versibus.

Simpliciter vult S. verti P. verò peracci.
M. vult transponi C. per impossibile duci.
Seruat maiorē, variatque secunda minorē.
Tertia maiorē variat, seruatque minorē.

Tertio Notandū est; syllogismos perfectos, ad quos alij reducendi sunt, incipere per has litteras B. C. D. F. vt denotetur, quod modus reducibilis, per B. incipiens, habeat reduci ad Barbara; & incipiens per C. ad Celarent; per D. ad Darij, & per F. ad Ferio; seruato ordine præscripto in præcedenti notabili.

His positis; Baralipton, quintus modus primæ Figuræ, reducitur ad Barbara, cum incipiat per B. conclusione conuersa per accidens; idest, mutato subiecto in prædicatum, & prædicato in subiectum, manente eadem qualitate, sed mutata quantitate; quia ei postponitur littera P. Vt omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergò omnis homo est substantia; quæ priùs erat. Quædā substantia est homo.

Celantes, sextus modus primæ figuræ, reducitur ad Celarent, cōclusione cōuersa simpliciter; quia immediatè ei postponitur littera S. Vt nullum animal est lapis; omnis homo est animal; ergò nullus homo est lapis; quæ prius erat. Nullus lapis est homo.

Dabitis septimus modus eiusdem Figuræ, reducitur ad Darij, conclusione conuersa simpliciter, ob eamdem rationem. Vt omne animal est substātia; quidā homo est animal; ergò quidā homo est substātia: quæ prius erat. Quædam substantia est homo.

Fapesmo, reducitur ad Ferio, maiore cōuersa per accidens, & minore simpliciter, & per transpositionem præmissarum; quia vltra P. & S. ponitur M. Vt omnis homo est animal; nullus lapis est homo; ergò quoddam animal non est lapis; sic reducitur. Nullus homo est lapis; quoddā animal est homo; ergò quoddā animal nō est lapis.

Frisemorum, nonus modus, reducitur ad Ferio, maiore, & minore conuersis simpliciter, & per transpositionem præmissarū, manente sola conclusione immutata. Vt nullum animal est lapis; quædā est animal; ergò quædam substantia non est lapis; cum tamen prius diceret. Quoddam animal est substantia: nullus lapis est animal; ergò quædam substantia non est lapis.

Cæsare, decimus modus secundæ Figuræ, reducitur ad Celarent, maiore conuersa simpliciter. Vt nullū animal est lapis (quę tamē erat; nullus lapis est animal) omnis homo est animal; ergò nullus homo est lapis.

Camestres, reducitur ad Celarēt, minore, & conclusione conuersis simpliciter, & per transpositionem pręmissarum. Vt nullum animal est lapis: omnis homo est animal: ergò nullus homo est lapis: qui prius erat. Omnis homo est animal: nullus lapis est animal: ergò nullus lapis est homo.

Festino,

Festino, reducitur ad Ferio, maiore cõuersa simpliciter. Vt nullum animal est lapis (quæ prius dicebat; nullus lapis est animal) quidam homo est animal; ergò quidam homo non est lapis.

Baroco, reducitur ad Barbara, per impossibile. Reducere autem per impossibile, est accipere oppositum contradictoriũ conclusionis cum altera præmissarum, scilicet maiore, ad inferendum oppositum contradictorium minoris. Exempli gratia; Si hæc fuerit conclusio. Quidam homo non est lapis. Debet fieri vniuersalis affirmatiua, scilicet: Omnis homo est lapis: quæ est sua contradictoria. Et similiter si hæc esset minor. Quidam lapis non est animal; deberet fieri vniuersalis affirmatiua, scilicet; Omnis lapis est animal: quæ est sua contradictoria. Vndè syllogismus in Baroco est huiusmodi. Omnis homo est animal; quidam lapis non est animal; ergò quidam lapis non est homo. Qui reducitur ad Barbara sic. Omnis homo est animal; omnis lapis est homo; ergò omnis lapis est animal.

Darapti, primus modus tertiæ Figuræ, reducitur ad Darij, minore conuersa per accidens. Vt omnis homo est substantia; quoddam animal est homo(quę prius erat: omnis homo est animal) ergò quoddam animal est substantia.

Felapton, reducitur ad Ferio, minore conuersa per accidens. Vt nullum animal est lapis; quædam substantia est animal, (quæ prius erat: omne animal est substantia) ergò quædam substantia non est lapis.

Disamis, reducitur ad Darij, maiore, & conclusio ne conuersis simpliciter, & per transpositionẽ premissarum. Vndè syllogismus in Disamis, est huiusmodi. Quidam homo est substantia; omnis homo est animal; ergò quoddam animal est substantia: qui sic reducitur. Omnis homo est animal; quædam substantia est homo; ergò quædã substantia est animal.

Datisi, reducitur ad Darij, minore conuersa simpliciter. Vt omne animal est substantia; quidam homo est animal (quæ prius erat: quoddam animal est homo) ergò quidam homo est substantia.

Brocardo, reducitur ad Barbara per impossibile, sumendo oppositum contradictorium conclusionis pro maiori, seruata minore, ad inferendum oppositum contradictorium maioris; vndè syllogismus est huiusmodi. Quidam homo non est lapis; omnis homo est animal; ergò quoddam animal non est lapis: qui sic reducitur. Omne animal est lapis; omnis homo est animal; ergò omnis homo est lapis.

Ferison, vltimus modus, reducitur ad Ferio, minore conuersa simpliciter. Vt nullus homo est lapis; quoddam animal est homo; ergò quoddam animal non est lapis: minor autem de Ferison prius erat. Quidam homo est animal; quæ per conuersionem simplicem fit hæc. Quoddam animal est homo. Et hæc de syllogismo communi, quo ad eius formationem, & reductionem, dicta sint satis.

De Syllogismo Expositorio, seu particulari.

CAPVT IX.

DVplicem syllogismum cathegoricum agnouimus superius capitulo secundo, scilicet communem; de quo vsque modo egimus; & expositorium, de quo in præsenti dicendum est. Dicitur autem syllogismus expositorius, quia præmissæ singulares, ex quibus constat, sunt veluti quædam exponentes propositionum syllogismi communis: Nàm, si dicatur. Omnis homo currit. Statim exponitur per has singulares; sed Petrus est homo, & Petrus currit; sed Paulus est homo, & Paulus currit &c.

Diffinitur autem sic, communiter ab omnibus. Syllogismus expositorius est ille, cuius medium est singulare, singulariter, & vniuocè tentum.

Pro cuius intelligentia, ad mentem reuocare debemus, quid sit terminus singularis, seù discretus; quia nimirum de vno solo dicitur. Hunc autem esse duplicem, scilicet limitatum, & illimitatum, aduertendum est. Limitatus est, qui significat vnam rem singularem; ità quod, sine noua impositione, nequit aliam significare. Vt Petrus, ità repræsentat rem, quæ est Petrus, vt nequeat sine noua impositione importare rem, quæ dicitur Paulus. Illimitatus verò dicitur ille, qui licet significet vnam rem singularem, non tamen vt in vno solo, sed vt in pluribus distinctis realem existentem. Vt essentia Diuina, licet sit vna numero, & singularis tamen

tamen est illimitata ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Syllogismus expositorius, exposcit singulare limitatum pro medio, excludit illimitatum, vt sit bonus.

Secundo Notandum, quod tres conditiones requiruntur ad bonum syllogismũ expositorium. Prima, quod medium sit singulare, limitatum, singulariter, & vniucè tentum: defectu cuius non sequitur. Hæc essentia diuina est Pater; hæc essentia Diuina est Filius; ergò Filius est Pater. Secunda conditio, quod medium, vel in maiori, vel in minori, sit totale extremũ: quare non sequitur. Iste homo, vel asinus, est asinus; iste homo, vel asinus, est homo; ergò homo est asinus. Quia est fallacia; vt videbimus suo loco. Tertia, quod à præmissa affirmatiua, in qua ponitur terminus singularis, sequatur vna de omni; & à negatiua, vna de nullo: defectu cuius non sequitur. Hæc essentia Diuina est Pater; hæc essentia Diuina est Filius; ergò Filius est Pater. Quia ab hac propositione affirmatiua: hæc essentia Diuina est Pater: nõ sequitur ũna de omni; cum hæc sit falsa: omnis essentia Diuina est Pater: quia est, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Tertio Notandum est, duplicem esse syllogismum expositorium, scilicet affirmatiuum; qui ex affirmatiuis propositionibus constat; & negatiuum; qui ex negatiuis conficitur: exemplũ prioris. Franciscus est homo; & Franciscus est animal; ergo homo est animal: exemplum secundi. Nullus lapis est Petrus; quoddam animal est Petrus; ergò quoddam animal non est lapis.

Quarto Notandum est hunc syllogismũ dupliciter considerari posse, scilicet propriè, & impropriè. Expositorius propriè dictus est, cui conueniunt tres conditiones assignatæ. Et sic, nequit fieri in prima, & secunda figura, sed solum in tertia; cũ in ipsa tantum ambæ præmissæ possint fieri singulares. Expositorius autem impropriè acceptus est ille, cui deficit tertia conditio, scilicet, quod ambæ præmissæ sint singulares; & sufficit, vt medium sit singulare, singulariter, & vniucè tentũ. Et sic, potest fieri in omnibus figuris, sicut, & communis; cum hac tamen differentia, vt in expositorio non seruetur modus, sed tantum figura.

Ex his, ponuntur duo principia regulatiua syllogismi expositorij; alterum affirmatiuum pro affirmatiuo, & negatiuum alterum pro negatiuo.

Principium affirmatiuum. Quęcunquẽ sunt eadem vni tertio, illa sunt eadem etiã inter se. Iuxtà quod, fieri possunt syllogismi in prima, & tertia figura. Exemplum primum. Iste homo est substantia; quoddam animal est hic homo; ergò quoddam animal est substantia. Exemplum secundũ Antonius est animal; Antonius est homo; ergò homo est animal.

Principium negatiuum. Quęcunque repugnant vni tertio, repugnant etiam inter se. Ex quo, licet sic arguere in qualibet figura. Exemplum primæ. Hic lapis non est homo; & adamas non est hic lapis; ergò adamas non est homo. Exemplum secundæ. Quædam arbor non est Petrus; & quidã homo est Petrus; ergò quidam homo non est quædam arbor. Exemplum tertiæ Petrus est homo; & Petrus non est lapis; ergò lapis non est homo. Et hæc de syllogismo expositorio; qui est necessarius tantum in Theologia, in materia de Trinitate.

De Syllogismo Hypothetico.

CAPVT X.

SYllogismum hypotheticum, diximus capite secundo huius sectionis, fieri ex ambabus propositionibus hypotheticis; vel saltem ex vna hypothetica, & altera cathegorica. Vt si homo currit, homo mouetur; sed homo non currit; ergò non mouetur. Vel Petrus est homo, & substantia; sed asinus non est homo; ergò non est Petrus. Et huiusmodi syllogismi fieri possunt in quauis figura, cum hac tamen differentia à cathegoricis; vt in hipotheticis maior, vel minor sint propositiones hipotheticæ; in cathegoricis verò, tantũ cathegoricę. Cęterum, quia huiusmodi syllogismi non sunt in vsu apud scholasticos, propterea consultò illos omittimus, subijciendo ipsorum loco, modos arguendi in propositionibus hipotheticis, qui sunt vsitatiores, nè ab instituto aberrantes, impleamus paginas absquè necessitate. Vndè quamuis sex sint propositiones hipotheticæ, & in qualibet possint sumi argumenta proportionabiliter ad alias; nihilominus tantum de tribus, vtpotè præcipuis, erit nobis sermo.

De

De Modis arguendi in Conditionali.

CAPVT XI.

QVatuor modis possumus arguere in propositione cōditionali; sed in duobus primis duntaxat, est consequentia formalis.

Primo, In tota conditionali, à positione antecedentis ad positionem cōsequentis, est bona consequentia. Vt si homo est, animal est; sed homo est; ergò animal est. Vndè ponere antecedens, vel consequens, est ipsum accipere pro maiori, vel minori, eodem modo, quo prius accipiebatur; vt patet in exemplo allato. Si homo est, animal est. Vbi, ly si homo est, quod est antecedens, sumitur in minori eodem modo, dicendo; sed homo est. Et similiter, ly animal est, quod est consequens ad illud, si homo est: eodem modo accipitur in conclusione, ergò animal est.

Secundo A, destructione consequentis, ad destructionem antecedentis, est bona consequentia. Vt si homo currit, animal currit: sed nullum animal currit: ergò nullus homo currit. Vndè destruere antecedens, vel consequens, est accipere eius cōtradictorium pro minori, vel conclusione: vt patet in exemplo allato: nam, contradictorium huius, animal currit: quod erat consequens, est istud: nullum animal currit: & contradictorium huius antecedentis: si homo currit; est hoc: nullus homo currit; quod est conclusio.

Secundo A, destructione antecedentis, ad destructionem consequentis, non valet consequentia. Vt si homo currit, animal currit; sed nullus homo currit: ergò nullū animal currit: non valet; quia Asinus, & Equus, qui sunt animalia, possunt currere, nullo homine currente.

Quarto A, positione consequentis, ad positionem antecedentis, non valet consequentia. Vt si homo currit, animal currit; sed animal currit: ergò homo currit; non sequitur, quia potest esse Asinus, vel Equus; cum, & ipsi, sint animalia.

De Modis arguendi in Copulatiua.

CAPVT XII.

DVo tantum sunt modi arguendi à copulatiua; in quorum primo, valet cōsequentia, sed non in secundo, vt sequitur.

Primo à tota copulatiua ad quamlibet eius partem, valet consequentia. Vt Petrus currit, & Antonius disputat; ergò Petrus currit, vel Antonius disputat.

Secundo ab altera parte copulatiuæ ad totam copulatiuam, non valet consequentia. Vt Petrus est homo; ergò Petrus est homo, & Paulus disputat. Et ratio vtriusquè est in promptu; quia totum complectitur omnes eius partes; ideò à tota copulatiua ad quamlibet eius partem, tenet cōsequentia. Cæterùm, quia vna pars non continet totum, ideò ab vna parte copulatiuæ, ad totam, non sequitur consequentia necessaria, licet benè possibilis in materia contingenti; vt patet in exemplo prædicto; quia potest esse, quod Paulus disputat, dùm Petrus est homo.

De Modis arguendi in Disiunctiua.

CAPVT XIII.

IN propositione Hypothetica disciunctiua, possunt sumi duo modi arguendi, & ambo veri.

Primo Arguendo ab vna parte disiunctiuę, ad totam disiunctiuam, valet consequentia. Vt Franciscus est homo; ergò Franciscus est homo, vel Antonius studet. Et ratio est; quia ad veritatem disiunctiuę, sufficit alteram partem esse veram.

Secundo à tota disiunctiua cum destructione vnius partis, ad positionem alterius, valet cōsequentia. Vt Petrus est homo, vel asinus; sed Petrus non est asinus; ergò est homo. Et hæc de syllogismo hypothetico.

De Inductione.

CAPVT XIV.

CVM in superioribus actum sit de prima specie argumentationis, scilicet de syllogismo, tàm cathegorico, quàm hypothetico; restat, vt aliqualiter tractemus de reliquis speciebus; quæ sunt tres, scilicet Inductio, Enthimema, & Exemplum.

Inductio igitur, est à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale progressio. Vt Petrus currit, Paulus currit, Antonius currir, & sic de alijs; ergò omnis homo currit.

Pro

Pro cuius diffinitionis explicatione primo notandum est, inductionem, & descensum opposito modo se habere. Nàm, inductio est processus ab omnibus singularibus sufficienter enumeratis, cum hac particula; & sic de alijs; vel non sunt plura, ad concludendum vniuersale. Vt Petrus est animal, Paulus est animal, & sic de alijs; ergò omnis homo est animal. Descensus verò, & processus ab vniuersali ad omnia singularia, cum hac particularia; & sic de alijs; vel non sunt plura. Vt omnis homo est substantia; ergò Petrus est substantia; Ioannes est substantia; & sic de alijs. Et notanter ponitur illa particula, & sic de alijs; quia cum vniuersale comprehendat sub se omnia singularia, quæ cum sint ferè infinita, & singillatim enumerari non possint, supplentur per illam particulam, & sic de alijs, vel per aliam; & non sunt plura; in quibus omnia virtualiter continentur.

Secundo Notandum est, quòd in diffinitione Inductionis, & Descensus, non accipitur singulare propriè; nimirum pro illo, quod de vno solo dicitur: sed impropriè, scilicet pro minus communi, ad concludendum magis commune, & vniuersale: & sic accipitur pro indiuiduis, ad concludendam speciem: pro speciebus, ad concludendum genus subalternum: pro genere, & specie subalterna, ad inferendum genus generalissimum. Exemplum primi. Vt Petrus currit, Paulus currit, & sic de alijs; ergo omnis homo currit. Exemplum secundi. Vt Homo currit, Leo currit, & sic de alijs; ergò omne animal currit. Exemplũ tertii. Corpus animatum est ens, corpus est ens, & sic de alijs; ergo omnis substantia est ens.

Ex his, diffinitio Inductionis sic explicatur Inductio est argumentatio à singularibus, seù minus communibus sufficienter enumeratis, cum hac particula, & sic de alijs, vel non sunt plura; ad concludendum vniuersale, vel magis commune procedens. Vt Petrus currit, Paulus currit, & sic de aljs; ergò omnis homo currit. Vel, homo est corpus animatum, Leo est corpus animatum, Asinus est corpus animatum, & sic de alijs: ergo omne animal est corpus animatum.

De Enthimemate.

CAPVT XV.

ENthimema est argumentatio breuis, in qua ex vna sola propositione, infertur festinata conclusio. Vt omnis homo est animal; ergo omnis homo est substãtia.

Pro cuius intelligentia notandum est primo Enthimema esse syllogismum imperfectum; quia in ipso ponuntur tres termini, & vna tantum propositio illatiua conclusionis. Qui tamen potest fieri perfectus, reducendo ipsum ad syllogismũ perfectum per additionem alterius præmissæ, quæ deficit.

Secundo Notandum est; quod ad cognoscendum, quænam propositio deficiat, maior, vel minor; obseruandum est, si subiectum antecedentis sit etiam subiectum consequentis; tunc deficit maior, debet confici ex prædicato antecedentis, & consequentis; vt patet in hoc exemplo. Omnis homo est animal; ergò omnis homo est substantia. Vbi ly homo, qui est subiectum antecedentis, est etiam subiectum consequentis; denotatquè deficere hanc maiorem, scilicet omne animal est substantia; conflatã ex prædicato antecedentis, & consequentis. Si verò prædicatum antecedentis, sit etiam prædicatum consequentis, tunc deficit minor, quæ habet confici ex subiecto antecedentis, & consequentis; vt patet in hoc exemplo. Omnis homo est animal; ergo Petrus est animal: cui deficit hæc minor: Petrus est homo: conflata ex subiecto antecedentis, & consequentis. Et hic ordo, est necessariò seruandus, ad cognoscendã euidentiam Enthimematicæ argumentationis: quę adeò est in vsu apud scholasticos, vt in disputationibus ferè semper eadem vtantur, tùm quia est cæteris pulchrior; tùm etiam, quia magis vrget, ac constringit respondentem.

De Exemplo.

CAPVT XVI.

EXemplum est argumentatis, in qua probatur vnũ particulare per aliud, ob aliquam similitudinem in ipsis repertũ. Vt Parisien-

Parisienses pugnare cōtra Rothomagenses malum est; ergo, & Turonenses pugnare contra Pictauienses malum erit. Quia vtriquè sunt affines; & affines pugnare contra affines, malum est.

Pro cuius explicatione notandum est primo particulare hic accipi impropriè, prout se extendit ad singulare, & indefinitum; nàm termini antecedentis, & consequentis, non semper sunt particulares, sed aliquando possunt esse indefiniti.

Secundo Notandum est; quod similitudo inter terminos antecedentis, & consequentis, ità necessariò requiritur, & vt sine ipsa fieri nequeat bona argumentatio ab exemplo; vt patet in hoc. Parisienses sunt diuites; ergo & Veneti. Consequentia non valeret, nisi ostenderetur similitudo, in qua fundatur causa diuitiarum; vt quia nimirum ambo habent Portum Maris, quo redduntur diuites. Vndè fit, vt talis similitudo sit exprimenda in terminis antecedentis, & consequentis, ad hoc vt valeat bona consequentia, sic dicendo. Parisienses sunt diuites ob Portum Maris; ergo & Veneti, cum & ipsi habeant Portum Maris.

Ex his diffinitio exempli; sic expenditur. Exemplum est argumentatio ab vno particulari, ad aliud particulare, vel singulare, aut indefinitum probandum prouidens, ob aliquam similitudinem in ipsis repertam. Vt Rex Hispaniæ est fortis, ac potens, propter pluralitatem Regnorum; ergo, & Imperator erit potens; cum & ipse possideat plura Regna.

De Reductione Inductionis, & Exempli ad Syllogismum.

CAPVT XVII.

INductio reducitur ad syllogismum perfectum, accipiendo omnia singularia pro medio; prædicatum conclusionis pro maiori extremitate, & subiectum pro minori: vt exempli gratia Petrus est animal, Paulus est animal, Ioannes est animal, & sic de alijs; ergo omnis homo est animal. Sic reducitur ad Barbara. Omne quod est Petrus, Paulus, Ioannes, & sic de alijs, est animal; sed omnis homo est Petrus, Paulus, Ioannes, & sic de alijs; ergo omnis homo est animal. Et hæc reductio fit, vt magis elucescat euidentia cōclusionis, sequentis ad inductionem; cum reducatur ad Barbara, in quo est summa euidentia.

Exemplum autem reducitur ferè semper ad Darij, si est affirmatiuum; vel ad Ferio, si sit negatiuum; accipiendo terminum importantem similitudinem, pro medio; prædicatum conclusionis pro maiori extremitate; & subiectum pro minori; vt patet in sequenti. Franciscus est virtuosus ob humilitatem; ergo, & Antonius, cum etiam sit humilis: quod sic reducitur. Omnis habens humilitatem est virtuosus; sed Antonius habet humilitatem, sicut Franciscus; ergo Antonius est virtuosus sicut Franciscus. Et hæc sufficiant, quoad modos arguendi per vtiles, visitatos, ac necessarios. An autem detur alius arguendi modus ab his distinctus, dicemus in sequenti capite.

An detur quarta Figura à tribus supradictis distincta? Et in quo consistat.

CAPVT XVIII.

QVi asserunt dari quartam figuram, dicunt illam conuenire partim cum prima, partimquè ab ea differre. Conueniunt ad inuicem; quia medium in vtraque, subijcitur in vna, & prædicatur in alia. Differunt verò; quia in prima figura, medium subijcitur in maiori, & prædicatur in minori propositione: in quarta se habet ordinè è conuerso; prædicatur enim in maiori, & subijcitur in minori. Ex quo elicitur diffinitio quartæ figuræ, conformiter ad alias. Quarta Figura est, in in qua medium prædicatur in maiori, & subijcitur in minori. Vt omnis homo est animal; omne animal est substantia; ergo omnis homo est substantia.

Vndè pro declaratione huius sententiæ, supponendum est primo; non esse controuersiam de subsistentia huius modi arguendi, ex quo de sumitur quarta figura; quia hic apertè traditur ab Aristotele in Anteprædicamentis, in illa Regula. Quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, quæcumquè de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia de subiecto dicuntur.

cuntur. Imò meo iuditio, tantum eo loci, & non alibi, hunc arguendi modum insinuauit Philosophus. Sed est controuersia de distinctione quartæ figuræ à prima, siquidem cum in vtraque medium subijciatur, & prædicetur in præmissis, non videntur ab inuicem essentialiter secerni posse.

Secundo supponendum est; multos Neotericos, qui censentur Peripatetici, defendere partem negatiuam; nimirum, inter primam, & quartam non dari distinctionem essentialem; quia eadem habitudo medij ad extremitates, per quam cæteræ figuræ distinguntur, habetur in vtraquè. Imò, modi arguendi in quarta Figura, per solam transpositionem præmissarum, reducuntur ad modos primę Figurę, vt in tuenti patet; atqui sola transpositio præmissarum non est sufficiens ratio diuersificandi figuras; aliter modi secundæ figuræ, Cæsare, & Camestres, non essent eiusdem figuræ, sed aliam constituerent; cum vnus per solam transpositionem præmissarum, & alius per conuersionem minoris simpliciter, reducantur ad Celarent; quod tamen est falsum. Alij verò vt Galenistæ, & quidam ex antiquis, Aristotelis sectatoribus asserunt, partem affirmatiuam esse veriorem, scilicet dari quartam figuram à prima distinctam: quandoquidem, de ratione primæ est duntaxat, vt subijciatur medium in maiori, & prædicetur in minori: de ratione autem quartæ, vt medium prædicetur in maiori, & subijciatur in minori; quæ dicunt diuersam habitudinem; ac proindè constituunt diuersitatem figurarũ; sequitur per optimè, quartam à prima figura distingui essentialiter.

Ex his, sit prima Conclusio responsiua ad propositam difficultatem. Quarta Figura est à prima distincta essentialiter. Probatur: quia diuersa habitudo medij ad extremitates, causat diuersitatem Figurarum; per hanc enim distinguuntur inter se tres figuræ supradictæ; atqui in quarta Figura est diuersa habitudo medij ad extremitates, ac sit in prima; ergò distinguuntur inter se. Minor simpliciter probatur. Quia in prima, medium dicit habitudinem subiecti ad prædicatum in maiori, & prædicati ad subiectum in minori; in quarta verò, ordine è conuerso medium dicit habitudinem prædicati in maiori, & subiecti in minori; sed in tali subiectione, & prædicatione medij de extremitatibus, consistit diuersa habitudo, vt patet in alijs figuris; ergò.

Secunda Conclusio. Quarta Figura, est de mente Aristoteles. Probatur: quia modi arguendi in quarta Figura, traduntur ab Aristotele, in illa Regula prædicamentali. Quando alterum de altero prædicatur &c. vt notatum est in suppositione prima, & videbitur discurrendo per omnes modos quartæ figuræ; ergò ipsam dari, est de mente Aristotelis.

Constituta igitur quarta Figura ab alijs tribus distincta, sequuntur quatuor modi arguendi in eadem, scilicet Bamana, Camene, Dimari, & Fimeno; qui regulantur, tùm ad confectionem syllogismorum, tùm quoad eorum reductionem ad quatuor modos primæ figuræ, sicut cæteri modi trium figurarum.

Bamana prius modus; constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore vniuersali affirmatiua, vniuersalem confirmatiuam indirectè concludentibus; vt

BA. Omnis homo est animal,
MA. Omne animal est substãtia; ergo
NA. Omnis homo est substantia.

Qui reducitur ad Barbara per transpositionem præmissarum. Vt omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.

Camene secundus modus, constat ex maiore vniuersali affirmatiua, minore vniuersali negatiua, vniuersalem negatiuam indirectè concludentibus; vt

CA. Omne risibile est homo; sed
ME. Nullus Homo est Asinus; ergo
NE. Nullum risibile est Asinus.

Qui reducitur ad Celarent, per transpositionem præmissarum, sic. Nullus Homo est Asinus; omne risibile est Homo; ergo nullum risibile est Asinus.

Dimari tertius modus, constat ex maiore particulari affirmatiua, minore vniuersali affirmatiua, particularem affirmatiuam indirectè concludentibus; vt

DI. Quædam Cædrus est arbor;
MA. Omnis arbor est planta; ergò
RI. Quędem Cædrus est planta.

Reducitur ad Darij, per transpositionem

nem præmissarum. Vt omnis arbor est planta; quædam Cædrus est arbor; ergò quædam Cædrus est planta.

Fimeno quartus modus, constat ex maiore particulari affirmatiua, minore vniuersali negatiua, particularem negatiuam in directè concludentibus.

FI. Quidam homo est animal;
ME. Nullum animal est lapis; ergò
NO. Quidam homo non est lapis.

Reducitur ad Ferio, per transpositionem præmissarum. Vt nullum animal est lapis; quidam homo est animal; ergò quidam homo non est lapis.

Obijcitur tamen contra primam conclusionem. Quatuor modi primæ figuræ, & modi. Quartæ, non distinguuntur, nisi per solam transpositionem præmissarum; sed hoc non sufficit ad diuersitatem figurarũ constituendam; ergò prima, & quarta non differunt minor patet; quia aliter duo modi eiusdem figuræ essent diuersarum figurarum; cum vnus reducatur ad alium, per solam transpositionem præmissarum; vt patet de Camestres, qui reducitur ad Cæsare; & ambo ad Celarent, per transpositionem præmissarum,

Respõdetur negando minorem; siquidem non tantum per transpositionem præmissarum distinguuntur, sed etiam per diuersam habitudinem medij ad extremitates, vt prædictum est in probatione conclusionis; & hæc sufficit ad causandam diuersitatem figurarum; aliter, tres figuræ non forent distinctæ inter se, quod à nemine negatur. Ad probationem minoris dicendum; illos modos pertinere ad secundam figuram; quia dicunt diuersam habitudinem medij ad extremitatem maiorẽ, & minorem, à prima, & tertia, vt est notum; & propterea, non constituunt distinctam figuram per solam transpositionem, aut conuersionem præmissarum, sicut nec modi quartæ figuræ, sed quia dicunt habitudinem prædicati ad extremitates in vtraquę premissa. Et hæc de præsenti difficultate, ac prima sectione, dicta sufficiant.

De Syllogismo Dialectico, seu de Locis Topicis.

SECTIO II.

Expeditis his, quę necessariò pertinent ad modum arguendi, secundum quamlibet speciem argumentationis, in præsenti tractandum est de syllogismo Dialectico, ac de locis, seu regulis confirmantibus prædictas argumentationis species: quæ in tres classes, seu ordines diuiduntur, scilicet in loca intrinseca, extrinseca, & media. Cæterum quia peculiari modo videntur confirmare syllogismum Dialecticum, necessariò supponunt eiusdem cognitionem, de quo mox dicemus.

De Syllogismo Dialectico, seu Topico.

CAPVT I.

Syllogismus in communi, seu simpliciter, de quo egimus in præcedenti Sectione, diuiditur in Demonstratiuum, Dialecticum, & Sophisticum, tamquam Genus in suas species. De quorum primo, erit sermo in Logica Maiori, in libris Posteriorum; & aliqualiter in sequenti Sectione: in præsenti verò, tantum de Dialectico videndum est.

Syllogismus igitur Dialecticus (qui, & Topicus appellatur, à verbo græco Topos, quod locum significat; eo quia in loco fundatur, ac residet) est ille, qui constat ex propositionibus probabilibus. Vt omnis Mater diligit filium suum; Helena est Mater; ergò diligit filium suum.

Propositio autem probabilis est, quæ omnibus, vel pluribus, vel maximè sapientibus videtur vera; licet non sit necessariò vera. Quod enim Mater diligat filium suum, est tantum probabile; cum apud omnes, vel saltem plures, hoc videatur verum; tantum non est necessariũ; quia sunt inuentæ multæ Matres, nedum non diligentes, immò Occidentes proprios filios; vt legenti priscorum memorias patebit. Ex quo sequitur, triplicia esse probabilia, scilicet quædam videntur vera apud omnes, vtpotè, quod ignis sit calidus: quædam videntur vera apud multos, sed non omnes: vt quod omnis Mater

diligat filium suum; pluribus videtur notū, sed non omnibus; quia non callentibus historias: quædam tamdem videntur vera apud maximè sapientes; vt quod sol sit maior tota terra, & quod ex aqua generetur ignis; est tantum manifestum Astronomis, & Philosophis. Syllogismus Dialecticus potest confici ex omnibus hiscè propositionibus probabilibus. Cæterùm, quia Syllogismus Dialecticus confirmatur per locum; ideò videndum, quid, & quotuplex sit locus Topicus, seù communis.

De Loco, & eius Diuisione.

CAPVT II.

Locus est sedes argumenti; vel id, à quo ad propositam quæstionem conueniens trahitur argumentum. Vt autem melius percipiatur huiusmodi loci diffinitio.

Notandum est; locum non accipi hic pro loco reali, qui est vltima superficies corporis continentis; sed pro loco intentionali; qui non est aliud, quàm regula, seù propositio confirmatiua argumenti Dialectici; vt nimirum hæc propositio. De quocunquè dicitur diffinitio, de eodem dicitur, & diffinitum: dicitur locus confirmatiuus huius argumenti. Petrus est animal rationale; ergò Petrus est homo. Quia si animal rationale, quod est diffinitio hominis, conuenit Petro; & homo, qui est diffinitum sibi conueniet. Dicitur tamen locus: quia habet quamdam similitudinem cum loco reali; quia sicut locus realis continet, & conseruat locatum, nè corruptioni subdatur; ità hic, locus conseruat argumentum in suo robore, vt infringi non possit à Respondente.

Hoc prænotato, diffinitio loci est sic intelligenda. Locus est sedes, idest regula, seù propositio confirmatiua argumentti Dialectici. Vel est id, vndè sumitur ipum argumentum Dialecticum.

Locus autem hoc modo acceptus, est secundus scilicet locus maxima, & locus differentia maximæ. Locus maxima, est idem quod ipsa maxima. Vndè maxima, est propositio per se nota, qua non est altera prior, nequè notior, per quam ipsa possit probari. Vt omne totum est maius sua parte. Vel quicquid conuenit diffinitioni, & diffinito. Locus verò differentia maximæ, est habitudo terminorum, ex quibus componitur maximà; & secundum quam vna maxima differt ab alia. Vt de quocunque dicitur diffinitio, & diffinitum. Vel, de quocunquè dicitur species, de eodem dicitur genus: habitudo enim terminorum primæ maximæ, scilicet diffinitionis, & diffiniti; & secundæ, scilicet speciei, & generis, dicuntur loca differentia maximæ; quia per tales habitudines, seù per huiusmodi terminos illæ duæ propositiones ab inuicem secernuntur

Ex quibus sequitur differentia inter maximam, locum maximam, & locum maximæ differentiam. Nàm maxima, est propositio, qua non est altera prior, aut notior, per quam possit propositio illa probari. Vt omne totum est maius sua parte. Locus maxima superaddit ipsi maximæ, vt insuper sit confirmatiuus argumenti dialectici. Locus verò differentia maximæ, est discrimen, seù differentia terminorum, ex quibus maximæ ponuntur: seù habitudo, quam dicunt termini vnius maximæ adinuicem, & disconuenientia terminorum cum terminis alterius maximæ. Vndè, quærere maximam, seù locum maximam, est quærere propositionem confirmatiuam argumenti dialectici: quærere verò locum differentiam maximæ est quærere habitudinem terminorum vnius maximæ ad inuicem, vel discrimen vnius maximæ ab alia.

Locus autem differentia maximæ; est triplex, scilicet intrinsecus, extrinsecus, & medius inter intrinsecum, & extrinsecū; de quibus in sequentibus.

De Loco intrinseco, eiusquè Diuisione.

CAPVT III.

Locus intrinsecus est, quando terminus inferens, & terminus illatus de se inuicem prædicantur conuertibiliter; vt hoc argumentum. Animal rationale currit; ergò homo currit: dicitur desumptum à loco intrinseco; quia terminus inferens, positus in antecedente, scilicet animal rationale, conuertitur cum termino illato, posito in cōsequente, scilicet cum homine:

hæ propositiones sunt veræ. Animal rationale est homo; & homo est animal rationale. Hic autem locus est duplex, scilicet locus à substantia, & locus à concomitantibus substantiam.

Locus à substantia est, quando sumitur argumentum ab his, quæ sunt de substantia terminorum in quæstione positorum; idest quando terminus antecedentis, & terminus consequentis conuertuntur ad inuicem. Vt homo currit; ergò risibile currit. Homo enim, & risibile, conuertuntur ad inuicem, secundum prædicationem; quia valet: omnis homo est risibilis; & omne risibile est homo. Hic locus subdiuiditur, in locum à definitione, à definito, à descriptione, & descripto, & ab interpretatione, & interpretato.

De Loco à Definitione ad Definitum.

CAPVT IV.

Diffinitio, ex dictis in primo Antepræædicamento, est oratio indicans esse rei per essentialia: vt animal rationale, est diffinitio hominis; quia quid sit homo, essentialiter demonstrat per genus, & differentiam.

Locus autem à diffinitione ad diffinitũ, est habitudo diffinitionis ad diffinitum: & continet quatuor argumenta, & quatuor maximas affirmatiuè, & negatiuè.

Primo, Ponendo diffinitionem à parte subiecti affirmatiuè. Vt animal rationale currit; ergò homo currit. Maxima. Quicquid prædicatur de diffinitione affirmatiuè, prædicatur etiam de diffinito; sed cursus prædicatur de animali rationali, quod est diffinitio hominis; igitur, & de homine, qui est diffinitum, prædicabitur.

Secundo, Ponendo diffinitionem à parte prædicati affirmatiuè. Vt Franciscus est animal rationale; ergò Franciscus est homo. Maxima. De quocunque prædicatur diffinitio, & diffinitũ; sed animal rationale. prædicatur da Francisco: ergò, & homo dicitur de illo.

Tertio, Ponendo diffinitionem à parte subiecti negatiuè. Vt animal rationale non est Asinus; ergò Homo non est Asinus. Maxima quicquid remouetur à diffinitione, & à diffinito; sed ab animali rationali remouetur esse Asini; igitur, & ab homine remouebitur.

Quarto, Ponendo diffinitionem à parte prædicati negatiuè. Vt lapis non est animal rationale; ergò lapis non est homo. Maxima. A quocunque remouetur diffinitio, & diffinitum; sed animal rationale remouetur à lapide; igitur, & homo ab ipso remouebitur.

De Loco à Diffinito ad Diffinitionem.

CAPVT V.

Locus à diffinito, ad diffinitionem, est habitudo diffiniti ad suam diffinitionem. Et continet quatuor argumenta, & qaatuor maximas, sicut locus à diffinitione; cum hac tamen differentia, vt loco diffinitionis ponatur diffinitum in antecedente, & diffinitio in consequente.

Primo, ponendo diffinitum à parte subiecti affirmatiuè. Vt homo currit; ergò animal rationale currit. Maxima. Quicquid prædicatur de diffinito, & de diffinitione, sed cursus prædicatur affirmatiuè de homine, qui est diffinitum; igitur, & de animali rationali, quod est diffinitio.

Secundo, Ponendo diffinitum à parte prædicati affirmatiuè. Vt Petrus est homo; ergò Petrus est animal rationale. Maxima. De quocunque prædicatur diffinitum, & diffinitio, sed homo, qui est diffinitum, prædicatur de Petro; ergò, & animal rationale, quod est diffinitio.

Tertiò, Ponendo diffinitum à parte subiecti negatiuè. Vt homo non est lapis; ergò animal rationale non est lapis. Maxima. Quicquid remouetur à diffinito, & à diffinitione; sed lapis remouetur ab homine; igitur etiã ab animali rationali.

Quarto, Ponendo diffinitum à parte prædicati negatiuè. Vt lapis non est homo; ergò lapis non est animal rationale. Maxima. A quocunque remouetur diffinitum, & diffinitio; sed homo remouetur à lapide; igitur, & animal rationale remouebitur ab eodem lapide.

De Locis à Descriptione, & Descripto, ab Interpretatione, & Interpretato.

CAPVT VI.

Descriptionem, esse orationem indicantem esse rei per accidentalia, diximus in primo Antepræædicamento. Vel, descriptio est oratio constans

constans ex genere, & proprio: vt animal risibile, est descriptio hominis; quia animal est genus, & risibile eius proprium.

Locus à descriptione, est habitudo descriptionis ad descriptum; sicut è conuerso. Locus à descripto, est habitudo descripti ad descriptionem. Et continent tot argumenta, & totidem maximas, sicut loca à diffinitione ad diffinitum, & à diffinito ad diffinitionem: cum hac solùm differentia, vt loco diffinitionis, ponatur descriptio; & loco diffiniti, subijciatur descriptum.

Interpretatio autem, est duplex: quædam, quæ non conuertitur cum suo interpretato: vt lædens pedem; est interpretatio huius nominis, lapis; quæ tamen non conuertitur cum lapide; cum pedes, non tantum à lapide, sed à ferro, ligno, calceis, & similibus offendantur. Quædam verò conuertitur cum suo interpretato; & hæc propriè, interpretatio nominis appellatur: vt amator sapientiæ; est interpretatio huius nominis Philosophus; itaut valeat dicere. Amator sapientiæ est bonus; ergò Philosophus est bonus; & è conuersò.

Locus ab interpretatione ad interpretatum, est habitudo interpretationis ad interpretatum; & è conuerso. Locus ab interpretato; est habitudo interpretati ad interpretationem: vt habitudo huius interpretationis. Amator sapientiæ ad Philosophum; & è conuersò, habitudo, quam dicit Philosophus ad amatorem sapientiæ Et continet quatuor argumenta, & quatuor maximas, affirmatiuè, & negatiuè, vt dictum est de locis à diffinitione, & descriptione, & à diffinito, & descripto; mutatis his nominibus, in nomina interpretationis, & interpretati.

De Loco à concomitantibus Substantiam, & eius Diuisione.

CAPVT VII.

Locus à concomitantibus substantiam est, quando sumitur argumentum ab his, quæ non consequuntur terminos in quæstione positos; quando terminus inferens, & terminus illatus non conuertuntur ad inuicem, neque verificantur de inuicem, secundum aliquem modum essendi In. Vt domus est; ergò paries est. Nam posita domo, sequitur positio parietis; nō tamen è conuerso; cum domus non tantum ex pariete, sed etiam ex tecto, & fundamento constet. Et diuiditur per locum à Toto, à Parte, à Causa, ab Effectu, à Generatione, à Corruptione, ab vsibus, & à Communiter accidentibus.

Locus autem à Toto diuiditur, sicut ipsum Totum, per locum à Toto vniuersali, à Toto integrali, à Toto in quantitate, à Toto in modo, à Toto in loco, & à Toto in tempore; de quibus per ordinem dicturi sumus.

De Toto Vniuersali, eius parte Subiectiua, & eorum Locis.

CAPVT VIII.

Totum vniuersale, est quodlibet superius essentiale sumptum respectu inferioris; vt puta genus respectu speciei; & species respectu indiuidui: vt animal respectu hominis; & homo respectu Petri, dicuntur tota vniuersalia. Pars autem subiectiua huius totius, est quodlibet inferius respectu sui superioris: vt Petrus respectu hominis; & homo respectu animalis, dicuntur partes subiectiuæ. Et idem dicendum est de cæteris, ascendendo vsquè ad substantiam.

Locus verò à Toto vniuersali ad suam partē, est habitudo totius ad suam partē, vt generis ad speciem, vel speciei ad indiuiduum. Et continet vnicum argumentum, & vnam maximam, ponendo totum à parte prædicati in propositione negatiua semper. Vt lapis non est animal; ergò lapis non est homo. Vel, planta non est homo; ergò non est Petrus, vel Paulus. Maxima. A quocunquè remouetur totum vniuersale, ab eodem remouetur etiam eius pars subiectiua; vt species, vel indiuiduum; sed à lapide remouetur esse animalis, & à planta esse hominis, quæ sunt tota vniuersalia; ergò etiam ab illo remouebitur esse hominis, & à planta esse Petri, qui sunt partes subiectiuæ.

Locus à parte subiectiua, est habitudo eiusdem ad suum totum: vt habitudo indiuidui ad speciem, & speciei ad genus, ascendendo in arbore prædicamentali vsquè genus generalissimum.

Et continet duo argumenta affirmatiua, & duas maximas.

Primo ponendo partem subiectiuam à parte subiecti affirmatiuè. Vt Petrus currit; ergò homo currit. Vel homo est viuens; ergò animal est viuens. Maxima. Quicquid prædicatur de parte subiectiua, prædicatur etiam de toto vniuersali.

Secundo Ponendo partem subiectiuã à parte prædicati affirmatiuè. Vt quoddam animal est Petrus; ergò quoddam animal est homo. Vel Franciscus est homo; ergò est animal. Maxima. De quocunquè prædicatur pars subiectiua, de eodem prædicatur totum vniuersale. Et ratio est, quia pars subiectiua continet essentialiter totũ vniuersale, igitur, quicquid conuenit parti, & toti debet conuenire.

De Toto integrali, & eius parte, ac eorum locis.

CAPVT IX.

TOtum integrale, est quod componitur ex partibus habentibus quantitatem; & partes eius, dicuntur partes integrales. Vt domus, dicitur totum integrale; quia componitur ea pariete, tecto, & fundamento, quæ sunt eius partes extensæ, & quantitatiuæ.

Pars autem integralis est illa, quæ cum alijs partibus componit totum. Vt paries, dicitur pars integralis domus; quia cum tecto, & fundamento componit domum.

Locus à toto integrali, est habitudo totius integralis ad suam partem; & tenet semper affirmatiue: & continet tantum vnicum argumentum, & vnam maximã; ponendo totum à parte subiecti. Vt domus est; ergo paries est, videlicet tectum, vel fundamentum est. Maxima: Posito toto integrali, ponitur etiam qualibet eius pars.

Locus autem à parte integrali, est habitudo partis integralis ad suum totum integrale; & continet tantum vnicum argumentum, & vnam maximam negatiuè, subijciendo partem. Vt Paries non est; ergò domus non est. Maxima destructa, vel remota parte integrali, destruitur, & remouetur etiam totum. Quia totum, requirit omnes partes in esse, simul vnitas.

De Toto in quantitate eius parte, ac eorum locis.

CAPVT X.

TOtum in quantitate, est terminus cõmunis vniuersaliter sumptus, scilicet cum signo vniuersali: vt omnis Homo, nullus homo, quilibet Leo &c. Pars autem in quantitate, est terminus communis, sumptus sine signo; vel quodlibet inferius ad illum terminum, vt homo, vel Franciscus, aut Leo, & hic Leo.

Locus à toto in quantitate, est habitudo totius in quantitate ad suam partem. Et continet duo argumenta, & duas maximas, cõcludendo affirmatiuè, & negatiuè.

Primo, Ponendo totum in quantitate à parte subiecti affirmatiuè. Vt omnis homo currit; ergò Petrus currit. Maxima. Quicquid prædicatur de toto in quantitate, etiam prædicatur de qualibet eius parte. Vel si vniuersalis est vera, & quælibet particularis erit vera.

Secundo, Negatiuè, ponendo totum à parte subiecti. Vt nullus homo currit; ergò Franciscus non currit. Maxima. Quicquid remouetur à toto in quantitate, remouetur etiam à qualibet eius parte. Vel sic. Si vniuersalis est falsa, & quęlibet particularis erit falsa.

Locus à partibus in quantitate, est habitudo omnium partium simul sumptarum ad suum totum. Et tenet affirmatiuè, & negatiuè.

Primo, Affirmatiuè, subijciendo omnes partes, simul sumptas. Vt Petrus currit, Paulus currit, & sic de alijs; ergò omnis homo currit. Maxima. Quicquid prædicatur de omnibus partibus simul sumptis, prædicatur etiam de toto in quantitate.

Secundo, Negatiuè. Petrus non est lapis, Paulus non est lapis &c.; ergò nullus homo est lapis. Maxima. Quicquid remouetur à partibus in quantitate, simul sumptis, etiam remouetur ab earum toto in quantitate.

De

De Toto in Modo, in Loco, & in Tempore, ac eorum Locis, & Partibus.

CAPVT XI.

TOtum in modo, est vniuersale sumptum sine aliqua determinatione, vt homo animal substantia, &c.

Pars autem in modo, est vniuersale sumptum cum determinatione non diminuente. Vt homo albus.

Vndè quintuplex est determinatio, scilicèt distrahens, restringens, amplians, alienans, & diminuens.

Determinatio distrahens est illa, quæ distrahit à significato principali, & facit terminum stare pro significato minus principali; vt homo pictus; Nam illa determinatio pictus, distrahit hominem à principaliori significato, quod est esse animal rationale viuens; & facit ipsum stare pro figura.

Determinatio restringens est, quæ restringit significatum ab illa vniuersalitate, determinando ipsum ad pauciora, quàm si sibi non adderetur: vt homo albus. Nam ly albus, determinat hominem ad standum tantum pro hominibus albis; qui prius, & albos, & nigros, & rubeos significabat.

Determinatio alienans est illa, quæ facit quod terminus pro nullo suorum significatorum supponat; vt homo irrationalis. Nam, ly irrationale, alienat totaliter significatum hominis, diuertendo esse rationale ad irrationale.

Determinatio amplians est illa, quæ facit stare terminum vltra copulam de presenti; vt Petrus est dignus honore. Vndè, ly honore, ampliat dignitatem Petri ad quodcunque tempus scilicet presens; præteritum, & futurum.

Determinatio tamdem diminuens est, quæ facit terminum stare secundum partem tantum; vt Ethiops est albus, secundum dentes. Vbi, ly secundum dentes, diminuit signatum albi, & restringit ipsum tantum ad dentes. Pars in modo igitur, est terminus vniuersalis, sumptus cum determinatione, restringente ipsum, ad pauciora significata, quam si sibi nō adderetur. Vt homo albus; homo doctus, & similes.

Locus à toto in modo, est habitudo totius in modo ad suam partem; sicut è conuerso; locus à parte in modo, est habitudo partis in modo ad suum totum. Vt homo non currit; ergo homo albus non currit. Vel homo albus currit; ergo homo currit. Et continet tot argumenta, & Maximas, sicut locus à toto vniuersali ad suam partem, & locus à parte subiectiua ad suum totum vniuersale.

Totum in loco, est dictio comprehendens omnem locum aduerbialiter; Vt vbique, nusquam. Pars verò in loco, est dictio comprehendens aliquem locum aduerbialiter. Vt hic, ibi, in aliquo loco.

Locus à toto in loco ad suam partem, est habitudo eius ad suam partem. Et continet duo argumenta, & duas maximas.

Primo, Affirmatiuè, prędicando totum. Vt Deus est vbique; ergo est in hac aula. Maxima: Cuicūque competit totum in loco, eidem competit etiam pars in loco.

Secundo, Negatiuè, prædicando totum. Vt Chymera est nusquam; ergò non est Vicentiæ; Maxima. A quocunque remouetur totum in loco, ab eodem remouetur, etiam quælibet eius pars.

Locus autem à parte in loco, est habitudo partis ad suum totum in loco. Et ab eo sumit, vnicum argumentum negatiuè prędicando partem. Vt Petrus non est Vicentiæ; ergo non est vbique. Maxima: Cui non competit pars in loco, nec eius totum: quia de ratione totius est, quod habeat omnes suas partes.

Totum in tempore, est dictio comprehendens omne tempus aduerbialiter. Vt semper nunquam. Pars autem in tempore, est dictio comprehendens aliquod tempus aduerbialiter. Vt hodie, cras, heri, nudius tertius, & similes.

Locus autem à toto in tempore, est habitudo totius ad suam partem, & locus à parte, est habitudo partis, ad suum totum. Et habet tot argumenta, & maximas, affirmatiuè, & negatiuè, sicut locus à toto, & parte in loco; cum hac solum differentia, vt vbi ponebantur aduerbia loci, hic ponantur aduerbia temporis.

(?)

De Locis à Causa, & Effectu.

CAPVT XII.

Causa est, ad cuius esse sequitur aliud secundum naturam; scilicet aliud realiter distinctum ab ea; quod effectus appellatur. Vt Faber lignarius dicitur causa scamni; quia ad eius esse, ponitur scamnum in esse: & hoc dicitur effectus; quia sequitur ad esse Fabri lignarij. Et causa, hoc modo diffinita, est quadruplex, scilicet efficiens, finalis materialis, & formalis.

Causa efficiens. Sicut etiam tetigimus in Præludio secundo (Proæmij harum summularum) est illa, à quà, seù per quam fit aliquid. Vt Domificator dicitur causa effectus domus; quia ab ipso, seù per ipsum, fit domus.

Locus à causa efficiēte, est habitudo causæ efficientis ad suum effectum. Et continet duo argumenta, & duas Maximas; quæ tenent ratione horum verborum, præsentis, vel futuri temporis, est vel erit.

Primo, Affirmatiuè, subijciendo causam efficientem. Vt Domificator est bonus; ergò domus est, vel erit bona. Maxima. Si causa efficiens est bona, & eius effectus est, vel erit bonus.

Secundo, Negatiuè, subijciendo pariter causam efficientem. Vt Domificator non est bonus: ergò domus non est, vel non erit bona. Maxima. Si causa, efficiens non est bona, ergò nec eius effectus est, aut erit bonus.

Locus autem ab effectu causæ efficientis est habitudo eius ad suam causam. Et continet duo argumenta, & duas Maximas, sicut locus à causa efficiente; ponendo loco causæ, effectum. Et argumenta, ac maximæ tenent, vigore horum verborum præsentis vel præteriti temporis, est, vel fuit. Vt domus est bona; ergò Domificator est, vel fuit bonus.

Causa Finalis est, quæ mouet efficiens ad operandum. Vt fælicitas, & beatitudo, est causa finalis hominis; quia ideò homo benè, & virtuosè operatur, vt fit felix, & beatus.

Locus à causa finali, est habitudo causæ finalis ad suum effectum; vt beatitudinis ad virtutem. Et continet duo argumenta, & duas Maximas, sicut locus ab efficiente.

Primo sufficiendo causam finalem affirmatiuè. Vt Beatitudo est bona; ergò virtus est bona. Maxima. Cuius finis bonus est, ipsum quoquè ordinatum ad finem, bonum est; sed virtus ordinatur ad beatitudinem; ergò si hæc est bona, & virtus erit bona.

Secundo, Negatiuè. Vt damnatio æterna est mala; ergò peccatum mortale non est bonum. Maxima. Cuius finis malus est, ipsum quoque malum est; sed peccatum est ordinatum ad damnationē; ergò si hæc est mala, & ipsum est malum.

Locus ab effectu causæ finalis, est habitudo eius ad suum finem. Et continet totidem argumenta, & maximas, affirmatiuè, & negatiuè, sicut locus à causa finali; posito tamen effectu loco causæ finalis. Vt virtus est bona; ergò fælicitas est bona.

Causa materialis est illa, ex qua cum alio, idest cum forma, aliquid fit, scilicet compositum. Vt ferrum, dicitur causa materialis ensis; quia cum eius forma, ex illo fit compositum ensis.

Locus à causa materiali, est habitudo causæ materialis ad suum effectum. Et continet duo argumenta, & duas maximas, quæ tenent ratione huius verbi, potest vel possibile est.

Primo, subijciendo materiam affirmatiuè. Vt Ferrum est; ergò arma ferrea possunt esse. Maxima. Posita causa materiali, possibile est, eius effectus poni.

Secundo, Negatiuè, subijciendo causam materialem. Vt Ferrum non est; ergò arma ferrea non possunt esse. Maxima. Remota causa materiali, remouetur eius effectus.

Locus verò ab effectu causæ materialis, est habitudo eius ad suam causam. Et tenet affirmatiuè subijciendo effectum. Vt arma ferrea sunt; ergò ferrum est. Maxima. Posito effectum causæ materialis, ponitur eius causa.

Causa formalis est. quæ dat esse rei, & conseruat rem in esse.

Locus

Locus à causa formali, est habitudo causæ formalis ad suum effectum. Et tenet affirmatiuè, & negatiuè.

Primo, Affirmatiuè, subijciendo causam. Vt albedo est; ergò album est. Maxima. Posita causa formali, ponitur eius effectus.

Secundo, Negatiuè. Vt albedo non est; ergo album non est. Maxima. Remota causa formali, remouetur eius effectus.

Locus ab effectu causæ formalis, est habitudo eius ad causam. Et continet duo argumenta, & duas maximas, sicut locus à causa formali; ponendo tamen effectum loco causæ. Vt album est; ergò albedo est. Vel iustum non est; ergò iustitia non est.

De Locis à Generatione, & Corruptione.

CAPVT XIII.

QVod sit Generatio, & Corruptio, ac earum Effectus, dictum est in Postprædicamentis. Quò circa, illum locum consulite, vt vobis sit occasio memorandi prçterita, & mihi prolixitatem superfluam vitandi.

Locus à Generatione, est habitudo generationis ad genitum. Et continet duo argumenta, & duas maximas affirmatiuè, & negatiuè, quæ tenent ratione horum verborum, præsentis, vel futuri temporis, est, vel erit.

Primo, subijciendo generationem affirmatiuè. Vt generatio domus est bona; ergò domus est, vel erit bona. Maxima. Cuius generatio est bona, & genitum est, vel erit bonum.

Secundo, subijciendo generationem negatiuè. Vt generatio lapidis non est bona; ergò lapis non est, vel non erit bonus. Maxima. Cuius generatio non est bona, & genitum non est, vel non erit bonum.

Locus autem à Corruptione, est habitudo corruptionis ad corruptum. Et continet duo argumenta, & duas maximas, sicut locus à generatione; mutato nomine generationis, in corruptionem.

Primo, Affirmatiuè. Vt corruptio Petri fuit mala; ergò Petrus fuit bonus. Maxima. Cuius corruptio est mala, eius corruptum fuit bonum.

Secundo, Negatiuè. Vt corruptio Antonij non est bona; ergò Antonius non fuit malus. Maxima. Cuius corruptio non est bona, ipsum corruptum fuit bonum. E conuersò dicendum est de locis à Genito, & Corrupto, in quibus tenent duo argumenta. Et duæ Maximæ affirmatiuè, & negatiuè; mutatis nominibus Generationis, & Corruptionis, in Genitum, & Corruptum.

De Vsibus, & Communiter Accidentibus, ac eorum Locis.

CAPVT XIIII.

VSus, prout hic sumitur, est operatio, seù exercitium, ad quod aliquid ordinatur: vt æquitare, & secare, dicuntur vsus equi, & securis. Nàm, ad equitare, ordinatur equus, & ad secare; securis; quibus vtitur homo in talibus operationibus. Ex quo sequitur, quod sicut illa operatio dicitur vsus, ità illud, quod ordinatur ad huiusmodi operationem, vocabitur Vsitatum.

Locus autem ab Vsibus, est habitudo Vsus ad Vsitatum. Et tenet affirmatiuè, & negatiuè.

Primo, Affirmatiuè sic. Equitare est bonū; ergò equus est bonus. Maxima. Cuius Vsus est bonus, ipsum quoquè Vsitatum bonum est.

Secundo, Negatiuè. Vt peccare est malum, vel non est bonum; ergò Peccatum non est bonum. Maxima. Cuius Vsus non est bonus, ipsum quoquè Vsitatum non est bonum.

Locus verò ab Vsitato ad Vsum est habitudo rei vsitatæ ad vsum. Et tenet affirmatiuè, & negatiuè, sicut locus ab Vsibus: mutato Vsu in Vsitatum. Primo, affirmatiuè. Vt Vinum est bonū; ergò bibere est bonum. Maxima. Cuius vsitatum est bonum, & Vsus erit bonus

Secundo, Negatiuè. Vt peccatum est malum; ergò peccare est malum. Maxima est eadem, sicut in antecedenti.

Communiter Accidentia, sunt in duplici differentia. Quædam sunt, quæ non semper, sed solum aliquādo se consequuntur. Vt cōptus, & adulter; magnus, & fortis.

Siquidem potest fieri, vt aliquis sit ornatus, & pudicus, magnus quantitate molis, & infirmus viribus, Quædam verò, quæ semper, vel saltem vt plurimum se consequuntur. Vt pænitere, sequitur ad peccare, & fructificare ad florere. Nam sequitur; istum pænitet; ergo peccauit; & cædrus fructificat; ergo prius floruit, Et de his loquimur.

Vndè aduertendum est, quod cum inter huiusmodi communiter accidentia sint duo, quæ se consequentur: alterum prius, & alterum posterius; vt pænitere, est posterius ad peccare, & fructificare, ad florere, adhoc vt valeat consequentia à communiter accidentibus in affirmatiuis, semper posterius debet poni pro termino inferēte, in antecedenti; & prius, pro illato in consequenti: in negatiuis verò, è conuerso, prius in antecedenti, & posterius in consequenti. Exemplum in affirmatiuis: Petrum pænitet: ergo peccauit. Exemplum in negatiuis. Cædrus non floruit; ergo, non fructificabit.

Locus a Communiter accidentibus, est habitudo vnius ad aliud scilicet posterioris ad prius, vel prioris ad posterius. Et continet duo argumenta, & duas maximas, affirmatiuè, & negatiuè.

Primò, Affirmatiuè. Vt Cædrus fructificat; ergo floruit. Maxima. Si communiter accidentium posterius inest, & prius infuit; sed fructificare, est posterius ad florere; ergo posito fructu in Cædro sequitur in illa prius infuisse flores.

Secundò, Negatiuè, ponendo prius communiter accidētium ad inferendum posterius: Vt Ioannes non peccauit, ergo nec pænitet. Vel Cædrus non floruit; ergo nec fructificat. Maxima. Si communiter accidentium prius non inest, nec posterius inerit.

De Loco Extrinseco, & eius diuisione.

CAPVT XV.

Locus extrinsecus est, quando sumitur argumentum ab his, quæ omninò separata sūt ab essentia terminorum in questione positorum; quando terminus inferens, & terminus illatus, non tantum non conuertuntur ad inuicem, sed etiam nullo modo conueniunt. Vt Petrus est albus; ergo non est niger. Nàm albedo, & nigrego disconueniunt ab inuicem. Et diuiditur per octo loca, scilicèt per locum ab oppositis, à repugnantibus, seù disparatis, à maiori, à minori, à simili, à transumptione, à transmutata proportione, & ab auctoritate; De quibus omnibus, agendum est in sequentibus capitibus.

De Locis ab Oppositis.

CAPVT XVI.

Loca ab oppositis multiplicantur secundum multiplicationem oppositorum; Cum igitur quattuor sint opposita, scilicèt Relatiua, Priuatiua, Contraria, & Contradictoria, (Quorum diffinitiones vidimus in primo, Post prædicamento) Quatuor similiter erunt loca ab oppositis, scilicet relatiuis, priuatiuis, contrarijs, & contradictorijs.

Locus ab oppositis relatiuis, est habitudo vnius relatiui ad aliud: vt putà Patris, ad filium dupli ad dimidium. Et continet duo argumenta, & duas maximas; quorum primum est affirmatiuum, secundum negatiuum.

Affirmatiuum sic. Si Pater est: ergo filius est: & è conuerso. Maxima. Posito vno relatiuorum, necessariò ponitur, & reliquum.

Negatiuum sic. Duplum non est; ergo nec dimidium est. Vel Filius non est, ergo nec Pater est. Maxima, Remoto vno relatiuorum, necessariò remouetur, & reliquum: siquidem, posita se ponunt, & perempta se perimunt.

Locus à priuatiuè oppositis, est habitudo priuationis ad habitum: vel è conuerso, & tenet ferè semper affirmatiuè. Vt Petrus est cæcus; ergo non est videns. Maxima. Posito vno priuatiuè oppositorum circa aliquod subiectum, ab eodem necessariò remouetur reliquum.

Negatiuè etiam aliquando tenet, additis his conditionibus: Pro qualibet differentia temporis, & cum consistentia subiecti; idest, quod subiectum sit aptum natum recipere opposita priuatiuè: vt est omne animal respectu visionis, ac cæcitatis, & cum tempore determinato à natura. Quod dicitur

citur propter catulos, qui nequeunt dici cæci ante nouem dies, à natura præfixos. His obseruatis, benè sequitur. Petrus est aptus natus videre, & pro qualibet differentia temporis non est videns; ergò est cæcus. Maxima est eadem cum prima præcedentis argumenti. At non seruatis hisce conditionibus, non valet argumentum negatiuum à priuatiuè oppositis. Nàm defectu primæ non sequitur. Petrus ab hinc decem diebus non videbat; ergò simpliciter est cæcus: quia non seruatur quælibet differentia temporis. Defectu secundæ, non valet. Lapis non videt; ergò est cæcus. Quia lapis, cum non sit aptus natus videre, nec potest dici cæcutiri. Defectu tertię non sequitur. Catulus secunda die natus, non videt, ergò est cæcus; cum nondum transierit tempus determinatum à natura pro eius visione, vel cæcitate.

Locus à contrarijs, est habitudo vnius contrariorum ad reliquum. Et tenet affirmatiuè, & negatiuè.

Affirmatiuè sic. Franciscus est sanus; ergò non est æger. Vel Petrus est albus; ergò non est niger. Maxima. Posito vno contrariorum in aliquo subiecto, remouetur reliquum.

Negatiuè tenet tantum in contrarijs immediatis, cum constantia subiecti. Vt Petrus est, & non est æger; ergò est sanus. Maxima. Remoto vno contrariorum immediatorum ab aliquo subiecto, ponitur reliquum.

Dicitur notanter, in contrarijs immediatis. Quia in mediatis non valet argumentum negatiuum; vnde non sequitur Petrus non est albus; ergò est niger. Quia po est esse rubeus, vel flauus, aut alio colore medio affectus.

Locus tamdem à contradictorijs, est habitudo vnius contradictorium ad reliquum; scilicet sedere, & non sedere; stare, & non stare &c. & continet vnicum argumentum, & vnam maximam. Vt Franciscum dormire est verum; ergò eumdem non dormire est falsum. Maxima. Si alterum contradictorium est verum, reliquum necessario est falsum; cum inter contradictoria non sit dare medium.

De Loco à Repugnantibus, seu Disparatis.

CAPVT XVII

DIsparata, seù repugnantia sunt illa, quæ non prædicantur de se inuicem verè, & essentialiter, vt homo, & asinus. Et talia sunt duplicia, scilicet substantialia, & accidentalia. Substantialia sunt genera, & species prædicaméti substantiæ; vt Homo, Leo, Asinus &c. animal, & planta, corpus, & spiritus; & huiusmodi. Accidentalia verò sunt diuersa genera, & species aliarum nouem prædicamentorũ: vt quantitas, & qualitas; relatio, & actio; superficies, & corpus; albedo, & nigredo; & cætera huiusmodi. Vtraquè possunt considerari dupliciter, scilicet in concreto, scilicet vt concernunt suppositum: vt Homo, Leo, Equus &c. vel subiectum: vt album, nigrum &c. Alio modo in abstracto, vt nimirum abstrahunt vel à supposito; vt humanitas, equinitas &c., vel à à subiecto; vt albedo, nigredo &c. Sumendo disparata in concreto in accidentalibus, non potest sumi locus dialecticus à disparatis; cum possint de se inuicem prædicari verè: vt album est quantum, lineatum; superficiatum est coloratum; licet benè in substantialibus: hæc enim est falsa. Homo est Asinus; Leo est Equus. At accipiendo disparata in abstracto, ab eis sumi potest locus dialecticus, tàm in substantialibus, quàm in accidentalibus: hæc enim est falsa. Humanitas est equinitas: sicut ista. Albedo est nigredo.

Locus à disparatis, seù repugnantibus, est habitudo vnius disparatorum ad reliquum. Et continet vnicum argumentũ desumptum ab affirmatione vnius ad negationem alterius; ponendo semper disparata à parte prædicati. Vt Petrus est homo; ergò non est asinus. Vel ista. Qualitas est albedo; ergò nõ est nigredo. Maxima. Cuicunquè conuenit vnum disparatorum, ab eodem necessario remouetur reliquum.

De

De Loco à Maiori, & à Minori.

CAPVT XVIII.

MAius, & minus in proposito dupliciter sumi possunt; vno modo prout maius sit idem, quod fortius; & minus, quod debilius; Alio modo, vt illud dicatur maius, quod habet maiorem apparentiam, vt alicui conueniat, & minus, quod habet minorem apparentiam. Vt debellare Ciuitatem, habet minorem apparentiam, vt conueniat Francisco, quã debellare Castrum; Similiter, quod Rex expugnet Prouinciam, maiorem apparentiam veritatis habet, quàm quod simplex Dux hoc agat. Et de maiori, & minori hoc modo acceptis, est sermo in proposito; vndè.

Locus à maiori, est habitudo maioris ad minus. Et continet tantum vnicum argumentum, & vnicam maximam negatiuè. Quod tantum potest fieri tripliciter.

Primo, Comparando duo subiecta ad idem prædicatum. Vt Rex non potest debellare Castrum; ergò nec Miles.

Secundo, Comparando vnum subiectũ ad duo prædicata. Vt Miles non potest debellare domum vnam; ergò nec decem.

Tertio, Comparando duo subiecta ad duo prædicata. Vt Gigas nequit ferre centum libras arenæ; ergò nec Pigmæus ducentas ferri. Maxima omnibus communis. Si id, quod magis videtur in esse, aut conuenire, non in est, vel conuenit; nec id, quod minus videtur in esse, inerit, aut conueniet. Locus autem à Minori, est habitudo Minoris ad Maius. Et concontinet vnicum argumentum, & vnam Maximam. Quod tantum potest formari tripliciter, sicut dictum est in præcedenti.

Primo, Comparando vnum subiectum ad duo prædicata. Vt miles potest expugnare Castrum; ergò & pagum.

Secundo, Comparando duo subiecta ad vnum prædicatum. Vt Pigmæus potest portare decem pondera, ergò & Gigas.

Tertio, Comparando duo subiecta ad duo prædicata. Vt puer potest currere per quatuor milliaria; ergò magis vir per duo tantum. Maxima communis omnibus. Si id, quod minus videtur inesse, seù conuenire in est, & conuenit, & id, quod magis videtur inesse, & conuenire inerit, & conueniet.

De Loco à Simili.

CAPVT XIX.

SImilitudo potest dupliciter accipi; vno modo pro conuenientia duorum in aliqua qualitate; vt Franciscus, & Antonius dicuntur similes; quia habent albedinem, vel rubedinem in eodem gradu. Et de hac dictum fuit in primo Tractatu cap. de Relatione; quod sit nimirum, rerum differentium eadem qualitas speciæ. Alio modo pro totali conuenientia, vel apparentia verificationis duorum accidentium de suis subiectis: Et hoc modo dicimus, risibile, & hinnibile esse similia; quia sicut risibile inest homini, vt accidens proprium; ità hinnibile equo. Et de similibus hoc modo acceptis, est sermo in præsenti; vndè.

Locus à simili, est habitudo vnius similium ad reliquum. Et continet duo argumenta affirmatiuè, & negatiuè.

Primo, Affirmatiuè sic. Sicut se habet risibile ad hominem, ità rugibile ad Leonem; sed risibile inest homini, vt proprium; ergò, & rugibile inest Leoni, vt proprium.

Secundo, Negatiuè sic. Sicut se habet rudibile ad asinum; ità mugibile ad bouem; sed rudibile non inest asino, vt genus, vel species; ergò, nec mugibile inest boui, vt genus, vel species. Maxima communis ambobus. De similibus, idem est iudicium.

Aduertendum tamen; ambo argumenta posse adhuc dupliciter formari: primo modo, comparando duo subiecta ad vnum prædicatum, tantum. Vt, sicut se habet risibile ad hominem, ita flebile ad eumdem; sed risibile inest homini, vt proprium, ergò, & flebile. Secundo modo, comparando duo prædicata vni subiecto, vt sicut risibile inest Francisco,

ita

ità ineſt Antonio; ſed riſibile in eſt Franciſco, vt proprium eius; ergò & Antonio. Maxima eſt eadem. De ſimilibus, idem eſt iudicium.

De Loco à Proportione.

CAPVT XX.

PRoportio, eſt rerum differentium eadem habitudo: vt exempli gratia, inter nautam, & Magiſtrum, quamuis inter ſe valdè differant, eſt talis habitudo, vt ſicut nauta in naui regenda indiget experientia in ſua arte nautica, ità Magiſter in Schola regenda, debet eſſe expertus in ea facultate, quàm docet, & profitetur. Ex quo ſequitur; quod duo differentia genere, vel ſpecie, non dicuntur proportionari in omnibus, ſed in ijs tantum, in quibus conueniunt, ſeù aſſimilantur; vt patet in exemplo allato; quoniam Nauta, & Rector Scholarium in hoc conueniunt, vt ambo in ſuo regimine debeant eſſe experti; ideò dicuntur ad inuicem proportionari; tamen quia non conueniunt in modo regendi; Siquidem alter libris, remis alter indiget; ideò in hoc non proportionantur, ſed potius diſcriminantur ab inuicem.

Aduertendum tamen, maximam eſſe differentiam inter proportionem, & proportionabilitatem; ſiquidem illa dicit habitudinem vnius quantitatis ad aliam eiuſdem generis; vt duorum ad quatuor, vel vnius ad duo; hæc verò dicit habitudinem vnius proportionis ad aliam, quæ adinuicem conueniunt, & aſſimilantur; vt eſt habitudo ſex, comparati ad ternariũ; & nouenarij ad ſenarium. Quia ſicut numerus ſenarius excedit ternarium in tribus, ità nouenarius, ſenarium in tribus excedit. Et talis proportionalitas multiplicatur ad proportionum multiplicationem. Proportiones autem, ſunt multiplices; de quibus, Deo fauente in ſeptimo libro Phyſicorum. Pro nunc autem ſufficit ſcire, quòd locus, ſeù argumentum a proportione, fundatur in quadam ſimilitudine duorum ad inuicem; ſiuè talia ſint quanta, quantitate continua, ſiuè diſcreta.

Locus à proportione, eſt habitudo vnius proportionabilium ad reliquum; vel vnius proportionis ad aliam. Et continet duo argumenta, & vnicam maximam communem ambobus, ſicut locus à ſimili, ad quam omninò reduci putamus; tùm quia Ariſtoteles ſecundo Topicorum, hoc præſupponit; tùm quia ambo fundantur in ſimilitudine, ſeù habitudine ſimilium ad inuicem; ſicut exemplificaui de Nauta, & Rectore Scholæ in diffinitione proportionis; quia ambo aſſimilantur in experientia, quàm vnuſquiſquè debet habere in propria arte; ſimiliter de riſibili, & hinnibili, quæ aſſimulantur in eo, quod ambo ſunt accidentia propria; hoc equi, & illud hominis. Vndè eadem argumenta poſſunt deſeruire hic, & ibi.

De Transſmutata Proportione, & eius Loco.

CAPVT XXI.

TRanſmutata Proportio eſt, quando comparatio quatuor terminorum ad inuicem, ſcilicet primi ad ſecundum, & tertij ad quartum, tranſmutatur de primo ad tertium, & de ſecundo ad quartum, ob aliquam ſimilitudinem, ſeù proportionem in ipſis repertam. Vt ſicut ſe habet riſibile ad hominem, ità hinnibile ad equum: & tranſmutatim; ſicut ſe habet riſibile ad hinnibile, ità homo ad equum. Ex quibus infertur, quod ſicut riſibile non eſt hinnibile, nec homo eſt equus.

Locus à tranſmutata proportione, eſt habitudo comparationis primi ad tertium, & ſecundi ad quartum, ob comparationem primi ad ſecundum, & tertij ad quartum. Et continet duo argumenta, & vnam maximam communem ambobus, affirmatiuè, & negatiuè, ſicut loca à ſimili, & proportione; à quibus non differt, niſi in illa ſecundâ comparatione facta de primo ad tertium, & de ſecundo ad quartum. Et hic locus tenet tantum in quantitate, ſiuè continua, ſiue diſcreta; ac in terminis conuertibilibus, cuiuſmodi

eiusmodi sunt, subiectum, & passio; diffinitum, & diffinitio; descriptum, & descriptio; & interpraetatum, ac interpraetatio.

Primò, Affirmatiuè sic. Sicut se habent sexdecim ad octo, ità quatuor ad duo; & permutatim; sicut se habent sexdecim ad quatuor, ità octo ad duo; sed sexdecim ad quatuor est proportio quadrupla; ergò & octo ad duo, est proportio quadrupla.

Secundo, Negatiuè in terminis conuertibilibus. Sicut se habet animal risibile ad hominem, ità animal rudibile ad asinum: & permutatim; sicut se habet animal risibile ad animal rudibile, ità homo ad asinũ; sed nullum animal risibile, est animal rudibile; ergò nullus homo est asinus. Maxima. Qualis est comparatio primi ad secundum; & tertij ad quartum; talis est comparatio primi ad tertium, & secundi ad quartum; ergò idem est iudicium de primo ad tertium, & de secundo ad quartum, quale est de primo ad secundum, & de tertio ad quartum.

De Loco à Transumptione, seu Methaphora.

CAPVT XXII.

Transumptio potest dupliciter accipi, scilicet propriè, & impropriè. Tunc impropriè accipitur, cùm nomen, vel oratio, à significato principali ad minus principale transfertur, ob aliquam similitudinem in ipsis repertam: sicut florere, transfertur ad ridere; eo quod ambo gaudium denotant. Et de tali erit sermo in sectione de syllogismo sophistico. Tunc verò accipitur propriè, cum per nomen magis notum, declaratur nomen minus notum. Vt amator sapientiae: declarat, quid importet hoc nomen, Philosophus. Et sic accipitur transumptio in proposito; nec vllo modo distinguitur ab interpraetatione.

Locus à transumptione, est habitudo transumptionis, seu nominis magis noti; ad transumptum, seu nomen minus notum. Et continet tot argumenta, & maximas, sicut locus ab interpretatione, cum nullo modo distinguatur ab eo. Ex quo sequitur Petrum Hispanum malè enumerasse hunc locum inter loca extrinseca; cum terminus inferens, non solùm non repugnet termino illato, imò conuertatur cùm ipso. Qua de causa, inter loca intrinseca numerandus est, sicut, & interpraetationis locus.

Dices: ergò malè fecimus nos, connumerando ipsum inter loca extrinseca, dum diuisionem illorũ dedimus supra, cap. XV.

Respondetur, Negando consequentiã; cum hoc fecerimus, ne deflectere videremur ab expositione Textus Petri Hispani.

De Loco ab Auctoritate.

CAPVT XXIII.

Valdè latè patet differentia inter Auctorem, Authorem, Commentatorẽ, Compilatorem, Expositorem, & Scriptorem: vt bene notant Paulus Scriptor, in primum Sent. Scoti; Franciscus Aretinus in Formalitatibus eiusdem Scoti; & ex modernis plerique.

Author enim cum aspirationis nota exaratus, vel probatus, dicitur ille, qui adinuenit aliquam facultatem, vel artem, eiusquè principia tradit, licet confusè, & indistinctè. Cuiusmodi fuit Adam, qui omnium facultatum principia tradidit filijs suis. (Licet ea supernaturaliter habuerit per species concreatas) potest tantum dici Author, quia fuit primus, qui caepit docere filios, naturales scientias, & facultates, seu artes liberales, scilicet Grãmaticam, Rethoricam, Logicam, & caeteras, à quibus posteri, eruditi postmodum fuerunt.

Auctor verò, ab augendo dictus; est ille, qui de suo adinuentis addit; & illa, quae confusa, vel ab Authore, vel ab alijs accepit, distincta, & ordinata reddit. Cuiusmodi fuit Aristoteles, Plato, & ferè omnes Greci, qui cum facultates, prius à posteris Adami acceptas, auxissent, eisquè ordinem, ac methodum dedissent,

sibi

sibi Auctorum nomina arrogarunt, vt fortè aliàs de Aristotele præsertim dicturi sumus.

Commentator autem dicitur is, qui mentem alicuius Auctoris aperiendo, aliqua etiam de suo ponit. Talis fuit Auerroes Arabum doctissimus Philosophus; cuius corpus, ingressam fuisse Aristotelis animam, post eius obitum, quamplures ex antiquis autumabant; eo quia in philosophicis, eiusdem mentem, tàm luculenter explicarit, rectèque expoluerit.

Compilator dicitur ille, qui dicta alicuius Auctoris hinc indè sparsa colligit, collectaquè ordinatè disponit. Talis fuit noster Antonius Sirectus, qui formalitates Scoti, ex quatuor sententiarum libris, ac alijs eiusdē operibus collegit, in vnumquè redegit volumen, quod de formalitatibus Scoti inscribitur.

Expositor verò censetur ille, qui per doctrinam alicuius Doctoris in vno loco traditam, aliam eiusdem Doctoris alibi positam, exponit, nihil addendo de suo; licet benè de alieno. Tales fuerunt in nostra Schola præclari Scotistæ, scilicet Lichettus, Tataretus, Paulus Scriptor, Bargius, Rada, Fauentinus, ac alij non pauci. In Schola verò D. Thomæ Caietanus, Bannes; Zumel, Capreolus Nazarius, alijquè per multi, qui tanti Magistri Doctrinam illustrarunt.

Scriptor tamdem appellatur ille, qui traducit de carta in papyrum, nil de suo, aut de alieno addendo.

Ex quibus sequitur; quod à tribus prioribus, ab Anthore, Auctore, & Commentatore, potest sumi locus Dialecticus ab Auctoritate; cum quilibet, aliquid de suo ponat, ac doceat; minimè verò à reliquis, cum tantum alienum referant.

Auctoritas verò, est Auctoris dictum, bene, ac verè assertum in ea facultate, quam profitetur. Vndè dicta Aristotelis Physica, in his, quæ pertinent ad Philosophiam naturalem, ac Methaphysicam, ac Logicam, & non sunt contraria nostræ fidei Catholicæ Romanæ; Similiter Auerrois, Boetij, & aliorum, faciunt auctoritatem, quæ negari neqnit. Insuper, dicta D. Thomæ in sua Schola, Scoti in propria, D. Bonauenturæ pariter in sua Schola, habent locum auuctoritatis; siuè sint Philosophica, siuè Theologica. Theologica verò & in quacunquè Schola, dicta Sanctorum S. Ambrosij, Augustini, Gregorij, Chrysostomi, Cypriani, Basilij, Hilarij, Anselmi, Fulgentij, ac cæterorum, à Petro Lombardo collecta, & in quatuor sententiarū libris distributa, sunt auctoritates, quæ infringi nequeunt, sed tantum explicari possunt.

Dictum est notanter in diffinitione auctoritatis, debere esse proloquium benè, & verè assertum ab Auctore. Quia non omnia pronunciata, faciunt auctoritatem; siquidem aliqua dicuntur referendo, aliqua reffellendo; alia disputatiuè, & alia assertiuè. Ex quibus, assertiuè dicta, duntaxat faciunt auctoritatem; quia sunt munita rationibus, & auctoritatibus, aut Sacræ Scripturæ, aut Conciliorum, aut Sanctorum firmiter vallata.

Auctoritas autem est duplex. Quædam est creata, à simpliei creatura procedens; & talis potest esse falsa; cùm huiusmodi Auctores, à quibus dimanat, possint falli, & fallere. Alia verò est Diuina, & increata, quæ est infallibilis, cum procedat ab Authore veritatis infallibilis; cuiusmodi est Deus Benedictus, & Ecclesia Catholica Romana, in his, quę ad fidem, & mores Ecclesiasticos pertinent; quippè sint dicta cum assistentia Spiritus Sancti. Et huiusmodi auctoritas, comprehendit totam Sacram Scripturam Canonicam, Traditiones Apostolorum, omnia principia Theologica, omnia Concilia, tàm Generalia, quàm Prouincialia per Romanum Pontificem approbata; omnia tamdem dicta, & scripta ab Ecclesia Romana, cum assistentia Spiritus Sancti. Vndè sequitur, quod tàm ab Auctoritate creata, quàm ab increata potest sumi locus iste. Dialecticus, seruatis tamen duabus conditionibus.

Prima: vt procedat ab Auctore, experto in sua facultate.

Secunda: vt sit auctoritas pertinens ad illam facultatem, quam profitetur; nimirum, quod Aristoteles tantum in Philosophia, & non in Theologia citetur. Similiter Sancti Patres in Theologia, & nō in Philosophia adferantur; dummodò ex professò, etiam de illa non tractauerint; quia in tali casu, vt Philosophi, & ipsi

ipsi nominari poterunt: & facient auctoritatem, sicut cæterorum Philosophorum dicta, benè, ac rectè assetta.

Locus ab auctotitate, est habitudo auctoritatis ad id, quod ptobatur per eam. Et tenet semper affirmatiuè. Vt Aristoteles dicit, decem esse prædicamenta; ergò decē sunt prædicamenta. Maximà vnicuiquè experto in sua scientia credendum est.

Negatiuè autem non tenet: vndè non sequitur. Aristoteles non posuit vndecimū prædicamentum, quod pro secundis intentionibus assignari solet; ergò non datur. Siquidem Scotus in quarto dist. prima q. 2. probauit esse ponendum; cum etiam in secundis intentionibus dentur prædicata ordinabilia secundum sub, & supra, vt accidit in entibus realibus, & vt suo loco videbimus: quandoquidem Aristoteles, vel non omnia sciuit, vel non omnia explicitè tradidit; quod vtiquè dicendum est de vndecimo prædicamento.

Ex quo infertur; quòd si inueniretur aliquis Auctor, qui omnia nosset, & illa explicitè traderet, ab illo posset sumi argumentum ab auctoritate, etiā negatiuè.

Locus Medius est, quando sumitur argumentum ab his, quæ partim cōueniunt, & partim differunt ab terminis in quæstione positis. Idest, quando terminus inferens; & terminus illatus, partim conueniunt, scilicet in principio dictionis, & in significatione principali, & partim differunt, in fine nimirum dictionis, & in modo significandi. Vt album, & albedo; iustum, & iustitia. Ex quibus infertur; si album est coloratum, quod etiam albedo sit color: vel si iustum est bonum; etiam iustitia sit bona. Nàm album, & albedo, conueniunt in principio dictionis, & differunt in fine: conueniunt etiam in significato principali; quia album principaliter importat illam formam, quam significat etiam albedo; differunt posteà in modo significandi; quia album significat illam qualitatem, vt afficientem, seù concernentem subiectum; & albedo eamdem importat, vt abstrahentem ab illo: vt dictum est de Denominatiuis in primo Tractatu. Hic locus diuiditur, per locum a Coniugatis, à Casibus, & à Diuisione.

Coniugata sunt, concretum, & eius abstractum; seù Denominatiuum, & Denominans. Vt iustum, & iustitia; quæ dicuntur Coniugata, quasi coniuncta; vel sub vno iugo eiusdem significationis posita. Nàm iustum, & iustitia, eamdem omninò formam important, licet diuersimodè; vt dictum est de Denominatiuis.

Locus à Coniugatis, est habitudo vnius coniugatorum ad reliquum. Et continet duo argumenta, & duas maximas, affirmatiuè, & negatiuè.

Primo, Affirmatiuè sic. Vt iustum est bonum; ergò iustitia est bona. Maxima. Quicquid prædicatur de vno coniugatorum essentialiter, prædicatur etiam de reliquo.

Secundo, Negatiuè sic. Vt album non est logicum; ergò albedo non est logica. Maxima. Quicquid remouetur essentialiter ab vno coniugatorum, remouetur etiam ab alio; sed esse logicum remouetur ab albo; ergò & logica ab albedine.

Casus in proposito, sunt adiectiuum nominis, & aduerbium formatum ab ipso. Vt iustum, & iustè; sapiens, & sapienter; Doctum, & doctè, & cætera. Et dicuntur casus; non quia alterum cadat ab altero, sed quia ambo cadunt ab vno tertio, scilicet ab abstracto. Vt iustum, & iustè à iustitia; sapiens, & sapienter, à sapientia.

Locus à Casibus, est habitudo vnius casuum ad reliquum; & è conuersò. Et continet duo argumenta affirmatiuè, & negatiuè, cum duabus maximis.

Primo, Affirmatiuè. Vt iustum est bonum; ergò quod iustè fit, benè fit. Maxima. Quod vni casuum conuenit, idem conuenit, & alteri.

Secundo, Negatiuè. Vt vitium non est bonum; ergò quod vitiosè fit, non benè fit. Maxima. Quicquid remouetur ab vno casuum, remouetur etiam à reliquo.

Aduertendum tamen; quod arguendo affirmatiuè, tenet solùm in prædicationibus essentialibus, & non in accidentalibus; vndè non sequitur Album est dulce; ergò quod albè fit, dulciter fit: quia dulcedo, non est de essentia albedinis.

Quid autem, & quotuplex sit diuisio,

sio, dictum fuit in primo Tract. Sect. tertia ideò illò vos remittimus, vt memorandi præterita occasionem indè sumatis.
Pro nunc tantum sufficit scire, hic nos nō loqui de reali diuisione, sed de rationali; quæ est manifestatio communitatis alicuius superioris per sua inferiora, vel per differentias, essentialiter illud condiuidentes; vt verbi gratia, cum animal diuiditur per rationale, & irrationale; vel per Hominem, Leonem, Equum, & cætera animalia: tunc manifestatur eius communitas, vt se extendat ad talia inferiora; quia sunt taliter subiecta, vt sint vel rationalia, vel irrationalia.

Locus à diuisione, est habitudo vnius membrorum condiuidentium ad reliquum. Vt animalium, aliud rationale, & aliud irrationale; sed homo non est animal irrationale; ergò est animal rationale. Maxima. Posito altero membrorum diuidentium in aliquo subiecto, ab eodem remouetur reliquum; sed rationale verificatur essentialiter de homine; ergò ab illo necessario remouetur

Vel sic. Si Franciscus est animal, aut est sanus, aut æger; sed non est æger; ergò est sanus. maxima, est eadem cum priori.
Aduertendum, quòd hic arguendi modus, valet in omni diuisione data, vel per affirmationem, vel per negationem; dummodò non sit bimembris; & cum omnis diuisio possit reduci ad, bimembrum valet in omnibus. Et hæc de secunda sectione, dicta sufficiant.

De Syllogismo Sophistico, seù de Fallacijs.

SECTIO III.

CVM, ex Philosopho, opposita iuxtà sepposita magis elucescant; ideò solutis in superioribus sectionibus regulis, seù modis conficiendi, ac confirmandi Syllogismum verum, necessarium duxi subinferre statim regulas, ac modos tradendi Syllogismum Falsigraphum, seù Sophisticum, vt comperta eius falsitate, magis, ac magis deueniamus in cognitionem syllogismi veri. Ex quibus, habetur necessitas, ac vtilitas huius sectionis de Fallacijs, seù de Syllogismo Sophistico; nimirū, vt possimus flores catholicos, à spinis Hereticorum, vindicare, & verum à falso discernere.

De Syllogismo Sophistico, seù Falsigrapho.

CAPVT I.

SYllogismus Sophisticus, seù falsigraphus est, qui apparet esse bonus Syllogismus, & non est. Vel est ille, qui constat ex propositionibus apparenter veris, & non sunt veræ. Vt omnis canis currit; sydus cæleste est canis, ergò sydus cæleste currit. In qua definitione tanguntur duæ causæ, quæ reperiuntur in omni Syllogismo Sophistico, scilicet causa apparentiæ, qua videtur esse bonus; & causa defectus, qua demonstratur esse falsus.

Causa autem apparentiæ, est obseruatio aliquarum conditionum requisitarum ad Syllogismum verum; videlicet, quod præmissæ disponantur in modo,& figura, licet sint de materia falsa. Causa autem defectus, est omissio alicuius conditionis, necessariò requisitæ ad verum Syllogismum; vel quod præmissæ non sint de materia vera; vel quod non sint dispositæ in aliquo modo trium Figurarum. Ex quo sequitur, triplicem esse Syllogismum Sophisticum, scilicet peccantem in materia tantum, in forma tantum, & in materia, ac forma simul.
Tunc Syllogismus peccat in materia tantum, quando ambæ, vel saltem altera præmissarum est falsa, licet ambæ sint benè dispositæ in modo, & figura. vt omnis homo est animal; omnis asinus est homo; ergò omnis asinus est animal. In quo, minor est falsa; quia est composita ex terminis disparatis; seù repugnantibus.

Tunc verò Syllogismus peccat in forma tantum, cum præmissæ veræ, sunt malè dispositæ in modo, & Figura. Vt omnis asinus est animal: omnis homo est animal; ergò omnis homo est asinus.

In

In quo, præmissæ sunt veræ; tamen sunt malè dispositæ in figura; quia in secunda figura, ex puris affirmatiuis nihil sequitur: siquidem, altera præmissarum saltem debet esse negatiua, vt patet intuenti eius modos.

Tunc tandem syllogismus peccat in vtraque, cum præmissæ sunt falsæ, & non sunt benè dispositæ in modo, & figura; vt patet in hoc syllogismo. Quicquid currit habet pedes; sed Bachilio noster habet pedes; ergò Bachilio noster currit. Vel sic. Nullus canis currit: sed sydus cæleste non est canis; ergò sydus cæleste non currit. In quibus, & præmissæ sunt falsæ, & etiam sunt malè dispositæ in modo, & figura. At quia omnis syllogismus sophisticus ordinatur ad disputationem, propterea videndum est, quid, & quotuplex sit disputatio.

De Disputatione, & eius speciebus,

CAPVT II.

Disputatio, est actus syllogisticus, seù argumentatiuus vnius ad alterum, ad aliquid propositum ostendendum. Et diuiditur in quatuor species, scilicet in Doctrinalem, Dialecticam, Tentatiuam, & Sophisticam.

Disputatio Doctrinalis est, quæ syllogizat ex veris, & necessarijs, seù ex principijs cuiuscunquè scientiæ, ac facultatis: vt ista. Omne compositum ex materia, & forma, est corruptibile; sed omne corpus physicum est compositum ex materia, & forma; ergò omne corpus physicum est corruptibile. Est disputatio doctrinalis; quia procedit ex principijs intrinsecis Philosophię naturalis: & huius disputationis instrumentum, est syllogismus demonstratiuus.

Disputatio Dialectica est, quæ procedit ex propositionibus probabilibus; estquè collectiua contradictionum. Vt argumentationes, quibus probatur, syllogismum esse substantiam logicæ, dicuntur dialecticæ, quia sunt tantum probabiles apud Scotistas; cum Thomistæ probent oppositum, nitanturquè eas soluere. Et huius disputationis instrumentum, est Syllogismus Dialecticus.

Disputatio Tentatiua est, quæ syllogizat ex his, quæ Respondenti videntur probabilia; nàm per hanc, opponens nititur habere experientiam de scientia Respondentis; & ideò præsupponit in opponente notitiam illarum propositionum, quæ à Respondente debent concedi, vel vt necessariò veræ, vel vt probabiliter veræ. Et huius disputationis instrumentum, est Syllogismus Dialecticus.

Disputatio tamdem Sophistica est, quæ procedit ex his, quæ videntur probabilia, & non sunt, sed tantum apparent esse. Et finis huius disputationis est gignere apparentem scientiam in opponente, & deceptionem in Respondente. Huius autem disputationis instrumentum, est Syllogismus Sophisticus, de quo erit sermo in sequentibus. At quia Syllogismus Sophisticus nequit immediatè causare apparentem scientiam in opponente, & deceptionem in Respondente, nisi ducatur ad metam vi disputationis Sophisticæ; idcircò, quid, & quotuplex sit meta, inuestigandum est.

De Meta, & eius Speciebus.

CAPVT III.

Meta à Sophista intenta, qua conatur decipere Respondentem, est inconueniens quoddam, ad quod Opponens intendit ducere Respondentem medio Syllogismo Sophistico. Et diuiditur in quinque species, scilicet in Redargutionem, Falsum, Innopinabile, Solecismum, & nugationem.

Redargutionis meta, est prænegati concessio; vel præconcessi negatio in eadem disputatione, vi argumentorum facta: vt si quis negaret hanc propositionem. Franciscus est risibilis: & posteà vi huius argumenti. Omnis homo est risibilis; Franciscus est homo; ergò Franciscus est risibilis: eamdem concederet; tunc diceretur redargutus. Dicitur tamen in eadem disputatione; & vi argumentorum facta. Quia si illam concederet in alia disputatione, & ob timorem, vel alium finem, non diceretur ad hanc metam reductus.

Falsi meta, est concessio alicuius manifestè falsi, vi argumentorum facta: vt si quis

quis negare aquam esse humidam, vi huius argumenti. Nullum calidum est humidum; sed ista aqua est calida; ergò non est humida: diceretur reductus ad hanc metam, siquidem concederet aliquod manifestè falsum, & negaret experientiam.

Innopinabilis meta, est concessio alicuius rei, vel propositionis, contra opinionem cuiuscunquè experti in sua scientia, vel arte, ad quam Respondens teneatur non contradicere: vt si quis concederet, nullam Matrem diligere proprios filios, vi alicuius disputationis esset reductus ad hanc metam inopinabilis; quia concederet aliquid contra opinionem ferè omniũ sapientum. Dicitur notanter: ad quam teneatur respondens non contradicere: quia si Thomista argueret Scotistam ex principijs D. Thomæ, quorum veritas nõ ità facilè conceditur à Scotista, non esset ad hanc metam reductus, cum solùm teneatur ad principia Scoti, & non D. Thomæ.

Solecismi meta, est concessio alicuius orationis, seù constructionis contra regulas Gramaticæ, vi argumentorum extorta: vt putà, quod hæc esset optima constructio. Hoc est corpus meus: vel quod musa esset generis masculini, sicut & poeta; quia similiter terminantur.

Nugationis tamdem meta, est ex eadem parte inutilis repetionis concessio vi argumentorum obtenta in eadem disputatione, vt Homo Homo currit; Leo Leo rugit &c. Et dicitur, ex eadem parte; quia si ponerentur termini à parte subiecti vnus, & alius à parte prædicati: vt Homo est Homo, Leo est Leò; non esset nugatio. Dicitur etiam inutilis repititio: quia si ponerentur termini ad maiorem expræssionem laudis, vel vituperij; vt Deus Deus meus &c. vel latro latro, quo vadis; non esset nugatio. Ex his omnibus, manifestè patet, quod Sophista aliquo horum modorum potest sibi acquirere gloriam, & apparentem scientiam; vel ducẽdo Respondentem, vt concedat aliquid, quod prius negauerat; aut neget, quod præconcesserat; vel concedat aliquid manifestè falsum, aut saltem contra opinionem, quam tenetur defendere; aut tamdem cõtra regulas Gramaticæ, vel Logicæ, quæ vetant sermones superfluos, & nugatorios. Et quia hæc nequit obtinere sine fallacijs; ideò de illis erit nobis sermo in sequentibus.

De Diffinitione Fallaciæ, eiusque Diuisione.

CAPVT IV.

Fallacia, est habilitas, seù promptitudò decipiendi, ex causa alicuius apparentis, & non existentis proueniens. Et hæc est duplex, scilicet in Dictione, & extrà Dictionem.

Fallacia in Dictione est, quæ sumit apparentiam ex parte vocis significantis: vt canis; qui significat animal latrabile, piscem marinum, & sydus cæleste. Et hæc diuiditur in sex species, scilicet in Fallaciam Æquiuocationis, Amphibologiæ, Compositionis, Diuisionis, Accentus, & Figuræ dictionis: cuius sufficientia sic habetur. Nàm omnis fallacia in Dictione, aut fit in dictione incõplexa, aut complexa. Si fiat in incomplexa, tunc erit vel Æquiuocatio, vel Accentus, aut Figura dictionis; si in cõplexa, sic sunt tres, scilicet Amphibologia, Compositio, & Diuisio.

Fallacia extra dictionem est, quæ sumit causam apparentiæ ex parte rei significatæ. Et hæc diuiditur in Fallacias Accidentis, secundum quid ad simpliciter, Ignorantiæ Elenchi, Petitionis principij, Consequentis, Non causæ, vt causæ, & secundum plures interrogationes, vt vnam. De quibus omnibus erit sermo in hac Sectione hoc ordine; vt prius dicamus de Fallacijs in Dictione, quàm extrà Dictionem; quia cum hæ fiant in significatione, illæ verò in voce, seù dictione, voxquè præcedat significationẽ; ideò illæ primum sibi locũ vendicant ordine doctrinæ.

Ast, quia Fallaciæ in dictione peccant secundum aliquod multiplex; quia vna, & eadem dictio, vel oratio habeat multiplicem significationem; ideò notandum est triplex esse multiplex, scilicet actuale, potentiale, & phantasticum.

Multiplex actuale, est dictio, vel oratio eadem secundum materiam, & formam, idest secundum literas, & syllabas in dictiones; vel secundum dictiones in oratione, & secundum modum proferendi, vel scribendi, diuersa significans.

G Exemplum

Exemplum dictionis: vt canis; quæ vox, significat canem latrabilem, piscem Marinum, & sydus cæleste. Exemplum orationis: vt liber Aristotelis: quæ, significat librum ab Aristotele compositum, vel editum, & possessum ab eodem.

Multiplex potentiale, est dictio, vel oratio, eadem in materia, diuersa tamen in forma, scilicet in modo proferendi; diuersos habens sensus, & significationes. Exemplum dictionis: vt malum: cuius prima syllaba potest esse longa, & breuis; si sit breuis, significat prauum: si longa, pomum. Exemplum orationis. Quicquid viuit semper est; inqua, virgula potest poni antè illud, semper; & tunc facit vnum sensum: vel post ly semper; & sic facit alium sensum, vt dicam suo loco.

Multiplex phantasticum, est dictio, vel oratio vnum tantum significans; cui tantum ex plantasia, quia scilicet habet quandam conuenientiam cum alia dictione, vel oratione, aliud attribuitur: vt musa, quę est feminini generis, quia similiter terminatur, sicut & poeta, videtur esse masculini generis, vt poeta; vel è conuersò. Et quia multiplex actuale, est veriori modo multiplex, quàm potentiale, & potentiale, quàm plantasticum; ideò prius dicendum est de Fallacijs secundum multiplex actuale: quæ sunt duæ, scilicet Æquiuocationis, & Amphibologiæ; postea de Compositione, & Diuisione, ac Accentu, quæ fiunt secundum multiplex potentiale; & tandem de fallatia Figuræ Dictionis, quæ fundatur in phantastico.

De Fallacia Æquiuocationis.

CAPVT V.

Æquiuocatio, est multiplicitas vnius, & eiusdem dictionis secundum materiam, & formam, diuersa significantis. Et hæc est triplex, scilicet à casu, à consilio, & secundum compositionem vnius vocis cum alia; de quibus, satis dictum fuit in Diffinitione Æquiuocorum; quo circà, locum consulite: non enim semper sunt omnia repetenda.

Fallacia æquiuocationis, est quædam habilitas; seu promptitudo decipiendi, proueniens ex eo, quod vna dictio secundum materiam, & formam eadem, diuersa significat. In qua diffinitione tangitur duplex causa, scilicet apparentiæ, ex eo quòd, vna dictio debet habere tantum vnum significatum. Causa verò defectus; quia dictio æquiuoca habet plura significata. Secundum causam apparentiæ, opponens nititur suadere Respondenti, vt credat, quod non est verum, mediante hac propositione, quæ se habet veluti Maxima, qua nulla est prior in falsitate. Omnis dictio actualiter vna, habet tantum vnum significatum. At secundum causam defectus, demostratur falsitas illius propositionis; quia vna, & eadem dictio æquiuoca, potest habere plura significata.

Fallacia autem Æquiuocationis potest fieri tribus modis, iuxtà triplicem acceptionem æquiuocationis.

Primo Modo fit, ex eo quòd, aliqua dictio est æquiuoca à casu idest principaliter plura significat, vel consignificat; ità quòd in vna præmissa sumatur pro vno significato, & in alia, vel in conclusione, pro alio. Vt omne graue tendit deorsum; sed vox alicuius sapientis, est grauis; ergò tendit deorsum. Vel sic. Omnis equus est irrationalis; sed Iudex est equus; ergò est irrationalis.

Soluuntur hæc argumenta, sicut, & cætera similia, negando consequentiam; quia in eis committitur fallacia Æquiuocationis, penès primum modum. Nam illa dictio, grauis, in primo argumento, in maiori sumitur pro principio effectiuo descensus lapidis, vel ferri; in minori verò pro potestate, seu grauitate in modo dicendi: & sic non sequitur conclusio; quia variatur æquiuocatio, & significatio. Similiter in secundo argumento, ly equus, in maiori, significat quoddam animal irrationale, quod dicitur equus; in minori verò sumitur pro effectu iustitię: & sic patet falsitas conclusionis.

Secundo Modo conficitur, ex eo, quod aliqua dictio est æquiuoca à consilio, idest quod principaliter significat vnum, & minus principaliter, seu per quandam similitudinem transferatur ad aliud significandum. Vt omne sanum est animal; sed vrina est sana; ergò vrina est animal.

Vel

Vel secundo sic. Quicquid ridet, habet os; sed prata rident; ergò prata habent os.

Respondetur negando consequentiam: quia fit fallacia æquiuocationis in secundo modo; siquidem ly sanum, in maiori, dicitur de subiecto sanitatis, in minori verò de signo sanitatis, cuiusmodi est vrina.

Similiter ad secundum, negatur consequentia: quia ridere, de significato principali, importat risum ab ore hominis emittere; & sic accipitur in maiori; at ex transumptione significat etiam florere propter quandam, similitudinem, quam habent adinuicem, cum ambo gaudium denotent; & sic sumitur in minori; ideò non sequitur, quod prata habeant os.

Tertio Modo, ex eo prouenit, quòd aliqua dictio simplex, vnum tantum significat, composita verò plura importat: vt hæc dictio, mortale, significat tantum potens mori. Si verò componatur cum ly im, & fiat immortale; tùm duo significat, scilicet potens non mori, & non potens mori; quę sunt valdè diuersa: nàm in priori sensu negatur tantum actus moriendi, in posteriori verò, negatur etiam potentia admoriendum: vndè ex hoc sic arguitur. Omne immortale est perpetuum; sed omne potens non mori, est immortale; ergò omne potens non mori est perpetuum. Quod est falsum; quia Adam in statu innocentiæ poterat non mori, nec tamen erat perpetuus; quia cum esset compositus ex materia, & forma, erat corruptibilis, saltem in potentia remota.

Respondetur negando consequentiam; quia ly immortale, potest significare potens non mori; & sic maior est falsa: quia tale non est perpetuum, cum habeat saltem potentiam admoriendum, quæ aliquando posset reduci ad actum: & etiam potest significare non potens mori: & tunc maior est vera, & conclusio falsa; cum potens non mori, non sit perpetuum; siquidem in eo relinquitur potentia ad moriendum, quæ posset saltem per potentiam Diuinam reduci ad actum. Et hæc de hac Fallacia; pro qua, & reliquis sequentibus, videndus est textus Petri Hispani; quia in eo ponuntur multa argumenta, quæ breuitati studendo, à nobis consultò ommituntur.

De Fallacia Amphibologia.

CAPVT VI.

Amphibologia, quoad nominis interpretationem, dicitur dubia sententia, vel dubia locutio; siquidem deriuatur ab Amphi, quod est dubium, & bole, sententia; & logia locutio. Secundum autem diffinitionem quid rei, Amphibologia est multiplicitas vnius, & eiusdem orationis secundum materiam, & formam, diuersa significantis. Vt liber Aristotelis: quæ significat librum ab Aristotele compositum, & ab eodem possessum.

Fallacia Amphibologiæ, est quædam habilitas, seù promptitudo decipiendi proueniens ex eo, quod vna, & eadem oratio, secundum materiam, & formam, diuersa significat. In qua tangitur causa apparentiæ, quæ fundatur in hac maxima falsa. Omnis oratio vna, habet tantum vnicum significatum. Tangitur etiã causa defectus, quæ fundatur in hac propositione. Omnis oratio amphibologica, seù æquiuoca, potest habere plures sensus, & plura significata.

Huius Fallaciæ tres sunt modi, sicut, & æquiuocationis: nàm amphibologia, est quædam orationis æquiuocatio. Primus modus prouenit ex eo, quòd vna, & eadem oratio secundum materiam, & formam, habet plura significata principaliter. Vt liber Aristotelis. Vel contingit cæcum videre. Quæ habet duplicem sensum. Primum, quod contingens est, vt aliquis videat cæcum secundum, quod contingens est, vt cæcus videat aliquem. Ex quibus sic arguitur. Quicquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele; sed hic liber est Aristotelis; ergò hic liber possidetur ab Aristotele; quod est falsum.

Vel secundo sic: Quemcumque contingit videre; contingit non esse cæcum; sed cæcum contingit videre; ergò cæcus non est cæcus; quod implicat contradictionem.

Respondetur negando ambas consequentias; quia committitur fallacia amphibologiæ; nàm ly Aristotelis, potest significare possessionem; & sic maior est vera, & conclusio falsa; vel significat, quod

sit compositus ab Aristotele; & sic minor est vera, & maior, & conclusio falsa.

Similiter ad secundum dicendum, quod illa minor, cæcum contingit videre, significat vno modo, quod cæcus videri possit ab aliquò; & sic est vera; aliò modo, quòd cæcus videat aliquem; & sic est falsa; & non sequitur conclusio, cæcum non esse cæcum.

Secundus Modus procedit ex eo, quod vna oratio de principali significato importat vnum, & aliud de significato minus principali, seù ex vsu, & communi modo loquendi. Vt lauare caput asini, propriè significat abstergere caput huiusmodi animalis; at transumptiuè, & ex communi modo loquendi, significat operam perdere, seù in vanum laborare. Ex quo sic arguitur. Qui lauat caput asini, perdit operam, & smigma; sed qui indocilem docet, lauat caput asini, ergò, qui indocilem docet, perdit operam, & smigma.

Vel sic secundo. Quicquid aratur, aratro scinditur; sed litus aratur, cum stultus docetur; ergò cum stultus docetur, litus aratro scinditur.

Respondetur negando consequentiam vtriusquè argumenti: quia committitur hæc fallacia; nàm lauare caput asini, si accipiatur propriè, significat abstergere caput illius animalis; & sic minor est falsa, & conclusio non sequitur: si verò sumatur transumptiuè, vt idem sit, quod frustrà laborare, minor est vera, & maior falsa.

Similiter dicitur ad secundum; quia litus arare, propriè significat litùs aratro scindere; transumptiuè verò, in vanum laborare, sicut facit ille, qui stultum erudire intendit.

Tertius modus prouenit ex eo, quod vna oratio per se sola, vnum tantum significat; sumpta verò cum alia, importat diuersa: vt hæc oratio. Seculum scit. Habet tantum vnum sensum; scilicet quod sæculum habeat scientiam. Si verò coniungatur cum alia dictione, vel oratione. Vt sæcula scit hoc. Habet duos sensus: primum, quod sæculum habeat scientiam de hac re: secundum, quod hæc res habeat scientiam de sæculo: similiter. Quicquid aliquis videt, hoc videt. In qua, ly hoc videt, habet duplicem sensum: primum, quod res hæc videat quicquid aliquis videat. Secundum, quod quamcunque rem videt aliquis, videt hanc rem: vndè sic arguitur. Quicquid aliquis videt, hoc videt; sed Petrus videt quicquid hoc videt: ergò videt hoc, demonstrando aliquid, quod non videat.

Respondetur negando vtramquè consequentiam: quia ly hoc, potest esse nominatiui casus: & tunc maior est falsa; quia ly hoc, potest denotare aliquid in visibile carens potentia visiua: vel potest denotare casum accusatiuum; & sic minor, & conclusio est falsa. Ad hunc modum reducuntur omnes orationes, seù locutiones dubiæ, quæ solent construi per infinitum, & casum accusatiuum. Vt vellem me vincere inimicos: & intellexi, Romanos vicisse Græcos. Quæ habent sensum amphibologicum, scilicet quod Romani vicerint Græcos, vel Græci Romanos: vel quod ego superaui inimicos: aut quod inimici vicerint me. Ex quibus possunt confici argumenta, & solui, sicut dictum est ad præcedens.

De Fallacijs Compositionis, & Diuisionis simul.

CAPVT VII.

Compositio hic non sumitur pro voce complexa, nec diuisio pro simplici, & incomplexa, sed. Compositio est ordinatio partium orationis falsæ, secundum situm magis debitum: & veræ secundum situm minus debitum. Et Diuisio est ordinatio partium orationis falsæ, secundum situm minus debitum: & veræ secundum situm magis debitum.

Situs magis debitus in oratione est, qui dictionibus, & intellectui videtur accommodatus: sicut ex opposito. Situs minus debitus est, qui nec dictionibus, nec intellectui est accommodatus: vt in hac propositione. Quicquid viuit semper est. Situs magis debitus est, vt ista determinatio semper, coniungatur potius cum hoc prædicato, est, quàm cum subiecto, viuit. Siquidem intellectus iudicat magis accommodari debere prædicato, vti principaliori in propositione, quam subiecto, quod est minus principale in eadem. Situs verò minus debitus eiusdem erit, si ly semper, coniungatur cum ly viuit, quod est subiectum,

Ex

Ex quo ſequitur, ſitum magis debitum, facere propoſitionem compoſitam; & minus debitum, diuiſam.

Propoſitio autem compoſita eſt illa, quę habet ſenſum compoſitum hoc eſt; cuius partes ordinantur ſecundum ſitum magis debitum.

Propoſitio verò diuiſa eſt, quæ habet ſenſum diuiſum: ideſt, cuius partes ordinantur ſecundum ſitum minus debitum. Vtraque tamen eſt duplex, ſcilicet de ineſſe, & modalis; de quibus ſatis dictum eſt in ſecundo tractatu.

Modalis compoſita eſt illa, cuius modus eſt ſubiectum, vel prædicatum. Vt hominē ambulare, eſt poſſibile: vel poſſibile eſt, hominem ambulare: & facit hunc ſenſum. Hæc propoſitio eſt poſſibilis. Homo ambulat.

Modalis verò diuiſa eſt illa, cuius modus, nec eſt ſubiectum, vel prædicatum, ſed tantum determinatio copulæ. Vt, hominem poſſibile eſt ambulare. Quæ reſoluitur in duas cathegoricas de ineſſe: ſcilicet, homo eſt poſſibilis; & homo ambulat. In priori, adeſt ſenſus cōpoſitus; in poſteriori verò, ſenſus diuiſus.

Fallacia compoſitionis, eſt idoneitas decipiendi, ex eo proueniens, quod aliqua oratio eadem ſecundum materiam compoſitam eſt falſa, & diuiſa, vera. Vel Fallacia compoſitionis eſt, quando arguitur à ſenſu diuiſo vero, ad compoſitum falſum. Cauſa apparentiæ in hac fallacia, eſt identitas orationis compoſitæ in materia cum diuiſa. Cauſa verò defectus, eſt dueſitas ſenſuum orationis compoſitę à diuiſa.

Fallacia autem Diuiſionis, eſt idoneitas, ſeù promptitudo decipiendi, proueniens ex eo, quod eadem oratio ſecundum materiā, diuiſa eſt falſa, & compoſita, vera. Vel fallacia diuiſionis eſt, quando arguitur à ſenſu compoſito vero, ad diuiſum falſum. Cauſa apparentiæ in hac fallacia, eſt identitas orationis diuiſæ cum compoſita ſecundum materiam. Cauſa verò defectus, eſt diuerſitas ſenſus compoſiti à diuiſo.

Fallacia compoſitionis poteſt confici duobus modis.

Primo modo fit ex eo, quod aliqua propoſitio modalis eſt vera pro diuerſis temporibus, & falſa pro eodem. Vt, quecunque poſſibile eſt ambulare, poſſibile eſt, quod ipſe ambulet; ſedentem poſſibile eſt ambulare; ergò poſſibile eſt, quod ſedens ambulet.

Reſpondetur negando conſequentiam; quia committitur fallacia compoſitionis, arguendo à ſenſu diuiſo vero ad compoſitum falſum: vnde minor eſt vera pro diuerſo tempore, & falſa pro eodem: ſicut, & concluſio eſt falſa pro eodem, & vera pro diuerſo tempore.

Secundo modo prouenit hæc deceptio, ſeù fallacia ex eo, quod aliqua determinatio poteſt referre diuerſa; hoc eſt ordinari ſecundum ſitum magis, & minus debitum. Ex quo licet ſic argumentari. Quicunquè literas ſcit, nunc didicit eas; ſed iſte antiquus Gramaticus litteras ſcit; ergò nunc didicit eas.

Reſpondetur negando conſequentiam; quia arguitur à ſenſu diuiſo vero ad compoſitum falſum; & ſic committitur hæc fallacia compoſitionis; nam in maiori, illa determinatio, nunc, poteſt ordinari vel cū verbo, ſcit, vel cum verbo didicit: primo modo facit propoſitionē diuiſam veram ſecundo modo compoſitam, & falſam. Vndè concluſio ſequitur ſi ſit compoſita; eſt tamen falſa ſi diuiſa, vt eſt in propoſito.

Fallacia etiam diuiſionis, habet duos modos decipiendi. Prior oritur ex eo, quod aliqua coniunctio poteſt copulare inter terminos, & inter propoſitiones. Ex quo ſic arguitur. Quæcunquè ſunt duo, & tria ſunt duo, & ſunt tria; ſed quinque ſunt duo, & tria; ergò quinque ſunt duo, & quinquè ſunt tria. Vel ſic. Quæcunquè ſunt duo, & tria, ſunt paria, & imparia; ſed quinquè ſunt duo, & tria; ergò quinquè ſunt paria, & quinquè ſunt imparia.

Reſpondetur negando conſequentiam; quia committitur fallacia diuiſionis, arguendo à ſenſu compoſito vero, ad ſenſum diuiſum falſum: vndè ſoluuntur argumenta; quia in minori propoſitione, illa coniunctio, ſunt, poteſt copulare terminos; & ſic facit ſenſum compoſitum verum; cum ſit vna cathegorica de prędicato copulato: vel poteſt copulare inter propoſitiones: & ſic erit vna hipotetica copulatiua, quæ facit ſenſum diuiſum falſum. Vndè concluſio ſequitur ſecundo, non primo modo.

Poſterior prouenit ex eo, quod aliqua determinatio poteſt referri ad diuerſa, vt hic. Quo vidiſti hunc percuſſum, percuſſus eſt; ſed oculo vidiſti hunc percuſſum;

ergò oculo percussus est.

Soluitur negando consequentiam; quia ille ablatiuus, oculo, potest referri ad hoc participium, percussum; & sic est diuisa, etiam falsa; vel ad hoc verbum, vidisti; & sic est composita, & vera: vndè sensus est. Cum oculo vidisti hunc percussum. Et sic non sequitur conclusio, quod in oculo sit percussus.

De Fallacia Accentus.

CAPVT VIII.

Accentus, est eleuatio, vel depressio Syllabæ vniuscuiusquè vocis incomplexæ; & accipitur dupliciter, scilicet propriè, & impropriè. Accentus propriè, est modulatio vocis penès eleuationem, & depressionem. Et hic est triplex, scilicet Acutus, Grauis, & Circumflexus.

Accentus acutus, est sillabæ extensio, & vehementiori spiritu prolatio. Grauis, est sillabæ remissio, remissioniquè spiritu prolatio. Circumflexus, est sillabæ inter extensionem, & remissionem moderata prolatio; vt patet in cantu, quē firmū appellant.

Accentus autem impropriè dictus, est modus significatiuus proferendi, vel scribendi dictionem incomplexam secundum debitam vniuscuiusquè sillabæ quantitatem, seù mensuram. Et hic est quintuplex, scilicet longus, breuis, indifferens, aspirans, seù asper; & non aspirans, seù lenis.

Accentus longus, est sillabæ longæ prolatio. Breuis, est sillabæ breuis prolatio. Indifferens, est sillabæ communis prolatio. Aspiratus, seù asper, est sillabæ aspiratæ prolatio; & accentus non aspiratus, seù lenis, est sillabæ non aspiratæ prolatio. Hic est sermo de accentibus impropriè dictis; quia cū isti sint modi significatiui gramaticales, ab his potest sumi fallacia accentus.

Fallacia Accentus, est idoneitas, seù promptitudo decipiendi ex multiplicitate dictionis, eiusdem secundum materiam, diuersæ tamen secundum modum proferendi, diuersa significantis. Ex quo apparet causa apparentiæ, & defectus huius fallaciæ; nam prior fundatur in identitate materiali dictionis secundum substantiam; posterior verò, in diuersitate significatorum, ex diuerso modo eamdem dictionem proferendi, procedente.

Huius Fallaciæ duo sunt modi. Prior prouenit ex eo, quod aliqua dictio potest proferri diuersis accentibus. Ex quo licet sic arguere. Omnis populus est arbor; gens est populus; ergò gens est arbor.

Vel sic. Quicquid amatur, hamo capitur; sed mulier amatur; ergò mulier hamo capitur.

Soluuntur, negando consequentiam; quia fit fallacia accentus: siquidem in priori ly populus, potest proferri, vel cum prima sillaba longa; & tunc significat arborem quandam; vel cum prima breui; & tunc significat generationem: & sic non sequitur conclusio, ex maiori falsa, & vera secundum varios accentus prolata. Similiter in posteriori argumento, ly amatur, proferri potest cum aspiratione; & sic maior est vera, & minor falsa: vel sine aspiratione; & sic maior est falsa, & minor vera: ex qua postea non sequitur conclusio, quod mulier, dum amatur, capiatur hamo.

Posterior modus prouenit ex eo, quod aliqua vox potest proferri, vel vt dictio, vel vt oratio: ex quo, sic sumi potest argumentum Tù es, qui es; sed quies est requies; ergò tū es requies. Vel sic. Quicquid fecit Deus inuitè, fecit coactè; sed Deus fecit vinum inuitè, ergò fecit vinum coactè. Quod tamen est falsum; quia Deus nullā potest pati coactionem.

Respōdetur negando consequentiā; quia committitur hæc fallacia penès secundum modum: nàm in primo argumento, ly quies, potest proferri, vt dictio; & sic maior est falsa, & minor vera: vel proferri potest, vt oratio; & sic minor est falsa, & maior vera; vndè non sequitur conclusio, te esse quietem. Similiter in secundo, ly inuitè, si proferatur, vt dictio, est aduerbium; & sic maior est vera, & minor falsa: vel vt oratio; & sic minor est vera, & maior falsa, fecit enim Deus vinum in arbore, quæ dicitur vitis, voluntariè, & nō coactè.

De Fallacia Figuræ Dictionis.

CAPVT IX.

Fallacia figuræ dictionis, est idoneitas decipiendi, proueniens ex aliqua similitudine duarum dictionum in parte nō idem significantium; vt musa, & poeta; quia similiter terminantur, creditur etiam habere easdem proprietates, seù eumdem modum

modum significandi; hoc est, esse eiusdem generis, vel masculini, vel fæminini. Ex quo sumitur causa apparentiæ, quæ fundatur in illa apparenti similitudine, seù conuenientia duarum vocum in finali terminatione; & causa defectus, fundata in diuersitate modorum significandi illarū dictionum, quæ videntur assimilari. Et quia similitudo fit tribus modis, scilicet voce, significatione, & suppositione; ideò tripliciter potest confici huiusmodi fallacia.

Primo Modo fieri potest ex similitudine vocis cum alia voce. Vt, qualiscunquè est musa, talis est, & poeta; sed musa est feminini generis; ergò, & poeta. Vel sic. Omne animal est coloratum; homo est animal; ergò homo est coloratum.

Respondetur negando vtramquè consequentiam; quia fit fallacia figuræ dictionis: nam ex eo, quod musa, & poeta similiter terminentur, non licet inferre easdem proprietates; quia hæ nō fluunt à vocibus, sed à natura rerum per voces significatarū. Similiter dicitur ad secundum: quia licet homo, & animal assimilentur in colorato, non sequitur, coloratum prædicari de homine in genere neutro, quomodo dicitur de animali; siquidem modi significandi, sumuntur iuxtà naturam rerum animalis, & hominis, & non solum iuxtà vocem, coloratum.

Secundo Modo fieri potest, quando sub termino vnius prædicamenti sub sumitur terminus alterius prædicamēti. Vel quādo fit transitus ab vna, ad aliā speciem eiusdē prædicamenti. Vt, quicquid heri emisti, hodiè comedisti; sed carnem crudam heri emisti; ergò carnē crudā hodiè comedisti.

Vel sic. Quicquid heri vidisti, hodiè vides; sed album heri vidisti; ergò hodiè album vides. Quod potest esse falsum, supposito nihil esse albi præsentis tuæ potentiæ visiuę.

Respondetur negando consequentiam; quia fit transitus à re prædicamenti substantiæ, significata per ly quicquid, in vtroquè argumento, ad res prædicamenti qualitatis, significatas per ly modum, in priori, & per ly album, in posteriori syllogismo: vndè committitur hæc fallacia penès secundum modum.

Tertio Modo fit huiusmodi fallacia, arguendo à suppositione simplici ad personalem, & è conuerso; vel à personali ad materialem, & è conuerso. Vt homo est species; sed Petrus est homo; ergò Petrus est species.

Vel sic. Homo est animal; sed animal est trisillabum; ergò homo est trisillabum; quod est falsum.

Respondetur negando vtramquè consequentiam; quia committitur hæc fallacia; nàm in primo argumento, homo in maiori supponit simpliciter, idest pro homine in communi, cui tantum est natum conuenire hoc prædicatum species; in minori verò supponit personaliter, idest pro hominibus in particulari; & sic fit transitus à suppositione simplici ad personalem, in quibus variatur significatum hominis. Similiter in secundo ly animal, in maiori supponit personaliter, idest pro speciebus, è quarum numero est etiam homo; in minori verò supponit materialiter, idest pro sillabis, ex quibus componitur hoc nomen animal; & sic fit transitus à suppositione personali ad materialem; ac proindè variatur significatio, ex qua sequitur hæc fallacia.

De Fallacia Accidentis.

CAPVT X.

Accidens non accipitur hic, prout distinguitur contra substantiam; quia sic est commune nouem prędicamentis, scilicet quantitati, qualitati &c. nequè prout diffinitur à Porphyrio, pro eo, quod potest adesse, & abesse à subiecto, præter subiecti corruptionem; quia sic constituit quintum vniuersale: sed sumitur hic accidens pro extraneo, scilicet pro eo, quod nō est de essentia alicuius: & diffinitur ab Aristotele primo Topic. c. 4. & lib primo Elench. c. 4. sic. Accidens est, quod est extraneum, in parte idem, & in parte diuersum; vt dicendo. Homo est species; Petrus est homo: ergò Petrus est species. Ly homo, qui est medium, dicitur accidens, in parte idem cum specie, quatenus supponit simpliciter, & in parte diuersum ab ea; cùm nimirum supponit personaliter, idest pro suis inferioribus.

Fallacia Accidentis, est idoneitas decipiendi. Vel est ipsa deceptio, proueniens ex eo, quòd propter coniunctionem, vel diuisionem extremitatum cum medio in præmissis, creditur posse illas coniungi, vel diuidi, etiam in correlatione.

In hac fallacia, tria reperiuntur, scilicet accidens, quod est medium; attributum, quod est maior extremitas; & res subiecta, quæ est minor extremitas.

Tribus modis potest confici huiusmodi fallacia. Primo modo, quia ex eo, quod attributum verè prædicatur de accidente in altera præmissarum, vel in ambabus, creditur posse re vera prædicari, etiam de re subiecta in conclusione. Vt animal est genus; sed homo est animal; ergò homo est genus.

Respondetur negando consequentiam; quia cōmittitur hæc fallacia penès primū modum; non enim est necesse ex conuenientia duorum in aliquo tertio in præmissis, inferre conuenientiam eorumdem in conclusione, quando illud tertium est accidens alteri illorum, hoc est, in parte idē, & in parte diuersum, sicut accidit in proposito; quia animal est accidens generi, cū sit idem illi in maiori, quia supponit simpliciter; & diuersum vt sumitur in minori; quia tunc supponit personaliter; ratione cuius nequit esse fundamentum illius secundæ intentionis generis.

Secundo Modo fit hæc fallacia, quando duo inferiora coniungūtur in aliquo cōmuni in præmissis; quia tunc creditur, illa posse vniri etiam inter se in conclusione. Vt Petrus est homo, Ioannes est homo; ergò Ioannes est Petrus. Vel Homo est animal, Leo est animal; ergò Leo est Homo.

Respondetur non valere similes consequentias; immò committi hanc fallaciam penès secundum modum, arguendo in secunda figura ex puris affirmatiuis; vel in syllogismo expositorio cum termino communi, quod fieri nequit, & visum fuit Sect. prima.

Tertio Modo fit hæc fallacia, arguendo à diuisis ad cōiuncta, vt hic. Iste est albus, & est Monachus; ergò est albus Monachus.

Respondetur negando consequentiam; quia licet esse album, & Monachum non repugnent ad inuicem, tamen cum nulla sit conuenientia, quia non se habent, vt determinatio, & determinabile; ideò nō licet ex illis diuisim sumptis inferre coniunctū, sine commissione huius fallaciæ.

Ex qua respōsione inferuntur duo. Primum, posse argui etiā à diuisis ad coniuncta, seruatis quibusdam conditionibus.

Prima, quod diuisa se habeant, vt determinatio, & determinabile. Vt Petrus est homo, & est albus; ergò est homo albus. Nàm ly albus, est determinatio hominis, & Petri: defectu cuius non sequitur Petrus est albus, & est musicus. Ergo Petrus est albus musicus. Nàm ly musicus, nō est determinatio albi, cum nulla adsit conuenientia inter illa; & quia musicus est nomen substantiuum, & albus adiectiuum; modò substantiuum est benè determinabile ab adiectiuo, sed non è conuersò.

Secunda, quòd determinatio non capiatur æquiuocè, seù quòd nō varietur appellatio: defectu cuius non sequitur. Iste canis est Pater, & est tuus; ergò est Pater tuus. Quia ly tuus, in antecedente dicit te possessionem canis; in consequente verò, appellat te genitum à cane; & sic est diuersa appellatio.

Tertia, quod non fiat negatio; vel alterum illorum non includatur in alio: quarè non sequitur. Iste est homo, & est animal; ergò est homo animal. Nàm cum animal includatur in homine, dicendo homo animal, est nugatio.

Secundum sequitur licere etiam argumentari à coniunctis ad diuisa, tribus alijs adhibitis conditionibus.

Prima, quod non sit repugnantia terminorum ad inuicem; idest quod alterum diuidentium non sit determinatio alienans: vndè non sequitur. Istè est homo mortuus; ergò est homo, & est mortuus. Quia illa determinatio, mortuus, alienat ab homine esse eius, quod est animal rationale.

Secunda, quod talis determinatio nō sit ampliatiua; ideò non sequitur Chimera est imaginabile; ergò Chimera est ens, & est imaginabile. Quia hæc determinatio, imaginabile, ampliat ens, ad ens verum, & fictitium, vt est Chimera.

Tertia, quòd non varietur appellatio; ideò non sequitur Petrus est bonus faber; ergò Petrus est bonus, & est faber. Quia determinatio, bonus, in antecedente, denotat bonitatem artis; in consequente verò, bonitatem subiecti, scilicet Petri.

De Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

CAPVT XI.

Dictum secundum quid, & simpliciter possunt dupliciter sumi; vno modo largè; & sic. Dictum secundum quid, est termi-

terminus communis, sumptus cum determinatione restringente: vt homo albus. Dictum verò simpliciter, est terminus cõmunis, sumptus sine aliqua determinatione: vt homo. Alio modo strictè; & sic. Dictum secundũ quid, est terminus sumptus cum determinatione distrahente, ampliãte, alienante, vel diminuente: quarũ exempla, ponentur inferius. Dictũ verò simpliciter, est terminus sumptus sine aliqua determinatione; vt homo, animal &c. ex quo sequitur, dictum secundum quid, & simpliciter sumptum largè, nõ differre à toto, & parte in modo. Et ab his non sumitur hæc fallacia, sed tantum à dicto secundum quid, & simpliciter, strictè acceptis.

Fallacia à dicto secundum quid ad simpliciter, est idoneitas decipiendi, prouenìens ex apparenti inclusione dicti simpliciter, in dicto secundum quid; ex qua apparet causa apparentiæ eiusdem, sicut causa defectus ostenditur per exclusionem dicti simpliciter, à dicto secundum quid.

Huius fallaciæ duo sunt modi. Primo arguendo à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter affirmatiuè. Et potest fieri quatrupliciter, secundũ quatuor, determinationes constituentes dictum secundũ quid.

Primo, arguendo cum determinatione ampliante ad dictum simpliciter. Vt Chimera est ens imaginabile: ergò Chimera est ens simpliciter.

Secundo, Arguendo cum determinatione distrahẽte. Vt hic est homo mortuus: ergò est homo simpliciter.

Tertio, Arguendo cum determinatione alienante. Vt hæc imago est homo pictus; ergò hæc imago est homo simpliciter.

Quarto, Arguendo cum determinatione diminuente. Vt Petrus est albus secundum dentes; ergò est albus simpliciter.

Respondetur Ad hæc, & similia argumenta, negando consequentiam; quia arguitur à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, cum illis determinationibus: & sic committitur huiusmodi fallacia; siquidem dictum simpliciter non continetur in dicto secundum quid verè, & realiter; quia in primo argumento ampliatur, in secundo distrahitur, in tertio alienatur, & in quarto diminuitur significatum dicti simpliciter, ob annexas determinationes, scilicet ampliantem, distrahentẽ, alienantem, & diminuentem.

Secundo Modo fit hæc fallacia, arguendo à dicto simpliciter, ad dictum secundũ quid negatiuè.

Primo, Cum determinatione ampliãte. Vt Franciscus simpliciter non est dignus; ergò non est dignus honore.

Secundo, Arguendo cum determinatione distrahente. Vt cadauer non est homo; ergò nec homo mortuus.

Tertio, Arguendo cum determinatione alenante. Vt hæc imago non est animal; ergò non est animal pictum.

Quarto, Arguendò cũ determinatione diminuente. Vt Petrus non est albus simpliciter, ergò non est albus secundũ dentes.

Respondetur ad omnes has, & similes consequentias, negãdo quod infertur; quia committitur hæc fallacia penès secundum modum, arguendo à dicto simpliciter, ad secundum quid negatiuè, cum prædictis determinationibus, in quibus non valet consequentia; siquidem à toto ad partem negatiuè cum determinatione ampliante, distrahente, alienante, & diminuente, non valet illatio; vt dictum fuit in præcedenti Sectione cap. de toto. Ast cum determinatione restringente est optima cõsequentia. Vt lapis non est homo; ergò nec homo albus. Nàm, cum homo albus includat verè, & realiter hominem, quicquid negatur ab homine, de necessitate remouetur etiam ab homine albo.

De Fallacia ignorantiæ Elenchi.

CAPVT XII.

Elenchus est syllogismus cõtradictorius vnius, & eiusdem; non nominis tantum, nec rei tantum, sed nominis, & rei simul; non sinonimi; sed eiusdem, & ex his, quæ data sunt de necessitate, non connumerato eo, quod erat in principio, ad idẽ, secundum idem, similiter, & in eodem tempore. In qua definitione ponuntur aliquæ particulæ se tenentes ex parte Syllogismi, & aliæ ex parte contradictionis. Ex parte Syllogismi dicitur. Ex his, quæ data sunt de necessitate, & non connumerato eo, quod erat in principio. Cæteræ verò omnes, ponũtur ratione cõtradictionis. Vndè prædicta definitio sic explicatur.

Elenchus est Syllogismus contradictorius, idest concludens contradictoriam conclusionem respõsionis datæ à Respondente; cuius, & eiusdem, scilicet subiecti, &

& prædicati; non nominis tantum, nec rei tantum, sed nominis, & rei simul, idest eiusdem nominis, & significationis simul: siquidem, nisi adesset idem subiectum, & idem prædicatum, nulla esset contradictio, vt patet in his contradictionibus. Ethiops est niger, & Ethiops non est niger secundum dentes. Quia prædicatum prioris, est dictum simpliciter, & posterioris dictum secundum quid, quæ non contradicunt. Nō sinonimi. Ponitur, vt sit perfecta contradictio; Nam hæ non contradicunt. Marcus currit, Tullius non currit. Quia Marcus, & Tullius in Cicerone, erant sinonimi. Sed ex his, quę data sunt de necessitate. Ponitur, quia Elenchus debet constare ex propositionibus necessariò inferentibus conclusionem: ad differentiam fallaciæ accidentis, & consequentis, in quibus conclusiones nō necessario sequuntur ex præmissis. Non connumerato eo, quod erat in principio, idest in antecedente. Ad differentiam fallaciæ petitionis principij, in qua consequens probatur per seipsum positum in antecedente; vt videbimus infra. Ad idem, secundum idem, similiter, & in eodē tempore. Ad idem, scilicet comparabile; secundum idem, idest genus cōparationis; similiter, idest eodem modo accipiantur termini contradictionis; hoc est, si vnus supponit simpliciter, vel personaliter, ità, & alter; & in eodem tempore: vt possit fieri verificatio prædicati de subiecto; aliter non posset affirmari, vel negari. Et in his quatuor vltimis conditionibus consistit vera contradictio, si coniunctim sumantur: alioquin si vna deficiat, erit fallacia ignorantiæ Elenchi; vt patebit ex modis arguendi eiusdem.

Fallacia ignorantiæ Elenchi, est idoneitas decipiendi, proueniens ex apparēti obseruatione cōditionum diffinitionis Elenchi, quæ requiruntur ad veram contradictionem, scilicet ad idem, secundum idem, similiter, & in eodem tempore. Ex qua apparet causa apparentię huius fallacię. Causa verò defectus ostenditur in omissione vnius, vel plurium dictarum cōditionum.

Modi conficiendi hanc fallaciam, sunt quatuor iuxtà quatuor particulas, seu conditiones, quæ singillatim possunt omitti.

Primo, Quando non arguitur ad idem. Vt duo, sunt duplum vnius, & non sunt duplum trium; ergò sunt duplum, & non duplum. Vel Petrus est Filius Antonij, & non est filius Ioannis; ergò est filius, & non filius.

Soluitur vtraquè ratio, negando consequentiam; quia committitur hæc fallacia per omissionem conditionis, ad idem.

Secundus, Quando non arguitur secundum idem genus comparationis. Vt hoc est duplum secundum longitudinem, & nō est duplum secundum latitudinem; ergò est duplum, & non duplum. Vel Petrus est Pater Antonij secundum Paternitatem, & non est Pater secundum filiationem; ergò est Pater, & non Pater.

Soluitur eodem modo, negando consequentiam; quia non fit comparatio secundum idem genus; nam in priori, fit in Paternitate, & in posteriori in filiatione, quæ sunt diuersæ.

Tertius, Quando non seruatur illa conditio, similiter. Vt homo est species, & nullus homo est species; ergò est species, & nō species.

Soluitur, negando consequentiam; quia homo in priori supponit simpliciter, & in posteriori personaliter: vndè, cum non sit similis suppositio, committitur hæc fallacia penès tertium modum.

Quartus, Quando non obseruatur idem tempus. Vt mea manus est clausa in hac hora, & non est clausa in sequenti; ergò est clausa, & non clausa.

Soluitur, negando consequentiam: quia deberet fieri comparatio ad idem, & non diuisum tempus, ad hoc, vt esset bona consequentia contradictoria. Et hæc, de Ignorantia Elenchi, sufficiant.

De Fallacia Petitionis principij.

CAPVT XIII.

PEtere principium est, quando conclusio, quæ debet probari, sumitur pro præmissis. Hoc autem potest dupliciter contingere: vno modo, quando identificatur sub eodem nomine. Vt Petrus currit: ergò Petrus currit. Alio modo, quando idem petitur sub diuerso nomine. Vt animal rationale currit: ergò homo currit. Prior argumētatio, est ridiculosa, nec differens à nugatione. Posterior verò, est accommodatior deceptioni, cum contineat apparentiam diuersorum terminorum. Et secundum hanc, fit hæc fallacia.

Fallacia petitionis principij, est idoneitas

tas decipiendi, proueniens ex apparenti probatione consequentis ex antecedenti; in quo consistit causa apparentiæ eiusdem. Causa verò defectus, est identitas significationis, conclusionis cum præmissis: vel consequentis cum antecedente, ratione quorum non probatur conclusio, vel consequens, sed petitur principium.

Huius fallaciæ duo sunt modi. Primus prouenit ex eo, quod maior, vel antecedens non est notius conclusione, vel consequente. Et potest fieri quadrupliciter.

Primo, Quando antecedens non est notius consequente; vel præmissæ non sunt notiores conclusione. Vt omne habens materiam, est corruptibile; sed Asinus habet materiam; ergò est corruptibilis.

Secundo, quando vnum relatiuorum petitur in alio. Vt si quis vellet probare, Petrum esse Patrem Antonij, & dicat Antonius est filius Petri; ergò Petrus est Pater Antonij.

Tertio, Petendo vniuersale in singularibus; vt si debeat quis probare hanc vniuersalem: omnis homo currit: & accipiat omnes singulares pro antecedente: vt Petrus currit, Antonius currit, Ioannes currit, & sic de alijs: ergò omnis homo currit.

Quarto, Petendo particulare, vel singulare in suum vniuersale vt si quis velit probare, Petrum currere, dicat. Omnis homo currit: ergò Petrus currit: vel negatiuè. Nullus homo currit: ergò Petrus nō currit.

Respondetur ad omnes, & similes argumentationes, negando consequentiam. Non quia sint falsę sed quia petitur in illis principium; hoc est, præmissæ non sunt probatiuæ conclusionis, vel antecedens, consequentis: siquidem maior, & minor, vt probent conclusionem, vel antecedens, vt probet consequens, debent esse notiora conclusione, vel consequente. Modò maior in prima argumentatione nō est notior conclsione, quia etiam cælum habet materiam, & tamen, secundum plures, non est corruptibile. Similiter in secunda, est æquè notum, vel ignotum: Antonium esse filium Petri, ac Petrum esse Patrem Antonij. Et pariter in tertia, & quarta antecedens non est notius consequente: ideò censentur argumentationes fatuæ: ac propterea committitur hæc fallacia, penès primum modum.

Secundus Modus prouenit ex eo, quod minor non est notior consequente. Vt quicquid multiplicat suas species, est visibile: sed lux multiplicat species: ergò lux est visibilis.

Respondetur negādo consequentiā: quia petitur principiū: quandoquidem ità mihi est notū, lucem multiplicare suas species, ac lucem esse visibilem: ideò minor illa. Lux multiplicat suas species. Non est notior conclusione: ergò lux est visibilis: quæ videtur per eam probari; quod tamen est necessarium, tùm in præmissis respectu conclusionis, tùm in antecedente respectu consequentis; aliter semper erit fallacia Petitionis principij.

Potest etiam committi hæc fallacia in respondendo; quando nimirum ratio, quæ assignatur in responsione, non est notior conclusione, quæ defenditur. Et tunc potissimum accidit in disputationibus, cum responsiones non adæquant difficultatem propositam, nec imponitur silentium argumenti. At, dicta pro sufficienti intelligentia huius deceptionis, sint satis, ne breuitatem intentam omittamus.

De Fallacia Consequentis.

CAPVT XIV.

Consequens, est propositio, quæ denotatur sequi ex alia, mediante nota illationis. Vt si Franciscus est homo, Franciscus est animal. Et dupliciter sumitur, scilicet propriè, & impropriè.

Consequens impropriè sumptum, dicitur quælibet propositio, quæ ex alia infertur, mediante nota illationis, ergò, vel igitur, siue verè, siuè falsè vt si homo est; ergò animal est. Vel, si animal est; ergò homo est. Quia prior est vera, posterior falsa; cum ex positione animalis, non necessario sequatur homo; siquidem, & leo, & equus sunt animalia.

Consequens propriè sumptum, est propositio, quæ verè, & conuenienter sequi denotatur ex alia, mediante illationis nota. Vt si Petrus est homo; igitur Petrus est animal. Quandoquidem nequit esse homo, quin sit animal; cum essentialiter includatur in eo, tamquàm pars diffinitionis eiusdem hominis.

Fallacia consequentis, est idoneitas dedecipiendi

cipiendi, proueniens ex apparenti conuertibilitate secundæ consequentiæ cum prima. Causa defectus, est non conuertibilitas illarum. Ex his sequitur, ad hanc fallaciam semper requiri duas consequentias, quarũ vna sit vera, & altera falsa. Vt si homo est, animal est; ergò si animal est, homo est. Nam prior consequentia, est vera; posterior falsa.

Huius fallaciæ, duo sunt arguendi modi. Primus arguendo à destructione antecedentis ad destructionem consequentis. Vt si homo currit, animal currit; sed nullus homo currit; ergò nullum animal currit.

Soluitur, negando consequentiam; quia committitur ista fallacia, arguendo à destructione inferioris, ad destructionem superioris. Ex quo sequitur, quod omnes argumentationes ab inferiori ad superius, cum distributione inferioris, peccant secundum primum modum huius fallaciæ.

Secundus modus est, arguendo à positione consequentis, ad positionem antecedentis. Vt si homo currit, animal currit; sed animal currit; ergò homo currit.

Soluitur, negando consequentiam; quia committitur hęc fallacia, arguendo à superiori ad inferius affirmatiuè, cum positione superioris ad inferendum: quod non valet, vt supra dictum est, tract. 3. Sect. prima cap. 10. cum egimus de modis arguendi à propositione Hipotetica conditionali.

De Fallacia secundum non causam, vt Causam.

CAPVT XV.

Causa, vt ad propositum spectat, est propositiò probans, seù inferens conclusionem. Non causa verò, est præmissa, nihil verè, sed tantum apparenter faciens ad inferendam conclusionem; vt in hoc exemplo. Omnis homo est risibilis; omne animal est Homo, & Asinus est animal; ergò Asinus est homo. Præmissa causa est illa: omne animal est homo: quia facit ad illationem huius conclusionis, ergò Asinus est homo. Premissa verò nõ causa, est hec: omnis homo est risibilis, quæ re vera nihil facit ad inferendam hanc conclusionem: Asinus est homo: apparet tamen facere, quia risibile, & homo continẽtur sub animali, sicut rudibile, & Asinus.

Fallacia secundum non causam, vt causam, est idoneitas decipiendi, proueniens ex apparenti concursu præmissæ non causæ, ad illationem conclusionis: propter quod creditur, quod sicut conclusio est falsa, ita etiam non causa, sit falsa. Causa defectus, est non concursus præmissæ non causæ, ad illationem conclusionis.

Ad hanc fallaciam, semper requiruntur duo processus, quorum prior, est Syllogisticus, idest dispositus in modo, & figura, siuè verè, siuè apparenter; posterior verò fit, inferendo falsitatem præmissæ nõ causæ, ex falsitate conclusionis. Vt omnis Asinus est rudibilis: omne animal est Asinus: Homo est animal; ergò Homo est Asinus. Ecce prior processus, in quo argumentum est in Barbara. Deindè infertur falsitas præmissæ non causæ, ex falsitate conclusionis, ità procedendo. Conclusio est falsa; ergò aliqua præmissarum, scilicet ista. Omnis Asinus est rudibilis. Quæ tamen cum sit vera, sequitur, quod prior processus peccet secundũ hanc fallaciam, non causam, vt causam.

Huius fallaciæ tres sunt modi, secundum quos præmissa non causa, conuenit cum conclusione.

Primus modus fit, quando pręmissa nõ causa, conuenit in subiecto cum conclusione. Vt omnis Asinus est rudibilis; omne animal est equus, & omnis Asinus est animal; ergò omnis Asinus est Equus. Conclusio est falsa: ergò aliqua præmissarum, & non nisi ista: omnis Asinus est rudibilis.

Secundus modus fit, cum præmissa nõ causa, conuenit in prædicato cum conclusione. Vt omne animal rationale est homo: aliquis Asinus est rationale, & aliquod rationale est homo; ergò aliquis Asinus est homo. Conclusio est falsa; ergò aliqua præmissarum, & non nisi ista: omne rationale est homo.

Tertius modus fit, quando præmissa nõ causa, conuenit in vtroquè, scilicet prædicato, & subiecto cum conclusione. Vt nullum insensibile est animal; aliquis asinus est insensibilis, aliquod animal non est asinus; ergò aliquod insensibile est animal. Conclusio est falsa; ergò aliqua præmissarum, & non nisi ista nullum insensibile est animal.

Soluuntur

Soluuntur omnia ista, & similia argumenta, negando consequentiam; quia committitur hæc fallacia, inferendo ex falsitate conclusionis, falsitatem præmissæ non causæ, illam inferendo; cum tamen nullo modo influat in conclusionē.

Committitur etiam hæc fallatia, vt docet Scotus in primo dist. 3. q. 7. E inferendo conclusionem falsam ex vna sola propositione, quæ non sit causa illius illationis. Vt Asinus est animal; ergò homo est irrationalis. Nam esse irrationale in homine, non repugnat sibi ex eo, quod Asinus sit animal, sed quia rationale, quod est differentia constitutiua hominis, pugnat formaliter cum irrationali, per quod constituitur Asinus; vndè sequitur non causa, vt causa; de qua sufficit, quod dictum est.

De Fallacia secundum plures interrogationes, vt vnam.

CAPVT XVI.

Propositionum, alia dicitur propositio vna, alia propositio plures. Propositio vna est illa, in qua vnum prædicatum dicitur de vno subiecto. Et hæc potest fieri quatrupliciter primò cū prædicatur vnū numero de seipso. Vt Petrus, est Petrus. Secundo, cum prædicatur vnum specie de vno numero. Vt Petrus est homo. Tertio, cum prædicatur vnum genere de vno specie. Vt homo est animal. Quarto tandem, quando prædicatur vnum analogum de suo analogato. Vt animal est sanum, vel ægrum.

Propositio plures est illa, in qua plura prædicantur de pluribus. Vt Petrus, & Paulus currunt: vel plures de vno. Vt Petrus legit, & disputat: vel vnum de pluribus: & hæc fit interrogando. Vt est nè Petrus, & Paulus cæcus? In hac vltima propositione plures, committitur hæc fallacia, quia pluribus interrogationibus, datur vna tantum responsio.

Fallacia secundum plures interrogationes, vt vnam, est idoneitas decipiendi, proueniens ex similitudine interrogationis plures, cum interrogatione vna; ex qua creditur posse dare vnam responsionem ad vnam propositionem plures, sicut ad propositionem vnam.

Causa defectus, est diuersitas earumdē interrogationum, scilicet vnius, & plures.

Hæc fallacia potest fieri duobus modis. Primo modo, quando plura, eidem interrogationi subijciuntur; vel plura prædicantur coniunctim. Vt est nè Petrus, vel hic Asinus homo? Si dicatur affirmatiuè, quod sunt homo; statim infertur; ergò hic Asinus est homo. Si autem detur responsio negatiua, statim concluditur negatiuè de Petro: ergò Petrus non est homo.

Soluitur respondendo duabus responsionibus; quarum altera sit affirmatiua dicendo. Petrus est homo: & altera negatiua; & hic Asinus non est homo: aliter committitur hęc fallacia, applicando pluribus interrogationibus, vnam tantum responsionem.

Secundo Modo fit, quando plura in numero plurali subijciuntur, vel prædicantur: vt si quæratur, demonstrando cęcum, & videntem. Sunt nè isti cæci, aut videntes? Si dicatur, sunt videntes: statim infertur ergò cæcus est videns. Si verò dicatur: sunt cæci; ergò concluditur, videns est cęcus; quod vtrūquè est absurdū.

Soluitur eodem modo per duas responsiones. Hic est cæcus; demonstrando cæcum: & hic est videns; additando videntem: & hæc de Fallacijs.

De Reductione omnium Fallaciarum, ad Fallaciam Ignorantiæ Elenchi.

CAPVT XVII.

Reducere Fallacias ad ignorantiam Elenchi, est demonstratio, qualiter peccent contra aliquam particulam, seù conditionem positam in definitione Syllogismi Elenchi; vel se habentem ex parte Syllogismi, vel ex parte contradictionis; siquidem, quemadmodum differentia aduenięns generi constituit speciem, ità ratio contradictionis adueniens Syllogismo, constituit Elenchum.

Fallaciæ igitur Æquiuocationis, & Amphibologiæ, reducuntur ad ignorantiam Elenchi; quia fiunt secundum multiplicitatem dictionis, vel orationis, quæ impediunt Syllogismum, & contradictionem, vt patet in definitione Elenchi.

Fallaciæ compositionis, & Diuisionis, ac Accentus, reducūtur ad Elenchum; quia nō fiūt in vnitate rationis, vel orationis eiusdē, secundū vocem, & significationem simul.

Fal-

Fallaciæ Antecedentis, & Consequentis, reducuntur; quia peccant contra illam particulam, de necessitate accidere; positam in definitione Elenchina in his duabus Fallacijs conclusio non sequitur de necessitate, ex præmissis.

Fallacia à secundum quid ad simpliciter, reducitur ad ignorantiam Elenchi; quia de eadem re non est affirmatio, & negatio; vt patet in hoc exemplo. Ethiops est albus secundum dentes; ergò est albus, & non albus.

Fallacia Petitionis principij, & non causæ, vt causæ reducuntur; quia præmissæ non probant conclusionem; & ideò peccant contra illam particulam. Non connumerato eo, quod erat in principio.

Fallacia tandem, secundum plures interrogationes, vt vnam, reducitur; quia peccat contra vnitatem propositionis, Syllogismus enim Elenchus si non habeat propositionem vnam; hoc est carentem multiplicitate; sed propositionem plures, non erit bonus Elenchus; quia non poterit concludere perfectam contradictionem.

Ex his, sequuntur duo Corollaria. Primum, quod omnes fallaciæ in dictione, & secundum quid ad simpliciter reducuntur; quia peccant contra aliquam particulam requisitam ad perfectam contradictionem. Secundum Corollarium; quòd omnes fallaciæ extrà dictionem, reducuntur; quia peccant contra conditiones necessario requisitas ad syllogismum Elenchi. Et hæc de Syllogismo Sophistico, & de hac Sectione tertia, dicta sufficiant.



TRACTA-



TRACTATVS PERVTILIS DE PRIMIS, AC SECVNDIS INTENTIONIBVS,

AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS IOANNIS DVNS SCOTI ORD. MIN.

Per A.R.P.F. Liuium de Monturſio Vicentinum, Ord. Min. Reg. Obſ. Lect. Gener. olim exaratus, & denuò maiori cum ſtudio, ac diligentia reuiſus, fæliciter incipit.



Voniam, inquit Boetius in Porphirium, tempus ad ſtudia vacat, & hoc otium, in negotium honeſtum conuerti licet, Tractatum de primis, ac ſecundis Intentionibus neceſſarium, poſt Summulas Petri Hiſpani, tradere decreuimus; vt ex earum notitia, Ariſtotelis logicam ad mentem Doctoris ſubtilis aggredientes, captu faciliorem reddamus. Nàm, cum ex eodem Boetio, ipſa ſit de ſecundis Intentionibus applicatis primis, non aliter intelligi poteſt, quam res, de quibus acturi ſumus, ad intelligentiam præparemus. Et nè confuſo modo procedamus, talem ordinem nobis præſcribendum cenſuimus; vt primò Diuiſionem Entis in reale, & rationis, à quibus originatur ſecunda Intentio: ſecundo, quid ſit prima, ac ſecunda Intentio; & tertio quomodo de ſe inuicem prædicari poſſint breuiter videamus.

De Diuisione Entis in Reale; & Rationis.

SECTIO I.

Quid sit Ens Reale, & quotuplex.

CAPVT I.

ENS transcendentissimè sumptum, secundum Doctorem Subtilem in Quolibq. 3. art. primo, & Auctorem Formalitatum Scoti, tract. primo, in principio, diuiditur in ens reale, & rationis. Quam diuisionem Scotistæ ferè omnes, dicunt esse æquiuoci à consilio in sua æquiuocata; quia diuerso conceptu dicitur de ente reali, àc rationis; similiter, per prius de reali, quàm de ente rationis, cum sit perfectius, prædicatur: quod an sit verum, aliàs dicam.

Ens reale est illud, quod seclusa operatione intellectus, & voluntatis, habet esse in rerum natura. Et sic, comprehendit sub se Deum, Angelos, & decem Prædicamenta, scilicet Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem, Passionem, Situm, Habitum, Vbi, & quando. Dicitur notanter in diffinitione, seclusa operatione intellectus, vel voluntatis. Vt includat multa entia realia spiritualia, scilicet scientiã, sapientiam, habitus virtutum, species intelligibiles, intellectiones, volitiones, & cætera huiusmodi, quæ sunt vera entia realia, & tamen habent esse in intellectu, ac voluntate, obiectiuè, vel subiectiuè. Et excludat entia rationis propriè dicta, quæ necessariò dependent in esse ab operatione, seù ab actu intellectus, vel voluntatis, cuiusmodi sunt, prima, ac secunda Intentio, vt suo loco inferiùs videbimus.

Ens reale diuiditur, in absolutum, & respectiuum. Ens reale absolutum est illud, cuius esse, est ad se, idest non dicit respectum ad aliud, vt ad suum terminum. Et sic, comprehendit tria prima prædicamenta, scilicet Substantiam, Quantitatem, & qualitatem, cum omnibus, quæ in ipsis reponuntur, siuè directè, siuè indirectè. Et licet esse quantitatis, & qualitatis, sit in alio, vt in subiecto, quod afficit, non tamen est ad aliud, vt ad terminum. Et per hoc, distinguitur ab ente Respectiuo. Ens respectiuum est illud, cuius totum esse, est ad aliud se habere; idest referri ad terminum. Pater N. refertur ad filium, & è conuersò. Et hoc ens, comprehendit septem reliqua Prædicamenta, scilicet Relationem, Passionem, Actionem, Sitũ, Habitum, Vbi, & Quando. De quibus, egimus in Summulis, & denuò acturi sumus in Logica Maiori, in libro Prædicamentorum Aristotelis.

Quid, & Quotuplex sit Ens Rationis.

CAPVT II.

ENS Rationis, ex Scoto in 4. dist. p. q. 2. lit. P. est triplex, scilicet obiectiuum, subiectiuum, & habens esse in considerato, vt considerato. Ens rationis obiectiuum, quod est verum ens reale, est illud, quod est obiectum Intellectus, & Voluntatis, quæ ratio vocatur. Vt Angelus, animal, homo; & sic de alijs vniuersalibus, quæ in tantum dicuntur entia rationis, in quantum sunt cognoscibilia, & volibilia à ratione, scilicet ab Intellectu, & Voluntate; quæ sunt potentiæ rationales.

Ens rationis subiectiuum est illud, quod est in Intellectu, vel Voluntate, vt in suo connaturali subiecto. Vt scientiæ, species intelligibiles, intellectiones, volitiones &c. quæ in tãtum dicuntur entia rationis, in quantum sunt in ratione, scilicet in Intellectu, & voluntate: cum hoc tamen stat, vt sint vera entia realia, & qualitates spirituales. Ex quo sequitur, quod ens rationis primo, & secundo modo, dicuntur entia rationis tantum extrinsecè, & denominatiuè, cùm intrinsecè sint vera entia realia; non enim pendent in esse ab opere intellectus, vel voluntatis, quamuis ab Intellectu, vel Volũtate producantur, vel saltem in eis subijciantur.

Ens rationis, quod habet esse præcisè in considerato, vt considerato, est illud, quod in suo esse, & conseruari pendet ab opere Intellectus, & Voluntatis: & hoc comprehendit primas, & secundas Intentiones; vt sunt homo cognitus, Leo cognitus, genus, species, differentia, proprium, & accidens, ac cætera huiusmodi.

Ens hoc tertio modo (quod nullo modo est ens reale, si formaliter accipiatur) diuiditur

diuiditur in absolutum, & respectiuum, sicut ens reale.

Ens rationis absolutum est illud, cuius esse est ad se, & non refertur ad aliud. Vt chimera, & prima intentio, scilicet homo cognitus absolutè; non cõparando ipsum, nec ad superiora, nec ad inferiora.

Ens rationis respectiuum est illud, cuius esse est ad aliud se habere, & nullo modo cognosci potest, nisi referatur ad aliud, vt ad suum terminum: & hoc est secunda intentio: veluti genus, species, subiectum, prædicatum; quæ in tantum habent suum esse, in quantum cognoscitur animal in ordine ad hominem; & homo, in ordine ad animal; vt infrà videbimus.

Ens rationis, tàm absolutum, quàm respectiuum adhuc est duplex, scilicet intellectiuum, & volitiuum.

Ens rationis intellectiuũ est illud, quod pendet ab opere intellectus: cuiusmodi est prima, & secunda intentio, fabricata per opus intellectus. Vt homo cognitus, animal cognitum, genus, species &c.

Ens rationis volitiuum est illud, quod pendet ab opere voluntatis; vt sunt primæ, & secundæ intentiones, fabricatæ ab opere voluntaris. V. homo volitus, Franciscus volitus, Cardinalatus, Episcopatus, Generalatus, & huiusmodi. De his omnibus erit sermo, sed præcipuè de intellectiuo; quia de hoc tractant Philosophi speculatiui, & de illo Morales.

De duplici Intellectu, ac eorum operationibus.

CAPVT III.

DVplicem esse intellectum, scilicet Agentem, & Possibilem, habemus ex Aristotele tertio de Anima tex com. 18 & 9. Meth. tex. com. 10 Intellectus Agens, secundum Aristotelem loco citato, est ille, cuius est omnia facere; scilicet, qui transfert obiecta de ordine materialium ad ordinem immaterialium, abstrahendo, seù causando species intelligibiles, per quas obiecta, potentia intelligibilia, fiunt actu intelligibilia; & in hoc consistit munus intellectus Agentis. Quod declaratur, & manifestatur in sequenti ordine.

Accipio, verbi gratia albedinem; quæ cum sit ens reale existens extra intellectũ est obiectum tantũ potentia intelligibile; Et ad hoc, vt fiat actu intelligibile, debet prius depurari à conditionibus materialibus: hoc autem fit, dum primo sensus cõmunis recipit speciem ipsius albedinis, mediante potentia visiua. Secundo illa species concurrit partialiter cum sensu communi, & producunt aliam speciem puriorem, quæ recipitur in æstimatiua; cum qua tertiò producit aliam speciem puriorem, quæ recipitur in phantasia. Quartò, Phantasia simul cum illa, producit aliam speciem, quæ vsquè modo repræsentat albedinem subconditionibus materialibus, scilicet in quantum informat talem parietem, tali modo situatum, in hac Schola, & hoc tempore præsenti. Quintò Intellectus Agens depurat hanc eamdem speciem à conditionibus materialibus. Quæ depuratio consistit in hoc, vt producat (siuè se solo, habita tamen prius occasione speciei, seù phantasmatis, siuè species phantasiabilis concurrat cum eo, vt causa partialis) speciem intelligibilem albedinis, quæ ipsam repræsentat tantum secundum suam essentiam, & quiditatem; videlicet. secundum rationem speciei specialissimæ. Sextò, talis species intelligibilis recipitur in intellectu possibili. Et tunc albedo, quæ erat tantum potentia intelligibilis, dicitur esse actu intelligibilis; quia potest semper mouere intellectum ad causandam notitiam, seù cognitionem ipsius albedinis. Et hæc de intellectu agente, vt spectat ad præsens negotium.

Intellectus autem possibilis, ex Aristotele ibidem, est ille, cuius est omnia fieri; idest recipere species intelligibiles, causatas ab intellectu Agente, & cum illis concurrere ad causandam illarũ rerum, quas repræsentat, notitiam; quod fit per sequentem ordinem continuatiuum prioris, manifestius.

Primo intellectus possibilis recipit speciem intelligibilem albedinis, causatam ab Intellectu Agente. Secundo concurrit cum illa specie, quæ repræsentat illam albedinem, & producit notitiam ipsius. Tertio tamdem, recipit in se illam intellectionem à se productam; & tunc dicitur, formaliter albedinem cognoscere. Ex quo sequitur primo, quod Intellectus possibi-

lis, est actiuus, & passiuus. Est actiuus, dum in secundo signo producit intellectionem; & in hoc conuenit cum Intellectu Agente. Est posteà passiuus, dum in primo signo recipit intelligibilem speciem, & in tertio, intellectionem: recipere enim est quoddam pati, ex Aristotele pluribus in locis, sed præcipuè loco citato. Et per hoc differt ab Agente, qui nullo modo est receptiuus; & consequenter nullo modo passiuus.

De triplici Actu Intellectus Possibilis.

CAPVT IV.

TRes Actus intellectus ponunt omnes differentes de hac materia, scilicet reflexum, rectum, & collatiuum; & quemlibet istorum, actiuum, & passiuum. Quia sicut in corporalibus, numquam datur aliquod agens, nisi detur id, in quod agat, scilicet passum; sic in spiritualibus, numquam potest intellectus denominari intelligens, aut voluntas amans, nisi detur aliquod obiectū intellectum, & amatum. Ex quo sequitur, quod sicut ponitur aliquis actus in intellectu, quo dicitur intelligens, ità debet poni alius actus in obiecto, quo denominetur intellectum: prior dicitur actiuus, posterior passiuus.

Actus rectus actiuus, est notitia, qua intellectus dicitur intelligens aliquod obiectum directè, & absolutè; idest nō comparando illud ad aliud obiectum: vt verbi gratia, notitia, qua meus intellectus denominatur intelligens, seù cognoscens hominem, non comparando illum, nec ad superius, nec ad inferius, dicitur actus rectus actiuus.

Actus rectus passiuus, est illa notitia, seù cognitio actiua, qua intellectus se supra se, vel supra actum rectum actiuum reflectens, dicitur cognoscens se ipsum, vel actum rectum actiuum præcedentem.

Actus reflexus passiuus, est cognitio passiua, qua intellectus, vel actus rectus, dicitur cognitus à se ipso.

Actus collatiuus, seù comparatiuus actiuus, est quædam notitia, qua intellectus dicitur cognoscens comparatiuè duo obiecta cognita actu recto ad inuicem: vt verbi gratia notitia, qua intellectus dicitur cognoscere animal cognitum actu recto, in ordine ad hominem cognitum, pariter actu recto, sub aliqua proprietate illis conueniente; idest quatenus est illi communicabile, ac cæteris animalibus.

Actus comparatiuus passiuus, est quædam cognitio passiua, qua vnum obiectum dicitur cognitum sub aliqua proprietate, in ordine ad aliud.

Ex his sequuntur tria Corollaria, seù conclusiones; &. Primum, quod omnes actus actiui, scilicet rectus, reflexus, & comparatiuus, sunt vera entia realia, quæ habent esse subiectiuè in intellectu; cum in suo esse pendeant immediatè ab intellectu, qui est causa realis, & non ab eius opere, sicut facit actus passiuus.

Secundum Corollarium. Omnes actus passiui, scilicet rectus, reflexus, & comparatiuus, sunt entia rationis, prout ens rationis distinguitur ab ente reali; cum pendeant in suo esse ab opere intellectus actiuo; scilicet rectus, ab actiuo recto; reflexus, à passiuo reflexo; & comparatiuus, à comparatiuo actiuo.

Tertium Corollarium. Actus rectus, & reflexus passiui, sunt entia rationis absoluta. Actus autem passiuus comparatiuus, est ens rationis respectiuum. Prima pars patet; quia denominant obiecta cognita absolutè, & sine comparatione ad aliud; quod non conuenit, nisi enti absoluto, cuius esse, est ad se. Secunda pars patet etiam; quia actus comparatiuus denominat obiectum cognitum in ordine ad aliud; conuenitque tantum relatiuis.

De Voluntate, & eius Actibus.

VOluntas, secundum Doctorem Subtilem in tertio dist. 17. q. vnica, lit. A, est apetitus cum ratione liber. Quæ definitio sic intelligitur. Voluntas est potentia appetitiua, quæ præsupposita cognitione finis, seù alicuius alterius obiecti per intellectum, potest

illud

illud velle, aut nolle, vel saltem non velle, sicut sibi placet. In qua definitione ponitur potentia loco generis; est enim communis potentijs sensitiuis, & rationalibus: ly appetitiua, ponitur ad differentiam intellectus, qui est potentia cognoscitiua: ly præsupposita cognitione &c. ponitur etiam ad differentiam intellectus, qui in sui operatione non supponit aliam cognitionem, saltem intellectiuam. Dicitur tandem; potest velle, & nolle, aut non velle: ad differentiam eiusdem intellectus, qui, si sibi præsentetur obiectum, nequit non cognoscere illud.

Voluntas autem habet tres actus, scilicet velle, nolle, & non velle. Velle est, quo amat; nolle, quo odit; & non velle, quo nec amat, nec odit, sed suspendit vtrumque. Velle autem, & nolle, est triplex, scilicet rectum, reflexum, & comparatiuum. Ex quo infertur, voluntatem habere hunc triplicem actum, scilicet rectum, reflexum, & comparatiuum; & quemlibet actiuum, & passiuum.

Actus rectus actiuus voluntatis, est quædam volitio, vel nolitio, qua dicitur amans, vel odio habens aliquod obiectum per se, & absolutè, non referendo illud ad aliud: & sic volitio illa, qua voluntas dicitur amans Petrum, vel Franciscum per se, non respectu Dei, vel intuitu suarum virtutum; aut nolitio, qua dicitur odire peccatum per se quia est ex se malum, dicuntur actus recti actiui voluntatis.

Actus rectus passiuus voluntatis, qui ab actiuo derelinquitur, est illa volitio, vel nolitio passiua, qua verbi gratia Franciscus dicitur per se amatus; aut peccatum odio habitum, non in comparatione, vel referentia ad aliud.

Actus reflexus actiuus voluntatis, est quædam volitio, vel nolitio, qua voluntas dicitur amans se ipsam, vel odio habens suum actum rectum, scilicet volitionem, vel nolitionem rectam.

Actus reflexus passiuus voluntatis, est quædam volitio, aut nolitio passiua, qua voluntas dicitur amata à se ipsa; vel eius actus dicitur à se odio habitus.

Actus tandem comparatiuus actiuus voluntatis, est volitio, aut nolitio, qua voluntas dicitur volens verbi gratia Franciscum in ordine ad Deum; vel odio habens peccatum, vt causatiuum damnationis æternæ; aut nolitio, qua voluntas dicitur verbi gratia nolens Antonium superesse Petro, propter suam insufficientiam in gubernio.

Actus verò comparatiuus passiuus, est volitio, vel nolitio passiua, qua verbi gratia Franciscus dicitur volitus in ordine ad Petrum, cum illis proprietatibus, quibus redditur amabilis, vel nolitus in ordine ad Paulum, ob suam in sufficientiam in regimine.

Ex his sequuntur tria Corollaria. Primum. Omnes actus actiui, tàm recti, quàm reflexi, & comparatiui voluntatis, sunt vera entia realia; cum sint veræ qualitates spirituales, dependentes à voluntate immediatè, vt à causa reali.

Secundum Corollarium. Omnes actus passiui, siuè recti, siuè reflexi eiusdem voluntatis, sunt entia rationis absoluta; prout ens rationis distinguitur ab ente reali; patet; quia dependent ab actibus actiuis voluntatis absolutè, & per se, sine comparatione ad aliud.

Tertium Corollarium. Actus passiuus comparatiuus, est ens rationis respectiuum: patet; quia denominat obiectum volitum, vel nolitum in ordine ad aliud; vt patet de Magisterio, quod dicit ordinem ad Discipulatum, & è conuersò. Quinam actus dicantur primæ vel secundæ intentiones, videbimus in sequenti capite.

Quid sit Intentio, & Conceptus, & quomodo differant inter se.

CAPVT V.

INtentio deriuatur ab hoc verbo, Intendo intendis; vndè intendere, ex Scoto in secundo distin. 38. quæst. vnica, est in aliud tendere. Cùm autem tendere in aliud competat potentiæ, actui, & obiecto, etiã intentio dicitur de potentia, actu, & obiecto eius. Potentia tunc dicitur tẽdere in aliud, scilicet in obiectũ,

cum per suum actum, illud attingit: verbi gratia intellectus dicitur tendere in hominem, dùm per intellectionem à se productam, dicitur illum cognoscere. Vel voluntas dicitur intendere Antonium, dum mediante sua volitione, aut nolitione dicitur ipsum amare, vel odire. Obiectum autem dicitur tendere in aliud, scilicet in potentiam, dum mediante actu potentiæ, dicitur attingi à potentia: vt homo, dicitur tendere in intellectum, vel voluntatem, in quantum est cognitus, vel volitus ab intellectu, vel voluntate. Actus tamdem dicitur tendere in aliud, dum intellectus, vel voluntas, mediante ipso, dicuntur tendere in obiectum, illud cognoscendo, aut volendo.

Ex quo, sequuntur duo Corollaria. Primum. Quod intentio dicitur de tribus, scilicet de potentia, vt de intellectu, & voluntate. Secundo, De eorum actibus, scilicet de intellectione, volitione, aut nolitione: & tertio de eorum obiectis terminatiuis; vt nimirum sunt cognita, aut volita, vel nolita.

Secundum, Corollarium. Quod cum obiectum sit cognitum ab intellectu, & volitum à voluntate triplici actu, scilicet recto, reflexo, & comparatiuo; intentio pariter dicitur de obiecto cognito, vel volito actu recto, vel reflexo, aut comparatiuo: & sic, homo cognitus actu recto, vel comparatiuo, vel intellectus cognitus à se actu reflexo, dicuntur intentio.

Intentio autem, prout dicitur de obiecto cognito, vel volito, potest accipi dupliciter, idest in abstracto, & in concreto. Intentio in concreto, est obiectum cognitum, vel volitum actu recto, vel reflexo, aut comparatiuo. Intentio verò in abstracto, est illa cognitio, vel volitio passiua, qua obiectum denominatur cognitũ, vel volitum. Vndè intentio in abstracto, & actus passiuus intellectus, vel voluntatis, tàm rectus, quàm reflexus, aut comparatiuus, sunt idem.

CONCEPTVS, venit à verbo concipio, concipis. Vndè concipere, est intra se accipere: quod conuenit potentiæ cognitiuæ, scilicet intellectui, qui intra se accipit obiectum, mediante specie intelligibili, quæ est imago ipsum repræsentans, si est motiuum; vel mediante actu intellectionis, si est terminatiuum eius.

Ex quo sequuntur duo. Primum quòd conceptus dicitur de tribus, scilicet de intellectu, in quantum concipit obiectum; de actu, in quantum est ratio illud concipiendi; & de obiecto terminatiuo, in quantum est conceptum, & receptum intra intellectum.

Secundũ, Quod concipere, nequit conuenire voluntati, nec cõceptus, eius actui, aut obiecto; quia non potest accipere intra se obiectum; siquidem, in tantum acciperet intra se, in quantum acciperet similitudinem eiusdem; sed actus voluntatis nequit esse imago, & similitudo obiecti; igitur voluntas nequit concipere, nec eius actus potest dici conceptus.

Cóceptus verò dupliciter, accipitur vno modo adiectiuè, obiectiuè, & in concreto; alio modo substantiuè, formaliter, & in abstracto. Conceptus primo modo, significat obiectum conceptum, mediante actu intellectus: vt homo cognitus, Leo cognitus &c. Secundo modo, significat actum intellectus, quem habet de illo homine sic cognito. Cùm autem intellectus sit duplex, scilicet actiuus, & passiuus; ità conceptus secundo modo sumptus, erit duplex, scilicet actiuus, & passiuus.

Conceptus actiuus, est illa notitia, qua intellectus dicitur concipere, seù intra se accipere obiectum: vt cognitio, qua intellectus meus dicitur accipere intra se hominem.

Conceptus passiuus, est illa passiua cognitio, qua obiectum dicitur conceptum, scilicet acceptum in intellectu; & tale vocatur concipi passiuum.

Ex his sequuntur tria Corollaria. Primum. Conceptus, & intentio obiectiua, scilicet vt dicitur de obiecto cognito, sunt idem: probatur. Quia, ex Scoto in Theorematibus, conclusione 9. Theor. 6. conceptus est obiectum, prout est in intellectu, non vt forma, idest vt species intelligibilis, sed vt actu cognitum; atqui intentio obiectiua est huius modi, vt patet ex dictis in hoc eodem capite; igitur intentio, & conceptus, sumpti pro obiecto cognito, sunt idem.

Secun-

Secundum Corollarium. Intentio est communior conceptu. Patet; quia intentio competit tàm intellectui, quàm voluntati; cum vtraque potentia tendat in suum per se obiectum; conceptus verò, tantum intellectui; eum ipse solus possit intra se accipere obiectum, mediante actu intelligendi à se producto, & in se recepto; vt superius dictum est.

Tertium Corollarium. Conceptus sumptus adiectiuè, & intentio obiectiua in concreto, sunt idem. Conceptus similiter passiuus substantiuè acceptus, & intentio obiectiua in abstracto, sunt idem re, differunt tamen ratione, scilicet per diuersas relationes rationis; vt melius vobis intelligentibus erit manifestum; pro nunc sufficiat.

De Intentione Prima, & Secunda.

SECTIO II.

Quid sit prima, & secunda Intentio.

CAPVT I.

INuestigata in praecedenti capite natura intentionis, in praesenti videndum est, vndè dicatur tàm prima, quàm secunda intentio.

Pro quo, notandum est primo, ex Scoto in Gramatica speculatiua, De Constructione §. Visa natura constructionis &c. quod primum, & secundum, sunt differentiae ordinis; ideò infert, quod vbi est dare primum, ibi etiam est dare secundum Primeitas autem, & secundeitas intentionum, à quibus dicuntur prima, & secunda intentio, debet attendi ex ordine actuum intellectus, & voluntatis; nimirum, vt primo detur actus rectus, vel reflexus (qui in proposito sumuntur pro vno actu) & secundo sequatur actus comparatiuus; itaut nullo modo detur actus comparatiuus, nisi praecedat actus, rectus, vel reflexus. Ex quo sequitur, quod intentio, quae derelinquitur per actum rectum, vel reflexum, dicatur prima; quia derelinquitur à primo actu, qui est rectus, vel reflexus; & illa quae habetur per actum comparatiuum, dicitur secunda intentiò; quia derelinquitur à secundo actu intellectus, qui est comparatiuus.

Secundo Notandum, Quod cum secunda intentio sit ens respectiuum, seù relatio rationis, requirit necessariò duo extrema; quorum alterum dicatur fundamentum, & terminus alterum. Quae extrema, sunt duae primae intentiones, seù duo obiecta cognita actu recto, vel reflexo, sub aliqua proprietate sibi conuenienti. Vt animal cognitum actu recto, vt communicabile pluribus naturis, iterum communicari valentibus est fundamentum huius secundae intentionis, genus. Similiter, homo cognitus, sub hac proprietate, scilicet, vt communicabilis pluribus, qui non possint alijs communicari, est terminus de lv genus, & fundamentum huius secundae, intentionis species. Ex quo sequitur, quòd cognitio obiecti cum proprietatibus, est ità necessaria ad secundam intentionem, vt sine ipsa habere esse non possit; quod patet. Quia secunda intentio causatur per actum comparatiuum actiuum, seù derelinquitur ab actu comparatiuo actiuo; sed actus comparatiuus praesupponit id, in quo fit comparatio, quod in proposito explicatur per proprietatem rei cognitae; igitur cognitio obiecti cum huiusmodi proprietate, est necessaria ad secundam intentionem causandam.

His praenotatis, ponuntur duae diffinitiones primae, & secundae indentionis, tàm in concreto, quàm in abstracto, ex eo, quod superius diximus, intentionem posse accipi in concreto, & in abstracto.

Prima Intentio in concreto, ex Doct. Subt. in primo distinctione 23. q. vn. lit. G. est res cognita, seù obiectum cognitum, vel volitum passiuè per actum rectum, vel reflexum intellectus, aut voluntatis. Vt homo cognitus, vel animal cognitum. Petrus volitus à voluntate, & huiusmodi.

Prima Intentio in abstracto, est cognitio, vel volitio passiua, recta, vel

reflexa, qua obiectum denominatur cognitum, vel volitū actu recto, vel reflexo. Vt cognitio, qua homo dicitur cognitus; vel volitio passiua, qua dicitur volitus actu recto; vel cognitio passiua, qua intellectus dicitur à se cognitus; & volitio, qua voluntas dicitur à se volita actu reflexo. In qua diffinitione ponitur cognitio, vel volitio, loco generis; cum sit communis ad cognitionem, vel volitionem actiuam, & passiuam. Ly passiua; ponitur ad differentiam cognitionis, vel volitionis actiuæ, quæ non sunt primæ intentiones, sed entia realia. Recta, vel reflexa; ponitur ad differentiam cognitionis passiuæ comparatiuæ, respectu intellectus, & volitionis passiuæ comparatiuæ respectu voluntatis; quia non sunt primæ, sed secundæ intentiones, vt statim dicemus.

Secunda intentio in concreto, est res cognita, vel volita actu comparatiuo passiuo intellectus, vel voluntatis. Vt genus, prout concernit animal cognitum, vt communicabile pluribus differentibus specie; & species in ordine ad hominem cognitum, vt participatiuum naturæ animalis, velut communicatiuum suis pluribus differentibus numero tantum, dicitur secunda intentio in concreto. In qua diffinitione, ponitur res cognita, vel volita; loco generis; cum sit communis, tàm primæ, quàm secundæ intentioni, concretiuè sumptæ. Actu comparatiuo passiuo; ad differentiam rei cognitæ, vel volitæ actu recto, vel reflexo, quæ est prima intentio concretiuè sumpta, vt dictum fuit.

Secunda intentio in abstracto, est relatio relationis, vel volitio, aut cognitio comparatiua passiua intellectus, vel voluntatis, fundata super prima intentione, in eadem derelicta ab actu comparatiuo actiuo intellectus, & voluntatis, qua vna res dicitur cognita, vel volita in ordine ad aliam, secundum exigentiam suæ naturæ. Vt genus, vel species, prout respectiuè abstrahit ab animali, vel homine cognitis in ordine ad se inuicem. In qua diffinitione ponitur relatio rationis, quę est genus ad secundas intentiones: ad denotandum, quod secunda intentio non est ens rationis absolutum, vt prima, sed ens rationis respectiuum. Vel cognitio, aut volitio ponitur loco generis, cum sit communis actiuæ, & passiuæ. Passiua; ponitur ad differentiam actiuæ, quæ non est ens rationis, sed reale. Comparatiua; additur ad differentiam cognitionis, aut volitionis passiuæ rectæ, vel reflexæ, quæ non sunt secundæ, sed primæ intentiones. Fundata super primam intentionem: ponitur ad differentiam primæ intentionis, quæ non fundatur super alia prima intentione, sed immediate in ente reali. Derelicta; ponitur ad denotandum, quod secunda intentio non propriè causatur ab actu recto, vel comparatiuo, sed tantum derelinquitur ab actu actiuo in actu passiuo. Ab actu comparatiuo actiuo &c. ponitur ad differentiam primæ intentionis, derelinquitur in obiecto cognito ab actu actiuo recto, vel reflexo. Qua, vna res dicitur cognita in ordine ad aliam &c. ponitur ad differentiam cognitionis, vel volitionis passiuæ rectæ, vel reflexæ, quibus res dicuntur cognitæ, vel volitæ absolutè. Addimus etiam, quod per hanc particulam ostenditur, secundam intentionem non esse quid absolutum, sed relatiuum; cum denominet rem cognitam vel volitam modo relatiuo, & non absoluto. Secundum exigentiam suæ naturæ: ponitur ad denotandum, quod non omnis secunda intentio potest fundari super qualibet prima intentione, sed tantum super ea, quæ est conueniens suæ naturæ. Vt genus, fundatur super animali cognito; & species super homine, & Leone cognitis; quia in animali cognito reperitur hæc proprietas, nimirum esse communicabile pluribus differentibus specie, quæ est solum fundamentum generis, & non speciei. Similiter in homine cognito, inuenitur alia, scilicet communicari tantum pluribus differentibus numero, quæ tantum potest fundare secundam intentionem speciei,

&

& non generis. Insuper, ponitur huiusmodi particula, ad ostendendum secundam intentionem non esse merum figmentum, vt alij fingunt, sed fundari in re, iuxtà suam proprietatem, idest naturam cuiuslibet secundæ intentionis; vt suo loco dicemus.

Quomodo Secunda Intentio Sumatur in concreto, & in abstracto.

CAPVT II.

PRIMO Notandum est, quod concretum est idem, quod coniunctum; quia duo in vnum coniunguntur, scilicet accidens, & subiectum, cui inhæret. Vt album, simul concernit parietem, & albedinem: diffinitur sic. Concretum est illud, quod significat formam inherentem alteri, vt subiectum. Exemplum de albo; quod significat albedinem, non per se existentem, sed inherentem parieti. Vndè sequitur, quod concretum duo importat, vnum principaliter, scilicet formam; & aliud minus principaliter, scilicet subiectum. Vt album, de principali significato importat albedinem; & secundario, ac minus principaliter, significat subiectum; vt nimirum, lignum, vel parietem, cui inest albedo. Abstractum verò, est idem, quod separatum, seù segregatum à suo subiecto; quia nihil concernit, sed per se separatum manet in intellectu; vt albedo; & sic diffinitur. Abstractum est illud, quod significat formam non inhærentem alteri, vt subiecto, sed per se existentem. Vt albedo, quæ significat illam qualitatem, non vt concernit lignum, vel parietem, sed per se existentem, & separatam à quocunque subiecto inhæsionis; & solùm manet obiectiuè in intellectu.

Secundo Notandum est, quod sicut in accidentibus realibus, tàm absolutis, quàm respectiuis, inuenitur concretum, & abstractum (albedo enim est abstractum, album concretum similiter pater est concretum, & paternitas abstractum) ità in accidentibus rationis debet reperiri concretum, & abstractum, cum non sit maior ratio de illis, quàm de his; siquidem omnia habent vnam, & eamdem rationem vniuocam, & absoluti, & respectiui; cum hac tamen differentia, quod in accidentibus realibus, concretum, & abstractum diuersis nominibus denotentur; quia inibi adest copia verborum: vt patet de albo, & albedine; patre, & paternitate; & in accidentibus rationis, cum adsit penuria terminorum, per vnum, & idem nomen importetur concretum, & abstractum. Vt verbi gratia Genus, potest sumi in concreto, & in abstracto; si priori modo sumatur, significat secundam intentionem, scilicet prædicari de pluribus differentibus specie, in quid, concernentem primam intentionem, scilicet animal cognitum, vt communicabile pluribus differentibus specie in quid, tamquam suum fundamentum. Si verò posteriori modo accipiatur, importat illam eamdem intentionem secundam, prout abstrahit ab animali cognito &c. similiter species in concreto, significat hominem cognitum comparatiuè passiuè in ordine ad animal, vel in ordine ad sua inferiora: quæ intentio, exprimitur per prædicari de pluribus differentibus numero in quid. In abstracto verò, significat illam eamdem cognitionem passiuam, qua homo dicitur cognitus in ordine ad animal, vel ad sua inferiora; separatam tamen per intellectum à suo fundamento. Indiuiduum etiam in concreto importat Franciscum cognitum, in ordine ad hominem, quatenùs participat naturam eiusdem hominis incommunicabiliter respectu inferiorum, quibus caret. In abstracto verò, significat illam cognitionem passiuam, qua denominatur cognitus comparatiuè, in ordine ad hominem, segregatam tamen ab ipso per intellectum.

Ex his ſit concluſio. Quodlibet nomen ſecundæ intentionis, poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicet in concreto, & in abſtracto. Probatur primo. Quia quodlibet tale, aut ſignificat ſecundam intentionem concernentem primam; & ſic ſumitur in concreto: aut ab ea ſegregatam; & ſic accipitur in abſtracto Secundo; quia in accidentibus realibus datur concretum, & abſtractum; ergò, & in accidentibus rationis, cum non ſit maior ratio de prioribus, quam de poſterioribus; ſiquidem participant eamdem rationem accidentium relatiuorum, ſicut, & accidentia relatiua realia. Et vt ſupradicta doctrina poſſit omnibus ſecundis intentionibus aptari, ponamus ſequentem arborem, ſeù cathegoriam ſecundarum intentionum.

ARBOR SECVNDARVM INTENTIONVM.

Intellectiuum.	Ens Rationis.	Volitiuum.
Fundatum.	Intellectiuum.	Non Fundatum.
Relatiuum.	Fundatum.	Abſolutum.
Limitatum.	Relatiuum.	Tranſcendens.
Prædicabile.	Limitatum.	Subijcibile.
Prædicabilis.	2.ª Intentio.	Subijcibilis.
In Quid.	Prædicabilis.	In Quale.
Partem Eſſentiæ.	Præd. in Quid.	Totam Eſſentiam.
Genus.		Species.
Gñaliſs.m | Subalt.um		Spealiſs. | Subalt.
Hoc Gen. Hoc Gen.		Hæc ſpes. Illa ſpes.
Eſſentiale.	Præd. in quale.	Accidentale.
Differentia.	P. Eſſentiale.	Diffinitio eſſent.
Proprium.	P. Accidentale.	Accidens cõmune.
Hoc, Illud.		Hoc, Illud, Iſtud.
Hæc, Iſta.	Differentia.	Hæc, & Illa.

Ex

Ex hac Arbore, facillimo negotio deducitur vndecima Cathegoria entium rationis admodum entium realium; quam dari debere, in proprio loco demonstrabimus; siquidem, & hæc ordinantur adinuicem, secundum sub, & supra; idest secundum subiectionem, & prædicationem. Et ad hanc reducuntur omnia entia rationis fundata, & limitata, ac simplicia; vt superiùs visum est.

Notandum tamen, quod sicut ordinauimus entia rationis, quæ fiunt ab intellectu, ità possunt ordinari illa, quæ causantur à voluntate; & nedum fundata, sed etiam non fundata; quandoquidem omnia habent sua genera, species, & indiuidua, de quibus possunt prædicari.

Quomodo conficiantur Secundæ Intentiones.

CAPVT III.

HAbita natura primarum, ac secundarum intentionum ex diffinitionibus superius traditis, possemus etiam inuestigare ex dictis, modum conficiendi quamlibet secundam intentionem: at, quia studentium, & tyronum præcipuè, vtilitati, ac facilitati consulere promisimus, ad maiorem eiusdem doctrinæ inteligentiam, aliquot exempla proponere decreuimus, vt ex eorum cognitione, totum hunc tractatum vnusquisque ad praxim ipsam, reducere possit.

Primo Queritur. Quomodo causentur hæ secundæ intentiones, nomen, & eius significatum? Respondetur, quod primo Intellectus cognoscit hanc vocem, Leo, actu recto; quæ cognita, est vna prima intentio. Secundo, cognoscit idem actu recto, naturam Leonis; quæ pariter cognita, est alia prima intentio. Tertio, cognoscit comparatiuè hanc vocem, Leo, in ordine ad naturam Leonis, quatenus importat illam ad placitum, sine tempore, & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in illa voce, Leo, quædam cognitio comparatiua passiua, quæ dicitur nomen pro secunda intentione. Quarto demum, cognoscit comparatiuè illam naturam in ordine ad illam vocem, Leo, in quantum sit importata ab ea, seù significata ad placitum, sine tempore, ab illa voce, Leo; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in illa natura quædam cognitio comparatiua passiua, qua dicitur sic cognita, quæ vocatur significatum Nominis pro secunda intentione.

Secundo Queritur. Quomodo causentur hæ secundæ intentiones, oratio, & eius significatum? Respondetur primo intellectum cognoscere actu recto hanc vocem complexam, verbi gratia homo est animal; quæ cognita, est vna prima intentio. Secundo cognoscere actu recto hoc, quod est hominem esse animal in re; quod pariter cognitum, est alia secunda intentio. Tertio Intellectus cognoscit comparatiuè hanc vocem complexam; homo est animal; in ordine ad hoc, quod homo est animal in re, in quantum significat ad placitum, hominem realiter esse animal; & ex tali cognitione comparatiuà actiua; derelinquitur in illa voce quædam cognitio comparatiua passiua, quæ dicitur oratio pro secunda intentione. Quarto cognoscit comparatiuè hoc, quod homo est animal in re, in ordine ad hanc vocem; homo est animal; in quantum verè, & realiter importatur, seù significatur ab illa ad placitum; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in hoc, quod homo est animal in re cognita comparatiua passiua; quę vocatur significatum orationis pro secunda intentione.

Tertio Quæritur. Quomodo causentur hæ intentiones secundæ, subiectum, prędicatum, & copula in propositione cathegorica? Respondetur primo, intellectum cognoscere in hoc complexo, homo est animal, hominem esse, & animal, actu recto; quæ cognita, sunt tres primæ intentiones. Secundo, cognoscit hominem in ordine ad animal, in quantum homo est, de quo dicitur quiditatiuè animal, & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in homine cognitio comparatiua passiua, quæ vocatur subiectum pro secunda intentione. Tertio

tio cognoscit comparatiuè animal in ordine ad hominem, in quantum dicitur, seù enunciatur verè de illo; & sic ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in animali sic cognito, quædam cognitio comparatiua passiua, quæ appellatur prædicatum pro secunda intentione. Quarto tandem, cognoscit comparatiuè illud verbum est, quatenus coniungit, seù copulat animal cum homine in illo complexo, homo est animal; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in illo verbo, est, cognitio comparatiua passiua, quæ dicitur copula pro secunda intentione.

Quarto quæritur. Quomodo causentur hę duæ secundæ intentiones, species specialissima, & indiuiduū? Respondetur primo intellectum cognoscere actu recto hominem; qui cognitus, est vna prima intentio. Secundo, cognoscere Petrum, Paulum, Franciscum, & sic de alijs, pariter actu recto; qui cogniti, sunt tot primæ intentiones. Tertio, cognoscere hominem comparatiuè in ordine ad Petrum, Paulum, Franciscum, & sic de alijs, in quantum est quædam natura communicabilis illis, qui non possunt alijs communicari; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in homine sic cognito, quædam cognitio comparatiua passiua, quæ dicitur species specialissima pro secunda intentione. Quarto, iterum cognoscere Petrum, Paulum, Franciscum, & cæteros comparatiuè in ordine ad hominem, in quantum participant naturam eius, quæ vt in ipsis, nequit alijs communicari; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in illis cognitio comparatiuà passiua quæ dicitur indiuiduum pro secunda intentione.

Quinto quæritur. Quomodo causentur hę duæ intentiones, genus, & species? Respondetur primo intellectum cognoscere verbi gratia animal, & hominem actu recto; quæ duo cognita, sunt duæ primæ intentiones. Secundo, cognoscere animal comparatiuè in ordine ad hominem, in quantum est communicabile, nedum homini, sed etiam Leoni, equo, & cæteris animalibus, quę adhuc possunt alijs inferioribus communicari; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in animali cognitio comparatiua passiua, quę dicitur genus pro secunda intentione. Tertio iterum cognoscere hominem comparatiuè in ordine ad animal, in quantum participat cum cęteris animalibus naturam animalis, & adhuc potest illam communicare Petro, Paulo, & cęteris, & immediatè continetur sub animali; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in homine cognitio comparatiua passiua, quę dicitur species subijcibilis, seù relatiuum generis.

Sexto Quæritur. Quomodo causentur hę intentiones secundę genus generalissimum, & genus subalternum? Respondetur intellectus primo cognoscit actu recto, verbi gratia substantiam, & animal; quæ sic cognita, sunt duæ primę intentiones. Secundo cognoscit comparatiuè substantiam in ordine ad animal, in quantum communicatur illi, & alijs naturis, adhuc communicari valentibus suis inferioribus, & ad superiora, quatenus supra se non habet aliam naturam limitatam, quę sibi possit communicari; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in substantia, cognitio comparatiua passiua, quę dicitur genus generalissimum. Tertio, cognoscit comparatiuè animal in ordine ad inferiora, in quantum est natura communicabilis alijs naturis communcabilibus; & ad superiora, in quantum cum alijs participat naturam substantię; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in animali cognitio comparatiua passiua, quę dicitur genus subalternum.

Septimo Quæritur. Quomodo causentur hę secundę intentiones, syllogismus, & conclusio? Respondetur primo Intellectus cognoscit has duas propositiones: homo est animal, & Franciscus est homo: sic dispositas in tertio modo primę figurę; quę cognitę, sunt duę primę intentiones. Secundo cognoscit hanc aliam. Franciscus est animal, quę pariter cognita actu recto, est alia prima intentio. Tertio cognoscit comparatiuè illas duas propositiones in ordine ad illam tertiam, in quantum,

illę duę possunt inferre, sic ordinatę in modo, & figura, illam tertiam; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in illis cognitio comparatiua passiua, quę dicitur syllogismus pro secunda intentione. Quarto, iterum cognoscit illam tertiam propositionem, in ordine ad illas duas sic dispositas in modo, & figura, in quantum est nata inferri ab illis; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in ea, comparatiua cognitio passiua, quę dicitur conclusio pro secunda intentione.

Ex hoc ordine, eliciuntur octo signa, quę concurrunt in formatione cuiuslibet secundę intentionis. Siquidem, in primo signo cognoscit intellectus obiectum actu recto, vel reflexo. In secundo signo, derelinquitur in obiecto cognito actu recto, vel reflexo, cognitio passiua recta, vel reflexa, quę est prima intentio. In tertio signo, cognoscit aliud obiectum actu recto, vel reflexo. In quarto signo, derelinquitur cognitio passiua recta, vel reflexa, quę est alia prima intentio. In quinto signo, cognoscit intellectus primum obiectum comparatiuè in ordine ad secundum, sub aliqua proprietate conuenienti. In sexto, in tali obiecto sic cognito, derelinquitur cognitio comparatiua passiua, quæ est vna secunda intentio. In septimo signo, cognoscitur aliud obiectum in ordine ad primum, sub aliqua proprietate. Et in octauo, derelinquitur alia cognitio comparatiua passiua, quæ est alia secunda intentio correlatiua ad primam secundam intentionem derelictam in primo obiecto comparatiuè cognito. Et hęc de formatione secundarum Intentionum, dicta sint satis; ab his enim poterit vnusquisquè sumere exempla in ceteris, tùm intellectus, tùm voluntatis, quę ideò omittuntur, vt breuitati sit consultum.

De Predicatione Secundarum Intentionum inter se, & de Primis.

SECTIO III.

PRO cuius intelligentia. Primo notandum est, duplicem esse prędicationem, scilicet exercitam, & signatam. Prędicatio exercita est, in qua inter subiectum, & prędicatum, mediat hoc verbum, est; vt homo est animal. Prędicatio autem signata est illa, in qua inter subiectum, & prędicatum, mediat hoc verbum, prędicatur, vel aliud ęquiualens; vt dicitur enunciatur, verificatur &c. vt animal prædicatur de homine; homo dicitur de Petro. Et hęc dicitur signata, & illa exercita, quia, quod signatur in prima exercetur in secunda; nàm, in hac signata. Homo prędicatur de Petro: Signatur, hominem conuenire Petro; quę posteà exercetur per hanc; ergò Petrus est homo. Vtraque prędicatio reperitur in terminis, tàm primarum, quàm secundarum intentionum, vt inferius patebit.

Secundo notandum est, quamlibet secundam intentionem posse dupliciter accipi; vno modo vt quid, alio modo, vt modus. Tunc accipitur, vt quid, quando accipitur in abstracto, & intelligitur segregata à prima intentione, in qua fundatur. Verbi gratia genus accipitur, vt quid, quando significat tantum se, & non animal, in quo fundatur. Tunc verò accipitur, vt modus, quando sumitur in concreto, prout videlicet concernit primam intentionem, in qua fundatur verbi gratia genus, sumitur vt modus, quando concernit animal cognitum, in quo est tamquam accidens denominans in suo denominato. Ex quo sequitur, quòd secunda intentio, vt quid in abstracto, pro per se significato, sunt idem. Similiter secunda intentio, vt modus, incon-

inconcreto, & pro denominato, sunt idem.

Tertio Notandum. Quod sicut accidens reale comparatur ad inferiora, ad disparatum, & ad suum subiectum, in quo est, vt patet de albedine, quæ comparatur ad hanc, vel illam albedinem, ad nigredinem, vt ad disparatum, & ad parietem, vt ad subiectum, ità secunda intentio, quæ est accidens rationis potest comparari ad tria; scilicet ad sua inferiora, vt species, ad hanc, vel illam speciem; ad suum disparatum, vt species ad genus, quatenus ambo sunt species vniuersalis in communi; & tandem ad primam intentionem, species ad hominem cognitum, & genus ad animal cognitum, in quibus fundantur.

Ex his, prima Conclusio sit ista. Omnis secunda intentio, vt quid, seù in abstracto, superior potest prædicari de inferiori, vt quid, tàm prædicatione signata, quàm exercita. Vt species, vt quid, prædicatur de hac, & illa specie signatè, & exercitè; quia sicut hæc est vera: species prædicatur de hac, & illa specie: ità hæ sunt veræ: hæc species, est species; & illa species, est species. Probatur. Quia omne superius prædicatur essentialiter de suis inferioribus, cum includatur in illis; ergò, & secunda intentio, vt quid superius prædicatur, vt quid, de inferioribus, cum includatur in illis essentialiter. Antecedens patet; quia hæ sunt veræ: animal prædicatur de homine; ergò homo est animal; sed hæc se habent, vt superius, & inferius, ergo &c.

Secunda Conclusio. Si vna secunda intentio, vt quid, comparetur ad suam disparatam, vt quid, non potest prędicari de illa, nec prædicatione signata nec exercita. Probatur. Quia nullum disparatum prædicatur verè de alio disparato; sed duæ secundæ intentiones, vt quid sumptæ, sunt disparatè oppositæ; ergo vna nequit prædicari de alia. Maior patet per locum à disparatis. Minor patet similiter; quia genus, & species, vt quid sumpta, sunt duo disparata, cum sint duæ species contentę sub vniuersali in communi, quod est Genus, vt modus.

Tertia Conclusio. Nulla secunda intentio, vt quid, potest prædicari de prima intentione, aut prædicatione signata, aut exercita. vt verbi gratia genus, vt quid, nequit prædicari de animali cognito. Probatur. Quia genus, vt quid, & animal cognitum, se habent sicut albedo, & lignum in quo potest subiectari; sed albedo nullo modo potest prædicari de ligno; ergo nec genus de animali cognito. Maior patet; quia sicut albedo abstrahit à ligno, in quo subiectari potest ità genus ab animali cognito, in quo fundari potest. Minor similiter patet; quia hæc est falsa: lignum est albedo: & ratio est; quia in tantum albedo potest prædicari de ligno, in quantum concernit ipsum; sed si sumatur, vt quid, non concernit illud; igitur nequit illud denominare.

Quarta Conclusio. Omnis secunda intentio superior, vt modus, seù in concreto sumpta, prædicatur de inferiori, sumpta pariter vt modus, tàm prædicatione signata, quàm exercita: istæ enim sunt veræ. Genus prædicatur de hoc, vel illo genere; ergo hoc genus est genus, & illud genus est genus. Similiter vniuersale prædicatur de specie, genere differentia proprio, & accidente; ergo genus, species, differentia proprium, & accidens, sunt vniuersalia. Probatur. Quia secunda intentio, vt modus, sumitur prout concernit primam intentionem; sed prima intentio prædicatur, tàm signatè, quàm exercitè de inferiori; ergò, & secunda, vt modus sumpta, sic prædicatur. Maior patet ex secundo Notabili. Minor patet; quia Animal cognitum, quod est fundamentum huius secundæ intentionis, genus, prædicatur de homine cognito, qui est fundamentum huius secundæ intentionis, species.

Quinta Conclusio. Secunda intentio, vt modus, prædicatur de sua disparata, vt modus tantum prædicatione signata; quæ posteà exercetur in primis intentionibus. Istæ enim sunt veræ. Genus prædicatur de specie; ergò homo est animal; sed genus, & species sunt duæ secundæ intentiones disparatę, vt dictum superius; ergo

ergò secunda intentio, vt modus, prædicatur de sua disparata, vt modus, prædicatione signata. Vniuersaliter enim hæ sunt veræ. Genus prædicatur de specie; ergò Leo est animal; species prædicatur de indiuiduo; ergò Franciscus est homo; definitio prædicatur de definito; ergò homo est animal rationale.

Sexta Conclusio. Omnis secunda intentio, vt modus, prædicatur de prima intentione, quam concernit, tàm prædicatione signata, quàm exercita. Patet; quia istæ sunt veræ. Genus prædicatur de animali cognito; ergò animal cognitum est genus. Species prædicatur de homine cognito; ergò homo cognitus est species. Et ratio est; quia omne accidens prædicatur denominatiuè de suo subiecto. Vt album prædicatur de ligno; ergò lignum est albũ; sed secunda intentio, est accidens fundatum super prima intentione; ergò prædicatur de illa, vt modus sumpta.

Septima Conclusio. Vna secunda intentio disparata, vt modus, potest prædicari de alia disparata, etiam prædicatione exercita, dummodò sit fundata super ipsa. Hæc conclusio declaratur sic. Hæc secunda intentio species, quæ est disparatè opposita generi, potest fundari supra genus, & ità prædicari de genere, nedum signatè, sed etiam exercitè; hæc enim est vera: genus est species supplè vniuersalis in communi. Vt autem hoc manifestius pateat, ponamus ordinem causandi talem secundam intentionem fundatam supra genus. Primo Intellectus cognoscit vniuersale in communi actu reflexo (nàm intentiones secundæ, tantũ actu reflexo cognoscuntur quod cognitum, est vna prima intentio. Secundo, cognoscit genus actu reflexo; quod cognitum, est alia prima intentio. Tertio, cognoscit actu comparatiuo vniuersale in ordine ad genus, in quantum communicatur illi sua natura, quæ est prædicari de pluribus; & nedum ipsi, sed etiam speciei, differentię, proprio, & accidenti; & ex tali cognitione comparatiua actiua, derelinquitur in vniuersali cognitione comparatiua passiua, quæ dicitur genus, vt modus. Quarto, cognoscit comparatiuè genus in ordine ad vniuersale, in quantum participat eius naturam, scilicet prædicari de pluribus, & continetur immediatè sub eo; & ex tali cognitione comparatiua actiua, de relinquitur in genere sic cognito, comparatiua cognitio passiua, quæ dicitur species, vt modus. Ex quo patet probatio conclusionis. Quia species illa, vt modus, fundata super genus eo modo se habet ad illud, sicut genus ad animal cognitum; sed genus, vt modus, prædicatur de animali cognito, vt manifestè patet ex præcedenti conclusione; ergò & species, vt modus, prædicatur de genere. Et sic istæ erunt verę in prædicatione exercita. Genus est species: differentia est species: proprium est species; supplè vniuersalis: & vniuersale est genus: supplè, ad quinquè vniuersalia. Et hæc de Tractatu secundarum Intentionum, dicta sufficiant.





COMMENTARIA VNA CVM QVÆSTIONIBVS SVPER LOGICAM ARISTOTELIS,

AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS IOANNIS DVNS SCOTI, auxilio Dei, Virginis Deiparæ, Seraphici P.N.S. Francisci, DD. Bonauenturæ, ac Antonij de Padua Minoritanæ Familiæ Patronorum.

Per A.R.P.F. Liuium de Montursio eiusdem Ord. Reg. Obs. S. Theol. Lectorem Gener. olim exarata, ac denuò maiori cum studio, & diligentia reuisa, fæliciter incipiunt.



Eritatem sine veritatis principio inuestigare, finem sine medijs quaerere, ac scientiam absquè scientiarum parente, ac progenitrice tandem affectare, parùm rationi consentaneum, omnes vnanimi consensu acclamabunt sapientes: quandoquidem, talem ordinem inuiolabiliter custodiendum, toti humano generi in terris præscripsit Altissimus, nè vnumquodquè cognoscere pertentet, si prius rerum causas principia, & elementa non fuerit perscrutatus. Ità docet Aristoteles, huic subscribens decreto, ex Antiquorum traditionibus, libro primo Post. Analyticorum cap. 1. & 2. dùm dicit. Omnem doctrinam, & omnem disciplinam, ex praeexistenti fieri cognitione. Quam perfectè tunc assequi valebimus, si rerum causas, & propter quas res sunt, distinctè agnouerimus. Quapropter, non erit absre, nobis ad veritatis, scientięquè, culmina pertingere quæritantibus, Logicę cognitionem anteponere; vt commodiùs ad ea, quæ cupimus, faciliorem aditum prępararemus. Siquidem, ipsa est via, & methodus ad omnium facultatum veritatem ostendendam. Est enim teste Petro Hispano, & Alberto Magno, ars artium, scientia scientiarum, quæ à phantasijs, quę videntur, & non sunt, nos liberat, errores damnat, falsitates ostendit, & in omni genere contemplationis, lumen rectum præbet; cum etiam sit ianua ipsarum,

qua

qua aperta omnes aliæ aperiuntur, & qua clausa, ceteræ pariter clauduntur. Et quia ordo, in quo non modo minimarum rerum, verum totius orbis plenitudo consistit, ex Philosopho 12. Meth. tex. com. 52. est vbiquè seruandus: talis in præsentiarum à nobis custodiendus proponitur, tum in expositione Textus, tum in quæstionibus dilucidandis, vt textus expositio non sit, tam acurata, quę omnes eiusdem particulas percurrat (siquidem, pro maiori parte, illum dedimus in summulis) sed tantum necessaria tangemus, mentem Philosophi summatim aperiendo. In quęstionibus autem, sic procedemus. Primo loco opiniones aliorum, si quę fuerint, adducentur: secundo, fundamenta verioris sententiæ expendentur: tertio, conclusiones resolutiuas quęstionum probabimus: & quarto, rationes oppositas examinando, finem imponemus disputationibus. Antequam tamen ad libri Porphyrii expositionem, nec non Doctoris Subtilis quæstionum super eodem, dilucidationem accedamus, operæ pretium duximus, aliquas quæstiones præambulas, vniuersam logicam concernentes, examinare: vt facilius pateat aditus ad difficilima pertractanda.

De Natura Logicæ, & eius Subiecto.

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrum Aristoteles fuerit inuentor Logicę.

QVÆSTIO I.

NON sine ratione, huiusmodi quæstio à nobis exagitanda proponitur; cum non desint Auctores, in dubium reuocantes. An Græci, inter quos, principem locum videtur obtinuisse Aristoteles, fuerint primi, ac veri artium, & scientiarum inuentores. Quandoquidem Caldæi primum à multis sæculis, ante Grecorum gloriam, se scientiarum, & artium progenitores prædicabant; vt licet videre apud Eusebium de Præparat. Euang. lib. 9. & 10. Cyrillum, lib. p. contra Iulianum; & alios grauissimos Auctores.

Verùm, verior sententia, quæ ab omnibus ferè Philosophis latinis defenditur, nec Caldæis, nec Græcis, scientiarum inuentionem tribuit, sed omnes ab Altissimo promanasse in rerum omnium primordio, asserit. Ità Franciscus Toletus in Logica, cap. p. Colleg. Conimbric. In Proæmio Log. c. primo, & alij.

Pro totius quæst resolutione, primò notandum est, aliquem posse dici auctorem, & inuentorem alicuius rei in duplici sensu. In priori, vt illam adinuenerit totaliter; ità quod ante ipsum, nihil eius in rerum natura præfuerit. In posteriori, vt rem ipsam, aliqualiter adinuentam, auxerit, perpolieritquè, addendo multa de nouo, & illa disponendo, ac dilucidando. Si priori modo sit sermo de primo inuentore; dicendum est, nec Aristotelem, nec vllam creaturam, posse dici inuentorem Logicæ, alteriusuè facultatis; cum omniū cognitio ab ipso Deo infusa fuerit Protoparenti Adamo, & ab eodem in posteros deriuata per filios; siquidem hi docuerunt Hebræos; deindè in Caldæos Ægiptios, Græcos, Latinos, & denique in omnes mundi partes transfusa, & deriuata fuit. Si verò de posteriori inuentionis modo loquamur, Aristoteles potest per optimè appellari Auctor, & Inuentor Logicæ, Philosophiæ, ac multarum aliarum facultatum; cum ipsas fermè collapsas, natiuoquè splendore destitutas, ad pristinum reduxerit statum; insuper, addendo multa de nouo, antiqua, ordine mirifico, decorando, diuisionibus, diffinitionibus, & argumentationibus. Siquidem, loquendo de facultate Logica, diuisit illam in tres partes; in quarum prima egit de terminis, in secunda de propositionibus, & in tertia de Syllogismis, & reliquis Argumentandi modis, quorum, & diffinitiones tradidit, & terminos in propositiones, ac propositiones in argumentationes ordinauit, ac disposuit, deducendo conclusiones demonstratiuè, probabiliter, & sophysticè ex præmissis, in modo, & figura distributis; vt visum est in Summulis.

Secundo Notandum est, adhuc dupliciter posse intelligi, vt Aristoteles dicatur Logicę inuentor. Vno modo, quia primus ordinauerit, siuè perfectè, siuè imperfectè arguendi, siuè discurrendi modum, ac formam; & sic nequit appellari primus Logicæ inuentor; cum constet, ante ipsum fuisse Zenonem Eleatem,

Architam

Architam Tarentinum, Gorgiam Leontinum, & alios, quos in quibusdam Dialogis memorat Plato; quibusquè adscribi videtur aliqualis inuentio logicæ. Alio modo, quia primus perfectè, collapsam penitus logicam restituit, restitutamquè, perfectissima ordinauit methodo; & sic Aristoteles fuit omnium primus auctor, & Inuentor Logicæ; cum ipsam, nedum illustrauerit, addendo multa præcepta, & necessarias regulas antiquitus ignoratas, verùm etiam tali, tantoquè ordine omnia disposuerit, vt postmodum Sancta Mater Ecclesia Catholica, præsertim à mille annis, cæteris omissis Philosophis, ipsum pro Doctore in omnibus Gymnasijs orbis Christiani meritò habendum susceperit, ac decreuerit; exclusis excludendis, vt aliàs dicturi sumus.

Ex his, sit prima Conclusio. Si loquamur de primo Inuentore secundum primam acceptionem in primo Notabili positam, Deus dumtaxat potest dici Inuentor, nedum logicę, sed etiam omnium aliarum facultatum, & scientiarum. Probatur Quia Adam in sui conditione habuit cognitionem infusam omnium rerum naturalium; quicquid sit de supernaturalibus, sed talis cognitio solum pendebat à Deo; ergò solus Deus fuit Inuentor illius. Maior patet; quia ipse imposuit nomina omnibus animalibus; vt habetur Genesis, cap. 2. ergò illa cognouit, cum eorumdem proprietatibus. Tùm etiam, quia aliter potuisset decipi, & aliquod verum, approbare pro falso, credendo ex ignorantia, verum esse falsum, & falsum verum; quod est contra D. Augustinum lib. 3. de libero Arbitrio. Minor similiter patet communiter per omnes.

Secunda Conclusio. Si verò loquamur de Inuentore secundo modo, dicto in primo notabili, & de prioritate generationis, licet non perfectionis, Aristoteles non fuit primus inuentor Logicæ. Probatur ex secundo Notabili. Quia Zeno Eleates, Archita Tarentinus, & alij calluerunt Logicam, & Modum arguendi; sed tales præcesserunt Aristotelem, vt inquit Plato in quibusdam Dialogis; ergò ipse non fuit primus Inuentor Logicæ. Maior patet ex Cicerone, & Seneca, varijs in locis testantibus, Aristotelem, ob id solum confecisse libros Priorum Analyticorum, vt illorum cauillationes sophysticas solueret, & fastus, quos, ob miram dexteritatem in disputando præseferebant, penitus reprimeret.

Tertia Conclusio. Si tandem loquamur de primo Inuentore, primitate perfectionis, modo iam explicato in secundo Notabili, Aristoteles fuit primus Inuentor, nedum Logicæ, sed etiam aliarum multarum facultatum. Probatur primo; ex Platone suo Magistro, à quo veritatis Philosophus, & mens Academiæ appellatur. Secundo, experientia constat eius peritia, ex scriptis, quæ reliquit. Tertio, quia Ecclesia Catholica nullum alium Philosophum pro Magistro, ac Doctore accepit, præter vnum Aristotelem; ergò præsumendum est, ipsum fuisse cæteris peritiorem, & in docendo perfectiorem omnibus.

Obijcies tamen primo, contra hanc Conclusionem tertiam. Quia ante Aristotelem fuerunt multi, qui nonerunt modum arguendi, ac disputandi Logicaliter; ergo ipse non fuit primus Logicæ Inuentor.

Respondetur consequens esse verum de primo Inuentore, primitate generationis, & imperfecto, non tamen de primo, primitate perfectionis, & perfecto; quia sic fuit tantum Aristoteles, vt liquet videre in suis scriptis, & ex auctoritate Platonis, Quintiliani, Ciceronis, & aliorum; quos referunt Conimbricenses, in Proemio ad Logicam cap. 4.

Obijcies secundo. Omnes facultates fuisse Adamo ab altissimo inspiratas, quas postea tractu temporis, emanasse in posteros, constat ex Antiquorum monumentis, ac traditionibus, tùm Hæbræorum, tùm Caldeorum, & aliarum Nationum, quas præcessisse Aristotelem, manifestũ est; ergò ipse nequit dici primus illarum Inuentor.

Respondetur, consequens esse verum de primo Inuentore, primitate generationis, in prima cuiuslibet facultatis conditione, quæcunquè fuerit illa; siquidem, talis fuit solus Deus, & non Aristoteles. At loquendo de primitate perfectionis post facultates collapsas, non est derogandum Aristoteli, cum ipse primus fuerit illarum

illarum restitutor, & perfectus Inuentor, ac Auctor, vt patet ex dictis.

Vtrum Logica sit necessaria ad alias facultates acquirendas.

QVÆSTIO II.

HÆC difficultas mouetur, & discutitur à nobis, non tantum ob diuersitatem opinionum, sed etiam, vt appræhensa necessitate Logices, maiori studio, ac diligentia, accendatur animus ad eam capessendam, in gratiam aliarum scientiarum, & facultatum.

Circa hanc quæstionem duæ vertuntur oppositæ sententiæ; quarum prima est Ioannis de Ianduno, primo Meth.q.2.& secundo Meth. q. 12. Iauelli, in Compendio Logicæ, tract. primo cap. 4. Qui dicunt, Logicam esse vtiquè vtilem, non tamen simpliciter necessariam ad alias scientias acquirendas.

Secunda huic opposita, est aliorum, quos sine nomine citat Iauellus; asserentium, Logicam esse simpliciter necessariam ad omnes alias scientias, & facultates acquirendas; itaut nulla sine ipsa haberi possit. Quia, cum omnis scientia acquiratur per demonstrationem, & sola Logica doceat demonstrare, nulla poterit haberi scientia sine logica.

Tertia tamdem sententia, quam sequuntur Sotus, Toletus q. 1. P.oœmiali, Tataretus, Ioannes de Magistris super tex. p. Tract. primi summul. Petri Hispani; & communiter moderni; inter quos Ruuius quæst. 1. Proœmiali ad Logicam, Complut. disput p.q.7. Sanchez, lib.p.q.2. Rochus q.4 Proœm.& alij relati à Mallrio de Nat. Logicæ, art.6.nu. 60. mediat inter primam, & secundam; dum docet, Logicam esse vtiquè necessariam ad ad alias scientias perfectè acquirendas, non tamen ad illarum acquisitionem imperfectam.

Pro litis diremptione, veriorisquè sententiæ fundamento, primo notandum est hic sumi logicam secundum omnem sui patrem, & totaliter; quæ sic posset describi. Logica est facultas intellectualis, quæ docet, notum ab ignoto, & verum à falso discernere, mediante diuisione, diffinitione, & argumentatione, seù syllogismo. Ità Boetius, libro primo Topicorum. Et sic, comprehendit sub se omnes logicæ partes, scilicet libros Perihermenias; in quibus agitur de terminis, & propositionibus: Prædicabilium, & Prædicamentorum; ex quibus cognoscimus prædicationem terminorum vniuersalium de particularibus, ac ordinem eorum ad inuicem: libros Priorum, Posteriorum, Topicorum, & Elenchorum; in quibus pertractatur de syllogismis. Et per hos cognoscimus modum inferendi vnam propositionem ex alia, mediante earumdem dispositione in modo, & figura; vt visum est in summulis.

Secundo Notandum est, duplex esse necessarium, scilicet simpliciter, & secundum quid, seù ex suppositione. Necessarium primo modo, est illud, quod ex sua natura includit necessitatem essendi, & non per ordinem ad aliud Et sic tantum Deus dicitur ens necessarium; quia sibi repugnat non esse. Necessarium secundo modo, est illud, quod secundum se non dicit repugnantiam ad non esse; attamen facta suppositione, dicitur simpliciter necessarium, quomodo respiratio dicitur necessaria homini; non simpliciter, quia quantum est ex se potest non esse; supposita tamen vita hominis, est simpliciter necessaria; quia sine ipsa viuere non posset. Et hoc modo, etiam cibus dicitur necessarius animali, quia sine ipso diu viuere nequit.

Tertio notandum. Cum necessarium ex suppositione dicatur tale, tantum per ordinem ad aliud, hoc potest adhuc esse duplex, absolutum, & ad benè esse. Necessarium primo modo dicitur illud, sine quo finis intentus absolutè nequit obtineri. Exemplum de cibo respectu hominis viuentis, qui sine ipso viuere nō potest. Necessarium secundo modo, quod potius vtile, & commodum dici debet, est illud, sine quo finis absolutè, & simpliciter haberi potest, non tamen ità faciliter, & commodè, ac delectabiliter. Et hoc modo equus dicitur necessarius Petro, iter facere volenti; quia sine ipso difficulter, & maximo cum labore posset iter cæptum perficere. Logica, in proposito, dicitur necessaria primo modo, ad alias scientias

capescendas; quia supposito, quod aliæ scientiæ acquiri debeant, hoc nequit obtineri absque Logica; quia ea sola docet demonstrationem, quæ est syllogismus faciens scire; ex primo Post. cap. 2.

Quarto Notandum. Alias scientias posse acquiri sine Logica, posse dupliciter intelligi; vno modo perfectè; alio modo imperfectè. Tunc aliquam scientiam acquirimus perfectè, cum scimus deducere conclusiones ex principijs, vt principia sunt; idest, vt disposita in modo, & figura, cognoscendo illarum euidentem consequentiam ex illis; quomodo diceremus, perfectè obtinere notitiam huius conclusionis: omnis homo est substantia: quia euidenter cognoscimus, esse deductam ex hac demonstratione: omne animal est substantia; & omnis homo est animal. Tunc verò aliqua scientia dicitur obtineri imperfectè, quando sciuntur aliqua præcepta, principia, & conclusiones; non tantum quatenus principia sunt illatiua conclusionum,& conclusiones deducuntur ex præmissis dispositis in modo, & figura; per quam solum habetur euidens illatio; sed tantum sub ratione quarundam regularum, & præceptorum, ex quibus deducantur huiusmodi notitiæ, ignorando tamen, quænam sint principia, & conclusiones, & euidentem illationem earundem ex illis dispositis in modo, & figura. Primo modo, nulla scientia potest acquiri sine Logica, siuè secundum se totam, siuè secundum partem; quia omnis talis habetur per demonstrationem, quæ per logicam dumtaxat administratur, ex Philosopho, primo Poster. cap. 2. At secundo modo, quælibet facultas, & scientia potest acquiri sine Logica, cum non in ratione scientię, sed solum in ratione artis liberalis obtineatur. Et sic Iuristæ dicuntur possidere Ius Canonicum, & Ciuile; Medici, autem, seù scientiam Medicinæ; Rethores, Rethoricam; & alij, cæteras scientias, & facultates absque Logica; quia deducunt illarum notitias ex suis regulis, ac præceptis, ignorando rationem conclusionum,& principiorum, vt conclusiones, & principia sunt.

Ex his, sit prima Conclusio. Logica est simpliciter necessaria, ex suppositione, ad quamlibet scientiam, siuè secundum se totam, siuè secundum partem perfectè acquirendam. Probatur primo, ex Philosopho, primo Post. Quia omnis scientia est effectus demostrationis; cum demonstratio sit syllogismus faciens scire; vt dicitur ibidem, cap.2. Sed sola Logica docet demonstrationem, vt est per se notum apud omnes; ergò. Secundo sic. Ad scientiam obtinendam, requiritur, vt conclusiones reducantur in principia, & ex eis deducantur per euidentem consequentiam; sed hoc nequit haberi sine Logica, ex Philosopho secundo meth. cap.3. & primo Post. cap. 2. ergo. Maior est Aristotelis primo Post. cap.2. vbi dicit, quod tunc arbitramur vnumquodquè cognoscere scientificè, cū cognoscimus causam, & rem per causam, propter quam res est, idest, conclusiones per principia: & quoniam illius est causa: idest, rationem, ob quam huiusmodi conclusiones deducantur ex talibus principijs, & non ex alijs.

Secunda Conclusio. Ferè omnes facultates,& scientiæ acquiri possunt modo imperfecto, vel non scientifico, absque Logica. Probatur primo. Quia plurimi Iuristæ, & Medici addiscunt Ius Canonicū, & Ciuile, & medicinam absque cognitione Logicæ; vt experientia comperimus; ergò Logica, vt sic, non est necessaria simpliciter; aliter non possent acquiri huiusmodi facultates sine illa. Secundo probatur. Quia ad cognitionem talium facultatum sufficit, vt cognoscantur præcepta, & regulæ, absque hoc, quod disponantur, vt principia, in modo, & figura, & ex illis deducantur conclusiones scibiles; sed hoc obtineri potest solo lumine naturali, vt experientia constat; ergò omnes facultates, & scientiæ, possunt acquiri modo imperfecto, & non scientifico; absque Logica.

Obijcies tamen primo, contra primam Conclusionem. Logica non est necessaria, nec propter se, nec propter alias scientias acquirendas; ergò nullo modo est necessaria: consequentia patet à sufficienti diuisione. Antecedens probatur. Non propter se; quia tunc possemus simul acquirere scientiam, & modum sciendi; sed hoc est contra Philosophū secundo Meth. t. c. p. dicentem; absurdum esse simul quærere scientiam, & modum sciendi; per quem, intelligitur Logica. Nec propter alias,

alias; quia in tantum afferitur neceffaria propter alias, in quantū illis fubminiftrat demonftrationem, quæ eft fyllogifmus faciens fcire; fed hoc eft falfum; ergò. Maior patet ex probatione noftræ conclufionis primæ. Minor probatur, quia aliæ fcientiæ habent proprias demonftrationes; fiquidem in Phyfica habetur hæc. Omne compofitum ex materia, & forma, eft corruptibile; fed omne corpus naturale eft cōpofitum ex materia, & forma; ergò eft corruptibile. Similiter in Medicina habetur hæc alia. Omne vulnus rotundum tardius fanatur quàm oblongum; fed hoc eft rotundum, & illud oblongum; ergò hoc tardiùs fanatur, quàm illud. Et fic poffumus difcurrere in omni facultate; ergò Logica non præbet demonftrationem alijs fcientijs, ac proindè non eft neceffaria ad acquifitionem aliarum fcientiarum.

Refpondetur Negando antecedens Ad primam probationem dico, Philofophum folum velle in illis verbis, effe abfurdum fimul quærere Methaphificam, quæ antonomafticè dicitur fcientia; & Dialecticam, quæ eft modus fciendi, faltem obiectiuus: ac fi dicat. Debemus addifcere prius Logicam, quam Methaphificam. Ad fecundam probationem, negamus minorem: ad probationem eiufdē dicimus, antecedens effe verum materialiter, non tamen formaliter; hoc eft dictū. Demonftrationes aliarum fcientiarum, funt conftitutæ ex terminis proprijs illarum; formam verò habent à Logica, cum cognitione euidentiæ conclufionis ex præmiffis; quod eft potiffimum in quacunque demonftratione fcientifica.

Obijcies fecundo. Experientia conftat, multos didiciffe, & modo addifcere Mathematicas fcientias fine Logica. Similiter Hipocratem obtinuiffe perfectè Medicinam, & tamen caruiffe Logica. Et idem dicitur de Iure Ciuili, Canonico, & Pontificio; ergò Logica non eft fimpliciter neceffaria ad omnes fcientias acquirendas.

Refpondetur, totū antecedens effe verū imperfectè, & nō perfectè; & fi quæ acquirantur perfectè, hoc eft intelligendum in ratione artis liberalis, non tamen in ratione fcientiæ; quia hæc nequit haberi abfquè demonftratione; & nemo poteft demonftrare fine Logica.

Obijcies tertio. Si Logica effet neceffaria ad acquifitionem aliarum fcientiarū, fequeretur nos teneri prius addifcere Logicam ante cæteras facultates; fed hoc eft falfum; ergò. Sequela maioris patet; quia medium femper debet præcedere finem in executione. Minor probatur; quia Logica, ex Auicena primo Meth. & Scoto, q. 9. Vniuerfalium, eft de fecundis Intentionibus fundatis fuper rebus; ergò nequeunt cognofci, nifi prius res ipfæ cognofcantur: at res non cognofcuntur per Logicam, fed per alias fcientias reales, fcilicet per Metaphificam, vel Phificam; ergò cognitio Logicæ, non debet præcedere, fed potius fequi cognitionem aliarum fcientiarum. Confequentia patet; quia fecundæ intentiones nequeunt cognofci antequàm fint, fed tunc duntaxat habent effe, dum res cognofcuntur comparatiuè ab intellectu; vt docet Doct. fubtilis pluribus in locis fuæ Logicæ; & nos tradidimus in Tract. fecundarum Intentionum; ergò prius non eft addifcenda Logica, quàm aliæ fcientiæ.

Refpondetur negando minorem. Ad probationem nego minorem: immò res fuper quibus fundatur fecundæ intentiones, cognofcuntur faltem per accidens à Logica; quatenùs nimirum funt fundamenta fecundarum intentionum; perfe verò fciuntur ab alijs fcientijs: vndè non fequitur, alias fcientias debere præcedere Logicam; imò è conuerfo, eum fe habeat ficut medium acquirendi cognitionem fcientificam omnium rerum realium.

Obijcies quarto, probando, aliquam fcientiam, faltem fecundum aliquam fui partem, poffe haberi fine Logica. Quia cognita maiori, & minori, cognofcitur conclufio, ex Ariftotele primo Poft. cap. primo: fed lumine naturali, abfque Logica artificiali, poteft cognofci maior, & minor; ergò, & conclufio ex illis deducenda; & fic haberetur fcientia partialis fine Logica. Minor probatur. Quia principia cognofcimus, in quantum terminos cognofcimus, ex eodem Ariftotele primo Poft. t. c. 6. Sed lumine naturali cognofcimus terminos, ex eodem ibidem t. c. 34. & 35. Ergò poteft haberi fcientia alicuius conclufionis abfque Logica.

Respondetur primo, negando minorem. Ad probationem dico, minorem esse veram, si ly naturaliter, excludat cognitionem super naturalem, non tamen si logicalem; quia hæc necessaria requiritur ad hoc, vt cognoscantur termini, prout conficiunt propositiones, quę debent deseruire pro principijs illatiuis conclusionis.

Secundo dico. Vltra cognitionem principiorum, exigi ad scientiam habendam, etiam euidentem illationem conclusionis ex principijs dispositis in modo, & figura; quæ nequit haberi sine logica.

Tertiò dico. Non posse cognosci solo lumine naturali maiorem, & minorem dispositas in modo, & figura. Ad probationem dico, Philosophum loqui de principijs materialiter, non formaliter; hoc est dictu, quatenus sunt disposita in demostratione, tamquam causæ conclusionis; quia sic necessario exigitur cognitio Logicalis, per quam fit talis dispositio.

Obijcies quinto. Si Logica esset necessaria ad scientias acquirendas; ergò etiam ad acquisitionem sui ipsius, quod est falsum: quia ante Logicam, daretur Logica; & sic processus in infinitum.

Respondetur primo, negando sequelam maioris: quia conclusio intelligitur de alijs scientijs ab ipsa, non de se; quia nihil potest esse medium ad acquisitionem sui ipsius.

Secundo dico, concessa sequela maioris; Logicam, secundum vnam partem esse medium ad acquisitionem alterius partis; siquidem pars, quæ tractat de terminis, iuuat ad cognitionem propositionum; & hæc, ad cognitionem syllogismorum; quinimò tota imperfectè acquisita in ratione artis liberalis, est medium ad acquisitionem sui, in ratione scientiæ; imo de facto fuisset talis in primo Inuentore, si fuisset naturaliter acquisita, secundum se totam.

Vtrum Logica sit verè, & propriè scientia.

QVÆSTIO III.

Circa hanc celeberrimam Controuersiam, extat duplex opposita sententia, scilicet Græcorum, & Latinorum. Græci enim communiter asserunt, Logicam non esse scientiam, sed artem, seù instrumentum sciendi. Ità Amonius in prologo Prędicam. Alexander in principio Topicorum. Themistius primo Poster. cap. 24. Philipponus, & alij etiam ex Latinis, scilicet Zabarella lib. primo de Nat. Logicæ. cap. 3. Balduinus, quæsito primo, cap. 2. Mognesius, lib. pr. de Interpret. in principio. Petrus Niger in Clypeo Thomist. qu. 11. Villapand. q. 26. Proœm. Zimara in Tabula. Verb. Absurdum est &c.

Latini, ex opposito, docent, Logicam docentem esse veram scientiam, cum habeat omnes conditiones requisitas ad veram scientiam, positas ab Aristotele, primo Post. cap. 2. Ità D. Tho. secundo Meth. lect. 4. Doct. Subt. q. 1. Vniuers. & lib. pr. Elench. q. 3. August. Niphus, lib. 4. Meth. t. quinto in fine. Tolet. q. 2. Proœm. Fonseca 3. Meth. q. 1. Sect. 9. Anton. Ruuius q. 2. Proœm. Colleg. Conimbr. q. 4. Proœm. art. 3. & alij, quos citat, & sequitur Mastrius de Nat. log. art. 4. nu. 39. D. Tho. sequuntur omnes Thomistæ; & Scotum, eius Discipuli.

Alij distinguentes inter docentem, & vtentem Logicam, dicunt Logicam docentem non esse scientiam, sed vtentem: non quidem ab alijs distinctam, sed multiplicari ad multiplicationem scientiarũ, quibus applicatur. Ità communiter Zabarella, Balduinus, & alij cum Grecis.

Alij tandem asserunt, vtramque esse scientiam, tàm docentem scilicet, quam vtentem; quia sunt vnus, & idem habitus realiter, & formaliter indistinctus, vt videbimus in sequenti. Ita Murcia, Didacus à Iesu, & Cauero, apud Mastr. loco citato.

Pro declaratione totius Controuersię, & fundamento verioris opinionis. Primò notandum est, ex Philosopho lib. p. Elench. cap. 8. & 10. Auerroe, lib. p. Priorum, à capite quinto, vsque ad duodecimum duplicem esse Logicam, scilicet naturalem, & artificialem; seù acquisitam, vt alijs placet, & innatam. Logica naturalis, seù innata est habilitas, seu promptitudo inexistens à natura, qua vnusquisque fit potens, & habilis ad discurrendum de noto ad ignotum, & de vero ad falsum; seù de principijs ad conclusionem, sine cognitione tamen principiorum, & conclusionum, vt principia, & conclusiones sunt: & hanc

logicam possident etiam rustici, dùm discurrunt de rebus vilicis, deducendo vnam notitiam ex alia; nimirum, quod sit bonū serere, & seminare tali, vel tali tempore, nociuum alio tempore; ligna esse cædenda luna decrescente, & huiusmodi. Et de hac non quæritur, an sit, vel non sit scientia; quia clarum est, non esse habitum, vel dispositionem, sed naturalem potentiam, vel impotentiam ad magis, vel minus discurrendum circa particularia. Logica verò artificalis, seu acquisita, est illa, quam studio, & arte acquirimus; & per quam docemur discurrere de præmissis ad conclusionem, cum aduertentia præmissarum, & conclusionum, vt tales sunt. Et de hac procedit quæstio proposita.

Secundo Notandum, ex Doct. Subtili, q. 1. Vniuersal. & primo Elench. q. p. Logicam artificialem dupliciter posse considerari; vno modo, vt illa vtimur in alijs scientijs, applicando regulas, & præcepta diffiniendi, diuidendi, componendi, & syllogizandi ex terminis, & propositionibus proprijs earumdem: alio modo, vt docet nos cognoscere naturam syllogismi, demonstrando de ipso eius passiones, & reducendo ad eundem cætera in logica contenta. Priori modo dicitur logica vtens; vel potius, si fas est dicere, logica vsa: & sic non est scientia; quia procedit ex communibus omnibus scijs; scientia verò debet esse ex proprijs; vt docet Aristoteles, primo Posteriorum. Posteriori modo dicitur docens; & sic est vera scientia; quia procedit ex proprijs principijs, ad proprias, & necessarias conclusiones, vt inferius probabimus.

Tertiò Notandum. Logicam vtentem in ordine ad alias scientias posse dupliciter dici talem; vno modo, vt administrat illis regulas, seu præcepta communia, quæ loca topica appellantur. Et hoc modo, solum illa pars, quæ topica, & dialectica appellatur, dicitur vtens. Altero modo, quia applicatur illis secundum se totam, tradendo regulas terminorum, propositionum, diuisionum, diffinitionum, argumentationū, & syllogismorum; siuè sint syllogismi probabiles, siuè demonstratiui, siuè sophystici. Et sic, tota logica artificialis dicitur vtens; quia tota est applicabilis alijs scientijs; & sic potest diffiniri. Logica vtens, est habitus intellectualis, dirigens intellectum in actus diuidendi, diffiniendi, & verum à falso discernendi in vnaquaquè scientia, & facultate. Logica verò docens, est idem habitus intellectualis, docens nos diffinire, diuidere, & argumentari; procedens ex proprijs principijs ad proprias, & necessarias conclusiones.

Quarto Notandum est; scientiam dupliciter accipi: vno modo largè, pro cognitione cuiuscumquè rei; siue vera, siuè falsa; siuè euidenti, siuè ineuidenti; siuè acquisita per demonstrationem, siuè per experientiam: & hoc modo etiam suspicio, opinio, fides, & deniquè omnes artes, tùm liberales, tùm mæchanicæ, possunt dici scientiæ. Alio modo strictè, & propriè; & sic est notitia certa, & euidens de obiecto necessario, causata à causa euidente intellectui, & applicata ad scitum per discursum syllogisticum. Ex qua diffinitione, quā sub alijs verbis tradit Aristoteles, primo Poster. t.c. 5. eliciuntur quatuor conditiones necessariò requisitæ ad veram scientiam. Prima est, quod sit notitia certa. Per quam excluditur suspicio, & opinio à ratione scientiæ, quia tales admittunt dubium, vel saltem formidinem de opposito. Secūda, quod sit notitia euidens. Ratione cuius, fides non est scientia; cum sit obscura, & ineuidens intellectui. Tertia, quod sit de obiecto necessario. Defectu cuius, notitia huius propositionis: Petrus dormit: non est scientia; quia contingit, ipsum dormire, aut vigilare. Quarta tandem, vt talis notitia sit applicata ad scitum, idest conclusionem scibilem per discursum syllogisticum. Defectu cuius, notitia principiorum, seu præmissarum, nō dicitur scientia, sed intellectus; quia de illis non habetur, mediante alio discursu syllogistico; aliter daretur processus in infinitum; sed per solam intuitionem terminorum, factā ab intellectu, apprehendente necessariam connexionem prædicati cum subiecto: qua ratione dicitur intellectus, & non scientia; quæ est sola notitia conclusionis deductæ euidenter ex præmissis dispositis in modo, & figura. Has conditiones, ex Aristotele acceptas, assignat, & expendit Doct. Subtilis, in Prologo primi sent. q. 3. & in 3. sentent. dist. 24.

Ex his, sit prima Conclusio. Logica

vtens, siue primo, siue secūdo modo considerata in tertio notabili, nō est sciētia. Probatur primo; quia quælibet sciētia propriè dicta, procedit ex propriis principiis ad proprias, & necessarias conclusiones, ex Philosopho, primo Poster. t. 5. siquidem est effectus demonstrationis, quæ constat ex propriis, vt docet Aristoteles ibidem; sed Logica vtens non procedit ex propriis, sed ex communibus ad omnes scientias, vt dictum est; ergo non est scientia. Secundo: quia scientia est de vniuersalibus, ex Aristotele, primo Post. cap. 7. sed Logica non est huiusmodi, cum versetur circa actus particulares conficiendi propositiones, & syllogismos ex terminis propriis cuiuslibet scientiæ, vel facultatis; ergo. Tertio: scientia est effectus demonstrationis; vt docet Aristoteles primo post. cap. 2. sed Logica vtens non est effectus, sed ipse actus demonstrandi in qualibet scientia, & facultate; ergò non est scientia.

Secunda. Logica docens est vera scientia; prout scientia definitur ab Aristotele primo Post. t. 5. Probatur; quia Logica est effectus demonstrationis; ergò est scientia Consequentia est nota; quia demonstratio, ex Aristotele loco citato, est syllogismus faciens scire. Antecedens probatur; quia in libris Priorum demonstratur syllogismus, habere tres terminos, & duas propositiones, per suam diffinitionem, sic dicendo. Omnis oratio, in qua quibusdam positis, necesse est aliud ex his accidere, habet tres terminos, & duas propositiones; sed syllogismus est huiusmodi; ergo syllogismus habet tres terminos, & duas propositiones. Secundo probatur. Quia Logica habet omnes conditiones requisitas ad veram scientiam, ergò Logica est vera sciētia. Antecedens probatur: quia per primā, certò scitur syllogismum, de quo est Logica, vt de subiecto, vt probabimus inferius, constare ex tribus terminis, scilicet maiori extremitate, minori extremitate, & medio; ex quibus conficiuntur duæ propositiones, quæ maior, & minor appellantur. Secundo, est notitia euidens; quia per dispositionem earundem in modo, & figura euidenter concluditur, syllogismum habere tres terminos & duas propositiones; in quo consistit passio demonstrabilis de ipso. Tertio, est de syllogismo, tamquam de obiecto necessario, quoad suam essentiam, cum habeat propriam definitionem, & passiones de ipso demonstrabiles per eamdem. Quarto tamdem, est notum de conclusionibus habitis per discursum syllogisticum; vt patebit discurrenti per omnes conclusiones logicales, ex quibus coalescit habitus scientialis logicæ. Tertio probatur conclusio, ex Scoto q. p Vniuersalium sic. Logicus est sciens; ergò Logica est scientia. Antecedens probatur; quia omnis demonstratiuè cognoscens, est sciens; sed Logicus est demonstratiuè cognoscens; ergo Logicus est sciens. Maior patet; quia scientia est effectus demonstrationis, vt sæpius dictum fuit ex Philosopho primo Post. cap. 2. Minor probatur: quia Logicus non minus cōcludit demonstratiuè probabilitatem de syllogismo dialectico, & apparentiam de sophistico, ex eo quod iste ex apparentibus, & ille ex probabilibus propositionibus cōstet, quàm necessitatem de demonstratiuo, & euidentiam illationis de syllogismo simpliciter; quia ille ex necessarijs procedit, hic verò ex dispositione præmissarum in modo, & figura, vt innuit Scotus, primo Elench. q. 3. ergò logicus est demonstratiuè cognoscens, & consequenter est sciens; ergò, & logica est scientia. Consequentia probatur, supponendo veritatem illius maximæ Topicæ. A concretis per se, ad abstracta per se, valet consequentia. Sed Logicus, & sciens sunt per se concreta, & logica, & scientia per se abstracta; ergo si hæc est vera. Logicus est sciens. Etiam hæc erit vera. Logica est scientia. Minor probatur, supponendo duo, scilicet triplicia esse abstracta, & concreta, scilicet à fundamento, à subiecto, & à supposito. Secundum: prædicationem esse duplicem, scilicet per se, & per accidens.

Abstracta à fundamento sunt, quæ habent fundamentum, & tamen non concernunt illud. Vt paternitas, quæ fundatur in potentia generatiua patris, & tamen non dicitur de illa; quia hæc est falsa. Paternitas est potentia generatiua patris, vel è conuerso. Et per oppositum, concreta à fundamento sunt, quæ concernunt fundamentum, & dicuntur de illo; vt pater; hæc enim est vera. Petrus est Pater. Ab-

Abstracta à subiecto sunt illa, quæ habent subiectum, & non concernunt illud: vt nigredo, quæ subiectatur in pariete: & tamen hæc est falsa. Paries est albedo. Concreta verò concernunt subiectum; hęc enim est vera. Paries est albus.

Abstracta à supposito sunt, quæ habent supposita, & non concernunt illa. Vt humanitas, dicitur abstracta ab hoc, vel illo homine: & hæ sunt falsæ. Hic homo est humanitas: ille homo est humanitas. Concreta verò correspondentia sunt, quæ sunt in suppositis, & concernunt illa: vt homo Leo; hæc enim est vera. Hic homo est homo; & ille Leo est Leo.

Ab Abstractis à fundamento, & subiecto, potest fieri alia abstractio, scilicet à suppositis, seù indiuiduis. Nam paternitas, abstrahitur ab hac, vel illa paternitate; albedo, ab hac, & illa albedine: & ideò hæc dicuntur abstracta non vltimata, scilicet à fundamento, & subiecto. Abstracta vero tertio modo, dicuntur vltimatè abstracta; quia ab illis nequit fieri alia abstractio; siquidem vltra supposita, nil aliud datur. Ex his habetur, quod de abstractis primo, & secundo modo, potest aliquid verè prædicari; quia hæ sunt veræ. Albedo est color: paternitas est relatio; & huiusmodi. At de abstractis tertio modo nil potest verè prædicari; ideò ista est falsa. Humanitas est animalitas &c. Idem dicendum de concretis primo, & secundo modo, sicut de abstractis. Cum igitur logicus, & sciens, sint concreta secundo modo, & logica, & scientia abstracta pariter secundo modo, sequitur, quod possunt de se inuicē verè per se prędicari.

Secundo supponendum est. Prædicationem esse duplicem, scilicet per se, & per accidens. Prior reperitur inter genus, & speciem. Vt homo est animal. Inter speciem, & indiuiduum. Vt Petrus est homo. Inter speciem, & differentiam. Vt homo est rationalis. Et inter diffinitum, & diffinitionem. Vt homo est animal rationale. Posterior vero reperitur inter subiectum, & accidens commune. Vt homo est albus &c. Ad propositum: cùm hæ prędicationes: Logicus est sciens; & Logica est scientia: sint generis de specie, siuè in concreto, siuè in abstracto (sciens enim est genus ad Logicum, Physicum, Methaphysicum, Mathematicum &c. & scientia pariter est genus ad Logicam, Methaphisicam, Physicam &c.) Ideò erunt prædicationes per se primo modo. Et his suppositis, probatur illa minor. Illa sunt concreta, & abstracta per se, quæ possunt de se inuicem prædicari per se; sed Logicus, & sciens, logica, & scientia sunt huiusmodi; ergo Logicus, & sciens sunt concreta per se, & logica, & scientia sunt abstracta per se; & consequenter, si hæc est essentialis: Logicus est sciens: ità hęc: Logica est sciētia.

Obiicies primo, contra primam conclusionem. Logica vtens causat scientiam; ergò ipsa est scientia. Antecedens patet; quia Philosophia, quæ est vera scientia, habetur per logicam vtentem; quia hæc, & non docens, applicatur aliis scientijs. Consequentia patet, ex Philosopho, primo post. cap. 2. Propter quod vnumquodquè tale, & illud magis. Sed per logicam vtentem Philosophia est scientia; ergò Logica vtens ipsa est magis scientia.

Respondetur. Antecedens esse verum instrumentaliter, non formaliter, & effectiuè; quia sic scientia causatur à propriis principiis, ex terminis propriis vniuscuiusquè scientiæ confectis, mediante instrumento logicæ vtentis. Vndè non sequitur, Philosophiam causari à Logica vtente, sed à propriis principiis Philosophicis. Ad auctoritatem Aristotelis dico, ibi solum velle, principia causatiua conclusionis esse magis cognita, quàm sit ipsa conclusio; nō cognitione, aut notitia, quæ sit scientia, sed illa, quæ intellectus vocatur. Vndè nequit inferri, logicam vtentem, ex eo, quod præbeat instrumenta demonstratiua Philosophiæ, esse magis scientiam, quam Philosophia.

Obijcies secundo Logica vtens non facit distinctum habitum à docente; ergò si docens est scientia, & vtens pariter debet esse scientia. Antecedēs patebit ex dicēdis inferius, & gratis à nobis cōceditur; ergo, si docentis habitus est scientia, & vtentis.

Respondetur. Antecedens esse verum formaliter, & realiter, falsum verò connotatiuè; prout nimirum connotat relationes vsus, & doctrinæ: quia sic distinguuntur ab inuicem, docentis, & vtentis habitus. Ex quo tamen non licet inferre; ergo si docens est scientia, & vtens erit scientia:

quia docens fundatur in cognitione syllogismi,quatenus ex ipso inferuntur conclusiones,siuè necessariæ,siuè probabiles,siuè apparentes, ex quibus coalescit habitus scientialis logicæ: vtens verò fundatur in eadem, vt applicata ad exercitium, & vsum, siuè logicæ docentis, siuè aliarum scientiarum; qua ratione, quia non procedit ex propriis,sed ex communibus ad omnes scientias,nequit dici scientia, sed tantum instrumentum sciendi; vt clariùs demonstrabitur in sequenti quæstione.

Obiicies tertio: contra secundam conclusionem. Nullus modus sciendi est scientia; sed logica est modus sciendi, ex Philosopho, secundo Meth.t.15. dicente. Absurdum est simul quærere scientiam,& modū sciendi. Vbi per modum sciendi, Cōmentator intelligit logicam; ergo logica non est scientia. Maior patet à simili; quia nullus modus videndi est vi[illegible]s; ergò nullus modus sciendi est scientia.

Respondetur, logicam esse modum sciendi, potest tripliciter intelligi. Primo modo formaliter; itaut secundum suam entitatem sit modus, seù instrumentum sciendi. Secundo modo materialiter, seù obiectiuè, & in obliquo; itá quod sit de obiecto, quod sit modus sciendi. Tertio modo fundamentaliter, seù cōcomitanter; quatenus in logica fundatur respectus applicabilitatis ad alias scientias, qui dicitur modus sciendi. Ad propositum dico, minorem esse veram secundo, & tertio modo, non tamen primo modo, scilicet formaliter; & sic non sequitur conclusio. Ad intentum Philosophi dico cum Sarnano, Ruuio,& alijs, non velle ibi inferre, logicam non esse scientiam, sed tantum, quod absurdum sit simul quærere scientiam, idest Methaphisicam, quæ dicitur scientia per excellentiam, & logicam, quæ appellatur modus sciendi obiectiuus; siquidem prius est addiscenda Logica, quàm Methaphysica. Secundo Dico, minorem esse veram de logica vtente, non de docente; quia hæc non est modus sciendi, sed vera scientia, vt probatum est.

Obiicies quarto. Scientia est æternorū, & impossibilium aliter se habere; ex Aristotele primo poster.cap.2.t.c 5. Sed logica non est huiusmodi; ergo non est scientia. Minor probatur; quia logica est de secundis intentionibus, quæ tamdiù habent esse, quamdiù fabricantur ab intellectu.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, secundas intentiones esse corruptibiles, quoad esse existentiæ illarum; & sic de eis non est scientia; esse verò æternas, quoad esse essentiæ earundem; quia habent propriam quiditatem, per quam de illis demonstrantur propriæ passiones;& sic de eis est scientia logicalis.

Obiicies quinto. Illa facultas, quæ considerat instrumenta, vt instrumenta sunt, non est scientia; sed logica docens est huiusmodi; ergo non est scientia. Minor probatur; quia considerat secundas intentiones, vt applicabiles aliis scientiis; sed applicabilitas est instrumentum sciendi; ergo &c. maior ista probatur. Modus considerandi, sumitur à modo diffiniendi; sed logica docens diffinit secundas intentiones, vt applicabiles primis intentionibus, de quibus sunt aliæ scientiæ; ergo considerat illas, vt illis applicabiles.

Respondetur, secundas intentiones dupliciter considerari posse; vno modo in quantum habent proprias diffinitiones, & passiones de ipsis demonstrabiles: & vt sic, considerantur à logica docente, nec sunt alijs scientijs applicabiles, nisi remotè, & aptitudinaliter; alio modo, in quantum sunt applicabiles propinquè, & in actu aliis scientiis; & sic de ipsis est logica vtens: & vt sic, sunt mera instrumenta acquirendi cæteras scientias.

Vndè ad argumentum, in forma nego minorem; ad probationem dico, minorem esse verā de applicabilitate remota,& in aptitudine: & vt sic, secundæ intentiones non sunt instrumenta, sed tantum, vt applicabiles sunt actualiter, & propinquè; & de ipsis non est logica docens, sed tantum vtens, quæ non est scientia.

Obiicies sexto: Ex Philosopho, primo Topic. cap.9. vbi distingnit scientiam à fine; finem scientiæ esse scire; sed finis logicę non est scire, sed operari, ex eodem Philosopho ibidem; ergo logica non est scientia. Secundo. Aristoteles primo Rethoricorum ad Theodestem, c.2. docet, Rethoricam esse particulam Dialecticæ; neutram tamen esse scientiam, sed solum facultatem inueniendarū rationum. Tertio. Primo Topic.c.p. inquit, officium Dialecticæ

ticę esse disserere ex probabilibus; sed scientia, cum sit effectus demonstrationis, est ex necessarijs; ergò non est scientia.

Respondetur ad primum, finem intrinsecum logicæ esse cognoscere quiditatem syllogismi, & omniũ reducibilium ad ipsũ; extrinsecum vero, & priori subordinatum, esse vsum eiusdem syllogismi, & cæterorũ contentorum in logica in alijs scientiis: hic finis est vtentis; ille verò docentis. Vndè sequitur, logicam vtentem non esse scientiam, sed tantum docentem.

Ad secundum, & tertium locum Philosophi dico, per Dialecticam intelligere illam partem, quæ agit de syllogismo Dialectico; & hanc non esse scientiam in quantum illa vtimur in aliis scientijs, applicando illis loca topica: esse verò, & ipsam propriè scientiam, in quantum ex propriis principijs demonstrat probabilitatem de syllogismo dialectico; quia sic procedit ex proprijs, & non ex communibus ad omnes scientias.

Obiicies septimo Philosophum 6. Meth. t.c.2. diuidentem scientiam in Mathematicam, naturalem, & diuinam; sed logica non est aliqua istarum; ergo.

Respondetur, Diuisionem esse traditam de scientia reali, non rationali, cujusmodi est logica; vt videbimus inferiùs.

Vtrum Logica vtens, faciat distinctum habitum a Docente?

QVÆSTIO IIII.

HAnc quæstionem conati sumus mouere, nedùm propter dicta Scoti q. 1. Vniuers. & q. 1. & 3. lib. p. Elenchorum, sed etiam ob quorumdam Modernorum sententiam, quos sine nomine recensent Ruuius q 3. Proem: & Sarnensis in Annot. super Logicam Balduini, quæsito p. dicentium, logicam vtentem facere distinctum habitum à docente. Hanc videntur sequi ex nostris, Petrus Tatar. q.p. Præambul. sciendum primo. Mauritius Hibern. in q. p. Vniuersalium Scoti, dub. 6. & nouissimè disertis verbis eam docet Mastrius, de Natura logicæ, art. p. nu. 5. & 6. ac sequẽtibus.

Oppositam sententiam, vti veriorem, & Doctori subtili cõformem, defendunt Brasauolus super q. 1. Vniuers. Scoti, dub. 1. Faber, Theor. p. c. 5. Pontius disp. 2 logic. q. 6. Fuentes q. 4. diff. 2 art. p. Toletus q. 2. log. Proæm. fund. 2. Conimbr. q. 4. art. 2. & alii multi relati à Mastrio loco citato, sub nu. 4. quibus accedit Ruuius loco cit. q. 3. proæmiali: asserentes, logicam vtentem non facere habitum distinctum realiter à docente, sed esse eumdem vsui applicatum.

Pro declaratione huius posterioris sententiæ, eiusdemquè fundamento, primo notandum est, ex Scoto in Prologo p. Post. & in tertio d. 24. q. vn. quod sicut in vnaquaquè facultate est dare notitiam actualem, & habitualem; vt verbi gratia in arte pingendi, est actus, qui est quædam notitia actualis dirigens intellectum pictoris in actuali pictura hic, & nunc; & habitus, qui est aggregatio illorum actuum, seù notitiarum actualium, quo intellectus pictoris redditur promptus in subministrando modum pingendi in vnaquaque re, & ex quacunquè materia; ità similiter in logica, tàm docente, quàm vtente, est assignare actum, & habitum. Vndè actus logicæ docentis, est notitia, seù cognitio actualis terminorum, propositionum, sillogismorũ, & aliorum, quæ traduntur in logica; quæ in hoc consistit, vt intellectus sciat, propositionem constare ex subiecto, prædicato, & copula: syllogismum dialecticum habere tres terminos, & duas propositiones probabiles; demonstratiuũ, necessarias; & sophysticũ, apparentes: insuper, quod ad conficiendum syllogismum in Barbara, debeant sumi tres propositiones vniuersales affirmatiuæ, & cætera huiusmodi. Habitus verò logicę docentis, est aggregatum quoddam ex illis actibus frequenter iteratis, quo mediante, intellectus redditur promptus in docendũ syllogismum, & reliqua in logica cõtenta, secundum vniuscuiusquè naturam, & proprietatem. Actus autem vtentis, nõ est nisi actualis applicatio actus docentis; quod enim proponitur per actus docẽtis, scilicet, quod syllogismus debeat cõstare ex tribus terminis, & duabus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis, si fuerit in Barbara, exercetur per actum vtentis, dicendo. Omne animal est substantia, & omnis homo est animal. Habitus verò logicæ vtenti, est aggregatum ex illis actibus logicæ docentis, in quantum est actu applicabilis alijs scientijs, facilitans intellectũ in actibus diuidendi, diffiniendi, & syllogizandi ex terminis, & principiis propriis vniuscuiusquè. Et de hoc quæritur, an sit distinctus realiter ab habitu docentis Logicæ.

Secun-

Secundo Notandum est Habitum Logicæ dupliciter considerari posse; vno modo formaliter, & essentialiter, seu secundũ suam essentiam, & entitatem; alio modo connotatiuè, & prout refertur ad aliud. Primo modo, est notitia habitualis ex omnibus conclusionibus, seu notitiis actualibus generata. Secundo modo dicit duplicem relationem, scilicet doctrinæ, in quantum docet modum conficiendi propositiones, syllogismos, diuisiones, diffinitiones, & cætera in logica contenta, & applicabilitatis illius modi, seu doctrinæ, & omnium præceptorum, siuè regularum, ad alias scientias. Si priori modo sumatur, habitus logicæ idem indistinctus omnino est vtriusquè logicæ, docentis, scilicet, & vtentis; cum eadem præcepta, regulæ, & demonstrationes, quæ in illa cognoscuntur, & docentur, veluti instrumenta applicentur per istam alijs scientijs. Si verò secundo modo consideretur habitus, vtentis habitus distinguitur realiter à docente; quia relationes doctrinæ, & vsus, seu applicationis, sunt realiter distinctæ; siquidem prior terminatur ad doctrinam, seu modum cognoscendi syllogismũ: secunda verò ad exercitium, seu vsum illius modi cognoscendi, & construendi, tùm syllogismos, tùm cætera omnia in logica contenta.

Tertio notandum est, habere habitum in sui ratione, vt inclinet potentiam, reddatquè eam facilem, promptam, & expeditam ad operandum, & exeundum in actum secundum: & licet idem habitus non possit inclinare potentiam ad actus contrarios, vt habitus scientiæ nequeat inclinare intellectum ad scire, & ignorare; potest tamen ipsam inclinare ad actus subordinatos, dummodo contineatur sub eodem obiecto, vt patet de habitu artis, seu facultatis Medicæ, qui inclinat intellectum in hoc præceptum, nimirum, quod vulnus rotundum non debeat citò sanari, ob eius difficultosam figurationem; & in vsum huius præcepti, qui consistit in executione, & applicatione vnguentorum, secundum debitam proportionem, quæ sunt duo actus subordinati; ità in proposito; quamuis habitus logicæ docentis non possit inclinare intellectum in cognitionem syllogismi, modi ipsum conficiendi, & in eorumdem ignorantiam, potest tamen inclinare in actum cognoscendi syllogismum, & eius constructionem, necnon in vsum illius cognitionis, & modi ipsum conficiendi in vtraque facultate, & ex quibuscunque terminis. Ratio autem totius discursus est; quia vnitas habitus attenditur ex vnitate obiecti, vel subiecti; cum ergo idem sit obiectum, vel subiectũ logicæ docentis, & vtentis, licet diuersimodè consideratum, erit etiam idem habitus secundum suam entitatem vtriusquè, diuersus tamen secundum considerationem.

Ex his, sit prima Conclusio. *Si habitus logicę consideretur formaliter, & secundũ suam substantiam, vel entitatem; vnus, & idem est habitus logicę docentis, & vtentis.* Hęc conclusio est Scoti locis citatis, vbi dicit, logicam posse considerari, vt docentem, & vtentem; ergo supponit vnitatem habitus diuersimodè cõsideratum. Secundo: in Elenchis loco citato inquit; totam logicam, secundum omnes sui partes, esse docentem, & vtentem; sed habitus totalis coalescit ex omnibus partibus; ergo vnus, & idem erit habitus vtriusquè. Tertio probatur: quia vnitas habitus scientialis attenditur ex vnitate obiecti, ex Aristotele, primo Post. cap. 23. sed idem est obiectum vtriusquè logicę docentis, scilicet, & vtentis, scilicet syllogismus, licet diuersimodè consideratus; ergò erit idem habitus vtriusquè. Quarto: habitus logicę est cui attribuitur forma syllogizandi, diffiniendi, & diuidendi; sed hęc tribuitur logicę docenti; ergo &c. Maior patet; quia vsus differendi; mediante aliquo instrumento logicali, puta syllogismo, diffinitione, aut diuisione, non reducitur ad actum, nisi mediante forma syllogismi, diffinitionis, & diuisionis; ergò habitus logicę vtentis est cui attribuitur forma differendi. Consequentia probatur, quia vsus cum sit actus vtentis, non reducitur ad actum nisi per inclinationem sui habitus; sed vsus reducitur ad actum, mediante forma; ergo forma differendi est attribuenda habitui logicę vtentis. Minor primi syllogismi patet; quia forma differendi pręscribitur ab habitu scientifico, cum demonstratio sit syllogismus faciens scire; sed talis est habitus logicę docentis, vt probatum est

supe-

superius; ergò &c. Quintò: quia sicut se habet differentia respectu actus diuisiui, & constitutiui, ità habitus logicę respectu doctrinę, & vsus; sed vna, & eadem differentia secundum substantiam, & entitaté, est diuisa, & constitutiua. vt patet; ergo idé habitus logicæ, secundū substantiā, & entitaté erit docens, & vtens. Maior patet à simili; quia sicut diuidere genus, & constituere speciem sunt diuersa officia differentiæ, ità docere, & vti, sunt diuersa officia, seù munia logicæ, ergo vnus, & idem erit habitus docentis, & vtentis; diuersus tamen secundum considerationem, sicut vna est differentia secundum rem, diuersa secundum considerationem.

Secunda Conclusio. Si verò habitus logicę sumatur connotatiuè, scilicet pro illa duplici relatione, scilicet doctrinę, & vsus; alius realiter est habitus docentis ab vtente. Probatur primo. Quia idem nequit dici scientificus, & non scientificus, seù scientia, & ars; sed logica, prout docens, est habitus sciētificus, & prout vtens, non scientificus; ergò alius est habitus docentis, & vtentis. Maior patet; aliter duo contradictoria verificari possent simul de eodem, quod est falsum, & contra naturam eorundem. Secundo probatur. Quia relationes diuersificantur per suos terminos, ex Philosopho in Prędicam. c. de Ad aliquid; & Doct. Subt. pluribus in locis suę doctrinę, sed pręcipuè in tertio d. 8. vbi dicit, quod sicut relatio habet vnitaté à termino, ità distinctionem ab eo; sed termini doctrinę, & vsus, in quibus consistit habitus connotatiuè sumptus, sunt diuersi, vt patet; quia doctrina terminatur ad cognitionem, seù modum conficiendi syllogismum, & cętera logicalia; vsus verò, ad executionem, seù exercitium illius cognitionis, seù modi conficiendi, quę sunt diuersa; ergò relationes in quibus consistit habitus connotatiuè sumptus, erunt diuersę, & consequenter alius habitus vtentis à docente.

Obijcies tamen primo contra primam conclusionem. Idem habitus nequit esse simul scientificus, & nō scientificus; scientia, & ars; speculatiuus, & practicus: sed habitus docentis est scientificus, speculatiuus, & scientia; vtentis verò non scientificus, practicus, & ars, ergò nequit esse idē habitus logicę vtentis, & docētis.

Respondetur. Maiorem esse veram de habitu formaliter accepto, et secundum suam substantiam, & entitatem; falsam loquendo de habitu connotatiuè sumpto: quia cum idem habitus dicat respectum ad actum scientificum, & non scientificū, cuiusmodi est vsus, idem respectu diuersorum potest recipere prædicata contradictoria; vt dicatur scientificus, quatenus dicit ordinem ad doctrinam; & non scientificus, prout respicit vsum, & exercitium doctrinæ.

Obiicies secundo. Actus diuersi, non possunt prouenire ab eodem habitu; sed actus docentis, & vtentis logicę sunt diuersi; siquidem illi respiciunt cognitionē obiecti, hi verò exercitium, & vsum illius cognitionis: ergò. Maior probatur, quia Actus, & habitus distinguuntur per obiecta, ex Philosopho, secundo de Anima t.c. 131. Sed eiusdem habitus non possunt esse duo obiecta, ex Scoto in Prologo q. 4. ad secundum principale, sub lit. B b. & in primo, d. 3. q. 3. sub A; ergo &c.

Respondetur primo. Maiorem, & probationem esse veram de actibus disparatè oppositis, & non subordinatis, vt sunt in proposito: nàm cognitio modi operandi, & ipsa operatio subordinantur in vnaquaquē facultate: modò actus docentis, est cognitio modi syllogizandi, vtentis verò est ipsa syllogizatio, seù executio illius modi cogniti.

Secundo Dico. Minorem esse falsam: siquidem actus vtentis sunt ijdem actus docentis in vsu positi secundum substantiam, & entitatem, & differunt solum connotatiuè, vt dictum fuit de habitu docentis, et vtentis.

Obijcies tertio Alia, et alia facilitas in potentia, arguit alium, et aliam habitum: sed intellectus habet aliam facilitatem in docendo syllogismum in docente, et aliam in eumdem conficiendo in Logica vtente: ergo alius habitus est vtentis, ac docentis.

Respondetur negando minorem. Quia intellectus eadem facilitate fertur in cognitionem modi operādi, et in ipsum opus, quando ambo immediatè proueniunt ab ipso, vt est in proposito. Vndè ex hoc non potest inferri alius habitus inclinans ad cognitionem modi operandi, quod est actus docentis, & ad ipsum opus, quod est actus vtentis.

Obijcies quarto ex Mastrio. Quia Tyrones ex auditu Magistri, vel ex lectione librorum, habent exactissimam cognitionem præceptorum logicalium, & tamen manet in eis difficultas ad vtendum illis; ergo hæc habet tolli per facilitatem ex frequenti vsu genitam; & sic per habitum vtentis distinctum à docente. Antecedens probatur. Quia etsi Tyrones optimè sciant, diffinitionem debere constare ex genere, & differentia; & quòd syllogismus in prima figura requirat medium terminum pro subiecto in maiori, & pro prædicato in minori, tamen antequam se exercuerint, difficultatem sentiunt in cōficiendis syllogismis in hac, vel illa figura; sed hæc difficultas nequit tolli per habitum docentis; ergo requiritur habitus vtentis, ex frequentatis actibus genitus.

Respondetur Huiusmodi difficultatem, quam patiuntur Tyrones in conficiendis syllogismis, & in vsu aliorum præceptorū logicalium, non prouenire ex defectu habitus vtentis distincti à docente, sed quia nondum habent logicam docentem in habitu à Magistro, vel lectione librorum, sed solum in dispositione; atquè adeò imperfectè operantur ex defectu habitus Logicæ docentis.

Dices. Ex frequenti vsu conficiendi. Syllogismum, & argumentationes, generatur aliquis habitus in intellectu Tyronis, non docentis Logicæ, sed vtentis; ergò habitus vtentis erit distinctus à docente. Antecedens probatur, ex Scoto in tertio d.33. vbi docet, ex frequentibus actibus, tùm voluntatis, tùm intellectus generari habitus regulantes, & habilitantes huiusmodi potentias: ergò etiam ex frequentatis actibus conficiendi syllogismos, & argumentationes habet gigni habitus Logicalis; non docentis, quia hic acquiritur ex auditu Magistri, et lectione librorum; ergò vtentis Logicæ, distinctus à docente.

Respondetur. Ex frequenti vsu conficiendi syllogismos non generari nouum habitum distinctum à docente, sed perfici habitū docentis prius habitum ex auditu Magistri in ratione dispositionis: et ratio est; quia cum actus vtentis, sint actus docentis, secundum substantiam, in vsu positi, nequeunt generare nouum habitum, sed perficere priorem, reducendo ipsum de dispositione ad rationem habitus, in eodem tamen genere docentis.

Obijcies quinto Vbi cognitio aliquorū non est propter speculari simpliciter, sed etiam aliquo modo propter operari, tunc respectu eorum ponendus est in intellectu duplex habitus; alter respectu vniuersaliū, et alter respectu particularium, ex actibus particularibus genitus: ergò cum cognitio instrumentorum logicalium non sit simpliciter propter ipsam logicam, sed ad dirigendas operationes intellectus in quacunquè materia scibili, in ea ponendus est vnus habitus respectu vniuersalium regularum diffiniendi, diuidendi, et arguendi: et alter respectu particularium, ex frequenti applicatione dictarum regularum ad diuersas materias genitus, vndè intellectus reddatur promptus ad diuidendum, diffiniendum, & arguendum. Antecedens est Scoti, in Prologo primi sent. q. 4. ad secundum, & tertium principale, sub. lit. Bb. vbi docet ponendum esse necessariò habitum prudentiæ respectu particularium actionum, hic, & nunc eligendarum; nec sufficere scientiam moralem respectu vniuersalium in communi, cum intellectus nequeat inclinari per hanc, nisi remotè, ergò à simili de intellectu respectu syllogismorū in cōmuni, & in particulari; siquidē ad conficiendos syllogismos in quacunque scientia, nequit inclinari per habitum docentis de proximo, sed tantum remotè; & sic indiget habitu vtentis logicæ.

Respondetur, Antecedens esse verum, quando operabile habet fieri per aliam, & aliam potentiam, sicut accidit in artibus mæchanicis, in quibus sunt necessarij duo habitus, alter regulatiuus intellectus, & alter potentiæ operatiuæ externæ; falsum verò, quando operabile, & scibile habent fieri ab eadem potentia; vt est in proposito de actibus vtentis, & docentis, cum ambo pendeant immediatè ab intellectu cognoscente, & conficiente diuisionem, diffinitionem, & argumentationem. Ad probationem desumptam ex Scoto, dico potius esse ad oppositum, quàm ad propositum; siquidem cùm actus contingentes, qui possunt fieri, & non fieri, rectè, vel non rectè, hic, & nunc, nequeant sufficienter regulari per habitum scientiæ moralis in communi; ideò infert Doctor Subtilis esse necessarium habitum

habitum prudentiæ distinctum à Synesi, & Eubulia, quæ respiciunt vniuersalia tantum, at cum actus cognoscendi syllogismum, modi ipsum conficiendi, & vsus eorundem, sufficienter regulentur per vnum, & eundem habitum Logicæ, qui est docentis, non est cur sit ponendus alius habitus secundum substantiam, distinctus ab habitu logicæ docentis. Per idem satis fit priori confirmationi, desumptæ ex facultatibus organicis, in quibus Mastrius videtur vim facere, & tamen non concludunt ad propositum.

Vtrum Logica sit scientia Communis, vel particularis.

QVÆSTIO V.

CVm ista quæstio citrà controuersiam moueatur à Doct. Subtil. q. 2. Vniuersalium, & lib. p. Elench. quæstione prima, non est nobis immorandum circa eius intelligentiam, & explicationem; vndè.

Primo Notandum est, vt colligitur ex Scoto locis citatis, aliquid posse dici commune dupliciter, scilicet intrinsecè, & extrinsecè. Illud dicitur commune primo, modo, quod secundum suam naturam de pluribus prædicari potest, vel pluribus applicatur. Et hoc modo Logica nequit dici scientia communis, quia neque prædicatur de alijs scientijs, nec illis applicatur; quia hæ sunt falsæ. Physica est Logica: Methaphysica est Logica. Illud verò dicitur commune secundo modo, quod licet secundum se non sit commune pluribus, tamen ratione alicuius extrinseci sit pluribus commune; vt scientia ratione obiecti, vel subiecti. Et hoc modo, aliquam scientiam dici posse communem; contingit tripliciter, vel quia subiectum prædicatur de subiectis aliarum scientiarum; vel quia applicatur subiectis aliarum scientiarum; vel quia considerat aliquo modo, sa item per accidens, ea, quæ considerantur in alijs scientijs. Primo modo, Methaphysica dicitur scientia communis ad omnes scientias reales; quia ens reale, quod est eius subiectum prædicatur de subiectis omnium scientiarum realium; quia hæ sunt veræ. Corpus naturale, est ens: quantitas est ens: corpus animatum est ens &c. secundo modo, logica dicitur scientia communis, quia syllogismus circa quem versatur Logica, applicatur subiectis aliarum scientiarum. Tertio modo pariter Logica dicitur scientia communis, quia cum per se consideret secundas intentiones, & hæ fundentur super primis, de quibus sunt aliæ scientiæ, consequenter saltem per accidens habet considerare ea omnia, quæ in alijs scientijs considerentur. Siquidem aliæ scientiæ habent genera, & species, indiuidua, differentias, propria, & accidentia, quæ tamen per se considerantur à Logica.

Secundo Notandum est, Logicam posse dici communem per applicationem ad alias scientias dupliciter, vno modo per applicationem quorumdam præceptorum, seu regularum communium, quæ dicuntur loca Topica, & sic dicitur tantum communis secundum partem; alio modo per applicationem etiam syllogismi simpliciter, demonstratiui, sophystici, & omnium reducibilium ad illos; & sic dicitur applicari secundum se totam. Logica dicitur communius non tantum primo modo, vt quibusdam ex nostris placet, sed etiã secundo modo; quia re vera in alijs syllogismis fiunt syllogismi in modo, & figura, demonstrationes, & fallaciæ ex terminis, & propositionibus earumdem; quod non posset accidere, nisi applicaretur illis secundum se totam.

Ex his fit prima Conclusio. Logica non est scientia communis intrinsecè; siuè per prædicationem, siuè per applicationem. Probatur. Quia nec de illis prædicatur, nec illis intrinsecè applicatur, sed tantum extrinsecè ratione subiecti, scilicet syllogismi hæc enim est falsa. Physica, vel Methaphysica, est Logica.

Secunda Conclusio. Logica non est scientia communis per prædicationem sui subiecti. Probatur. Quia syllogismus, cum sit ens rationis respectiuum, non prædicatur essentialiter de subiectis aliarum scientiarum, quæ sunt entia realia; siquidem ens reale, & ens rationis, sunt disparatè opposita; ergo Logica non est scientia communis per prædicationem sui subiecti.

Tertia Conclusio. Logica tamen est scientia communis per applicationem extrinsecam

trinsecam sui subiecti. Probatur. Quia syllogismus, & omnia reducibilia ad ipsum, applicantur alijs scientijs. Siquidem in illis fiunt demonstrationes, argumentationes dialecticæ, & sophisticæ, diffinitiones, diuisiones, & cætera huiusmodi, quę traduntur in Logica propter syllogismum.

Quarta Conclusio. Logica etiam est scientia communis per considerationem. Probatur. Quia Logica, saltem per accidens considerat ea omnia, quæ per se considerantur in alijs scientijs; ergò est scientia communis per cōsiderationem. Consequentia patet; quia ideò Methaphysica est scientia communis per considerationem, quia in ipsa cōsiderantur omnia entia realia, quæ considerantur in alijs scientijs sub ratione propria, & particulari; ergò cum Logica consideret omnia, quæ considerantur in alijs scientijs, erit scientia communis per considerationem. Antecedens patet; quia Logica per se considerat secundas intentiones fundatas super primis, ex Boetio, & Auicena; ergò saltem per accidens considerat primas, prout scilicet fundamenta sunt secundarū Intentionum. Consequentia probatur. Cuius est considerare per se relationem, eiusdem est considerare aliquo modo fundamentum, & terminum, ex quibus resultat relatio; sed secundę intentiones sunt relationes rationis, fundatæ, & terminatæ ad primas intentiones, vt probatum est in nostro Tractatu secundarum Intentionū, & Logica per se considerat secundas Intentiones; ergò aliquo modo, saltem per accidens, cōsiderat etiam primas intentiones, de quibus sunt aliæ scientiæ; & sic Logica dicitur scientia communis per considerationem.

Obijcies primo. Illa scientia dicitur communis, cuius subiectum est commune; sed subiectum Logicæ non est commune subiectis aliarum scientiarum; ergò Logica non est scientia communis. Maior patet; quia communitas scientiæ desumitur a communitate subiecti, vt docet Aristoteles in prædicamentis c. de Relatione: & quinto Meth. t. c. 20. Minor similiter; quia hæ sunt falsæ. Corpus naturale est syllogismus. Ens reale est syllogismus, qui est subiectum Logicæ &c.

Respondetur. Minorem, & eius probationem esse veras de communitate per prædicationem, & intrinsecè; falsas per applicationem extrinsecam; quia sic re vera subiectum logicæ applicatur subiectis aliarum scientiarum, vt dictū est in primo Notabili.

Obijcies secundo. Si Logica aliquo modo esset communis, etiam per applicationem, non esset scientia; sed hoc est contra ea, quæ conclusimus superius quæstione tertia; ergò Logica non potest dici scientia communis. Sequela maioris probatur. Quia ideò Logica vtens non est scientia, quia est communis per applicationem ad alias scientias, siquidem scientia procedit ex propriis, & non ex communibus, vt probat Aristoteles primo Post. c. 2 & sequentibus.

Respondetur; has duas propositiones. Logica est scientia communis: & Logica est scientia, prout est communis: esse valdè diuersas. Nām prior habet hunc sensum; quod ille habitus Logicæ, qui est scientia, sit etiam communis per applicationem aliis scientiis; & hic sensus est verus: quandoquidem superius diximus, eundem esse habitum secundum entitatem, licet diuersimodè consideratum, Logicæ docentis, & vtentis. Posterior verò facit hunc sensum: habitus Logicæ, qui est scientia, ideò est scientia, quia est communis per applicationem aliis scientiis: & hic sensus est falsus; quia Logica non est scientia, quatenus applicabilis reduplicatiuè, sed in quantum procedit ex propriis principiis ad proprias conclusiones, quę posteà applicari possunt aliis scientiis.

Formaliter ad argumentum, nego sequelam maioris: ad probationem dico, ideò Logicam vtentem non esse scientiam, quia procedit ex communibus ad alias scientias, & quia est communis per applicationem actualem syllogismi, & omnium reducibilium ad ipsum: Logicam vero docentem esse scientiam, quia procedit ex propriis; quæ posteà per vtentem fiunt communia, quatenus illis vtimur in acquisitione aliarum scientiarum: & ideò Logica, prout est scientia, si ly prout, accipiatur specificatiuè, non reduplicatiuè.

Obiicies tertio Grāmatica magis applicatur aliis scientiis, quàm Logica; quia non

non tantum illis, sed etiam Logicæ; atqui ob hoc non dicitur scientia communis; ergò nec Logica propter hoc habet dici scientia communis.

Respondetur primo, negando consequentiam. Nàm licet grãmatica possit dici ars communis, & magis communis Logica, quia pluribus applicabilis in ratione artis liberalis, tamen nequit dici scientia communis, cum non sit scientia; at Logica cum sit scientia, & etiam applicabilis aliis, rectè potest appellari scientia communis per applicationem sui subiecti.

Vel dicendum cum meo Magistro, non esse parem rationem de Grãmatica, & de Logica; quia aliæ scientiæ vtuntur Grãmatica, tantum per accidens, cum sine illa possint perfectè haberi; at Logica vtuntur per se; quia cum sola doceat demonstrationem, & scientia sit effectus demonstrationis, nequeunt perfectè haberi sinè Logica; qua ratione dicuntur magis communis, quàm Grammatica.

Vtrum Logica Docens, sit pars Phylosophiæ.

QVÆSTIO VI.

HAnc difficultatem à multis variè exagitari, referunt Conimbric. q. 4. Proœm. art. 4. & Pererius, lib. p. Philosophiæ, cap. 2. Siquidem in dubium reuocanr, nedum veritatem quæstionis, sed etiam ipsam parum fore Aristoteli consentaneam, si parti affirmatiuæ adiudicetur. Cæterum, vt ostendamus, quàm fuerint falso innixi iuditio, duas referemus opiniones de hac re litigantes.

Prima est Ammonii, in principio Prædicam. Alexandri, & Philopponi, initio Priorum. Pererii, loco citato. Laertii in Vita Aristotelis, asserentium, partem affirmatiuam quæstionis repugnare Aristoteli, & omnibus Peripateticis. Et hanc confirmant multis auctoritatibus, quas in fine examinabimus, an intentum concludant.

Secunda opinio (quam à Stoicis, & Platone traditam, defendunt alij, cum Alberto Magno in log. q. 2.) est Eusebii de Præpar. Euangel. lib. 11. cap. p. Tullij, primo de Oratore de Finibus; & primo Acadam. quæstionum. Simplicij in principio lib. Prædicam. Boetij in prolog. Porphyrii à se translato. Alberti Magni, loco cit. in Porphyr. cap. primo, Tract. 2.; & aliorum, quos referunt, & sequuntur Conimbric. loco cit. dicentium, Logicam esse partem Philosophiæ, & esse de mente Aristotelis. Hanc videtur sequi Doct. Subt. primo Elench. q. 1. & Suarez, primo Meth. disp. prima, Sect. 4. cum asserant, ad Methaphysicum spectare considerationem etiam secundarum Intentionum; imò eius cognitione perfici Methaphysicam, & è conuerso.

Pro huius opinionis dilucidatione, ac fundamento, primo Notandum est, Philosophiam dupliciter nobis innotescere, scilicet ex diffinitione quid nominis, & quid rei. Vnde Philosophia, quo ad quid nominis idem est, ac amor sapientię: cõponitur enim ex duabus vocibus gręcis, scilicet Philos, quod in latinum vertitur, amor, & Sophia, quod idem est, ac sapientia. Quo ad quid rei autem, à multis multifariam diffinitur; pro nunc tamen sufficiat recensere illam diffinitionem Platonis in Thæetero, & Phædone. Philosophia est humanarum, diuinarumque rerum cognitio perfecta. Seù illam, quam ponit Aristoteles secundo Meth. t. c. 3. Philosophia est cognitio, seù contemplatio veritatis. Quæ si accipiatur secundum has diffinitiones, comprœhendit sub se omnes scientias, siuè reales, siue rationales, siuè speculatiuas, siuè practicas, vt patebit statim tradendo eius diuisionem.

Secundo Notandum est, quod multi diuersimodè Philosophiam in suas partes distribuunt, vt videre est apud modernos, & præsertim apud Mastrium de Natura Logicæ, in proœmio. Nos autem secuti Philosophum, secundo Meth. t. c. 3. sic diuidendam putamus; vt primo in speculatiuam, seù contemplatiuam, & practicam partiatur. Practica verò, in actiuam, & factiuam. Actiua, in Ethicam, Economicam, & Politicam; quæ postea

postea in Ciuilem, & Canonicam secatur. Factiua verò, in septem artes mæchanicas diuiditur. Speculatiua autem, prima sui diuisione, in realem, & rationalem partitur. Realis, in Methaphysicam, Physicam, & Mathematicam. Mathematica, in Astrologiam, Geometriam, Musicam, & Arithmeticam. Rationalis deniquè diuiditur in Gramaticam, Rethoricam, & Logicam, seù Dialecticam. Ex qua diuisione Philosophiæ in sua communitate sumptæ, colligitur, nedum Logicam, sed etiam Gramaticam, & Rethoricam esse eiusdem partes.

Tertio Notandum est, Philosophiam, seù cognitionem veritatis posse dupliciter accipi, vno modo strictè, & presso vocabulo; & sic compræhendit sub se tantum scientias reales speculatiuas, scilicet Methaphysicam, Physicam, & Mathematicam, vt docet Aristoteles, sexto meth. cap. p. t.c. 3. vbi per illam diuisionem noluit excludere Logicam à Philosophiæ partibus, cum tantum loquatur de Philosophia speculatiua reali, & non de speculatiua in communi. Alio modo largè; & sic compræhendit sub se nedum scientias reales, sed etiam rationales; non tantum speculatiuas, verum etiam practicas: Siquidem, cum vt sic accepta, sit cognitio veritatis, tàm in rebus humanis, quàm diuinis; & veritas manifestetur, nedum in scientijs realibus, sed etiam in rationalibus; non tantum in speculatiuis, vt inquit Aristoteles, secundo meth. t.c. 3., & sexto meth. cap. 1. t. c. 2 & 3. verum etiam in practicis suo modo, vt alibi dicturi sumus, ideò rectè diuiditur Philosophia, in sua communitate sumptas, & largè accepta, in scientias reales, & rationales, practicas, & speculatiuas. Ex quo infertur, Logicam esse partem Philosophiæ; quia non solum cognoscit veritatem sui subiecti, & omnium reducibilium ad ipsum, quæ sub rebus humanis continentur, verum etiam, quia docet modum cognoscendi veritatem à falsitate in qualibet scientia, & facultate; qua ratione, quasi appropriatè, potest appellari cognitio veritatis, seù Philosophia rationalis.

Quarto Notandum est, Logicam esse, & appellari posse partem Philosophiæ, etiã de mente Aristotelis, potest dupliciter intelligi, scilicet implicitè, & explicitè. Secundo modo dici nequit; quia nullibi reperitur, vbi illam sub partibus Philosophiæ collocet Aristoteles; imò oppositum potest deduci ex sexto meth. t.c. 3. At si primo sumatur modo, non est neganda Logica à Philosophiæ partibus, etiam secundum Aristotelem; siquidem cum lib. 8. Topic. in principio, cap. 2. diuideret scientiam in contemplatiuam, seù speculatiuã, actiuam, & effectiuam; & Logica sit scientia, vt superiùs de eius mente probauimus; & speculatiua, vt inferiùs demonstrabimus, restat, vt sub scientia contemplatiua, quæ secundum ipsum, est vna pars Philosophiæ, intellexerit fore collocandam etiam Logicam; aliter insufficienter dedisset omnium scientiarum diuisionem, cum Logica, quæ est vera scientia, sub aliqua illarum partium non compræhenderet.

Ex his, sit prima Conclusio. Si Philosophiæ nomen strictè accipiatur, Logica nõ est pars Philosophiæ, Probatur. Quia Philosophia hoc modo sumpta, est cognitio tantum rerum realium; sed Logica nõ est cognitio rerum realium, sed rationalium, vt sunt secundæ intentiones; ergò Logica non est pars Philosophiæ hoc modo acceptæ. Maior patet ex sexto Meth. t. c 3. vbi ex diuersa cognitione rerum arguit tres tantum esse partes Philosophię cõtemplatiuæ, sub quarum nulla compræhendit Logicam. Secundo, quia Philosophus 4. Meth. cap. 2. t.c 8. & primo Topic. c. 2. separat Logicam à Philosophia; sed nulla pars separari potest à suo toto, cum totum ex omnibus constet partibus, ergò Logica non est pars Philosophiæ hoc modo acceptæ.

Secunda Conclusio, Si autem Philosophia accipiatur largè, nimirum prout est cognitio veritatis in rebus diuinis, & humanis, Logica est pars Philosophiæ. Probatur primo, & per illam vulgatam diuisionem Philosophiæ secundo notab. recensitam, ex Platonicorum, Stoicorum, & Peripateticorum scolis; vbi sub contemplatiua annumeranda venit etiam Logica. Secundo probatur ratione: quia omnis cognitio rei per causam est Philosophia, ex Aristotele, primo Meth. c. 2. vbi inquit. Homines ex cognitione affe-

effectuum, quorum causæ ignotæ erant, incepisse philosophari, idest causas illorum cognoscere. Et secundo Meth. c. p. t. c. 3. & 4. vbi appellat Philosophiam, cognitionem veritatis per causam. Sed logica est huiusmodi; quia nedum cognoscit, quæ demonstratiuè tractat, vt verbi gratia syllogismum habere tres terminos, & duas propositiones: propositionem cathegoricam constare ex subiecto, prædicato, & copula &c. ex eorum definitionibus; sed hunc cognoscendi modum tradit alijs scientijs; ergo Logica est cognitio veritatis; & sic philosophiæ pars.

Tertia Conclusio Logicam esse partem Philosophiæ largè acceptæ, est consentaneum Aristoteli, saltem implicitè. Probatur. Quia illud est de mente alicuius Doctoris implicitè, quod ex eius dictis elicitur, vel elici potest; sed ex dictis Aristotelis habetur, Logicam esse partem Philosophiæ; ergo. Maior patet ex quarto notabili. Minor probatur. Quia superius probauimus secundum Aristotelis principia, logicam esse veram scientiam; sed non posset esse vera scientia, nisi esset pars Philosophiæ; ergo Logicam esse partem Philosophiæ, est de mente Aristotelis. Minor probatur. Quia scientia, & philosophia sunt idem; ergo si logica non esset Philosophia, non esset scientia; cum igitur sit scientia, sequitur, quod sit Philosophia. Antecedens probatur. Quia cognitio rerum per causas, est scientia, ex Aristotele p. Post. c. 2. sed etiam Philosophia est cognitio rerum per causas, ex eodem p. Meth. c. p. & 2. Meth. c. p. ergo Philosophia est scientia, ergo per conuersionem simplicem, scientia est philosophia, de mête Aristotelis; & sic de primo ad vltimum, logica cum sit scientia, erit Philosophia, de mente Philosophi. Tertio. Nulla facultas potest terminare quæstiones pertinentes ad facultatem sibi extraneam; sed ex Aristotele, Philosophia potest determinare quæstiones Logicales; ergo facultas logica non est extranea Philosophiæ. Minor patet; quia Philosophus primo Topicorum cap. 12. in fine, enumerans quasdam quæstiones Dialecticas, quarum terminationem, inquit, spectare, nedum ad logicam, sed etiam ad Philosophiam; licet diuerso modo. Ad Philosophiam igitur, secundum veritatem de his negotiandum, dialectico autem modo ad opinionem. Ergo secundum Aristotelis mentem, saltem implicitè, Philosophia continet sub se logicam; & sic rectè appellari potest pars Philosophiæ, etiam secundum eumdem Philosophum.

Obijcies tamen primo, contra primã, & secundã conclusionẽ. Cognitio rei leuissimæ non est Philosophia; siquidẽ hęc dicitur diuinarũ, humanarũquẽ rerũ cognitio, quę sunt maximi momẽti; sed logica est cognitio rei leuissimæ, scilicet secundæ intentionis, quæ est minimũ ens rationis; ergo nõ potest appellari vllo modo Philosophia.

Respondetur negando maiorem: ad probationem dico, non omnes res humanas, quas Philosophia speculatur, esse magni momenti; siquidem entia rationis continẽtur sub humanis rebus, cũ sint operationes passiuæ intellectus humani, & tamen non sunt magni momenti.

Secundo dico: maiorem esse veram de Philosophia strictè accepta, non largè sumpta, sub qua duntaxat logicam collocamus.

Obijcies secundo. Nihil potest esse instrumentum, & pars alicuius rei, vt patet per experientiam in rebus etiam materialibus; malleus enim cum sit instrumentum fabricandi cultellum, non est pars eius; sed logica est instrumentum acquirendæ Philosophiæ, ex Philosopho, p. Top. c. 2. 9. & 12. ergo nequit esse eius pars.

Respondetur. Admissa maiore pro nunc; minorem, & probationem esse verã de Logica vtente, quæ re vera est instrumentum acquirẽdæ Philosophiæ; & hãc gratis excludimus à partibus philosophiæ; falsam tamẽ de logica docẽte, quæ cum sit vera scientia contemplatiua, locum obtinere debet sub philosophia saltẽ largè accepta, vt probatũ est. Hæc auctoritas Aristotelis cogit; quia cum in citatis locis loquatur de Dialectica, seu Topica, prout alijs scientijs applicatur, etiam nos concedimus, logicam, vt sic acceptam, siue secundum se totã, siuè secundum partem, nõ cõtineri sub Philosophia; quia nec sub aliqua determinata scientia.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionẽ, Aristot. p. Top. c. 12. 4. Meth. c. p. & 2. & alibi, remouentẽ logicã à partibus Philosophiæ; cum ea, quę cõsiderantur à Philosopho, aut nullo modo cadant in consideratione logica, aut saltem diuersimodè, vt patet; ergo signum est, logicam non esse partem philosophiæ de eius mente.

Respondetur. Negando consequentiam; cum Aristoteles loquatur de Philosophia strictè sumpta, prout nimirum comprehendit tantum scientias reales; ad quam reduci logicam, & nos negamus. Ex quo non licet inferre, vt simpliciter excludat eam à partibus philosophiæ largè acceptę, vt supra probatum fuit.

Secundo dico. Ex citatis locis non posse colligi, fuisse mentem Aristotelis excludere logicam à philosophiæ partibus; tùm quia loquitur semper de logica vtente, vt patet ex contextu; tùm etiam, quia aliter nec physica esset pars philosophiæ, cum ea, quæ ibi tractantur, aliter à methaphysico, & aliter à physico considerentur, & tamen non ambigitur, quin physica, & methaphysica sint philosophiæ partes.

Vtrum Logica sit scientia realis, vel rationalis?

QVÆSTIO VII.

Mouetur hæc quæstio, propter supradictam diuisionem philosophiæ, in qua diximus, logicam contineri sub illa parte, quæ rationalis nuncupatur. Quod, vt manifestius fieret, necessarium duximus, quomodo logica dicatur scientia realis, & quomodo rationalis, dicere.

Pro cuius declaratione notandum est primo, quamlibet scientiam dupliciter considerari posse; vno modo intrinsecè, & secundum suam entitatem; alio modo extrinsecè, & per respectum ad suum obiectum, vel subiectum; scientia enim, ex Philosopho in Prædicam c. de Ad aliquid, refertur ad scibile, idest ad subiectum, sicut mensurabile ad mensuram. Si priori modo consideretur, quælibet scientia est realis, cum sit qualitas spiritualis, subiectiuè in intellectu existens; & sic etiam logica est scientia realis. Si posteriori modo accipiatur, illa scietia dicitur realis, quę est de subiecto, reali; illa verò dicitur rationalis, quæ est de subiecto, quod sit ens rationis. Et sic physica est scientia realis, quia est de corpore naturali, quod est ens reale; logica verò est scientia rationalis, quia habet pro subiecto aliquod ens rationis, scilicet syllogismum, vt inferiùs demonstrabimus.

Secundo notandum est. Aliquam scientiã posse dici rationalẽ quadrupliciter; primo modo, quia est inuenta à ratione; & sic omnis scientia dicitur rationis, quia omnis scientia est inuenta ab intellectu, qui dicitur potentia rationali: Secundo modo, quia subiectatur in ratione; & sic etiam omnis scientia dicitur rationalis, quia subiectatur in intellectu: tertio modo, quia est directiua rationis, scilicet actus intellectus: & hoc modo scientiæ speculatiuæ dicuntur rationales, quia omnes dirigunt operationes intellectus, qui est potentia rationalis: quarto modo obiectiuè, quia videlicet tendit in obiectum, quod sit ens rationis; & hoc modo sola logica dicitur rationalis; quia ipsa sola considerat ens rationis, scilicet syllogismum, qui est eius obiectum, vt suo loco demonstrabimus. Et hoc modo logica dicitur rationalis, prout rationale distinguitur contra reale.

Tertio notandum est. Aliquam scientiam dici rationalem hoc quarto modo, adhuc tripliciter contingit; vel quia tendit circa ens rationis subiectiuũ, vel obiectiuum, vel habens esse in considerato, vt considerato, per actum collatiuum intellectus. Primo, & secundo modo logica non dicitur scientia rationalis; quia cum ens rationis subiectiuum, & obiectiuum sint vera entia realia, & ipsa est scientia realis: at tertio modo, dicitur rationalis; quia tendit circa ens rationis collatiuum, quod totaliter distinguitur ab ente reali; vt alibi diximus, & dicturi sumus.

Ex his, sit prima Conclusio. Logica intrinsecè considerata, est scientia realis. Probatur. Quia qualitas spiritualis intrinsecè est realis, cum sit de prædicamento qualitatis; sed Logica intrinsecè considerata, est qualitas spiritualis, cum reponatur sub specie qualitatis, qui dicitur habitus, vel dispositio; ergò &c.

Secunda Conclusio. Logica extrinsecè considerata, idest ratione sui subiecti, est scientia rationalis. Est contra Poncium, disp. 2. q. 5. Quia cum putet, secundas intentiones esse entia realia, consequenter habet dicere, logicam extrinsecè consideratam, esse realem. Probatur tamen ex Doct. Subt. in 4. d. p. q. 2. Quia syllogismus, in quem tendit logica, vt in subiectum

ctum, est secunda intentio, & ens rationis, prout ens rationis distinguitur contra ens reale; ergo logica ab eo denominatur rationalis. Consequentia patet; quia scientia, quæ habet pro subiecto ens reale, dicitur realis extrinsecè; ergò illa, quæ est de subiecto, quod sit ens rationis, debet dici rationalis extrinsecè. Antecedens est notum; quia secunda intentio est ens rationis collatiuum, vt dictum fuit in tractatu secundarũ intentionum: & hoc distinguitur ab ente reali; quia non habet esse extra, sed per opus collatiuum intellectus nostri &c.

Tertia Conclusio. Logica non dicitur scientia rationalis extrinsecè, si rationale accipiatur subiectiuè, & directiuè, aut obiectiuè. Probatur. Quia per id logica debet dici rationalis scientia, per quod distinguitur à scientia reali; sed per esse subiectiuum, obiectiuum, & directiuum rationis, non distinguitur ab alijs scientijs realibus; ergo per hoc non potest dici scientia rationalis extrinsecè. Maior patet; quia rationale facit distinguere logicam à scientia reali, sicut ens rationis distinguitur ab ente reali. Minor probatur; quia per illud non distinguitur logica ab aliis scientiis, per quod conuenit cum illis; sed per esse subiectiuũ in ratione, vel obiectiuum, & directiuum rationis concurrit logica cum alijs scientijs, saltem speculatiuis realibus; quia sicut illæ, subiectatur in intellectu, est obiectum intellectus, & dirigit actus intellectus, qui dicitur ratio, seù potentia rationalis; ergò cum logica non distinguatur, sed potius conueniat cum alijs scientijs realibus per esse subiectiuum, obiectiuum, & directiuum rationis, per nullum horum potest dici scientia rationalis extrinsecè.

Obiicies primo, contra secundam conclusionem. Quia considerat entia realia; ergò nequit dici rationalis obiectiuè, & extrinsecè. Consequentia patet. Antecedens probatur. Quia considerat decem prędicamenta, scilicet Substantiam, Quantitatem, Qualitatem &c. quæ sunt entia realia.

Respondetur, antecedens esse verum, si illa consideret per se, vt faciunt physica, & methaphysica; falsum tamen si consideret entia realia per accidens; modo logica considerat decem prædicamenta, quæ sunt realia per accidens, scilicet prout sunt fundamenta generis generalissimi, subalterni, speciei, & indiuidui, quæ per se considerantur à Logico.

Obiicies secundo. Obiectum Logicæ est Syllogismus, ex Doctore Subt. quæst. 3. Vniuers. Sed syllogismus est ens reale, cum sit oratio constans ex duabus præmissis, & conclusione, ex lib. p. Priorum cap. primo: & omnis oratio est vox significatiua ad placitum, quæ est ens reale; ergo logica est de obiecto, quod ens reale est, & non rationis.

Respondetur, Minorem, & probationem habere veritatem de syllogismo, & oratione reali, non tamen de syllogismo, & oratione pro secunda intentione acceptis; quia vt sic, sunt entia rationis, & per se considerantur à logica.

Obiicies tertio contra responsionem. Quia oratio est vox; sed vox est ens reale, vt patet; ergo &c.

Respondetur, diffinitionem orationis datam à logico per vocem, non esse benè datam, nisi suppleatur hoc modo. Oratio est vox, idest, est vna secunda intentio attributa voci significatiuæ ad placitum &c. Ex quo sequitur, orationem in diffinitione syllogismi accipi pro secunda intentione, & non quatenus est ens reale.

Obiicies quarto ex Poncio. Secunda intentio, est ens reale; sed logica extrinsecè est de secundis intentionibus; ergo extrinsecè est scientia realis, & non rationalis. Maior probatur. Quia secundæ intentiones sunt denominationes extrinsecæ, derelictæ in obiectis cognitis ab opere intellectus collatiuo; sed denominatio extrinseca est ens reale, vt omnes fatentur; ergo logica considerat extrinsece entia realia. Maior patet; quia secundæ intentiones habent esse cognitum; sed esse cognitum, est denominatio extrinseca, sicut esse visum; ergo &c.

Respondetur. Negando maiorem: ad probationem negamus itidem maiorem: ad cuius probationem dico cum Scoto, in 4. sent. dist. p. q. 2. & q. p. Vniuersalium; esse cognitum passiuè, non esse denominationem extrinsecam, sed intrinsecam, secundum quam obiectum dicitur intrinsecè cognitum; quia habet esse subiectiuè

in re considerata, & cognita, vt cognita, & considerata; & ratione huius, dicitur ens rationis, prout distinguitur ab ente reali. Videat Poncius doctrinam Scoti, & non aberrabit à Magistro, in conclusione tàm manifesta omnibus Scotistis.

Vtrum logica sit scientia speculatiua. An practica. Vel vtraquè simul?

QVÆSTIO VIII.

Logicam esse scientiam practicam, non pauci, tùm Antiqui, tùm Moderni, amplexi sunt; eò quod dirigat opus intellectus, ne erret circa constitutionem argumentationum, propositionum, diffinitionum, diuisionum, & cæterorum instrumentorum logicalium; quod scientiæ practicæ, vt distinguitur à speculatiua, conuenit, ex Philosopho, secundo Meth. cap. primo. Ità Gulielmus Ochamus, in primo sent. dist. 39. quæst. 6. Gabriel in Prologo quæst. 11. cum cæteris Nominalibus. Albertus Magn. 2. de Anima, cap. 12. Paulus Venetus, in principio logicæ. Iandunus, sexto Meth. quæst. 3. & 5. Fonseca, secundo Meth. cap 3. quæst. 2. sect. 4. Matthisius in logica, cap. 5. Suarius in Meth. tom. 2. disputat. 39. in principio. Sed immeritò citatur pro hac sententia; cum ibi solum habeat, logicam esse quandam artem directiuam actuum intellectus: qua ratione, practica esse nequit, vt probabimus; imò disputat. 44. in fine inquit. Logicam esse simpliciter speculatiuam, quamuis ex aliqua parte, etiam practica possit esse. Conimbricenses verò, qui errauerunt in citando ipsum pro hac sententia, non fallunt tamen semetipsos; cùm quæst. 4. Proem. artic. 5. ità hanc affectent opinionem, vt non vereantur fateri, etiam Scotum fuisse huius opinionis; quia admittit logicam dirigere operationes intellectus, ne erret in conficiendis syllogismis; quod competit scientiæ dumtaxat practicæ.

Oppositam tamen huic sententiam defendit verè Scotus, quæst. 4. Prologi primi sent. sub lit. A. quam sequuntur omnes Scotistæ; vt Antonius Andreas, sexto Meth. quæst. 3. Faber in prologo primi sent. disput. 9. cap. primo. Theorem. primo, capit. 6. Tatar. in logic. Maiori, quæst. 2. Præambul. Mauritius, & Brasauolus sup. prima quæst. Vniuersal. Scoti. Et nouissimè Mastrius, de Nat. logicæ, Artic. 5. sub numero 56. cum alijs ab ipso citatis. D. Thom. opusc. 70. quæst. 3. artic. primo. Et prima secundæ, quæst. 57. artic. 3. Capreol. quæst. 2. Prologi primi sentent. artic. primo. Suessan. primo Meth. quæst. 1. Cauar. sup. p. p. D. Thomæ, quæst. 1. artic. 4. Complut. in logic. disputat. prima quæst. 6. & alij communiter ex Thomist. ab ipsis citati. Hi omnes asserunt, logicam esse simpliciter speculatiuam, & nullo modo practicam, propriè loquendo de scientia practica.

Alij verò, media incedentes via, dixerunt, logicam esse scientiam partim practicam, & partim speculatiuam. Ita Vasquez, disputat. 8. in p. p. D. Thom. capit. 2. num. primo. Suarius loco vltimo supra citato. Ruuius in logic. quæst. 5. Quibus posset adiungi ex nostris Poncius, disput. 2. logic. quæst. 8. num. 91. dum putat, practicum, & speculatiuum non diuidere essentialiter scientiam, sed ambo posse in eadem consistere; quod an sit verum, videbimus conclusione secunda.

Pro declaratione, & fundamento Scoticæ sententiæ, quam profiteri, & sequi debemus, primo Notandum est, ex Philosopho, 2. Meth. cap. p. Et 6 Meth. sum. p. cap. p. scientiam diuidi in practicam, & speculatiuam. Scientia speculatiua est illa, quæ ad nil aliud extra genus contemplationis ordinatur. Vt Methaphysica, Physica, & Mathematica, quæ tendunt dumtaxat ad cognitionem suorum subiectorum. Scientia verò practica est illa, quæ dirigit in praxim, idest operationem aliarum potentiarum ab intellectu per se. Vt prudentia, quæ dirigit actus nostræ voluntatis, scilicet nolle, & velle, vt sciamus, quid debeamus fugere nolendo, aut prosequi volendo.

Secundo Notandum est, praxim, ad quam se extendit scientia practica, secundum Eustrathium, primo Ethicorum, idem esse, ac operationem; quæ duplex est, scilicet intellectiua, & volitiua.

Ope-

Operationes intellectiuæ, sunt intellectiones, seù actus intellectus. Volitiuæ verò, sunt actus voluntatis, scilicet velle, & nolle. Vtræquè verò sunt duplices, scilicet elicitæ, & imperatæ. Elicitæ, sunt actus intellectus, vel voluntatis, ab eis immediatè procedentes. Imperatæ verò, sunt actus intellectus, & voluntatis, vel potentiarum sensitiuarum, in quantum subsunt voluntatis imperio; vt intelligere, velle, videre, audire, & huiusmodi, vt præcipiuntur à voluntate.

Tertio notandum est, ex Doct. subtili, quæst. 4. Prologi, sub litt. A. Praxim dupliciter accipi posse, scilicet impropriè, & propriè. Praxis primo modo, se extendit ad quamcumque operationem cuiuscumque potentiæ cognitiuæ, & appetitiuæ; siuè sit naturalis, siuè libera; siuè huiusmodi operatio præcedat actum intellectus, siuè sequatur; siuè sit in nostra potestate, siuè non; siuè sit bona, siuè mala: & hoc modo, speculari, intelligere, adulterari, furari, & cæteri actus cuiuscumque potentiæ possunt dici praxis, sed valdè impropriè; & de hac non est ad propositum; quia tunc omnis scientia esset practica, & nulla speculatiua, cum omnis dirigat in praxim, hoc accepram modo. Praxis verò propriè, ex Scoto loco citato, est operatio alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, nata conformiter elici rationi rectæ, ad hoc vt sit recta. Ex qua diffinitione eliciuntur quatuor conditiones requisitæ ad veram praxim. Prima, quod huiusmodi operatio sit alterius potentiæ ab intellectus. Per quam, datur nobis intelligi, quod nullus actus intellectus, siuè elicitus, siuè imperatus, potest dici praxis. Secunda, quod sit naturaliter posterior intellectione. Per quam, excluduntur operationes sensuum, siuè internorum, siuè externorum, elicitæ ante imperium voluntatis: vt dormire, vigilare, videre, &c. quæ non sunt praxes, cum non sint in nostra potestate. Tertia, quod sit conformis rationi rectæ. Idest, quod sit operatio bona, & non mala. Et sic furari, adulterari, odire, & cætera huiusmodi vitia, quamuis sint actus alterius potentiæ, quam intellectus, & posteriores naturaliter intellectione ipsa, non sunt praxes; quia sunt actus mali. Ex his infertur quarta conditio; quod praxis propriè dicta, sit actus solius voluntatis elicitus, vel imperatus, bonus, & non malus. Et in tales actus, seù operationes, dirigit scientia practica. Vndè cum logica versetur tantum circa actus intellectus, quas dirigit, & non circa actus voluntatis, ipsa nullo modo erit scientia practica, sed solùm speculatiua.

Quarto notandum, ex eodem Doctor. subtil. loco citato, sub litt. D. Quod quamquàm practicum, & speculatiuum non sint propriæ differentiæ essentiales scientiæ in communi sumptæ, quia practicum dicit solum duplicem respectum aptitudinalem, scilicet, prioritatis, & conformitatis ad praxim, speculatiuum verò, carentiam illorum respectuum; modò nullus respectus, multò minus priuatio, est de essentia absoluti, cuiusmodi est scientia, quæ est vera qualitas; sunt tamen propriæ passiones illius, à differentijs essentialibus nobis ignotis progredientes, & gerentes vicem differentiarum essentialium. Cum autem vna differentia essentialis, siuè formaliter, siuè æquiualenter accepta, cuiusmodi est propria passio vnius, non possit alteri competere, vt patet de risibilitate respectu hominis, quæ non potest competere asino; & practicum sit passio scientiæ practicæ, sicut speculatiuæ speculatiuum, vtrique realiter identificata, sequitur, quod non poterunt inueniri in eodem habitu, ita vt vnus, & idem dicatur simul practicus, & speculatiuus; aliter duo opposita verificarentur simul de eodem, quod est oppositum primi principij Methaphysici; non contingit idem esse, & non esse.

Quinto Notandum, ex eodem Doct. Subt. ibidem, sub O, & Y. Duas conditiones requiri ad scientiam practicam, & alias duas ad scientiam speculatiuam. Prima conditio scientiæ practicæ est, quod sit prior praxi; idest operatione voluntatis bona, elicita, vel imperata. Secunda, quod sit regulatiua eiusdem praxis. Prima conditio scientiæ speculatiuæ, quod sit operatio intellectus tantum. Secunda, quod non sit regulatiua alicuius operationis alterius potentię, quam intellectus. Ex quibus habetur, quod cum logica non sit regulatiua praxis, idest operationum alterius potentiæ ab intellectu, sed tantum operationum intellectus, non sit scientia practica, sed merè speculatiua.

Ex his, sit prima Conclusio. Logica non est scientia practica. Est Scoti in terminis, sexto Methaph. q. 1. ad primum princip. Et omnium Scotistarum. Probatur. Illa est scientia practica, quæ est directiua praxis; sed logica non est directiua praxis; ergo &c. Maior patet ex diffinitione scientiæ practicæ. Minor probatur. Quia Logica est directiua tantum syllogismorum, diffinitionum, diuisionum &c. quæ non sunt praxes, cum non sint operationes alterius potentiæ ab intellectu, sed tantum actus intellectus. Secundo. Scientiam practica, vel facultas practica diuiditur ab Aristotele, sexto Methaph. capit. primo; sed logica non est aliqua ex illis; ergo non est practica. Minor probatur. Tum quia non numeratur ab Aristotele inter facultates practicas, vt patet ex contextu citato; vbi enumerat omnes facultates practicas: tùm etiam, quia secundæ intentiones, quas considerat, non transeunt in materiam ad extra, quod conuenit practicæ factiuæ; nec sunt operationes voluntatis elicitæ, vel imperatæ, quæ diriguntur ab actiua; ergo logica non est facultas actiua, vel factiua; atque adeò nec practica. Tertio. Quia per hoc distinguuntur scientia practica à speculatiua, quia hæc est directiua operationum intellectus, illa verò operationum voluntatis, & potentiarum sensitiuarum, vt imperantur à volũtate; sed logica est tantum directiua actuum intellectus, vt sæpius dictum est; ergo logica non est scientia practica.

Secunda Conclusio. Logica non est simul practica, & speculatiua, vt dicunt Auctores tertiæ sententiæ. Probatur, Quia licet practicum, & speculatiuũ non sint formaliter differentiæ essentiales con stitutiuę scientiæ, practicæ, & speculatiuæ, sunt tamen æquiualenter; quia sunt passiones ab eis, nobis ignotis, intrinsecè progredientes; sed duæ propriæ passiones disparatę non possunt eisdem competere; ergò idem habitus scientiæ non potest esse simul practicus, & speculatiuus. Maior patet ex quarto notabili. Minor probatur. Tùm quia propria passio est realiter identificata illi, cuius est passio, vt nequeat alteri conuenire: tum etiã, quia propria passio oritur à principijs intrinsecis constitutiuis subiecti; vt risibilitas ab animali, & rationali; sed diuersa principia constitutiua, essentialiter nequeunt eidem competere; ergo &c. Secundo. Quia duo contradictoria nõ possunt simul, & semel verificari de eodem, ex Aristotele, quarto Meth. cap. 3. 4. 6 & 7. sed si logica esset simul practica, & speculatiua, duo contradictoria verificarentur de eodem simul, & semel; ergo &c. Minor probatur. Quia practicum dicit duplicem respectum aptitudinalem, scilicet prioritatis, & conformitatis ad praxim; speculatiuum verò dicit negationem illorum respectuum, quæ sunt contradictoria; ergò si logica esset simul practica, & speculatiua, duo contradictoria verificarentur simul de eodem, quod est absurdum.

Tertia Conclusio. Logica est scientia purè speculatiua. Probatur. Quia illa est scientia purè speculatiua, quæ ad nil aliud extra genus contemplationis ordinatur, vt dictum est in primo Notab. de mente Aristotelis, secundo, Meth. c. primo. Sed Logica est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur. Quia Logica versatur circa secundas intentiones, quæ sunt tantum speculabiles, cum sint actus duntaxat intellectus, ergo &c. Secundo probatur. Quia Logica est vna scientia, vt probatum est quæst. tertia; sed non est practica, vt probauimus conclusione prima huius quæst. ergo restat, quod sit speculatiua. Tertio Finis speculatiuæ est veritas, practicæ verò opus, ex Aristotele, secundo Methaphis. cap. primo,

mo; sed finis Logicæ est tantum veritas syllogismi, diffinitionis, diuisionis, &c. & non opus; Ergo Logica est tantum speculatiua; & non practica.

Dices. Immò finem Logicæ esse opus, scilicet confectionem syllogismi, diffinitionis, diuisionis &c., & non tantum veritas eorumdem; ergo logica est etiam practica.

Contra. Quia opus Logicæ non est operatio alterius potentiæ, quam intellectus, sed solius potentiæ intellectiuæ; sed hoc non sufficit ad constituendum habitum practicum distinctum à speculatiuo; ergo &c. Maior est clara. Minor probatur. Quia scientiæ Mathematicæ versantur, & ipsæ circa opus: vt Astrologica, docet conficere sphæram materialem ad modum cæli, quod speculatur; Geometria, triangulum, quadrangulum &c. Arithmetica, numerationem, supputationem; Musica, notas, seù numeros proportionales, & cætera huiusmodi; nec tamen propter huiusmodi opera, quæ solum tendunt ad maiorem cognitionem veritatis, extrahuntur à ratione scientiarum purè speculatiuarum; ergò quamuis logica doceat conficere syllogismos, diffinitiones, diuisiones, & huiusmodi opera intellectus, non debet exire limites scientię purè speculatiuę; siquidē huiusmodi opera tendunt ad clariorem notitiam veritatis de syllogismo, & omnium reducibilium ad ipsum.

Obijcies tamen primo cum Collegio Conimbric. contra primam, ac tertiam conclusionem. Quia per hoc distinguitur speculatiua scientia à practica; quia illa habet pro fine tantum contemplari, & speculari obiectum; practica verò operari; sed finis Dialecticæ est operatio, nimirum constructio syllogismi &c. ergo logica est practica, & non speculatiua. Maior est Aristotelis, secundo Methaph. capit. primo. Et tertio de anima, capit. 10.

Respondetur, maiorem esse veram de fine intrinseco, & primario respectiuè ad scientiam practicam, & speculatiuam, non tamen de extrinseco, & secundario; quia talis finis secundarius, cum solum per accidens intendatur, & vt medium ad perfectius habendum finem intrinsecum, principaliter intentum; sicut non habet constituere rationem scientiæ speculatiuæ, vel practicæ, ità nec potest facere differre essentialiter vnam scientiam ab alia; Modo logica cum principaliter intendat cognitionem, speculationem, & contemplationem syllogismi &c. & solum per accidens tendat ad eius constructionem (siquidem si nullus conficeretur syllogismus, tamen esset logica in intellectu) non est cur eam à limine scientiæ purè speculatiue extrahere debeamus; aliter scientiæ Mathematicæ non essent speculatiuæ, sed practicæ, vt dictum est; quod tamen est contra Philosophum, sexto Methaph. vbi illas recenset inter scientias speculatiuas tantum.

Obijcies secundo. Scientia, quæ non est tantum cognitiua, sed etiam factiua sui subiecti, est practica, ex Aristotele sexto Methaph. capit. primo. Sed logica est huiusmodi; quia in libris Priorum traditur modus conficiendi syllogismos; in libris Poster. demonstrationes, ergo logica est scientia practica; & non speculatiua.

Respondetur. Maiorem esse veram, si faciat illud per opus alterius potentiæ ab intellectu, non tamen si per operationem solius potentiæ intellectiuæ; quia sic non est practica, sed speculatiua; modò logica operatur suum subiectum secundo, non primo modo, cum dirigat operationes tantum intellectus, & non voluntatis, aut aliarum potentiarum sensitiuarum.

Obijcies tertio. Scientia, quæ dirigit operationes intellectus, est practica, non minus, quam quæ dirigit operationes voluntatis; ergo si logica dirigit operationes intellectus in opus conficiendi syllogismos, Diffinitiones &c., non erit minus practica, quam Ethica, quæ dirigit operationes voluntatis. Antecedens probatur. Quia prudentia, est scientia practica, non minus, quàm Ethica, seù alia moralis, vt conceditur ab omnibus; & tamen est directiua quarumdam operationum intellectus, quæ ad virtutes pertinent; ergo etiam logica, quàmuis dirigat operationes intellectus, &

non voluntatis, poterit dici scientia practica.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, prudentiam dirigere actus intellectus tantum per accidens, in quantum possunt imperari à voluntate, per se verò est directiua actuum voluntatis ab electione pendentium: & ob hoc dumtaxat dicitur scientia practica; modò cum logica per se consideret secundas intentiones, & per accidens dirigat intellectum in confectionem earumdem, erit simpliciter speculatiua, & non practica.

Dices: huiusmodi confectionem posse imperari à voluntate; ergo dirigit in actus voluntatis, saltem imperatos; & sic erit practica.

Respondetur, concesso antecedenti, negando vltimam consequentiam; quia accidit logicæ, vt dirigat confectionem syllogismi, vt imperatam à voluntate; modo scientia practica debet dirigere in praxim pendentem per se à voluntate, quia hæc sola est capax erroris practici.

Obijcies quarto. Logica est de operationibus intellectus, quatenus possunt benè, vel malè fieri; ergo cum tradat modum, vt benè fiant, dicitur practica.

Respondetur, Antecedens, esse verum speculatiuè, non practicè. Vndè cum logica tradat regulas, vt benè fiant tantum speculatiuè, non potest dici practica.

Obijcies quinto. Habitus logicæ, non tantum est cognitiuus, sed etiam operatiuus syllogismi; ergo non solum est speculatiuus, sed etiam practicus.

Respondetur, negando consequentiam. Quia huiusmodi operatio non est praxis; siquidem esset actus solius intellectus, tendens ad maiorem perfectionem veritatis syllogismi habendam, & non actus voluntatis per se elicitus, vel imperatus.

Vel dicendum secundo. Habitum logicæ esse cognitiuum, vt docens est; operatiuum, vt vtens. Et sic concedimus, logicam vtentem esse practicam, docentem verò speculatiuam.

Obijcies sextò. Logica regulat syllogismos, non solum speculatiuos, sed etiam practicos; ergo saltem respectu horum, erit practica.

Respondetur. Negando consequentiam: quia logica regulat syllogismos practicos, tantum in ratione veri; prudentia verò in ratione boni; & ideò hæc, & non illa, est practica.

Obijcies septimo, contra secundam conclusionem. Logica procedit, nedum modo speculabili, & resolutorio circa suum subiectum, sed etiam operabili, & compositorio; ergo est simul practica, & speculatiua. Antecedens patet ex dictis. Consequentia est Aristotelis, sexto Methaph. c. primo.

Respondetur, consequens esse verum, si logica versaretur circa suum subiectum modo operabili, per operationem, quæ esset praxis, vel quæ esset per se intenta ab ea; falsum est tamen: quia modus operandi logicus, non est practicus, sed speculatiuus; quippè tendit ad cognitionem veritatis syllogismi, mediante sua constructione, sicut dictum est de Mathematicis scientijs; quia, & ipsæ operantur sua subiecta, & tamen sunt purè speculatiuæ: tùm etiam, quia ipsa operatio syllogismi non est praxis, vt sæpiùs dictum est, cum non sit opus alterius potentiæ ab intellectu.

Obijcies octauo Aristotelem, primo Rethor. cap. primo, dicentem. Dialecticam esse inuentam ad dirigenda opera, quæ benè, vel malè fieri possunt. Et lib. p. Priorum, vbi ait. Logicum non solum considerare deberè syllogismorum generationem, sed etiam faciendi potentiam. Sed hæc conueniunt scientiæ practicæ; ergo logica de mente Aristotelis, est scientia practica.

Respondetur. Has, & similes auctoritates Aristotelis, habere veritatem de directione speculatiua, & non practica; at hæc non officit scientiæ merè speculatiuæ; quia tendit in finem veritatis, & non bonitatis operis, per quos constituuntur, & distinguuntur ab inuicem scientia speculatiua, & practica.

Vtrum

Vtrum logica sit vna, vel plures?

QVÆSTIO IX.

Circa vnitatem logicæ, duas reperimus oppositas sententias; quarum prima est D. Tho. lib. 1. Poster. cap. 22. & 1. 2. q. 54. art. 4. Capreoli, in Prologo primi sent. q. 3. Soti, in log. q. 3. Ruuij, ibid. q. 4. Caietan. in 1. 2. D. Thomæ. q. 54. art. 4. Conimbric. in log. q. 4. art. 4. & ferè omnium Modernorum asserentium, logicam esse vnum habitum simplicem, habereque duntaxat vnitatem specificam.

Secunda est Scoti, in prologo p. sent. q. 3. sub lit. D. in 3. dist. 25. q. 2. & 6. Meth. q. 1. quem, præter eius discipulos, sequuntur ex alienis Ocham in prologo, dub. 8. Marf. ibi. q. 2. art. 4. Greg. q. 3. art. 3. Gabriel q. 8. Suarius in Meth. disp. 44. sect. 11. Tolet. in logica q. 3. proem. Fonseca 5. Methaphy. c. 7. q. 5. sect. 2. Arriaga Disp. 1. logicę sect. 3. subsect. 4. n. 31. Hi omnes cum Doct. subr. autumant, logicam esse quoddam ex partibus heterogeneis compositum, habereque vnitatem genericam ex obiecto, quod est vnum genere; & consequenter habere sub se plures habitus partiales, specie distinctos.

Pro cuius declaratione, ac fundamento. Primo notandum est, triplicem esse vnitatem, scilicet genericam, specificam, & numericam. Illa dicuntur esse vnum genere, quæ conueniunt in eodem genere proximo: vt homo, & æquus in animali. Illa verò sunt vnum specie, quæ conueniunt in vna specie: vt Petrus, & Paulus in natura humana, quæ habet vnitatem specificam ad omnes homines. Illa tamdem sunt vnum numero, quæ non faciunt diuersum numerum: vt Petrus, vel Paulus. Et per oppositum, triplicia sunt plura, scilicet genere, specie; & numero. Illa sunt plura genere, quæ constituunt diuersa genera, vel sub diuersis generibus continentur: vt animal, & planta; vel homo, & cedrus; quia hæc sub genere plantæ, ille verò sub genere animalis, quæ sunt diuersa genera substantiæ. Illa verò sunt plura specie, quæ faciunt diuersas species, vel sub pluribus speciebus continentur; vt homo, & æquus; vel Petrus, & Bucephalus; quia primus sub homine, secundus sub æquo continetur. Illa tamdem sunt plura numero, quæ faciunt diuersum numerum: vt Petrus, & Paulus, Franciscus, & Antonius. In proposito, non quæritur de vnitate numerica; quia certum est, logicam non esse vnam numero; immò tot sunt logicæ, quot sunt intellectus eam possidentes: sed est sermo de vnitate, & pluralitate specifica, aut generica.

Secundo Notandum est. Quamlibet scientiam, duplicem posse habere vnitatem, intrinsecam, scilicet, & extrinsecam. Vnitas intrinseca scientiæ desumitur à propria differentia constitutiua intrinseca, quæ pro statu isto, est nobis ignota; quæ differentia si est specifica, dat ei vnitatem specificam; si generica, genericam vnitatem tribuit; eo modo, quo rationalitas dat homini vnitatem specificam, & sensibilitas, animali genericam. Vnitas verò extrinseca scientiæ, desumitur ab obiecto; quod si sit vnum specie, & scientia erit vna specie; si verò obiectum est vnum genere, & scientia erit vna genere.

Tertio Notandum est. Triplicem esse scientiam, scilicet formalem, virtualem, & potentialem. Scientia formalis, est notitia vnius conclusionis demonstratæ, siuè à priori, siue à posteriori: vt notitia huius conclusionis. Omnis syllogismus habet tres terminos, & duas propositiones; habita per hanc demonstrationem. Omnis oratio in qua quibusdā positis, &c. habet tres terminos, & duas propositiones; sed omnis syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, necesse est aliud ex his accidere; ergo omnis syllogismus habet tres terminos, & duas propositiones Scientia verò virtualis, est simplex notitia subiecti, in qua virtualiter continentur multæ aliæ notitiæ per diffinitionem, & quiditatem illius subiecti demonstrabiles de ipso: vt simplex notitia syllogismi, dicitur scientia virtualis; quia per ipsam possumus demonstrare de ipso, habere tres terminos, & duas propositiones; esse in modo, & figura; concludere directè, vel indirectè, &c. Scientia tamdem potentialis, est notitia simplex, & quiditatiua alicuius obiecti, mul-

multarum aliarum notitiarum contentiua, per quas possunt causari cognitiones de multis propositionibus ad illud primum obiectum reducibilibus; vt notitia syllogismi in communi, potest dici notitia potentialis; quia sub se continet notitias quiditatiuas specierum syllogismi, per quas quiditates possunt demonstrari conclusiones de syllogismo dialectico; nimirum, quod concludat probabiliter, & pariat opinionem: de demonstratiuo, quod concludat necessariò, & generet scientiam; & de Sophistico, quod concludat apparenter, & causet deceptionem. Ad propositum, cum quæritur de aliqua scientia, an sit vna, vel plures; distinguendum est de hac triplici scientia, scilicet formali, virtuali, & potentiali.

Ex his, fit prima Conclusio. Logica intrinsecè considerata, est vna species, contenta sub scientia in communi, quæ est genus ad Methaphysicam, Physicam, Mathematicam, & cæteras. Probatur. Quia ponitur immediatè sub assignato genere, & prædicatur de pluribus differentibus numero in quid; ergo est species, & habet entitatem specificam. Consequentia patet ex diffinitione prima, & secunda speciei, assignatis à Porphyrio, capit. de specie. Antecedens Probatur. Quia logica ponitur immediatè sub scientia in communi essentialiter; quia hæc est vera: logica est scientia: vt probauimus suprà; & prædicatur de hac, & illa logica, quæ solo numero differunt; hæ enim sunt veræ, & quiditatiuæ prædicationes: hæc logica, est logica; & illa logica, est logica, &c.

Secunda Conclusio. Logica extrinsecè considerata, ratione subiecti, est vna genere. Hæc est contra D. Thom. citatum, & alios; & conformis Scoto, locis citatis. Probatur. Quia vnitas extrinseca scientiæ, desumitur ab vnitate subiecti, vel obiecti, ex Aristotele, primo Post. capit. 23. vbi dicit, scientiam vnam, esse vnius generis subiecti; sed obiectum logicæ, est vnum genere; ergo logica extrinsecè est vna genere. Minor probatur. Quia obiectum, vel subiectum logicæ, est syllogismus, vt demonstrabitur in sequenti quæstione; sed syllogismus est vnus genere, cum contineat sub se syllogismum Demonstratiuum, Dialecticum, & Sophysticum, tamquam diuersas species; quia, & hi prędicantur de suis inferioribus, tamquam de differentibus numero; ergo syllogismus est vnus genere; & consequenter tribuit scientiæ logicali vnitatem genericam.

Tertia Conclusio. Logica formaliter non est vna, sed plures. Probatur. Quia scientia formaliter est notitia vnius conclusionis demonstratæ; sed in logica non est tantum vna conclusio demonstrata, sed plures demonstrabiles; ergo logica non est vna scientia, sed plures scientiæ formaliter. Maior patet ex tertio Notabili. Minor probatur. Quia licet de omnibus in logica traditis non possint haberi demonstrationes, tamen multa possunt demonstrari, scilicet de syllogismo in communi, habere tres terminos, & duas propositiones; esse in modo, & figura, &c. concludere probabiliter; & generare opinionem de Dialectico; parere scientiam de Demonstratiuo; deceptionem, & apparentem scientiam de Sophistico; Diffinitionem constare ex genere, & differentia; diuisionem debere dari per opposita, & similia, ergo multa demonstrantur in logica; & sic nequit esse vna notitia formaliter, sed plures.

Quarta Conclusio. Logica non est vna scientia virtualiter. Probatur. Quia scientia virtualis, est notitia quiditatiua, per quam multa demonstrantur; sed multæ sunt quiditates in logica, quibus habere possumus diuersas notitias partiales; ergo logica non est vna scientia virtualiter. Maior est nota ex tertio Notabili. Minor probatur. Quia in logica est quiditas syllogismi in communi, syllogismi Demonstratiui, Dialectici, Sophystici; subiecti, prædicati, propositionis, &c. siquidem omnia diffiniuntur quiditatiuè, saltem per additamentum; ergo, cum in logica sint plures quiditates, per quas multa possunt demonstrari, non erit vna, sed plures virtualiter.

Quin-

Quinta Conclusio. Logica est vna scientia potentialiter. Probatur. Quia scientia potentialis; est notitia alicuius superioris, seù communis obiecti, habentis sub se multa inferiora, per quarum quiditates possunt multa demonstrari; sed logica est de syllogismo in communi, vt de subiecto adæquato, vt probabitur in sequenti; & syllogismus habet sub se syllogismum Demonstratiuum, Dialecticum, & Sophysticum, ex quorum quiditatibus, & diffinitionibus possunt multa demonstrari, vt dictum est in præcedentibus; ergo logica est scientia vna potentialis.

Obijcies primo, contra secundam conclusionem. Illa scientia est vna specie, cuius subiectum, vel obiectum est vnum specie, saltem loquendo de subiecto, vel obiecto formali; sed obiectum formale logicæ est vnum specie; ergo &c. Maior patet ex Philosopho, primo Posteriorum. Minor probatur. Quia obiectum formale logicæ est ratio assentiendi omnibus conclusionibus logicalibus; sed talis est vna specie tantum; ergo &c. Maior patet. Quia ratio assentiendi, est diffinitio obiecti, cum sit medium in demonstratione potissima, etiam secundum Scotum secundo posteriorum; sed hæc est ratio formalis obiectiua, quæ est vna in omnibus; ergo &c. minor probatur per necessariam connexionem omnium eorum, quæ sunt in logica.

Respondetur. Negando minorem; Ad probationem, nego minorem: ad cuius probationem dico, rationem assentiendi, sicut, & connexionem eorum, quæ sunt in logica; non fieri in vnitate specifica, sed generica. Et ratio est euidentissima, quia alia est ratio assentiendi, sicut est alia diffinitio in syllogismo Demonstratiuo, Dialectico, & Sophistico, Cum igitur hi conueniant in vno genere, consequenter etiam rationes assentiendi conueniunt in vna ratione generica, & non specifica.

Obijcies secundo. Sicut se habet potētia ad suum obiectum, ita habitus scientiæ ad suum; sed per vnicam simplicem potentiam cognoscimus multa obiecta, vt per visum cognoscimus omnes colores; ergo per vnum habitum simplicem debemus assentire omnibus conclusionibus logicalibus. Maior patet. Quia tam habitus, quam potentia, habent vnitatem ab obiecto.

Respondetur. Argumentum nihil aliud concludere quàm, quod habitus habeat vnitatem extrinsecam ab obiecto, sicut potentia; non tamen similem vnitatem; quia potentia ab omnibus exigit vnitatem numericam, vel similem distinctionem; habitus verò, vltra numericam, admittit, & specificam, & genericam. Cum igitur obiectum logicæ sit vnum genere, & logica erit vna genere. Exemplum de potentia visiua est contra Thomist. Quia licet potentia visiua vna numero videat omnes colores specie distinctos, hoc ideò obtinet, quia respicit illos sub ratione generica coloris, qui est genus ad omnes; quocirca, potentia visiua, saltem extrinsecè, redditur vna genere.

Obijcies tertiò, contra quintam conclusionem. Quia notitia potentialis est cognitio quiditatiua alicuius superioris obiecti, multa sub se continentis, quæ adhuc potest causare alias notitias quiditatiuas, vt dictum est notabili tertio. Sed logica non est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur; Quia inferiora ad syllogismum sunt syllogismus Demonstratiuus, Dialecticus, & Sophisticus, de quibus potissimum est logica; sed tales syllogismi nequeunt causare scientiam logicalem; ergo. Minor probatur. Quia entia rationis non possunt causare scientiam, quæ est ens reale; sed tales syllogismi sunt entia rationis, cum sint secundæ intentiones; ergo de illis nequit esse logica, quæ in ratione scientiæ est realis.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, iterum nego minorem. Ad cuius probationem dico, entia rationis posse causare scientiam realem in virtute suorum fundamentorum, quæ sunt entia realia. Vndè, quamuis logica intrinsecè sit realis, potest habere esse à syllogismo Demonstratiuo, Dialectico, & Sophystico, virtute suorum fundamentorum.

Di-

Dices: ergo syllogismus pro secunda intentione non erit obiectum logicæ, cum vt sic, nequeat causare scientiam logicalem.

Respondetur, concedendo illatum de obiecto motiuo, quia tale est syllogismus pro prima intentione, siuè in esse reali; negando tamen illud de obiecto terminatiuo: quia scientia logicalis potest terminari ad syllogismum pro secunda intentione, & ab illo sic denominari scientia rationalis, vt diximus superiùs; vndè infertur, quod obiectum scientiæ non est semper causa eiusdem, sufficereque, vt sit terminus illius.

Obiicies quarto, contra eamdem conclusionem. Quia notitia multarum rerum logicalium non continetur in syllogismo, nec in inferioribus ad ipsum; ergo notitia logicalis non est vna potentialiter. Consequentia patet. Antecedens probatur Quia termini, & aliæ species argumentationis, scilicet Inductio, Enthimema, & Exemplum. Item diffinitio, & diuisio, non continentur in syllogismo, nec in demonstratiuo Topico, aut Sophististico, vt patet ex eorum diffinitionibus, ergo &c.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico sufficere, vt talia contineantur, vel vt partes subiectiuæ, vel vt integrales; modo illæ species argumentationis, scilicet Enthimema, Inductio, & Exemplum continêtur in syllogismo, tam quam partes integrales; quia ex illis potest fieri syllogismus, vt patet reducendo ad illum: termini verò sunt partes syllogismi remotæ, quia cum syllogismus constet ex propositionibus, quæ sine terminis fieri nequeunt, sequitur etiam fieri ex terminis, saltem remotè, vt patet resoluendo syllogismum in propositiones, & has, in terminos. Sed de his fusius in sequentibus.

Vtrum Syllogismus sit subiectum adæquatum totius logicæ?

QVÆSTIO X.

De subiecto logicæ, sunt tàm multæ, tàmquè discrepantes sententiæ, vt haud facilè nobis sit omnes numerare, nè impossibile dixerimus, nouam aliquam inuenire. Quinquè præcipuè referuntur à Doctore subtili, quæstione tertia vniuersalium, quarum prima, est quorundam Antiquorum, quos nonnulli Moderni sequuntur, asserentium, tres operationes intellectus esse adæquatum subiectum, cum de illis agatur in tota logica.

Secundam ponit Boetius dicens, secundam Intentionem in communi, esse logicæ subiectum.

Tertiam recensent de mente propria aliqui, quam etiam putant consentaneam Aristoteli, quarto Metaphisices, textu 15. qui dicunt, ens reale in communi esse hic subiectum.

Quartam ponit Sanctus Thom. 4. Meth. lect. 4. & Opusc. 42 de Natura Generis. cap. 4 Caiet. super cap. de genere. Flandria, 4. Meth. q. 5. art. 2. Sotus in Proem. logicæ q 5. Toletus ibidem: dicentes, ens rationis in communi, esse subiectum logicæ.

Quintam docent Nominales, existimantes orationem in communi, prout comprehendit syllogismum, Enthimema, Inductionem Exemplum, & Ennunciationem, esse adæquatum subiectum logicæ.

Sextam, adducunt in medium Auicennam, cap. 3. logicæ, Algazellis, c. 2. Albertum Magnum libro Prædicabil. c. 4. & alios, autumantes, Argumentationem in communi esse subiectum.

Septimam tradunt Græci omnes, vt Ammonius, Simplicius, Philopponus, asserentes, Demonstrationem esse subiectum.

Octauam afferunt Tataretus noster, quæst. 3. Præambulari. Ruuius, quæst. 6. Pro-

Prœmialium. Conimbricenses, quæst. 5. articul. 3. pro qua citant Scotum primo Priorum, quæst. 2. Aegidium Romanum ibidem Fonsecam, secundo Methaphisices cap. 3. quæst. prima, section. quinta. Mirandulanũ in Proæmialibus logicæ, & lib. 2. Apologiæ sect. 5. opinantes, modum differendi, seù modum sciendi, esse totius logicæ adæquatum subiectum.

Mastrius tamen de Natura logicæ Art. 3. & Poncius Disput. 2. q. 3. distinguunt logicam in se, & secundum propriam eius naturam ab ea, quam tradidit nobis Aristoteles in libris Peri hermenias, Prædicamentorum, Priorum, Posteriorum, Topicorum, & Elenchorum, & resoluunt, subiectum logicę in se, esse modum sciendi, prout comprehendit Diffinitionem, diuisionem, & argumentationem; logicę verò Aristotelicæ subiectum esse syllogismum, in communi, prout sub ipso continentur syllogismus Demonstratiuus, Dialecticus, & Sophisticus. Pro vtraque citant Doct. subt. in lib. p. Priorum q. 2. pro priori, & q. 3. Vniuersalium pro posteriori; atque ità resoluunt contradictionem, quam Aduersarij afferebant in opinione Scoti. Quid autem sit dicendum in tanta varietate opinionum, quibusdam notatis, aperiemus in Conclusionibus responsiuis ad quæstionem.

Pro declaratione igitur sententiæ Scoticæ; & confutatione aliarum, primo Notandum est, circa diuisionem logicæ multos multa dixisse, vt licet videre apud Collegium Conimbricense q. 5 Prœmiali, art. 2. Nos tamen omissis aliorum opinionibus, in Nouam, & Veterem secabimus: vndè logica Vetus illa dicitur, quæ tractat de terminis, & propositionibus, comprehenditquè sub se libros Predicabilium Porphyrij, Prædicamentorum; Peribermenias, ac paruorum logicalium Aristotelis: Noua verò appellatur illa pars, quæ de Syllogismis tractat, & complectitur libros Priorum, Posteriorum, Topicorum, & Elenchorum Aristotelis. Quæ tamen dicitur noua, & illa vetus, non quia altera præcesserit alteram tempore, sed quia vetus nouam præcedit ordine naturæ; siquidem cum in noua agatur de tota argumentatione, in veteri verò de partibus, scilicet de terminis, & propositionibus, & partes tantum ordine naturę habeant præcedere totum, ideò illa, quæ de syllogismo noua, & quæ de terminis, & propositionibus vetus logica appellanda est. In proposito quæritur. An syllogismus sit vtriusque partis subiectum adæquatum, vel potius modus sciendi, cum vterquè ponatur a Doctore subtili subiectum logicæ.

Secundò Notandum est, ex Aristotele, libro primo Priorum, capit. primo, syllogismum dupliciter accipi posse, scilicet propriè, & impropriè, syllogismus impropriè, extenditur ad omnes consequentias argumentatiuas, siuè habeant plures præmissas, siuè non; siuè disponantur in modo, & figura siuè in antecedenti, & consequenti: & hoc modo Inductio, Enthimema, & Exemplum dicuntur syllogismi, licet modo imperfecto. Syllogismus verò propriè, est oratio, in qua quibusdam positis, necesse est ab his aliud accidere per ea, quæ posita sunt. Idest, est oratio hipothetica rationalis, vel copulatiua, in qua ponuntur duæ propositiones dispositæ in modo, & figura, ex quibus sic dispositis resultat tertia, quæ dicitur conclusio. Vt omne animal est substantia, omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia. Et syllogismus hoc modo sumptus diuiditur tamquam genus in suas species in Demonstratiuum, Dialecticum, seù Topicum, & Sophysticum. Qui inter se differunt; quia Demonstratiuus constat ex prémissis necessarijs, Topicus ex probabilibus, & Sophisticus ex apparentibus, sicut dictum fuit in Summulis, suis in locis.

Tertio Notandum est, ex Doct. subtil. in Præambulo ad lib. Porphirij, antè quæst 4. Vniuersalium; posito, quod sicut vniuersale accipitur tripliciter, scilicet pro re primæ intentionis, pro forma, idest pro secunda intentione sibi ab intellectu applicata, & pro aggregato ex vtrisque: ita syllogismus in communi potest tripliciter accipi, scilicet pro re primæ intentionis, scilicet pro syllogismo vocali; mentali, vel scripto cognitis ab intellectu actu recto, vel reflexo, pro secunda intentione applicata vnicuique illorum trium syllogismorum ab actu comparatiuo intellectus comparantis duas præmissas dispo-

dispositas in modo, & figura in ordine ad tertiam, vt diximus in Tractatu secundarum Intentionum, & pro aggregato ex syllogismo pro prima, & secunda intentione, quod est per accidens, quia inuoluit res diuersorum generum, siquidem syllogismus pro prima intentione est res realis, vel ens rationis absolutum, & pro secunda est ens rationis respectiuum; modo ex ente reali, & rationis, vel ex absoluto, & respectiuo non potest fieri vnum per se: hic est sermo de syllogismo secundo intentionaliter accepto, & non de primo, vel tertio, quia neuter potest esse subiectum in scientia rationali, cuiusmodi est logica, tùm quia de ente per accidens non datur scientia, ex Aristotele sexto Meth. tùm quia de re reali datur scientia realis, & non rationalis.

Quarto Notandum, ex eodem Doct. Subt. q. 3. Vniuers. & lib. p. Priorum q. 2. subiectum accipi posse octo modis. Primo modo pro obiecto alicuius potentiæ, vt est sonus respectu potentiæ auditiuæ. Secundo modo pro seruo respectu Domini, de quo loquitur Philosophus primo Politic. dicēs, secundam combinationem principalem pro salute tuenda esse inter principans, & subiectum; idest inter Dominum, & Seruum. Tertio modo, pro fundamento domus, quia subiacet parietibus, & tecto. Quarto modo pro subiecto inhæsionis, sicut paries est subiectum albedinis sibi inhærentis. Quinto modo pro subiecto passionis, sicut homo dicitur subiectum risibilitatis. Sexto modo pro subiecto propositionis, vt in hac, homo est animal: homo dicitur subiectum, quia de ipso dicitur animal. Septimo modo pro inferiori respectu superioris, vt inquit Aristoteles in illa Regula Anteprædicamentali. Quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, idest de inferiori. Et sic Petrus dicitur subiectum hominis, homo animalis, animal corporis animati; & sic ascendendo vsque ad subiectum, & ens. Octauo tamdem modo pro subiecto alicuius scientiæ: & hoc est duplex, scilicet prædicationis, & attributionis. Subiectum prædicationis est illud, quod prædicatur directè prædicatione dicente, hoc est hoc, de omnibus contentis in scientia, cuius est subiectum: & sic ens reale dicitur subiectum in methaphysica, quia prædicatur de illis contentis directè, siquidem omnia sunt entia. Subiectum verò attributionis est illud, quod est principaliter consideratum in scientia, & ad quod omnia considerata habent attributionem aliquo modo; hic est sermo de subiecto attributionis, & non prædicationis, quia sic ens rationis, vel secunda intentio, vel modus sciendi esset subiectum in logica, cum prædicentur directè de omnibus in illa consideratis.

Quinto Notandum, ex eodem Doct. Subt. in citatis locis, quod ad hoc vt aliquid dicatur subiectum attributionis in aliqua scientia, tres conditiones requiruntur. Prima, quod habeat quid est, & quia est; idest diffinitionem, seu conceptū quiditatiuum, & existentiam aptitudinalem, vel in se, vel in alio: in se, si fuerit ens reale; vel in alio, si sit ens rationis. Secunda, quod habeat passiones de ipso demonstrabiles per suam diffinitionem, vel conceptum quiditatiuum; siquidem diffinitio est medium in demonstratione potissima, vt videbimus in lib. Posteriorū. Tertia, quod omnia considerata in scientia habeant attributionem ad ipsum, vel vt partes subiectiuæ, vel vt partes integrales, siuè remotæ, siuè propinquæ, vel aliquo alio modo in gratiam ipsius sint cōsiderata in scientia: Modo ad propositū applicando, syllogismus in communi acceptus pro secunda intentione, habet omnes has conditiones; quia diffinitur primo Priorum cap. p. & habet existentiam aptitudinalem in syllogismo vocali, vel mentali, aut scripto cognitis ab intellectu actu comparatiuo. Insuper, in primo Priorum demonstrantur multæ passiones de eo, scilicet habere tres terminos, & duas propositiones, esse in modo, & figura mediante sua diffinitione, & demum omnia considerata in logica sibi attribuuntur, vel vt partes subiectiuæ, & Elenchorum; vel vt partes imperfectę, sicut Inductio, Enthimema, & Exemplum, quæ ad ipsum reducuntur, vt imperfecti syllogismi ad perfectum ad illos quatuor modos primæ figuræ; vel vt partes integrales propinquæ, de quibus tractatur in libro Perihermenias; vel vt remotæ, vt

tunt

sunt termini, de quibus dantur libri Prædicabilium, & Prædicamentorum. Suppositio, significatio, conuersio, æquipollentia, affirmatio, negatio, oppositio, & cætera huiusmodi, ordinantur ad ipsum, vt passiones suarum partium integralium. Diffinitio tamdem, & diuisio, de quibus videtur maior difficultas, ordinantur peroptimè ad ipsum; nam diffinitio est medium in demonstratione. Et hæc, scilicet diffinitio, nequit rectè fieri sine diuisione; siquidem est medium venandi bonam diffinitionem, ex Philosopho in pluribus locis suæ doctrinæ. Sequitur, ergo ex dictis, quod syllogismus, cum habeat omnes conditiones requisitas ad esse subiectum attributionis, sit subiectum attributionis adæquatum totius logicæ, siuè in se, siuè traditæ ab Aristotele, vt Recentiores loquuntur.

Ex his fit prima Conclusio. Tres operationes intellectus, vt dicit prima opinio; argumentatio, vt asserit sexta, & modus sciendi, seù differendi, vt tenet octaua, non sunt subiectum in logica. Probatur. Quia quodlibet subiectum scientiæ habet diffiniri, ex Aristotele primo post. c. p. & 2. sed tres operationes intellectus, argumentatio, & modus differendi, seù sciendi, non diffiniuntur ergo &c. Minor probatur primo de tribus operationibus intellectus. Quia nullum complexum diffinitur, ex Aristotele septimo Meth. cap 2. & 3. Sed secunda, & tertia operatio intellectus saltem sunt quid cóplexum, s. cópositio diuisio, & discursus; ergo non diffiniuntur. Confirmatur. Quia diffinitio constat ex genere, & differentia, ex Aristotele septimo Meth. loco citato; sed complexum caret genere, & differentia, cum excludatur à prædicamentis; ergo non diffinitur. De Argumétatione, & modo sciendi probatur eadem minor. Quia nullum æquiuocum diffinitur ex Aristotele septimo Meth. cap. 2. & 8. Meth. cap 10. sed tàm argumentatio, quàm modus sciendi, vel differendi sunt æquiuoca; ergo &c. Minor hæc probatur. Quia modus sciendi comprehendit diffinitionem, diuisionem, & argumentationem, argumentatio, syllogismum, inductionem exemplum, & enthimema; sed de his omnibus dicuntur æquiuocè, vt patet ex eorum diffinitionibus; ergo sunt æquiuoca.

Secunda Conclusio. Ens reale, vt dicit tertia sententia, nequit esse subiectum in logica. Probatur. Quia scientia rationalis nequit esse de subiecto reali, ex Aristotele tertio de Anima t. e 38. vbi dicit, scientias secari quemadmodum, & res, idest subiecta; sed logica est scientia rationalis, quia de syllogismo, qui est ens rationis, vt probatum est superius, & clarius demonstrabitur inferius in hac quæstione; ergò logica nequit esse de ente reali, vt de subiecto.

Tertia Conclusio. Ens rationis, siuè in tota sua latitudine, siuè vt restringitur ad logicalia tantum, nequit esse subiectum adequatum logicæ. Est contra D. Thom. & Sectatores. Probatur prima pars. Quia subiectum debet esse adæquatum scientiæ, ex tertia conditione posita notab. quinto; sed ens rationis in tota sua latitudine non est adæquatum logicæ, cum comprehendat Gramaticam, & Rethoricam, in quibus agitur de sermone, qui est ens rationis, ergo &c. Secunda Pars probatur. Quia subiectum debet diffiniri in scientia, cuius est subiectũ, ex Philosopho primo Post. c. p. & ex prima conditione subiecti; sed ens rationis logicum nullibi reperitur diffinitum in logica Aristotelis; ergo nequit esse subiectum.

Quarta Conclusio. Secunda intentio in communi sumpta, non potest esse subiectum in logica, vt inquit Boetius; nec Demonstratio, contra Ammonium, & alios Græcos. Probatur prima Pars. Quia nullibi reperitur in logica Aristotelis diffinita secunda intentio; ergo nequit esse subiectum eiusdem. Consequentia patet; quia subiectum debet diffiniri in scientia, cuius est subiectum, vt dictum est. Secunda pars probatur. Quia subiectum debet esse adæquatum scientiæ, vt omnia possint ad ipsum habere attributionem; sed demonstratio non est adæquata toti logicæ; ergo &c. Minor probatur, quia Syllogismus Dialecticus, & Sophisticus, cum sint disparati ad demonstratiuum, non possunt reduci ad ipsum, vt patet per legem disparatè oppositorum; ergo. Prætereà, syllogismus simpliciter, de quo agitur in libro Priorum, non potest reduci ad demonstrationem, siquidem nullum superius habet ordinari ad inferius, sed benè è conuersò;

uerso; ergo Demonstratio nequit esse subiectum attributionis in Logica.

Quinta Conclusio. Oratio non potest esse subiectum in Logica. Contra Nominales. Probatur primo. Quia nimis latè patet; siquidem est communis ad orationem Gramaticam, & Rethoricam, de quibus non agitur in Logica. Secundo. Quia subiectum scientię debet diffiniri, sed oratio, vt sic non diffinitur; ergò &c. Minor probatur. Quia nullum æquiuocum potest diffiniri, cum non dicat conceptum per se vnum, sed tantum vocem communem ad æquiuocata, ex Aristotele in Anteprædicamentis; sed oratio, vt sic, est æquiuoca in logica, nam aliter significat, vt ponitur in diffinitione propositionis, & aliter, vt ponitur in diffinitione syllogismi; ergo &c. Minor declaratur. Quia in diffinitione propositionis sumitur pro enunciatione, in diffinitione verò syllogismi pro positione, seù præmissis illatiuis conclusionis, quæ sunt valdè diuersæ, vt patet. Tertio. Subiectum attributionis debet esse principaliter consideratum in scientia, cuius est subiectum; sed oratio non est huiusmodi in logica, siquidem ipsa ordinatur ad syllogismum, & non è conuerso, ex Aristotele lib. primo Priorū cap. primo; ergo oratio nequit esse subiectum attributionis.

Sexta Conclusio. Syllogismus in communi sumptus pro secunda intentione, est subiectum attributionis adæquatum totius logicæ, siuè ab Aristotele traditæ, siuè in se consideratæ. Contra Mastrium, Pontium, & alios ab ipsis citatos: & est apertè Doct. Subr. quæst. 3. Vniuersalium. Probatur primo prima pars. Quia syllogismus in communi sumptus, secundo intentionaliter acceptus, habet omnes cōditiones requisitas, scilicet quid est, & quia est, passiones demonstrabiles de ipso, & partes, siuè integrales, siuè subiectiuas reducibiles ad ipsum, vt probatum est Nomb. 5. ergo est subiectum attributionis in tota logica. Secundo. Quia syllogismus est principaliter consideratus in logica; quia omnes addiscunt logicam, vt sciant syllogizare, & argumentari; ergò syllogismus est subiectum in logica.

Dices cum Mastrio, & Poncio, totum procedere, & esse verum de logica ab Aristotele tradita, non tamen de Logica in se; quia multa, quæ considerantur in logica, quàmuis aliquo modo possint ordinari ad syllogismum, vt probatum est, tamen cum habeant, & possint considerari propter se absque relatione ad syllogismū, vt patet de diffinitione, quæ potest esse medium generandi scientiam independenter à demonstratione, & de diuisione independenter à diffinitione; siquidem per priorem scimus, hominem esse animal rationale; & per posteriorem, non esse irrationalem, vel brutum, concludendū est necessario dari logicam de his, & alijs, distinctam à Logica syllogismi, & consequenter requirere subiectum latius patens, quàm syllogismus; quod non poterit esse, nisi modus sciendi, vel differendi, vt probat etiam Doctor Subr. in libro primo Priorum q. 2.

Contra, & erit probatio secundæ partis conclusionis. Quia definitio, & diuisio non sunt modi sciendi, nisi in ordine ad demonstrationem; ergo quamuis seiunctæ à demonstratione possint generare aliqualem notitiam, non tamen talem, quæ sit logica, vt est scientia. Antecedens probatur. Quia omnis scientia est effectus demōstrationis, ex Philosopho, primo lib. Poster. cap. 2. ergo omnis modus sciendi erit in ordine ad demonstrationē; igitur si diffinitio, & diuisio independenter se habeant à demonstratione, non erunt modi sciendi.

Dicens cū Mastrio, disput. 1. de instrum. sciendi, sub nu. 1. q. 1. antecedens esse verum de modo sciendi strictissimè accepto, quia sic coarctatur duntaxat ad demonstrationem; falsum tamen si sumatur secundum communem modum loquendi Summulistarum, nimirum pro oratione manifestatiua alicuius ignoti, quia sic diffinitio, & diuisio independenter à demonstratione, sunt modi sciendi.

Contra. Quia quæro de illa notitia habita per diffinitionem, & diuisionem independenter à demonstratione, vel est logica, quæ sit scientia formaliter, vel saltem ordinata ad scientiam formaliter, àut non, sed tantum ars liberalis; Atqui neutrum dici potest; ergo dicendum est esse instrumenta sciendi tantum in ordine ad discursum. Maior patet à sufficienti

diuisione

diuisione. Minor probatur. Non primum. Quia scientia formaliter, est effectus solius demonstrationis, & quæcumquè notitia præcedens, non est scientia, sed intellectus. Si detur secundum, non est ad propositum; quia debemus loqui de logica notitia, quæ sit scientia, vel ordinata ad scientiam; quia huiusmodi duntaxat assignatur obiectum, seù subiectum scibile, ex Aristotele, lib.p. poster. cap. 23. Superest ergò concludere, diffinitionem, & diuisionem esse tantum modos sciendi in ordine ad discursum; ac proindè non dari logicam, quæ non sit de syllogismo, vt de subiecto.

Confirmatur. Quia fingere aliam logicam distinctam ab ea, quam tradidit nobis Aristoteles, est fingere, huiusmodi logicam non esse scientiam, & consequenter modum sciendi, qui assignatur pro eius subiecto, non esse scibilem; sed vtrumque est maximum inconueniens; ergò dicendum est, omnem, & totam logicam esse ab Aristotele sufficienter traditam. Maioris prima sequela patet; quia omnis logica docens, ab Aristotele tradita, est scientia; quia habita per demonstrationem; at huiusmodi logica esset habita independenter à demonstratione; quia de diffinitione, & diuisione independenter à discursu; ergo huiusmodi logica non esset scientia. Secunda pars sequelæ maioris infertur ex prima. Quia tunc de illo non haberetur notitia, quæ esset scientia: vnde sequitur, non esse scibile, & esse subiectum, quod inuoluit contradictionem. Minor probatur. Quia frustra assignaretur sibi pro subiecto scibili, modus sciendi, potiùs, quàm syllogismus, cum non scientia non habeat subiectum, sed contenta sit quibusdam regulis conducentibus artificem ad optatum finem. Vt igitur euitemus hæc, & similia inconuenientia, dicendum est sufficere logicam Aristotelis de syllogismo, vt de subiecto eius attributionis, & adæquato.

Obijcies tamen primo, contra hanc conclusionem, ex Doct. subt. q. 3. Vniuersal. De quolibet obiecto scientiæ, habetur scientia per syllogismum; cum omnis sciẽtia sit effectus demonstrationis; sed de syllogismo non habetur scientia per syllogismum; ergo syllogismus nequit esse subiectum, vel obiectum logicæ. Minor probatur. Quia per ignotum nihil scitur: sed syllogismus per quem habetur scientia est ignotus; ergo per syllogismum non potest haberi scientia de syllogismo. Maior est Aristoteli, p. Poster. Minor probatur. Quia, syllogismus, per quem habetur scientia de syllogismo in communi, non est ignotus sed notus, tunc erit notus per alium syllogismum; consequens est falsum, quia & ille esset notus per alium, & alius per alium, & sic esset processus in infinitum, quod non est concedendum in scientijs.

Respondetur, supponendo duo ex litera Doctoris; & primum, quod tàm de syllogismo in communi, quàm de particulari habetur scientia, sed aliter, & aliter; nam de syllogismo in communi habetur scientia per se primo, de particulari verò per se non primò & secundario; sicut de passione, quæ per se primò inest communi, per se non primo, & secundario particulari. Vt risibilitas, per se primò inest homini, & secũdario Petro, vel Paulo. Et habere tres terminos, & duas propositiones, primò inest syllogismo in cõmuni, et secũdariò syllogismo in particulari, scilicet Bar. Celarent &c. ita scientia de passione, per se primò inest syllogismo in communi, & per se non primò syllogismo in particulari, scilicet Barbara, & Celarent.

Secundum Suppositum. Aliquid potest esse notum tripliciter. Primò ex terminis; vt hæc propositio. Omne totum est maius sua parte. Quia statim ac percipio rationẽ partis, & totius, illicò cognosco totam propositionem. Omne totum est maius sua parte. Secundò per experientiam. Qua ratione cognoscitur ignis esse calidus, aqua frigida &c. Tertio verò per demonstrationem. Vt hominem esse risibilem, notificatur per hãc demonstrationem. Omne animal rationale est risibile; sed omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est risibilis. Ad propositum applicando doctrinam: syllogismus particularis, per quẽ habetur sciẽtia de syllogismo in communi, est notus ex terminis, quantum ad veritatem premissarum per experientiam, quo ad passiones, scilicet habere tres terminos, & duas passiones; & per demonstrationẽ verò non scitur ante demonstrationẽ de syllogismo communi, imò per ipsum tantum scitur, cum per demõstrationem primo demonstretur passio de communi; & secundo de particulari, vt dictum est suppositione prima.

Formaliter igitur ad argumentum dico, negando minorem; quia de syllogismo in communi habetur scientia per syllogismum particuralem. Ad probationem dico, illum syllogismum particularem, non esse notum per alium syllogismum, sed quoad veritatem præmissarum, esse notum ex terminis, quoad passiones per experientiam; & postea per demonstrationem de communi esse notum per se non primo, & reflexiuè, etiam demonstratiuè.

Obijcies secundo, ex eodem ibidem. Nihil potest esse subiectum totius, & partis; sed syllogismus in communi, seù simpliciter, est subiectum in libris priorum, in quibus traditur tantum vna pars logicæ; ergo nequit esse subiectum in tota logica. Maior patet. Quia subiectum debet adæquari scientiæ; sed pars non adæquatur toti; ergo nihil potest esse subiectum totius, & partis.

Respondetur, syllogismum in communi dupliciter considerari. Vno modo secundum passiones ipsum in communi formaliter consequentes; vt puta habere tres terminos, & duas propositiones, modum, & figuram. Alio modo, nedum secundum illas, sed etiam secundum alias, quæ sibi conueniunt ratione suarum partium, tum integralium, tum subiectiuarum; hoc est, secundum necessitatem, quæ sibi conuenit ratione demonstrationis; probabilitatem, quam obtinet ratione syllogismi Dialectici; & apparentiam, quæ ad ipsum ordinatur ratione syllogismi Sophistici. Similiter ratione suppositionis, significationis, cõuersionis, & æquipollentiæ, quas cõtinet ratione terminorum, & propositionum. Primo modo, est subiectum tantum in libris Priorum. Secundo modo, in tota logica. Ex quo patet, idem diuersimodè consideratum posse esse subiectum totius, & partis logicæ.

Obijcies tertio. Omne subiectum debet esse intelligibile; sed syllogismus non est intelligibilis; ergo &c. Minor probatur. Quia omne intelligibile pro statu isto debet esse sensibile, ex Philosopho de sensu, & sensato; & p Post. cap. p. Sed syllogismus, cum sit secunda intentio, non est sensibilis; ergo nec intelligibilis.

Respondetur negando minorem. Ad probationem dico, auctoritatem Philosophi habere veritatem de intelligibili motiuè pro hoc statu, non verò de intelligibili tantum terminatiuè. Modò syllogismus est intelligibilis tantum terminatiuè. Vndè non sequitur, quod prius debeat esse sensibilis.

Vel dico secundo. Syllogismum pro secunda intentione esse sensibilem in suo fundamento, hoc est, in syllogismo vocali, vel scripto; & sic potest intelligi etiã motiuè ratione suorum fundamentorum. Ex quo sequitur, non esse necesse, vt intelligibile semper sit sensibile in se, cum sufficiat illud sentiri posse, vel in se, vel in suo effectu: vt Deus, & subiectum; vel in suo simili: vt Antichristus, & homines futuri; vel in suis partibus: vt chimera; vel tandem in suis fundamentis; vt secundæ intentiones.

Obijcies quarto. Auctoritatem Doct. subt. lib. p. Priorum q. 2. conclusione prima dicentis, modum sciendi esse subiectum totius logicæ, & non syllogismum; ergo vel sibi contradicit, vel syllogismus non erit subiectum logicæ adæquatum; quod neutrum admitti debet.

Respondent communiter Scotistæ, vt Brasauolus, & Sarnanus in quæstionem tertiam Vniuersalium, Scotum in primo Priorum, conclusione prima & secunda, esse locutum de subiecto prædicationis; in quæstione tertia Vniuers. de subiecto attributionis. Et sic nulla est contradictio; quia reuera modus sciendi est subiectum prædicationis, & non syllogismus; & syllogismus est subiectum attributionis, & non modus sciendi.

Contra. Hæc responsio est mera euasio, & demonstrant, se non benè vidisse textum Scoti; siquidem tot. 2. enumeratis diuersis acceptionibus subiecti, restringit se ad subiectum attributionis, excludendo cõmunitatem prędicationis; igitur cùm iuxtà cõditiones positas ibidem, dicat, syllogismum non esse subiectum, & asserat, modum sciẽdi esse subiectum, intelligi debet de subiecto attributionis, & non prædicationis.

Respondetur ergo aliter, dicendo cum D. Bonauentura in Prologo primi sent. q. p. triplex esse subiectum attributionis alicuius scientię, scilicet radicale; vt punctum in Geometria: integrale; vt corpus continens omnes dimensiones, scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem; Et vni-

vniuersale; vt quantitas continua in eadem. Similiter dicendum est in logica, subiectum radicale esse terminum; integrale totale syllogismum; totale verò vniuersale, esse modum sciendi. Et sic, nulla est contradictio in verbis Doctoris, cum loquatur in lib. Priorum de subiecto attributionis vniuersali; & in q. 3. Vniuers. de totali integrali attributionis.

Obijcies quinto Philosophum 4. Meth. t. c. 5. dicentem, circa idem laborare Methaphysicum, Dialecticum, & Sophistam; sed Methaphysicus laborat circa ens reale; ergo, & Dialecticus, & Sophista; & sic logica est de obiecto reali.

Respondetur primo, concedendo axioma Aristotelis, sed diuersimodè, nam Methaphisicus considerat ens reale per se, Dialecticus, & Sophista per accidens, idest in quantum super quolibet ente reali potest fundare secundas intentiones, quas per se considerat. Vndè sequitur, aliquod ens rationis, cuiusmodi est syllogismus, esse subiectum logicæ, & non ens reale.

Vel dicendum secundo cum Scoto, in Expositione illius textus; quod per Dialecticum, & Sophystam, non intelligitur, quod sit talis per logicam docentem, sed per vtentem; vt sit sensus. Circa idem, idest circa totum ens laborant, Methaphysicus, considerando quidditatem eius. Dialecticus, & Sophysta, applicando instrumenta logicalia, idest Maximas Dialecticas, & Sophysticas, per quas tibi conuenit circa omnia laborare, idest circa totam latitudinem entis.

Obijcies sexto, ex Poncio disp. 2. q. 3. de Natura logicæ, probando, modum sciendi potius, quam syllogismum, esse subiectum logicæ totius, in se consideratæ. Quia habet omnes conditiones requisitas ad subiectum attributionis; ergo cum sit quid communius syllogismo, modus sciendi potius, quam syllogismus, debet esse subiectum adæquatum totius logicæ. Consequentia patet; quia subiectum attributionis debet esse maximè commune principaliter consideratum in scientia, & ad quod omnia considerata habeant attributioné, vt patet in methaphysica, in qua assignatur ens; corpus naturale in physica, & in Arithmetica numerus, quæ sunt maximè communia in illis. Antecedens probatur; quia diffinitur per hoc, quod doceat diffinire, diuidere, & argumentari; habet species, seù partes subiectiuas, scilicet diffinitioné, diuisionem, & argumentationem, quæ compræhenduntur sub ipso, & non sub syllogismo: habet etiam tertiam conditionem; quod omnia referantur ad ipsum, melius, quam ad syllogismum; siquidem syllogismus, vt sic, continetur sub modo sciendi, & non è conuersò, cum sit inferior modo sciendi.


Respondetur primo, negando antecedens, loquendo de subiecto attributionis; quia modus sciendi non diffinitur, vt diximus in probatione primæ conclusionis; siquidem alium conceptum importat argumentatio à diffinitione, & diuisione. Nec illa, quæ affertur, est diffinitio, sed potius notificatio quædam per sua æquiuocata. At quia hæc responsio videtur contraria doctrinæ Doct. subtilis, in primo priorum q. secunda vbi probat, modum sciendi habere omnes conditiones requisitas ad subiectum, ideò.

Respondetur secundò, argumentum concludere, modum sciendi esse subiectum communius syllogismo per prædicationem, non per attributionem. Vel esse subiectum attributionis, vt inquit D. Bonauentura, totalitate vniuersalitatis, non totalitate integritatis; quia sic est syllogismus, qui est quoddam totum integratum ex partibus integralibus, & subiectiuis, in cuius gratiam omnia traduntur in logica, vt ad ipsum referantur.

Obijcies septimo pro D. Tho. & sequacibus. Quia in methaphysica, etsi principalius consideratum sit substantia, ad quàm cętera in illa tradita referuntur, tamen hoc non obstante, sibi assignatur communiter pro subiecto ens reale, vt sic; ergo à simili, quamuis syllogismus sit principaliter consideratus in logica; & ad ipsum cætera referantur, vel vt partes integrales, vel vt subiectiuæ, vel vt principia, vel vt passiones; nihilominus, cum ens rationis logicum sit communius syllogismo, & sub ipso contineantur omnia in logica considerata, ipsum debet poni pro subiecto adæquato logicæ, & non syllogismus.

Respondetur, totum argumentum concludere de subiecto prædicationis, & non attributionis; siquidem hoc discrimen intercedit inter subiectum prædicationis, &

attributionis, quòd istud debet esse quoddam totum coalescens ex principijs, partibus, & passionibus, vt inquit Aristotele, p. Poster. t. c. 23. & ab ipso solo scientia habet vnitatem; illud verò est quoddam simplex carens partibus integralibus; quia eo ipso, quod est communius, infertur debere esse simplicius omnibus in scientia contentis, & ab ipso scientia nequit habere vnitatem virtualitatis, cum per eiusdem definitionem, seù conceptum quiditatiuum, nequeant demonstrari de ipso passiones suorum inferiorum, quod est necessarium in subiecto attributionis; quandoquidem, vt docet Scotus in prologo primi sent. q. 3. F. subiectum attributionis debet continere virtualiter omnes passiones de ipso in scientia demonstrabiles: cum igitur ens rationis logicum, per eius definitionem non contineat virtualiter, sed tantum potentialiter passiones demonstrabiles de subiecto logicæ, & syllogismus illas contineat, vt potè quoddam totum coalescens ex omnibus partibus entis rationis ad ipsum ordinatis, sequitur hunc esse subiectum attributionis, illud verò communitatis, & prædicationis. Plura alia argumenta possent afferri contra nostram conclusionem, vt videre est apud Mastrium, & Poncium de Natura logicæ; sed quia ex dictis, facillimo negotio diluuntur, ideò omittuntur.



COM-



COMMENTARIA VNA CVM QVÆSTIONIBVS,

Hisce temporibus agitari solitis, in Vniuersalia Porphyrij, incipiunt.

PROEMIVM.

Expeditis quæstionibus Proemialibus ad vniuersam logicam pertinentibus, singulas eiusdem partes in particulari aggredi volentes, Vniuersalium liber explanandus, primùm nobis occurrit. Ac nè casu factum hoc quisquam putet, vt huic inter cęteros priorem tribuamus locum, optima ratio demonstrat, cum Isagogicus, idest Introductorius ad totam logicam, vt multis placet, vel saltem ad librum Prædicamentorum, vt magis Auctori consonat, meritò inscribatur. Quarè, neminem ignorare putamus, in qualibet facultate, ab introductorijs, vt ab elementis primis exordiri debeat. Malchus enim cognomento Porphyrius, vt aduertit Baron. tom. 2. suorum Annalium, natione Iudæus, vir, tum in Peripatetica, tùm in Platonica Doctrina valdè eruditus, cum inter cęteros Auditores, Chrysaorium Romanum Patritium haberet, eius precibus hoc opus ædidit, vt esset introductorium ad Prædicamentorum Aristotelis asequendam Doctrinam, vt patet ex contextu, vbi dicit. Cùm sit necessarium Chrysaori, & ad eam, quæ est apud Aristotelem Prædicamentorum Doctrinam, nosse quid sit genus, quid species, quid differentiæ &c. Et quamquam eiusdem textus explicationem satis luculenter dederimus in Summulis Petri Hispani, nihilominùs, vt quæstionibus pertractari solitis fundamenta præponamus, etiam hic aliqualiter, & summatim percurremus, illi maiori breuitati, quoad fieri poterit, initentes, nè numerosæ institutionis difficultate, tyronum ingenia, quæ indulgentia quadam nutrienda sunt, obterrantur, nèuè nimia parcitate obtenebrentur. Diuiditur autem hic liber in duos tractatus, in quorum primo agit Porphyrius de quinquè Vniuersalibus in particulari, tradendo eorum diffinitiones, & diuisiones: in secundo verò, de eisdem in generali, demonstrando eorum conuenientiam, & differentiam ab inuicem.

TRACTATVS PRIMVS.

Vniuersalium Porphyrij.

De Necessitate quinquè Vniuersalium, & ordine eorumdem ad inuicem.

CAPVT I.

Cum sit necessarium Chrysaori, & ad eam, quæ est apud Aristotelem, Prædicamentorum doctrinam, nosse quid sit genus, quid species quid differentia, &c.

Hoc primum capitulum, quod est quasi proœmium, seu præludium ad reliqua, diuiditur in tres partes. In quarum prima ostendit vtilitatem, & necessitatem horum quinquè Vniuersalium. In secunda, ponit ordinem, quem vult tenere in hoc libro. In tertia tandem, recenset Doctores, quos sequi intendit in hac Doctrina.

Pro notitia primæ partis supponendum est. necessarium ex suppositione, de quo tantum est sermo, quadrupliciter dicitale, scilicet ex suppositione causæ efficientis, finalis, formalis, & materialis. Ex suppositione causæ efficientis dicitur necessariò lignum ab igne comburi; quia supposita debita approximatione ignis ad lignum, benè dispositum, necessariò sequitur combustio. Ex suppositione causæ finalis, cibus dicitur necessarius, homini viuere volenti, cum absque eo naturaliter viuere non possit. Ex suppositione causæ formalis, dicitur paries necessariò albus; quia supposita forma albedinis in pariete, non potest non esse albus. Ex suppositione causæ materialis, meum corpus dicitur esse necessariò in aliquo loco, quia non potest reperiri corpus naturale, quin sit in aliquo loco. Hic est sermo de necessario ex suppositione causæ finalis: quod adhuc est duplex, scilicet simpliciter, sine quo finis obtineri nequit; vt patet de cibo homini viuere volenti; & secundum quid: & dicitur illud, sine quo finis commodè, ac facilè haberi non potest: & huiusmodi necessarium conuertitur cum vtili. Sic equus dicitur necessarius, idest vtilis, iter facere volenti.

Ex his, sit prima Conclusio. Cognitio horum Vniuersalium, siue sumatur à libro Porphyrij, siue aliunde, est simpliciter necessaria ad intelligentiam Prædicamentorum, diffinitionum, diuisionum, & demonstrationum. Probatur primo de Prædicamentis. Quia in quolibet prædicamento reperiuntur genera, species, differentiæ, & propria, ac in accidentibus, etiam accidens; ergo ad cognitionem prædicamentorum necesse est simpliciter cognoscere quid sit genus, species, differentia, proprium, & accidens. Secundo probatur de Diffinitione. Quia omnis diffinitio, vel constat ex genere, & differentia, si sit essentialis; vel ex genere, & proprio, si sit diffinitio descriptiua; vel ex genere, & accidente, si sit descriptiua per accidentia communia; igitur ad conficiendas diffinitiones, oportet cognoscere quid sit genus, species, &c. Tertio probatur de Diuisione. Quia omnis diuisio vniuoca, est vel generis in species, vel speciei in indiuidua, vel generis in differentias: similiter omnis diuisio æquiuoca, vel est accidentis in subiecta, vel accidentis in accidentia; ergo ad cognoscendam naturam diuisionis oportet prius nosse quid genus, quid species &c. Quarto probatur de demonstratione. Quia ex Philosopho, secundo Poster. Diffinitio est medium in demonstratione; sed vt probatum est, omnis diffinitio constat ex genere, & differentia, vel ex genere, & proprio, vel ex genere, & accidente; ergo ad cognitionem demonstrationis est necessaria cognitio horum quinque Vniuersalium.

Secunda Conclusio. Cognitio horum Vniuersalium per modum introductionis a Porphyrio dispositorum, non est simpliciter necessaria, sed vtilis. Probatur. Quia cognitio prædicamentorum, diffinitionum, diuisionum, & demonstrationum, potest haberi sine horum præuia notitia, vt sic Isagogicè dispositorum; ergo non est simpliciter necessaria. Consequentia patet. Antecedens

dens probatur. Quia aliundè potest talium haberi notitia; ex libris nimirum Prædicamentorum, & Posteriorum, in quibus agitur de diffinitionibus, diuisionibus, & demonstrationibus, vt intuenti patet; ergo &c. Secunda Pars probatur. Quia facilius possunt intelligi prædicamenta, diffinitiones, diuisiones, & demonstrationes ex præuia horum notitia, quam sine illa; ergo dispositio Isagogica horum quinque Vniuersalium Porphyrij est vtilis ad cognitionem prædicamentorum, diffinitionum, diuisionum, & demonstrationum habendam.

In secunda parte, quæ incipit ibi. Compendiosam tibi traditionem faciens &c. proponit ordinem doctrinæ seruandum: qui consistit in processu introductorio, narrando naturam generis, speciei, differentiæ, proprij, & accidentis: quod demonstrat, dum dicit. Primo tentabo breuiter, velut introductionis modo, ea quæ dicta sunt ab Antiquis aggredi, mox de generibus coniectans, & speciebus &c. Secundo idem aperit, cum promittit se abstinere velle ab his quæstionibus, nimirum. An genera, & species habeant esse reale, idest existant extra intellectum. Secundo. An sint corporea, vel incorporea. Tertiò. An sint separata a singularibus, sicut dicebat Plato, vel sicut in eis posita. Et à difficultatibus circa huiusmodi vniuersalia existentibus. Et ratio est. Quia hoc negotium est altissimum, & maioris egens inquisitionis modo. Facilitas, consistit in breuitate sermonis, & in simplicitate rerum agendarum.

In tertia parte, quæ incipit ibi. Illud verò quemadmodum de his &c. demonstrat se velle imitari illos Philosophos, qui magis probabiliter tractauerunt de natura horum Vniuersalium, ac inter cæteros, Peripateticos, quorum princeps fuit Aristoteles; quod prætermittere, non minimi momenti foret à prudentibus iudicandus error. Ratio autem, & conuenientia suadet intentum, quippe cum hanc doctrinam ad assecutionem doctrinæ Aristotelicæ intendat dirigere, nulli dubium erit, quod facere minimè posset, si alienam, à Peripatetica, doctrinam sequi tentaret. Et hæc de textus expositione sufficiant, cum ad Disputationes, & Quæstiones super ipso emergentes, sermonem, & calamum conuertere sit necesse.

De Naturá Vniuersalis in communi.

DISPVTATIO II.

Vtrum Vniuersale logicum, seù pro secunda intentione sumptum, sit ens?

QVÆSTIO I.

HIc esset pertractandum prius de Vniuersalis Methaphysici natura, & existentia si ordinem naturæ sequi vellemus, siquidem se habet, vt fundamentum Vniuersalis logici. Cęterum, quia Porphyrius protestatus fuit in textu, se velle abstinere ab eiusdem discussione, nè videretur in principio difficilia tradere, idcircò, & nos sequendo eius ordinem, supersedendum duximus necessarium; remittendo eiusdem tractatum ad librum Prædicamentorum, in quo potiùs methaphysicalia, quàm logicalia daturi sumus.

Circa igitur propositam quæstionem de Vniuersalis logici natura, & essentia reperitur duplex opposita sententia; quarum prior est Vallesij, controuersia 9. ad Tyrones, & aliorum: qui, cum de medio tollant ens rationis ab intellectus operatione comparatiua fabricatum, consequenter etiam negant, vniuersale pro secunda intentione, quod in latitudine talis entis rationis collocatur, esse ens.

Posterior verò sententia, est Doct. Subt. Scoti hic, quęst. 4 & in quarto sent. dist. prima q. 2 ac alibi: quem sequuntur, non tantum eiusdem Discipuli, sed etiam communiter Thomistæ. Quibus accedunt Conimbricenses, Toletus, Ruuius, in Tract. de Ente rationis, & cæteri melioris notæ Auctores, asserentes cum Scoto, dari ens rationis collatiuum; ac proindè sub illo collocandum fore vniuersale logicum, seù pro secunda intentione acceptum.

Pro cuius declaratione, & fundamen-

to. Primo Notandum est, ex Scoto, primo loco citato, quod omne quod est in mundo, vel est vniuersale, vel particulare. Si sit commune multis, vt homo, qui est communis omnibus hominibus, est vniuersale. Si verò non sit commune multis, sed tantum vni competat, tunc est particulare: vt Petrus, vel Paulus. Vniuersale autem est duplex, scilicet complexum, & incomplexum. Vniuersale complexum, est propositio vniuersalis, in qua subijcitur terminus communis signo vniuersali determinatus; vt omne animal est substantia. Vniuersale incomplexum, est terminus, seù vox incomplexa pluribus communis, vt animal, homo, leo &c. De vniuersali priori modo sumpto, non est hic sermo, sed solum in libris Perihermenias, Priorum, & Posteriorum. Vniuersale autem incomplexum est multiplex, scilicet in causando, quod plura causare potest, vt Deus, & Sol: in repræsentando, quod plura repręsentare potest; vt species intelligibilis animalis, quæ ne dum animal, sed etiam corpus animatum, & cetera prædicata repræsentare valet: in essendo, quod potest esse in multis; vt essentia diuina, quæ reperitur in tribus personis sine sui partitione; vel homo, qui existit in omnibus hominibus cum sui diuisione: & tamdem in prædicando; quod nimirum aptum est prædicari de pluribus; vt animal de homine, leone, equo &c.

Secundo Notandum, ex eodem ibidem; quod vniuersale in prædicando, de quo tantum est sermo, dupliciter accipitur, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Vniuersale pro prima intentione est natura communis cognita ab intellectu, actu recto, vel reflexo, vt pluribus communicabilis: vt natura humana cognita, vt communicabilis Petro, Paulo; & ceteris hominibus. Vniuersale verò pro secunda intentione, est quædam secunda intentio, seù quidam respectus rationis causatus ab opere collatiuo intellectus, comparantis naturam humanam prius cognitam actu recto, ad sua inferiora, vt vidimus in Tract. secund. Intentionum, & eidem applicatus, denominans illam prædicabilem de omnibus hominibus: & de tali quæritur, an sit ens, & quodnam tale sit.

Tertio Notandum, ex Scoto in quol. q. 3. & ex nostro Tractatu de secundis Intention. cap. primo. sect. prima; ens esse duplex, scilicet reale, & rationis. Ens reale est illud, quod habet esse præter operationem intellectus, vel voluntatis: vt homo, animal &c. prout antecedunt quodcumque opus intellectus, vel volūtatis. Ens verò rationis, est illud, quod habet esse per operationem intellectus, vel voluntatis. Et hoc est duplex, scilicet absolutum, & respectiuum. Absolutum est illud, quod habet esse per operationem rectam, vel reflexam intellectus, vel voluntatis: vt homo cognitus, vel volitus actu recto, vel reflexo. Respectiuum dicitur illud, quod habet esse ab opere collatiuo intellectus, vel voluntatis: vt genus, species, differentia &c. subiectum, prædicatum, & cæteræ secundæ intentiones. In proposito quæritur An vniuersale sit ens reale, vel rationis; absolutum, vel respectiuum.

Ex his fit Conclusio. Vniuersale pro secunda intentione sumptum, seù vt alij dicunt, logicum, est ens rationis collatiuum intellectus: & probatur à Scoto tripliciter. Primò sic. Illud, quod diffinitur est ens; quia non entis, non est diffinitio, neque scientia, ex Aristotele primo Poster. & primo Topic. c. 4. sed vniuersale pro secunda intentione, seù logicum, diffinitur ab Aristotele, lib. primo Periherm. cap. 5. & primo Post. c. 8. t. 25. & secundo Post. in fine; ergo vniuersale est ens. Secundo sic. Vniuersale applicatur enti, ex Boetio dicente, secundas intentiones applicari primis; sed non ens non applicatur enti; siquidem, quod non est, nulli applicari potest; ergo &c. Tertio sic. Sub ratione non entis, nihil intelligitur; sed quicquid intelligitur, sub ratione vniuersalis intelligitur; ergo vniuersale est ens. Maior patet: quia intelligibile mouet intellectum, ex Philosopho, tertio de anima t. c. quinto vbi dicit, intellectum esse virtutem passiuam, qui in tantum intelligit, in quantum mouetur ab obiecto; ergo sub ratione non entis, nihil intelligitur; quia non ens, nequit mouere intellectum. Minor probatur. Quia pro statu isto, singulare non potest intelligi; ergo quicquid intelligitur, sub ratione vniuersalis intelligitur, cum inter illa non de-

datur medium ? Antecedens probatur. Quia potentia cognoscens aliqua, potest ponere differentiam inter illa, ex Aristotele secundo de Anima, t. c. 146. Sed intellectus noster, pro statu isto, nequit ponere differentiam inter duo singularia; ergo non potest illa cognoscere pro statu isto. Minor declaratur. Quia si sumantur duo oua omninò similia, intellectus non poterit ponere differentiam inter illa; quia potentia visiua, aut alia quæcumque, non poterit discernere vnum ab alio; sed omnis nostra cognitio, pro statu isto, ortum habet à sensu, ex Philosopho 1. primo post. cap. primo & lib. de sensu, & sensato; ergo nec intellectus poterit ponere differentiam inter illa; & consequenter nec illa cognoscere: restat igitur, vt omnia cognoscantur pro hoc statu sub ratione alicuius vniuersalis.

Obijcies primo ex litera Scoti hic, q. 4. Quia omne quod est, ideò est, quia vnum numero est; sed vniuersale non est vnum numero; ergo vniuersale non est ens. Maior est Boetij, lib. de Vnitate, & vno. Minor probatur. Quia vniuersale prædicatur de pluribus, & vnum numero, tantum de vno solo, vt patet ex diffinitione vtriusquè; ergo vniuersale non est vnum numero.

Respondetur primo Auctoritatem Boetij esse veram de eo, quod habet esse actuale, prętèr operationē intellectus; quia omne tale, est indiuiduum, & vnum numero; non tamen de eo, quod solum habet esse per operationem collatiuam intellectus, cuiusmodi est vniuersale pro secunda intentione; quia sicut ei repugnat existere extra intellectum, concludendum est, non debere esse vnum numero, sed posse esse vniuersale, vt est in proposito.

Vel dicendum secundo, cum Doct. Subt. in 2. sent. dist 3. q. 6. sub E. aliquid posse dici vnū numero tripliciter, scilicet per se primo: & sic differentia indiuidualis, qua contrahitur v. g. natura humana ad Petrum, dicitur esse vna numero; quia sibi repugnat diuidi in plura. Secundo modo per se non primo: & sic Petrus dicitur vnus numero; quia sibi repugnat pluribus communicari, ratione suæ differentiæ indiuidualis. Tertiò modo per accidens, seù denominatiuè: & sic natura communis dicitur hoc modo vna numero; quia licet de se sit pluribus communicabilis, & per hoc non sit vna numero, tamen in quantum est contracta per differentiam indiuidualem, dicitur vna numero; quia, vt sic, non est communicabilis pluribus: hoc tamen sibi accidit; quia secundum se, etiam vt est singularizata, non sibi repugnat communicari, & denominari vniuersalis per secundam intentionem, sibi applicatam ab intellectu illam comparāte ad Petrum, Paulum, & cęteros homines.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram de vno numero, secundum aliquem horum trium modorum; modo quamuis vniuersale non sit vnum numero per se primo, vel per se non primo, est tamen per se vnum numero per accidens; quod sufficit, vt sit ens.

Obijcies secundo. Omne ens, aliud à prima substātia, vel dicitur de illa, aut est in illa; sed vniuersale est aliud à prima substantia; & non dicitur de illa, nec est in illa; ergo vniuersale non est ens. Maior est Aristotelis, c. de substantia, vbi habet hæc formalia verba. Quarè alia omnia, aut de subiectis primis dicuntur substantijs, aut in subiectis eis sunt. Minoris vtraquè pars probatur, & primo prima pars. Quia solæ secundæ substantiæ dicuntur de primis, per Aristotelem loco citato; sed vniuersale, cum sit accidens intentionale, nō est secunda substantia; ergo vniuersale non dicitur de primis substātijs. Secunda pars minoris probatur. Quia si vniuersale esset in prima substantia, esset vniuersalis; sed hoc est falsum; quia tunc prima substantia esset communis, quod est contra suam naturam; ergo &c. Hoc assumptum vltimum probatur. Quia accidens denominat subiectum in quo est; ergo cum vniuersale sit accidens, & esset in prima substantia denominaret primā substantiam vniuersalem, quod nullo modo est admittendum.

Respondēt aliqui, quos sine nomine citat Doctor Subt. Maiorem, quę est Aristotelis, esse veram de omni ente, quod est præter operationē intellectus: modo, cum vniuersale habeat esse tantum per operationem intellectus collatiuam, licet non dicatur de primis substantijs, non propterea sequitur esse non ens.

Contra hanc responsionem arguit Doctor. Quia si loqueretur ibi Philosophus de omni ente, quod habet esse præter operationem intellectus, idem diceret

etiam

etiam de secundis substantijs; sed hoc est falsum; ergo ibi non loquitur de omni ente habente esse præter operationem intellectus. Sequela maioris patet: quia per hoc probat illam maiorem, nimirum quia secundæ substantiæ dicuntur de primis, & accidentia sunt in primis; ergo eodem modo loqueretur de secundis substantijs, & alijs accidentibus. Minor probatur. Quia in principio diuidit substātiam in primā, & secundam; sed si secunda substantia esset præter operationem intellectus, diuisio non esset bona, quia non esset per membra diuidentia opposita; siquidem prima, ac secunda substātia, præter operationem intellectus, sunt simul in eodem Petro, vel Paulo, ex eodem Aristotele loco citato; ergo dicendum est, ipsum non loqui de secunda substātia præter, sed per operationem intellectus, & sic de vniuersali pro secunda intentione.

Respondet igitur Doct. de mente propria ad argumentum, supponendo vnum, nimirum, secundas substantias dupliciter accipi, & pro prima, & pro secunda intentione. Primo modo sunt naturæ communicabiles de Prædicamento substātiæ: vt animal, corpus animatum, homo, leo &c. Secundo modo, sunt genera, & species, applicata talibus naturis communicabilibus; & sic vniuersale est secunda substantia, secundo non primo modo.

Formaliter ad argumentum, negatur minor. Ad probationem dico, minorem esse veram de secunda substātia pro prima intentione, non pro secunda; quia sic est vniuersale secunda substantia; & non solum hoc, sed etiam secunda substantia pro prima intentione potest dici vniuersalis denominatiuè.

Obijcies tertio. Si vniuersale est ens, aut est à natura, aut ab intellectu; sed neutrum est dicendum; ergo vniuersale non est ens. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur. Non à natura; quia tunc esset ens reale; nec ab intellectu, quia esset merum figmentum, & nihil.

Respondetur, negando minorem; ad probationem dico, aliquid posse esse ab intellectu dupliciter potest intelligi, vel cum fundamento in re, vel sine fundamento in re. Primo modo, secundæ intentiones habent esse ab intellectu; vt verbi gratia, species fundatur in homine, quia supponit in illo naturam communicabilem pluribus numero differentibus, in qua consistit eius fundamentum: similiter genus supponit communicabilitatem in animali verbi gratia, ad plura differentia specie, tamquam suum fundamentum. Secundo modo, chimeræ habent esse ab intellectu tantum obiectiuè, nullo supposito fundamentum; siquidem quod concipiatur quoddam animal ex partibus incomponibilibus, vt exempli gratia, ex capite leonis, dorso asini, ventre equi, pedibus, & cruribus cerui-nis, dicitur chimera; quia est quoddam figmentum, sine fundamento ab intellectu imaginatum. Ad propositum. Quod habet esse ab intellectu primò modo, scilicet cum fundamento, non est figmentum, sed ens rationis; modo vniuersale cum habeat esse fundatum in primis intentionibus, sequitur esse ens rationis, & non merum figmentum.

Obijcies quarto Si vniuersale esset ens, esset intelligibile; sed hoc est falsum; ergo non est ens. Sequela maioris probatur. Quia intelligibilitas est passio entis. Minor probatur. Quia intelligibile est obiectum intellectus, sed vniuersale non est obiectum intellectus, quia cum sit secunda intentio; non mouet intellectum, & tamen obiectum debet mouere intellectum, ex Aristotele, & Scoto hic; ergo vniuersale non est intelligibile.

Respondetur negando minorem. Ad probationem dico, vniuersale esse obiectum terminatiuum intellectus, non tamen motiuum, cum sit secunda intentio, quæ in tantum habet esse, in quantum ab intellectu cognoscitur.

Vel dicendum secundo. Vniuersale esse etiam obiectum motiuum intellectus, ratione sui fundamenti, quod est ens reale, vel saltem ens rationis absolutum.

Vtrum Vniuersale sit per se intelligibile?

QVÆSTIO II.

HAnc quæstionem debebar necessariò præire illa. An vniuersale sit ens.

ens. Quia cum intelligibilitas sit passio entis, subiectum saltem natura, præcedit suam passionem; ideò supposito, quod vniuersale sit ens rationis, quærendum est. An sit intelligibile per se, vel solùm ratione fundamenti.

Pro cuius declaratione, primò est notandum. Non exagitari quæstionem de Vniuersali pro prima intentione, nec de intelligibilitate enti reali conueniente, sed de vniuersali pro secunda intentione, & de intelligibilitate sibi correspondente, vt sit sensus. Vtrùm vniuersale pro secunda intentione, sit per se intelligibile, intelligibilitate sibi competenti.

Secundo Notandum est, ex Philosopho, primo Post. cap. 4. Quod per se, accipitur quatuor modis, iuxtà modos perseitatis; quorum duo primi, dicuntur modi dicendi per se; tertius dicitur modus per se essendi; & quartus, modus per se inhærendi. Vndæ primus modus dicendi per se est, in quo prædicatum est de essentia subiecti: vt hæc propositio. Homo est animal. Et continet quatuor gradus. Primum, quando superius prædicatur essentialiter de inferiori; vt homo est animal. Secundum, quando differentia essentialis prædicatur de eo cuius est differentia: vt homo est rationalis. Tertium, cum diffinitio quiditatiua dicitur de suo diffinito; vt homo est animal rationale. Et quartum, quando idem prædicatur de seipso: vt homo est homo. Secundus modus dicendi per se est, quando passio prædicatur de suo subiecto. Vt homo est risibilis. Et continet duos gradus. Primum, cum passio prædicatur de suo subiecto adæquato: vt homo est risibilis. Secundum, cum dicitur de subiecto inadæquato, idest de inferioribus ad subiectum adæquatum: vt Petrus est risibilis. Paulus est risibilis. Tertius modus per se, qui est per se essendi, est cum excluditur societas cum alio. Vt Petrus est per se in cubiculo, idest non cum socio. Quartus modus, qui est per se inhærendi, est quando subiectum est causa, vt prædicatum sibi insit; vt hæc propositio. Paries albedine est albus. Est in quarto modo; quia in subiecto ponitur albedo, quæ est causa, quare, ly prædicatum albus, insit parieti, vt suo subiecto. Et hic modus habet tres gradus; quos breuitatis causa omittimus vsquè ad expositionem primi lib. Posteriorum. In proposito, ly per se, accipitur secundo modo; & est sensus. Vtrum intelligibilitas insit per se secundo modo, vniuersali pro secunda intentione.

Tertio Notandum est, quod intelligibilitas, cum sit passio entis, quod est obiectum intellectus, & obiectum intellectus ex Doct. Subt. in primo sent. d. 3. q. 3. & in quarto d. prima q. prima, lit S. sit duplex, scilicet motiuum, & terminatiuum; & ipsa pariter erit duplex, scilicet motiua, & terminatiua. Intelligibilitas motiua est in illis obiectis, quæ possunt mouere per se, vel mediante specie intelligibili, intellectum ad producendam intellectionem: huiusmodi sunt omnia entia realia absoluta, vt substantiæ, quantitates, & qualitates. Intelligibilitas verò terminatiua est in illis entibus, quæ possunt terminare intellectionem: cuiusmodi sunt omnia entia, tum realia, tum rationis, tàm absoluta, quàm respectiua. Modò, cum vniuersale sit ens rationis, quamuis intelligi non possit motiuè per se, hoc est per se causare intellectionem sui, vel in se, vel mediante specie intelligibili, nihilominus dicitur per se intelligi terminatiuè, hoc est, terminare intellectionem de se ab intellectu productam, virtute sui fundamenti, à quo fuit motus.

Ex his, sit prima Conclusio. Vniuersale pro secunda intentione, non est per se intelligibile, intelligibilitate motiua. Probatur. Quia illud est per se intelligibile motiuè, quod potest mouere intellectum, vel in se, vel in specie intelligibili de ipso causata ab intellectu agente; sed vniuersale non potest per se mouere intellectum; ergo non est per se intelligibile motiuè. Maior patet, ex tertio notabili. Minor probatur. Quia mouere intellectum, est causare, vel intellectionem, vel speciem intelligibilem in intellectu; sed vniuersale pro secunda intentione, cùm sit ens rationis, nequit causare intellectionem, vel speciem intelligibilem sui; ergo non potest mouere intellectum. Minor hæc probatur. Quia

ens

ens rationis non potest causare ens reale; causa enim semper est effectu nobilior; sed vniuersale est ens rationis, & intellectio, sicut species intelligibilis, est ens reale; ergo.

Secunda Conclusio. Vniuersale est tamen intelligibile per accidens, etiam motiuè. Probatur. Quia id, quod potest mouere intellectum, mediantè alio, dicitur intelligibile motiuè per accidens; sed vniuersale potest mouere intellectum mediante suo fundamento, vt dictum est superius; ergo est intelligibile motiuè per accidens.

Tertia Conclusio. Vniuersale pro secunda intentione, est per se intelligibile, intelligibilitate terminatiua. Probatur a Scoto tripliciter: primò sic. Quicquid diffinitur, est per se intelligibile; siquidem diffinitio est medium sciendi, & intelligendi, ex Aristotele, secundo Posteriorum; sed vniuersale pro secunda intentione diffinitur ab Aristotele, primo Perihermenias, cap. quinto & libro primo Post. t. c. 25. Ergo est per se intelligibile. Secundo. Omnis potentia ponens differentiā inter aliqua duo, debet cognoscere vtrumquè sub propria ratione, ex Philosopho, secundo de anima, t. c. 146. & circiter; sed intellectus ponit differentiam inter vniuersale pro prima intentione, & pro secunda; ergo &c. minor probatur. Quia intellectus ponit differentiam inter illa, quæ non sunt essentialiter eadem; sed vniuersale pro prima, & vniuersale pro secunda intentione non sunt essentialiter eadem; tùm quia vniuersale pro secunda intentione est modus cognoscendi vniuersale pro prima intentione; tum etiam, quia hoc est ens reale, vel saltem rationis absolutum, & illud ens rationis collatiuum; ergo non sunt essentialiter eadem; & sic potest intellectus ponere differentiam inter illa; ac proindè vtrumquè cognoscere sub propria ratione. Tertio sic. Quia quodlibet ens rationis est per se intelligibile terminatiuè; sed vniuersale est ens rationis; ergo est per se intelligibile terminatiuè. Maior probatur. Quia intelligibilitas terminatiua, est passio adæquata entis sumpti communissimè, prout comprehendit ens reale, & rationis; ergo conueniet omni enti reali, & rationis; aliter non esset adæquatè eadem sibi realiter.

Obijcies primo, contra tertiam conclusionem. Quod est aliquo modo intelligibile, debet esse in intellectu; sed vniuersale non est in intellectu; ergo non est aliquo modo intelligibile. Maior patet. Quia obiectum, vt intelligatur, debet esse præsens potentiæ intelligenti. Minor probatur. Quia nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, ex Aristotele de sensu, & sensato; sed vniuersale nunquam fuit in sensu, quia sensus est singularium, intellectus verò vniuersalium, mediantè sensu; tum etiam, quia sensibile habet esse extra opus intellectus, vniuersale verò tantum per opus intellectus; ergo vniuersale non fuit in sensu.

Respondetur primo, negando minorem. Ad probationem dico, Aristotelem locutum fuisse de intelligibilibus corporeis, & sensibilibus, non tamen de spiritualibus, & insensibilibus, cuiusmodi sunt secundæ intentiones; & consequenter vniuersale, cum sit vna secunda intentio.

Vel dicendum secundo. Vniuersale esse sensibile ratione suorum fundamentorum; & sic esse in intellectu, mediantibus speciebus intelligibilibus eorumdem.

Vel dicendum tertio Maiorem esse veram de intelligibili motiuè, non terminatiuè. Quia adhoc sufficit, vt possit terminare intellectionem aliundè, ratione fundamenti productam ab intellectu.

Obijcies secundo. Obiectum intelligibile præsupponitur ab intellectu ante sui operationem; sed vniuersale non præsupponitur ab intellectu, cum fiat ab ipso, per Comm. primo de anima c. 8. ergo vniuersale non est per se intelligibile. Maior probatur. Quia omnis virtus passiua præsupponit suum obiectum in actu; sed intellectus est virtus passiua, tertio de Anima t. c. 5. ergo &c. Maior probatur. Quia virtus passiua capit ab obiecto suum actum, per quem potest operari; ergo ipsum præsupponit ante eius operationem.

Respondetur, Maiorem, & probationem esse veram de intelligibili motiuo intellectus, non tamen de obiecto terminatiuo eius: modo, vniuersale est tantum intelligibile per se terminatiuè, & ideò non debet præ-

præsupponi ante operationem intellectus, sed sufficit, vt sit eiusdem terminus.

Obijcies tertio. Quod per se conuenit subiecto alicuius accidentis, per accidens conuenit illi accidenti; sed intelligibilitas per se conuenit fundamento vniuersalis, quod est subiectum eius; ergo per accidens conuenit vniuersali, & non per se. Maior patet à simili. Quia si ædificatio per se competit ædificatori, (supposito quod sit musicus) eius musicæ competet per accidens. Minor patet. Quia intelligibilitas, cum sit passio entis realis, per se illi conuenit; igitur tantum per accidens conuenire debet vniuersali; quod est accidens eiusdem entis realis.

Respondetur. Minorem, & probationem esse veram de intelligibilitate motiua, non terminatiua; quia hæc est passio adæquata entis, communis enti reali, & rationis. Modo vniuersale est per se intelligibile terminatiuè; & motiuè, tantum per accidens, ratione fundamenti, vt diximus in conclusione secunda.

Vtrum Vniuersale habeat aliquas proprietates?

QVÆSTIO III.

Connectitur ista quæstio cùm præcedenti; quia viso de vniuersali, quod sibi conuenit passio communis omnibus entibus rationis, scilicet intelligibilitas terminatiua; ideò in presenti inuestigare intendit Scotus, an sibi conueniat aliqua proprietas, quà tale ens rationis; siquidem, passio communis præcedere debet passiones particulares. Cum sequenti verò habet connexionem, quia cum in illa quærat Doctor, an Vniuersale sit subiectum; & ad subiectum requiratur, vt habeat proprietates, ex Philosopho, primo Post. t. com. 43. Igitur prius debuit quærere, si habeat conditiones requisitas ad subiectum; & sic, an habeat proprietates; cum hæc sit conditio secunda, requisita ad esse subiecti.

Pro resolutione huius difficultatis, primo notandum est; cum proprium, & proprietas sint idem re, differantque sola ratione, sicut concretum, & abstractum; tot modis dici proprietatem, quot modis dicitur proprium. Vndè proprium, ex libr. Vniuer. Porphyrij, tractat. primo, capit. 5. dicitur quadrupliciter. Primo, quod conuenit soli speciei, sed non omni indiuiduo illius: vt esse gramaticum, vel rethoricum. Secundo, quod conuenit omni indiuiduo alicuius speciei, sed non soli speciei: vt esse bipedem; conuenit omni homini; at non solùm hominibus, quia etiam auibus. Tertio, quod soli speciei, & omni contento sub illa conuenit, sed non semper: vt canescere in homine. Quarto tamdem, quod conuenit omni, soli, & semper, & conuertitur cum eo, cuius est proprium; vt esse risibile; conuenit homini; & hinnibile equo; quia sicut homo est risibilis, & è conuerso, & risibile est homo: idem dicendum est de hinnibili, & æquo.

Secundo, notandum est; proprium quarto modo posse dupliciter accipi; vno modo largè, pro eo nimirum, quod consequitur aliquod subiectum conuertibiliter, siuè essentialiter, siuè accidentaliter; siuè tale sit complexum, siuè incomplexum: & hoc modo, simitas nasi potest dici eius proprietas. Similiter, interpretatio nominis, diffinitio, siuè quidditatiua, siuè descriptiua, possunt dici proprietates illorum, quorum sunt, cum illis conueniant semper, & conuertibiliter. Alio modo sumitur strictè, pro omni eo, quod consequitur aliquod subiectum accidentaliter conuertibiliter, & de eo prædicatur in secundo modo dicendi per se, siuè sit complexum, siue incomplexum. Et sic tantum passiones demonstrabiles de suis subiectis per eorum diffinitiones, dicuntur propria, seù proprietates. De proprio hoc secundo modo, est sermo in præsenti, & quæritur. An vniuersale habeat aliquod proprium, seù aliquam proprietatem de ipso demonstrabilem.

Tertio notandum est, quod Aristoteles variè locutus est de vniuersali: siquidem, pri-

primo Periherm.cap.5.dedit diffinitionem eius in his terminis.Dico autem vniuersale, quod de pluribus prædicari aptum est. Et p.lib.post c.8. subiunxit. Vniuersale est vnum de multis,non æquiuocum. Et cap. 24.addidit. Vniuersale autem, quod est in omnibus, impossibile est sentire. Et idem repetit secundo lib.post.cap. 18. Ex quibus, Expositores constiruerunt aliam diffinitionem distinctam ab illa, quam disertis verbis tradidit in lib p.Periher.cap.5. dicentes. Vniuersale est vnum in multis, & de multis Ceterùm, quia eiusdem rei non possunt esse duæ diffiniriones quiditatiuæ,sicut nec duæ quiditates totales,& adæquatæ,dicendum est, alteram esse diffinitionem quiditatiuam, & alteram descriptiuam. Quæ nàm autem sit vera diffinitio, an illa Perihermenias, an verò illa lib. Posteriorum, non est vna, & eadem sententia inter Scotistas;siquidem Mastrius in log. disp.4. q. 2. art.2.mordicus defendit cum Scoto, in 2. d. 3. q. 1. sub H. vniuersale logicum constitui per relationem essendi in multis;ac propterea concludit,diffinitionem traditam in libris Posteriorum per esse in multis, fore quiditatiuam;alteram verò de lib.Perihermen.esse descriptiuam;& per priorem, vri proprietatem, esse demonstrabilem de vniuersali logico Quòd an sit verum, Doctorique subtili consonum, dicam inferiùs, etiam de mente Scoti, ac Scotistarum. Pro quo.

Quarto Notandum est. Vniuersale, & singulare, logicè loquendo, in aliquo conuenire, & in aliquo differre. Conueniunt in hoc; quod sicut vniuersale est quoddam prædicabile, ità pariter singulare, seù indiuiduum. Differunt verò;quia vniuersale est de pluribus prædicabile;indiuiduum verò, & singulare,tantum de vno solo. Cùm igitur conuenientia subiectiua, seù limitata, sit semper in genere,si fuerit essenti.lis, & distinctio essentialis fiat per differentiam essentialem,sequitur,quod ly prædicari, in diffinitione vniuersalis,& singularis,sit genus ad illa; & ly de pluribus, sit differentia constitutiua vniuersalis in ratione vniuersalis, sicut per ly de vno,constituitur singulare, saltem circumlocutiuè in ratione indiuidui. Atqui cum diffinitio quiditatiua [illegible] per genus, & differentiam, concludum est, illam diffinitionem traditam in lib.Periherm.c. 5. scilicet per esse aptum prædicari de pluribus,esse sibi essentialem, & quiditatiuam; alteram verò traditam in libris Poster.per esse in, esse tantum descriptiuam,& veluti proprietatem demonstrabilem de vniuersali logico, seù pro secunda intentione.

Quinto Notandum est,ex Doct. subt. q. 14.Vniuers.quod prædicari, cum sit intentio,sicut,& dici de,conuenit per se secundis intentionibus;per accidens verò primis intentionibus, seù rebus substractis secundis intentionibus.Esse in verò, cum sit res realis, habens esse ante operationem intellectus, per accidens conuenit secundis intentionibus, per se verò primis, siuè rebus secundum esse reale. Ex quibus infertur, quod vniuersale logicum, cum sit vna secunda intentio,habet per se,& essentialiter constitui in esse vniuersalis per dici,& prędicari de pluribus; vniuersale verò methaphysicum,cum sit quid reale, ponitur in esse per esse in multis, cum indifferentia ad illa.Et hoc est totum illud, quod deduci potest ex eodem Doct subt. in secundo sent. d.3 q.1. sub H. & I. Nec Mastrius ipse,si apertis luminaribus inspexisset attentè textum,alium sensum pro sua opinione haurire potuisset, nisi quod vnitas indifferentiæ, in qua consistit ratio vniuersalis Methaphysici,sit proprietas,seù ratio fundandi super illo ratio prædicandi de pluribus, seù vniuersale logicum;quod,& nos cum præclaris Scotistis gratis concedimus.

Ex his,sic prima Conclusio. Vniuersale logicum, seù pro secunda intentione acceptum,constituitur in esse,per esse natum ad prædicandum de pluribus. Esse verò in multis, in quo consistit vniuersale Methaphysicum, est proprietas,seù ratio fundandi secundam intentionem vniuersalis logici. Est Scoti q.6.14.& 15.Vniuersalium.Mauritij, Anglici, Brasau. in expositionibus dictarum quæstionum. Contra Mastrium, & alios ab ipso relatos, loco citat. notab. 4. Probatur prima pars primo auctoritate Aristotelis,in primo lib.Periherm. capit. 5. vbi diffinit vniuersale logicum per esse natum predicari de pluribus,Sed diffinitio est ratio constitutiua rei in tali esse; ergo vniuersale logicum constituitur in esse per predicari de pluribus. Secundo. Per illud constituitur in esse vniuersale logicum,per quod

quod

quod differt, & conuenit cum indiuiduo, seu singulari logico; sed vniuersale, & singulare conueniunt in prædicari, & differunt per ly de pluribus, & ly de vno, ex Porphyrio cap. de specie; ergo &c. Tertio sic. Quia per illud constituitur in esse vniuersale logicum, per quod differt à methaphysico, seu reali; sed per prædicari, seu dici de pluribus differt vniuersale logicum à reali; & methaphysico, ex Scoto q. 14. Vniuers. ergo &c. Maior probatur. Quia ambo dicunt vnitatem indifferentiæ respectu inferiorum; differunt verò per respectus inexistentiæ pluribus, & prædicandi de pluribus; ergo per illud constituitur vniuersale logicum, per quod differt à Methaphysico, seu reali. Secunda pars probatur. Quia vniuersale pro secunda intentione fundatur super vniuersali pro prima intentione, sicut omnis secunda intentio fundatur in prima. Sed hoc nequit esse, nisi ratione inessentiæ pluribus; ergo esse vnum in multis, est proprietas, seu ratio fundandi vniuersale logicum. Maior est Boetij; & Auicennæ dicentium, logicam esse de secundis intentionibus applicatis primis; ergo vniuersale, cum sit vna secunda intentio, debuit fundari super vniuersali pro prima intentione. Minor patet. Quia in vniuersali, vt inquit Aristoteles, primo Post. cap. 24. & 2. post. cap. vlt. in fine, non reperitur nisi vnitas indifferentiæ, & inexistentiæ pluribus; sed vnitas indifferentiæ, absque relatione ad inferiora, nequit esse fundamentum prædicabilitatis de pluribus; quia se sola considerata, est quid absolutum, & prædicari de pluribus est quid relatiuum; ergo ratio vniuersalis logici habet pro fundamento inessentiam pluribus, per quam fundamentaliter constituitur in esse vniuersalis. Confirmatur, ex Scoto, in 2. d. 3. q. 1. H. & I. Quia vniuersale per esse vnum in multis, constituitur in potentia proxima, vt possit prædicari de illis, prædicatione dicente, hoc est hoc; ergo cum ratio prędicandi de pluribus, prædicatione dicente, hoc est hoc, sit quiditas vniuersalis logici, vt probatum est; esse vnum in multis, erit proprietas, seu ratio fundandi ipsum vniuersale logicum.

Secunda Conclusio. Vniuersale logicum, seu pro secunda intentione, habet aliquam proprietatem. Probatur. Quicquid conuenit alicui conuertibiliter, non tamen quiditatiuè, est eius proprietas; sed esse vnum in multis, conuenit vniuersali logico conuertibiliter, non tamen quiditatiuè ergo est eius proprietas. Maior patet ex diffinitione proprij, data a Porphyrio, capit. 5. Minor probatur. Quia valet dicere. Omne vniuersale, est vnum in multis; & omne vnum in multis, est vniuersale. Non tamen quiditatiuè; quia eiusdem rei non possunt esse plures quiditates totales, & adæquatæ; sed vniuersale constituitur in esse quiditatiuo per prædicari de multis, vt probatum est in præcedenti conclusione; ergo esse vnum in multis, conuenit sibi non quiditatiuè, & sic vt proprium. Secundo probatur. Quia, ex Porphyrio, tractat. 2. cap. p. aliqua proprietas cōuenit omnibus quinquè vniuersalibus vniuocè; ergo primo conuenit vniuersali in communi; & sic, hæc erit vera. Vniuersale habet aliquam proprietatem. Consequentia probatur. Quia proprietas, quæ vniuocè conuenit aliquibus, conuenit illis ratione alicuius communis, ex Aristotele, secundo post. t. c. 22. vbi dicit. Si passio est communis vniuocè, & subiectum debet esse commune vniuocum. Sed huiusmodi commune, est vniuersale, vt videbimus in sequenti quæstione; ergo &c.

Obijcies primo, ex Mastrio loco citato, n. 37. contra primā conclusionē. Quia quod primo intelligimus de aliquo, illud dicimus essentiam eius. Sed primo, quod intelligitur de vniuersali logico est esse in multis; ergo hoc spectabit ad essentiam eius. Maior patet. Minor probatur. Tum primo ex Aristotele, primo Post. c. 24. t. 25. vbi dicit, Vniuersale esse vnum in multis, & de multis. At ly vnum in multis, primo ponitur, quam de multis; ergo &c. Tum secundo, ex Scoto, in 2 d. 3. q. 1. H. vbi ex conceptione vniuersalis, quod sit vnum in multis, arguit, quod sit in potentia proxima, vt dicatur de multis; ergo primo intelligitur de vniuersali, quod sit vnum inexistens multis, quam de illis dicibile. Tùm tertio. Quia esse in, est causa dici de, cum super illo fundetur; sed causa præintelligitur effectui; ergo de vniuersali logico prius intelligitur esse in multis, quàm dici de multis; ac proindè per illud manifestari eius essentiam.

Respondetur, negando minorem. Ad pro-

probationem dico, nihil aliud concludere, nisi quod per esse in multis, intelligitur vniuersale fundamentaliter, seù in esse reali, tamquàm proxima ratio fundandi vniuersale logicum; non tamen formale: quia, vt probatum est, tale consistit in prædicabilitate de pluribus. Vndè Aristoteles vtrumquè innuit dicendo. Esse vnum in multis, & de multis. Per prius indicans fundamentum vniuersalis, & per posterius formam, & quiditatem eiusdem. Quod manifestè conuincitur ex eo, quod primo Periherm. cap. 5. diffiniens vniuersale logicum formaliter, abstinuit à fundamento; ostendendo illud per prædicari dumtaxat de pluribus. Nec Scotus loco citato aliter intendit, quàm per illam vnitatem indifferentiæ ad supposita tradere naturam vniuersalis fundamentaliter, siuè in esse reali; & essentiam vniuersalis logici, per prædicabilitatem de illis. Vndè sequitur per optimè, quod multis probat Mastrius, scilicet dici de, præsupponere esse in; quippè realiter supponit suum fundamentum, & rationem fundandi; quæ nil aliud est, quàm inexistentia in multis, cum indifferentia communicabilitatis ad ipsa.

Dices. Ergo esse in multis, non poterit esse proprietas vniuersalis in communi pro secunda intentione accepti; siquidem esse reale, quod dicit esse in fundamentaliter, nequit identificari realiter cum vniuersali logico, quod est vna secunda intentio, & ens rationis.

Respondetur, concedendo subsumptum, & eius probationem, de esse in reali, seu pro prima intentione; quia re vera, tale non est proprietas vniuersalis, seù passio eius, cum præsupponatur semper, tamquam fundamentum prædicabilitatis de pluribus. Negando tamen illud de esse in rationis; quia hoc pullulat à predicari de pluribus: ex eo enim, quod aliquid est prædicabile de multis, sequitur, quod sit in illis per identitatem realem; aliter non posset formaliter dici de illis. Et confirmatur responsio per ea, quę habet Doctor Subt. in 4. d. 43. q. 2. F. vbi dicit. Actu vniuersale cognoscitur sub tanta indifferentia sub quanta ipsum sic cognitum, est simul dicibile; est autem simul dicibile de omnibus singularibus, in quibus saluatur. Ex quibus apparet, quòd vnitas indifferentiæ cognita, est fundamentum; dicibilitas, formale, à qua pullulat inexistentia communis in singularibus cognita ab intellectu, qui se habet, tamquam passio, identificata realiter dicibilitati de singularibus.

Multa alia dicit Mastrius, vt probet suam sententiam; sed meo videri, non concludit nisi de esse in reali, e de vniuersali Methaphysico; modo nos loquimur de logico.

Obijcies secundo cum Scoto, contra secundam Conclusionem. Si vniuersale habet aliquam proprietatem, vel est vniuersalis, vel singularis, à sufficienti diuisione; sed neutrum est dicendum; ergo non habet aliquam proprietatem. Minor probatur, quoad vtramque partem; & primo quòd non sit singularis. Quia non esset conuertibilis cum vniuersali; quod esset contra Porphyrium, & contra naturam ipsam proprij, seù proprietatis. Secundo, quod non sit vniuersalis; quia sequeretur, idē esse proprium sui ipsius, quod est falsum; cum inter illa intercedat saltem distinctio formalis. Sequela probatur. Quia vniuersale est subiectum; ergo si proprietas est vniuersalis, idem esset subiectum, & passio; quod est omninò falsum.

Respondetur, negando minorem, quoad secundam partem: imò illa proprietas esset vniuersalis denominatiuè, licet non quiditatiuè; hoc est dictu; quia est proprietas vniuersalis, tamquam subiecti, ideò denominatur vniuersalis, sicut si esset proprietas alicuius singularis subiecti, & ipsa diceretur singularis. Ad probationem, nego sequelam maioris; siquidem illud sequeretur, si illa proprietas esset vniuersale, vel vniuersalis quiditatiuè; quia tunc esset signum, quod esset de essentia vniuersalis, quod tamen est falsum; cum sit tantum vniuersale, vel vniuersalis denominatiuè.

Dices. Subiectum non habet denominare accidens, sed è conuerso, accidens subiectum; sed vniuersale est subiectum suę proprietatis; ergo nequit denominare suam proprietatem, vniuersale, vel vniuersalem.

Respondetur, Maiore esse veram in entibus realibus, vbi subiectum non potest inhærere accidenti, vt ipsum denominet; fal-

sam

sam tamen in secundis intentionibus, in quibus vna potest fundari super aliam, & ipsam denominare, sicut diximus in Tract. secundarum Intentionum, & declarabimus inferiùs; modò, vniuersale, & sua proprietas, cum sint secundæ intentiones, non inconuenit vniuersale, quod est subiectum, fundari super proprietatem, & ipsam denominare, vt modus, vniuersale, vel vniuersalem.

Obijcies tertio. Si Vniuersale habet aliquam proprietatem, talis erit proprium, cum proprium, & proprietas se non differant; sed hoc est falsum; ergo &c. minor probatur. Quia omne proprium conuertitur cum eo, cuius est proprium; sed proprium vniuersalis non est huiusmodi; ergo &c. Maior patet. Minor probatur. Quia nulla species conuertitur cum suo genere; hæc, enim est falsa: omne animal est homo: licet sit vera: omnis homo est animal. Sed proprium est species vniuersalis; ergo non conuertitur cum vniuersali.

Respondetur, sequelam maioris esse veram de proprio denominatiuè, non quiditatiuè. Quia cum huiusmodi proprietas pullularet ab essentia vniuersalis in communi, & non fieret per actum intellectus collatiuum, sicut sit secunda intentio proprij quiditatiuè accepti, denominaretur proprium vniuersalis; quia denominatiuè sibi competeret diffinitio proprij quarto modo. Ad minorem: nego, huiusmodi proprietatem non posse conuerti cum vniuersali; & cum probatur, nullam speciem conuerti cum suo genere, ac proindè nec proprium cum suo vniuersali, quod est genus; dico, veram esse minorem de proprio quiditatiuè, non verò denominatiuè; quia hoc, cum non sit species vniuersalis in communi, sed eius passio, benè potest conuerti cum illo, sicut quælibet passio cum suo subiecto.

Obijcies quarto. Accidens non est subiectum accidentis, ex Philosopho, quarto Meth. t.c. 14. sed vniuersale est accidens intentionale, & similiter eius passio; ergo vniuersale nequit esse eius subiectum.

Respondetur, maiorem esse veram de subiecto vltimato; quia sic omne accidens vltimatè subiectatur in substantia; falsam verò de subiecto non vltimato; quia videmus albedinem subiectari immediatè in superficie, quæ est accidens de prædicamento quantitatis; modò vniuersale, quàmuis sit accidens intentionale, benè poterit esse subiectum immediatum, licet non vltimatum, suæ passionis.

Obijcies quinto. Quod est nihil, nequit esse passio alicuius; cum nihil, non possit alicui identificari realiter, quod est tamen essentiale passioni; sed si vniuersale haberet proprietatem, talis esset nihil; ergo &c. Minor probatur. Quod est minus ens ente rationis, est nihil; quia ens rationis, est minimum ens; sed passio vniuersalis esset minus ens ipso vniuersali; ergo esset nihil.

Respondetur, negando Minorem. Ad probationem dico, esse veram de eo, quod est minus ente rationis in vltimo gradu; modò vniuersale non est ens rationis in vltimo gradu; & sic potest habere passiones, quæ non erunt nihil, licet minoris entitatis, quam sit vniuersale. Ex quo sequitur, quod sicut in entibus realibus dantur gradus entitatis, vt nimirum primo sit homo, secundo risibile; ita in entibus rationis philosophandum venit, vt primo intelligatur entitas vniuersalis, secundò entitas passionis, scilicet esse vnum in multis. Vndè sicut non sequitur; risibile est minus ens reale, quam sit homo, qui est eius subiectum; ergo est ens rationis; ita similiter non debet sequi, esse vnum in multis, est minus ens rationis, quam sit vniuersale; igitur est nihil.

Vtrum Vniuersale logicum, sit vniuocum, & genus ad quinque vniuersalia?

QVÆSTIO IV.

Hanc quæstionem pertractat Doctor post illam de subiecto; quàmuis priùs illam, quam illam soluat. Et ratio est; quia cum intendat assignare vniuersale pro subiecto huius libri, & ad subiectum requiratur vnitas, ex Aristotele, primo Post. cap. 23. ideò prius videndum erat; an vniuersale sit vniuocum ad quinque vniuersalia: antequam quæratur, vtrum munus subiecti huius libri obire valeat.

Circa hanc quæstionem est duplex opposita sententia.

Prima est Alberti Magni hic, tractat. 2. capit. 9. & multorum Auerroistarum

afferentium, vniuersale esse analogum, & non vniuocum ad quinque vniuersalia, cum dicatur priùs de genere, quam de specie, & quasi de per accidens sit commune ad proprium, & accidens.

Secunda est D. Thomæ hic, q. 2. Scoti, quæst. 8. Iauelli, tractat. 4. capit. 1. 5. 6. Soti, quæst. 4. Toleti, quæst. 2. de subiecto horum Vniuers. Ruuij, q. 7. Proem. & communiter Thomist. & Scotistarum dicentium, vniuersale esse vniuocum ad quinque Vniuersalia, scilicet ad Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens.

Pro declaratione, & fundamento huius posterioris opinionis, primo notandum est, ex Aristotele in Antepræedicamentis, cap. primo, differentiam esse inter vniuocum, & æquiuocum; nam æquiuocum plura importat secundum idem nomen, & diuersos conceptus: vt canis, respectu canis latrabilis, marini, & cælestis. Vniuocum verò importat plura secundum idem nomen, & eumdem conceptum ab eodem nomine sumptum: vt homo, respectu omnium hominum; animal, respectu animalium; vt dictum est in Summulis, ac alibi sæpiùs repetitum.

Secundo Notandum est. Tam æquiuocum, quam vniuocum esse duplex, scilicet purum, seù à casu, & analogum, seù à consilio. Equiuocum purum, seù à casu est illud, quod plura secundum idem nomen, diuersis tamen conceptibus significat æqualiter: ita quod, non vnum per prius, & reliquum per posterius. Vt hæc vox canis, importat æqualiter canem latrabilem, marinum, & cælestem; ac proinde dicitur vox æquiuoca pura, seù à casu. Æquiuocum verò analogum, seù à consilio, est vna, & eadem vox, plura repræsentans diuersis conceptibus aliquo ordine, scilicet vnum per prius, & reliquum per posterius. Vt sanum, respectu animalis, & vrinæ. Siquidem animal dicitur sanum, & vrina sana, sed prius significat animal, tamquam subiectum sanitatis, & posterius vrinam, vt signum sanitatis; & dicitur vox æquiuoca analoga, seù à consilio. Vniuocum verò purum dicitur illud, quod plura importat secundum idem nomen & eamdem rationem æqualiter. Vt homo, respectu hominum. Quia non prius Petrum, quam Paulum, vel Antonium, sed omnes æqualiter significat. Vniuocum analogum, seù à consilio est illud, quod plura significat secundum idem nomen, & eamdem rationem; vnum tamen per prius, & reliquum per posterius. Vt animal respectu animalium, dicitur vniuocum analogum; quia prius hominem, quàm leonem; & hunc, quam asinum importat; quia homo, ratione suæ differentiæ, scilicet rationalis, perfectius participat naturam animalis, quam leo; & leo, quàm asinus. Similiter ens reale dicitur vniuocum analogum ad Deum, & creaturas; quia per prius importat Deum, vt infinitum, quàm creaturas, quæ sunt finitæ, & imperfectæ respectu Dei. Ad propositum; vniuersale est vniuocum ad quinque vniuersalia; quia illa importat secundum idem nomen, & eamdem rationem; quia omnia dicuntur vniuersalia, & prædicantur de pluribus, sicut vniuersale. Est tamen vniuocum analogum; quia genus perfectiori modo, quàm species, participat naturam vniuersalis; siquidem illud de differentibus specie, hæc verò solum de differentibus numero prædicatur. Ex quo sequitur, quod licet vniuersale sit analogum ad quinque vniuersalia, non tollitur quin sit etiam vniuocum ad illa; cum analogia non mediet inter vniuocationem, & æquiuocationem, vt putat prior opinio; sed aliquando vni, & interdum alteri associatur, vt visum est in exemplis allatis.

Tertio Notandum est, ex Doct. Subt. hic, q. 8. Vniuersalium; in Prædicam. q. 7. & in primo sent. d. 3. q. 3. Q. Vniuocationem, & æquiuocationem esse triplicem, scilicet logicam, physicam, & metaphysicam. Vniuocatio logica reperitur in eo, quod prædicatur de pluribus vniuocè sub ratione alicuius horum quinquè vniuersalium. Et sic ens reale dicitur æquiuocum logicè ad Deum, & creaturas; quia nequit prædicari de illis sub ratione alicuius vniuersalis, scilicet generis, speciei, differentiæ, proprij, & accidentis, cum sit illimitatum ad omnia Prædicamenta. Vniuocatio physica inuenitur in eo, quod importat vnam naturam à parte rei pluribus communem; & sic sola species specialissima dicitur vniuoca physicè; quia importat vnam, & eamdem naturam in pluribus existentem: vt homo, leo, equus &c. & per oppositum, æquiuoca-

catio physica est in omni eo, quod non importat aliquam naturam pluribus inexistentem. Et sic animal respectu hominis, leonis, equi &c. dicitur æquiuocum physicè; quia non importat vnam naturam diuisim inexistentem illis, sed solum conceptum communem ad omnia animalia. Vndè sequitur, quod cum Philosophus dicat, septimo Physicorum, in genere latere æquiuocationes, idest, genus esse æquiuocum; intelligendus est de æquiuocatione physica, non logica, vel methaphysica. Vniuocatio tamdem Methaphysica est in omni illo, quod dicit vnum conceptum pluribus communem, secundum idem nomen. Et sic animal, est vniuocum methaphysicè; quia eius conceptus diffinitiuus, scilicet substantia animata sensibilis, est communis omnibus animalibus. Similiter ens reale, est vniuocum hoc modo Deo, & creaturis; quia importat illis nomen, & conceptum communem, vt videbimus in prædicamentis. Æquiuocatio verò methaphysica, est in omni eo, quod dicitur de pluribus, secundum idem nomen, & diuersos conceptus, vt dictum est de cane, & sic etiam dicitur, quod ens transcēdentissimè sumptū, est æquiuocum methaphysicè enti reali, & enti rationis; quia non dicit vnum, & eumdem conceptum illis communem, de quo alias dicemus. Ad propositum; vniuersale est vniuocum logicè ad genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens; quia prædicatur de illis sub ratione generis, vt probabimus.

Quarto Notandum est. Genus esse duplex, scilicet generalissimum, & subalternum. Generalissimum dicitur esse illud, quod non habet aliud genus sitperueniens; seù, quod cum sit genus, non potest esse species. Et sic compræhendit sub se decem genera generalissima, scilicet substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, passionem, actionem, situm, habitum, vbi, & quando. Genus verò subalternum est, quod cum sit genus, potest esse species: vt corpus, corpus animatum, animal, in prædicamento substantiæ. Ex quo sequitur, vniuersale non esse genus generalissimum, sed tantum subalternum respectu quinque vniuersalium; quia supra se habet aliud genus, nimirum secundam intentionem, seù ens rationis logicum, quod est genus generalissimum respectum omnium secundarum Intentionum, vt videbimus in prædicamentis; ac proindè, sicut respectu illius dicitur species subalterna, sic in ordine ad quinque vniuersalia, dicitur genus subalternum; quia dicitur de illis, vt de differentibus specie.

Ex his, fit prima Conclusio. Vniuersale pro secunda intentione, est vniuocum vniuocatione logica, ad quinque vniuersalia, scilicet genus, speciē, differentiā, proprium, & accidens. Probatur. Quia quod prædicatur de pluribus, secundum idem nomen, & eamdem rationem, sub ratione alicuius vniuersalis istorum, est vniuocum logicè, vt dictum est notab. tertio; sed vniuersale est huiusmodi respectu horū quinque vniuersalium; ergo est vniuocum logicè ad illa. Minor probatur, quoad primam partem, inducendo in omnibus. Quia genus est vniuersale, & prędicatur de pluribus; species est vniuersale, & prædicatur de pluribus, & sic de alijs, vt videbimus suis in locis; ergo prędicatur de illis secundum idem nomen, & eamdem rationem, & sic vniuocè. Secūda pars probabitur in conclusione sequenti, scilicet quod prædicatur de illis sub ratione generis. Secundo probatur conclusio, & simul impugnatur opposita sententia. Quia in tantum asseritur, vniuersale non esse vniuocum ad quinque vniuersalia, in quantum adstruitur esse analogum ad illa; sed hoc non tollit, quin etiam sit vniuocum; ergo &c. Minor probatur. Quia si analogia impediret vniuocationem, sequeretur nullum genus esse vniuocum respectum suarum specierum, logicè, vel methaphysicè saltem; sed hoc est contra Philosophum in Prædicamentis, c primo; ergo &c. Maioris sequela probatur. Quia quodlibet genus, perfectiori modo ab vna specie participatur, quam ab alia; vt patet per Philosophū, septimo Physicorum, t.c.30. dicentem, in genere latere æquiuocationem physicam; ex eo, quod vna species dicit conceptum perfectiorem alia; ergo dicendum est, analogiam non tollere vniuocationem logicam, vel methaphysicam; ac propterea concludendum, vniuersale esse vniuocum logicè ad quinque vniuersalia, estò etiam sit analogum ad illa.

Secunda Conclusio. Vniuersale est genus ad quinque vniuersalia, non vt quid, sed vt

modus. Probatur. Quia illud, quod prędicatur de pluribus differentibus specie in quid, est genus; patet per eius diffinitionē inferiùs dandam; sed vniuersale respectu horum quinquè, est huiusmodi; ergo est genus. Minor probatur. Quia quodlibet illorum prædicatur prædicatione exercita de differentibus numero tantum; ergo sunt species differentes. Antecedens patet. Quia genus de hoc, & illo genere; species, de hac, & illa specie, & sic de alijs, prædicatur; valet enim dicere: hoc genus, est genus; illud genus est genus: similiter, hæc species, est species; illa species, est species, &c sed talia differunt tātum numero; ergo prædicatur prędicatione exercita tantum de differentibus. Secunda pars probatur. Quia secunda intentio generis, vt quid, cum sit quid inferius ad vniuersale, nequit prædicari de illo quiditatiuè, vt genus; ergo si prædicatur de illis, vt genus, dicendum est, vniuersale esse genus, vt modus; hoc est, induit modum prædicandi generis, ratione secundæ intentionis generis super ipso fundatę, à qua genus denominatur.

Obijcies primo, contra primam cōclusionē. Vniuersale non prædicatur de his quinquè sub ratione alicuius vniuersalis, scilicet generis, vel speciei, vel differentiæ, aut proprij, aut accidentis; ergo non est vniuocum logicè ad illa. Consequentia patet, ex diffinitione vniuoci logicè. Antecedens probatur. Quia nulla species prędicatur quiditatiuè de alia specie, cum sint disparatè oppositę; sed vniuersale prædicatur quiditatiuè de his quinquè vniuersalibus; ergo non prædicatur de illis sub ratione alicuius istorum quinquè.

Respōdetur, negando antecedens. Ad probationē dico, vnam speciem prędicari posse de alia specie, vt puta genus de specie, vel differētia, potest dupliciter intelligi; vno modo prædicatione exercita, quæ fit per hoc verbum est; & sic nequit vna species prædicari de alia; quia hę sunt falsę: species est genus; differentia est genus; propriū est genus &c: alio modo prædicatione signata, quæ fit mediante hoc verbo prædicatur, vel dicitur, aut enunciatur; & sic est verum, vnā speciem prædicari de alia; quia hec est vera: genus prædicatur de speciebus. Modò vniuersale prædicatur de quinque vniuersalibus sub ratione generis; quia tunc, sicut illud, induit rationem generis, sic illa quinquè modum speciei; quia dicuntur species vniuersalis.

Dices. Nullum oppositum prædicatur de opposito; sed genus & species sunt opposita, ne dum relatiuè, sed etiam disparatè; ergo si vniuersale est genus, non potest prædicari de specie in quid, sibi opposita.

Respondetur. Maiorē, seù antecedens habere veritatem vniuersaliter in entibus realibus, quę prædicantur de se inuicem prædicatione exercita; falsum tamē assumere in entibus rationis, vbi viget prædicatio signata; quia cum vna secunda intentio, etiā disparata possit fundari super alia disparata benè vnum oppositum de alio prædicari poterit, saltem denominatiuè; vt patet de genere, quod prædicatur signatè de specie; & sic vniuersale, cum sit genus, vt modus, potest vtiquè prædicari de specie, prædicatione signata.

Obijcies secundo, contra secundam conclusionem. Nullum genus prædicatur de suis speciebus secundum magis, & minus, ex Porphyrio, cap. de differentia; sed vniuersale prædicatur de his quinquè vniuersalibus secundum magis, & minus; ergo &c. Minor probatur. Quia vniuersale magis participatur à genere, quam a specie, & cæteris; ergo prædicatur de illis secundū magis, & minus. Antecedens probatur. Quia vniuersale participatur ab his per prędicari de pluribus; ergo magis participatur ab eo, quod de pluribus, magis quā, quod de paucioribus prædicatur; sed genus prædicatur de pluribus, quam species, differentia, proprium, & accidens, vt patet per suas diffinitiones; ergo prædicatur vniuersale de his quinque, secundum magis, & minus; ac proinde non est genus.

Respondetur, negando minorem. Ad probationē dico, antecedens, & eius probationē habere veritatem de participatione extensiua, & secundum maius, non tamen de intensiua, & secundum magis; quia sic participatur æqualiter ab his quinque vniuersalibus. Nec hoc est contra Porphyrium; quia loquitur de participatione intensiua, & secundum magis, non de extensiua, & secundum minus; quia sic non prohibetur, genus prædicari de pluribus, quàm species; siquidem species tantum de differentibus numero, ge-

genus verò de differentibus specie, & numero etiam prædicatur; hæ enim sunt veræ: homo est animal, & Petrus est animal, & Paulus est animal; & sic de alijs.

Obijcies tertio. Si vniuersale est genus ad quinque vniuersalia, vel generalissimum vel subalternum; sed neutrum est dicendum; ergo non est genus. Minoris prima pars probatur. Quia vel esset substantia, vel quantitas, vel qualitas &c. sed nullum horum est dicendum; quia sunt entia realia, & vniuersale est ens rationis. Secunda pars minoris etiam probatur. Quia genus subalternum continetur sub aliquo generalissimo; sed vniuersale sub nullo continetur; quia non sub illis decem, cum sint entia realia; nec sub alio aliquo ab illis, quia non datur; aliter essent plusquam decem, quod est contra Aristotelem; ergo vniuersale nequit esse genus subalternum.

Respondetur, Negando minorem, quoad secundam partem. Quia vniuersale est genus subalternum ad illa quinquè. Ad improbationem dico, vniuersale non contineri sub aliquo illorum decem, quia sunt realia, sed sub vndecimo genere generalissimo entis rationis logici; quod dari, non est contra Aristotelem, vt probabimus in lib. Prædicamentorum; siquidem non omnia Aristoteli consona, vel repugnantia, explicitè sunt tradita; alioquin destruerentur multæ opiniones probabiles in eius Doctrina.

Vtrum Vniuersale sit subiectum in hoc libello Porphyrij?

QVÆSTIO V.

AD hanc quæstionem, ordinauit Doct. Subt. quatuor præcedentes. Cùm enim ad subiectum alicuius scientiæ requirantur tres conditiones, scilicet quod habeat quid est, & quia est; & ideò primo quæsiuit, An vniuersale sit ens. Idest habeat existentiam, & diffinitionem suo modo. Secundo, quod habeat passiones; vndè mouet illas duas quæstiones. An vniuersale sit per se intelligibile, & an habeat aliquam proprietatem. Tertia tandem, quod sit vniuocum ad omnia, quæ traduntur in scientia, per attributionem saltem: & ideò absoluit præcedentem quæstionem de eius vniuocatione ad quinquè vniuersalia. Quarè in præsenti non immeritò quærit. An vniuersale sit subiectum in hoc libro. Vt sit sensus. Vtrum vniuersale sit talis naturæ, vt sibi conueniant conditiones requisitæ ad subiectum scientiæ, vel ex aliquo capite ei repugnent?

Albertus Magnus, & Auerroistæ citati in præcedenti, sustinent, quinque vniuersalia esse subiectum huius libri; à quibus tamen non habet vnitatem, sed à genere, tamquam à principaliori analogato sub vniuersali.

Scotus autem, ex opposito, cum probauerit in præcedenti quæstione, vniuersale esse vniuocum analogum ad ista quinque, consequenter defendit, esse hic subiectum attributionis. Ex quo apparet error Antonij Ruuij, q. 8. super primo cap. Porphyrij, citantis Scotum pro alia sententia, quæ tenet, prædicabile, & non vniuersale esse subiectum in hoc libro; cum disertis verbis asserat, vniuersale, & non prædicabile esse eiusdem subiectum; licet per prædicari de pluribus, diffiniat vniuersale. Hanc eamdem sententiam tuentur D. Thomas hic, q. 9. Sotus, q. 4. Toletus, q. prima de subiecto huius libri, Ruuius, & alij non pauci, tàm ex Thomistis, quam ex Scotistis.

Pro declaratione huius posterioris sententiæ, recolenda sunt ea, quæ de subiecto totius logicæ diximus, & quæ de vniuersali conclusimus in præcedentibus quæstionibus; ac insuper, primo Notandum. Subiectum scientiæ esse duplex, scilicet totale, & partiale; sicut habitus itidem est duplex, totalis scilicet, & partialis. Subiectum totale alicuius scientiæ est illud, à quo habitus totalis habet vnitatem, & distinctionem; comprehenditque sub se omnia subiecta partialia, vel tamquam partes integrales, vel subiectiuas, propinquas, aut remotas; & huiusmodi subiectum est syllogismus in communi in tota logica. Subiectum verò partiale est illud, à quo aliqua pars scientiæ habet vnitatem, & distinctionem ab alijs partibus: & sic, quot sunt habitus par-

tiales in logica, totidem pariter debent assignari subiecta partialia. Cùm igitur sint sex, aut septem habitus partiales logicæ, ex quorum numero est liber Vniuersalium Porphyrij, ideò in eodem assignandum est subiectum, à quo habeat vnitatem, & distinctionem ab alijs.

Secundo Notandum est, subiectum scientiæ adhuc esse duplex, scilicet materiale, & formale. Subiectum materiale est illud, quod est primo, & principaliter consideratum in scientia: vt corpus naturale in physica, syllogismus in logica, ens reale in Methaphysica &c. subiectum verò formale est id, sub quo consideratur subiectum materiale in illa scientia, cuius est subiectum. Et sic naturalitas est subiectum in Philosophia, quia corpus naturale in ea consideratur sub ratione naturalitatis; entitas in methaphysica; quia omnia considerantur sub ratione entis, &c. Ad propositum igitur applicando, vniuersale est subiectum materiale huius libri; prædicabilitas verò de pluribus, est formale; quia vniuersale consideratur in eo sub ratione prædicabilis de pluribus. Vndè sequitur, quod tàm vniuersale, quam prædicabile sit subiectum huius libri; sed vniuersale est materiale, prædicabile verò, formale.

Ex his, sit prima conclusio. Vniuersale pro secunda intentione acceptum, est subiectum adæquatum huius libri Porphyrij. Probatur. Quia habet omnes conditiones requisitas ad subiectum attributionis; ergo est subiectum. Antecedens probatur. Quia habet quid est, & quia est, cum diffiniatur in lib. Periherm. cap. 5 per prædicari aptitudinaliter de pluribus; habet proprietates demonstrabiles, scilicet intelligibilitatem terminatiuam, & inexistentiam in multis, per eius diffinitionem, sic dicendo. Omne prædicabile de pluribus, est vnum in multis & intelligibile; sed vniuersale est prædicabile de pluribus; ergo est vnum in multis, & intelligibile. Habet etiam vnitatem attributionis. Quia probatum est in præcedenti, esse vniuocum ad quinque vniuersalia, & ad omnia in hoc libro contenta; ergo cum habeat omnes conditiones requisitas ad subiectum, vniuersale erit subiectum huius libri.

Secunda Conclusio. Prædicabile potest esse subiectum formale in hoc libro Porphyrij. Probatur. Quia vniuersale, & omnia tradita in hoc libro, considerantur sub ratione prædicabilis de pluribus; ergo erit subiectum formale. Antecedēs patet. Quia genus, species, differentia, proprium, accidens, & indiuiduum, diffiniuntur per prędicari, hoc de vno, & illa de pluribus; ergo omnia considerata in hoc libro, sunt sub ratione prædicabilis.

Tertia Conclusio. Genus, aut quinque Vniuersalia, non sunt subiectum in hoc libro. Contra Albertum, & alios. Probatur prima pars. Quia si genus esset subiectum, tunc suffecisset Porphyrio determinare duntaxat de genere, & non de alijs; sed hoc est falsum; quia tunc fuisset superfluus determinando de alijs quatuor, ergo genus non potest esse subiectum. Sequela maioris probatur. Quia ad determinandum de multis dictis per attributionem ad aliquod primum, sufficit determinare de illo primo, ex Phylosopho, quarto Meth. t. c. 2. & 7. Meth. t. c. 5. Sed per Albertum hic determinatur de cęteris quatuor per attributionem ad genus; ergo suffecisset Porphyrio determinare tantum de genere. Secunda pars probatur. Quia scientia habet vnitatem ab obiecto, seù subiecto: ideò Phylosophus, primo Post. cap. 23. docuit, subiectum scientiæ debere esse vnum; sed quinque vniuersalia non sunt vnum; ergo nequeunt esse subiectum in hoc libro Porphyrij.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Si vniuersale est subiectum, aut in quantum intentio, aut in quantum applicabile rei; sed neutrum est dicendum; ergo non est subiectum. Maior patet à sufficienti diuisione. Minoris prima pars probatur. Quia vniuersale in quantum intentio, consideratur à Methaphysico; ergo non à logico. Antecedens probatur. Quia methaphysicus considerat quodlibet in quantum ens; sed vniuersale in quantum intentio, est idem, quod vniuersale in quantum ens; ergo methaphysicus considerat vniuersale in quantum intentio. Secunda pars minoris probatur. Quia ens per accidens, non potest esse subiectum in aliqua scientia; quia de ente per accidens non habetur scientia, nec diffinitio, ex Aristotele, primo post. c. 23. & secundo Post. c. 19. Sed vniuersale, vt applicabile rei, est ens per acci-

cidens, cum ex subiecto, & passione non fiat vnum per se; ergo &c.

Respondetur primo. Vniuersale esse subiectum in quantum intentio. Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem dico, maiorem esse veram de ente reali, non tamen de ente rationis, cuiusmodi est vniuersale, & quælibet secunda intentio.

Vel dicendum secundo. Vniuersale esse subiectum, vt applicabile rei; hoc est, in concreto sumptum. Ad probationē in contrarium dico, minorem esse veram de vniuersali pro materiali, in quantum videlicet dicit aggregatum ex prima, & secunda intentione; falsam tamen, loquendo de vniuersali pro formali; quia sic non dicit nisi secundam intentionem concernentem primam, scilicet prædicari de pluribus, vt fundatur in natura cognita ad sua inferiora comparatiuè.

Obijcies secundo. Omnis scientia realis, est de vniuersali; sed hæc scientia cum sit logicalis, non est realis; ergo non est de vniuersali, vt de subiecto. Maior patet. Quia singularium non est scientia, ex Aristotele, primo post. c. 6. 7. Minor similiter; quia logica est scientia rationalis.

Respondetur, maiorem esse veram de vniuersali reali, non de intentionali; modò hæc scientia cum sit rationalis, est de vniuersali pro secunda intentione accepto.

Obijcies tertio. Subiectum scientiæ debet habere conditiones requisitas ad subiectum; sed vniuersale non est huiusmodi; ergo non est subiectum. Minor probatur. Sibi deficit prima; quia Porphyrius nullam fecit mentionem de vniuersali in communi. Similiter secunda, & tertia: quia tantum locutus est de passionibus horum quinque vniuersalium, & nihil de passionibus vniuersalis in communi, nec de ipso vniuersali; ergo non potuit sibi attribuere omnia in hac scientia considerata.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, Porphyrium meminisse vniuersalis in communi implicitè, dum in primo capite diuisit illud in quinque vniuersalia; quippè si membra diuidentia sunt vniuersalia, sicut patet ex eorum diffinitionibus, etiam diuisum debuit esse vniuersale. Cùm verò subiungitur; ipsum non diffiniuisse, nihil refert; quia supponit, ipsum esse diffinitum ab Aristotele, primo Periherm. c. 5. quod sufficit ad esse subiecti. Addiderim ergo tradidisse implicitè diffinitionem vniuersalis, quæ est prædicari de pluribus, cum eam in singulis vniuersalibus retulerit; & sicut per eam de quolibet vniuersali aliquam passionem demonstrauit, ipsam per se primo de vniuersali in communi demonstrasse dicendum est; siquidem passiones inferiorum, per se primo superioribus conueniunt, vt dictum est sup. q. 3. de vniuersali. Similiter de vniuersali in communi pertractauit Porphyrius, tract. 2. c. p. dicens. Commune quidem est omnibus, de pluribus prædicari. Quemadmodum dictum est etiam de genere, illis verbis. Eorum enim, quæ prædicantur, alia de vno dicuntur solo, & alia de pluribus. Cum igitur prædicari de pluribus sit differentia vniuersalis, quæ ibidem traditur à Porphyrio, etiam de vniuersali in communi mentionem fecit; cum diffinitio, absque diffinito esse nequeat.

Obijcies quarto. Subiectum debet esse commune omnibus in scientia consideratis; sed vniuersale non est huiusmodi, immò potius prædicabile; ergo prædicabile, & non vniuersale erit subiectum. Minor probatur. Quia in hoc libro tractatur de indiuiduo; sed indiuiduum non est vniuersale, sed benè prædicabile, quia de vno solo dicitur; ergo prædicabile est subiectum, &c.

Respondetur primo, maiorem esse veram de communitate per attributionem, non per prædicationem; modo licet indiuiduum non contineatur sub vniuersali per prædicationem, continetur tamen per attributionem, quatenus est ratio cognoscendi, nedum speciem, tamquam suum correlatiuum, sed etiam ipsum vniuersale, quod refertur ad particularia, seù singularia, vt relatiuum ad sua correlatiua.

Vel dicendum secundo, maiorem esse veram de consideratis in scientia per se; & non per accidens; modo indiuiduum consideratur tantum per accidens in hoc libro, quatenus est terminus illius relationis speciei, vel vniuersale; modò terminus est extrinsecus relationi, vt aliàs dicturi sumus.

Obijcies quinto. Subiectum scientiæ debet esse adæquatum illi; sed vniuersale non est adæquatum huic libro, cum in libris Topicorum Aristoteles agat de quinque vniuersalibus; & lib. primo Post. cap.7.24. & 2 post. cap. vltimo, pertractet de vniuersali in communi; ergo vniuersale nequit esse subiectum huius libri.

Respondetur, maiorem esse veram eo modo, quo consideratur in illa scientia, non tamen diuersimodè; quia sic idem potest ad diuersas spectare scientias, vt patet de ente reali, quod est subiectum adæquatum in methaphysica, consideratum sub ratione entis, & tamen spectat etiam ad Philosophiam, quatenus intelligitur immixtum materiæ; sic in proposito, vniuersale spectat ad libros Topicorum, quatenus de illis quinque vniuersalibus possunt formari diuersæ quæstiones probabiles, seu topicæ: ad libros Posteriorum, vt præstat materiam demonstrationibus, & diffinitionibus; siquidem hæ fiunt tantum de vniuersalibus, quia de singularibus non est scientia, neque diffinitio, quæ est medium sciendi: ad hunc librum verò ordinatur per se, prout est prædicabile de pluribus; & omnia, quæ tractantur in ipso, ad illud attribuuntur. Ecce quomodo secundum diuersam considerationem, vniuersale potest esse subiectum adæquatum huius libri, & inadæquatè spectare etiam ad alias scientias.

Vtrum Vniuersale sit subiectiuè in re cognita passiuè, vel in intellectu cognoscente?

QVÆSTIO VI.

Antonius Ruuius, in Tract. de natura entis rationis, & secundarum Intentionum, cap. primo, & secundo, disertis verbis sustinet, entia rationis, cuiusmodi sunt omnes secundæ Intentiones, & consequenter vniuersale, nullibi esse, vt in subiecto, sed tantum existere obiectiuè in Intellectu. Huius sententiæ prius fuit Suarez in Meth. disp.54 sect. prima, & secunda; qui citat pro se Comment. sexto Meth. com. 3. D.Thom. opusc.42.c.1. & prima par.q. 16. art.3. ad secundum, Caietan. de ente, & essentia, cap. primo. Durandum in primo sent. dist.19.q.5.n.6. & Soncinam, 10. Meth.q.5. quamquam aliter explicent naturam entis rationis.

Toletus verò, q. prima, de primis, ac secundis Intentionibus asserit, vniuersale, & quamlibet secundam intentionem esse tantum subiectiuè in intellectu, à quo efficiuntur; vndè negat, esse cognitum dicere aliquid passiuum inexistens, intrinsecèque denominans ipsam rem; ac proindè cogitur asserere, secundas intentiones dicere in rebus cognitis tantum denominationes extrinsecas, prouenientes à cognitione subiectiuè inexistente intellectui. Hanc opinionem sequuntur multi, maximè moderni, inter quos noster Poncius cum alijs ab ipso citatis, disp. prima de ente rationis, q.4. & 5. vbi conclusione secunda, num.38. refert pro se Doct. Subt. in primo d.35. & ex Scotistis Fuentes, de ente rationis, q.2. diff.2. Merinerum ibi. Ex alienis verò Hurtadum, in methaphys. disput. 19. sect. 2. & Auersam in logica, quæst. 2. sect. 2. dicto. 4.

Scotus tamdem in suis Vniuersal. quæst. 9. & in 4. sent. dist. prima, q. 2 ac alibi docet contra primam sententiam, vniuersale, & quodlibet ens rationis habere esse, non tantum obiectiuè, sed etiam subiectiuè, non tamen in intellectu, vt dicit secunda opinio, sed in re cognita, vel considerata ab intellectu. Cum ipso sunt omnes Scotistæ antiqui, & ex recentioribus, Mastrius, disput.3. de ente rationis, quæst. 7. & 8. per totas; quibus possunt adiungi Conimbr. cum quæst 6. artic. primo, & 3. in Præfat. Porphyrij dicant, ens rationis existere in conceptu comparatiuo intellectus, qui nil aliud est, quam res cognita actu comparatiuo. Et artic. 3. approbant tertiam sententiam, quæ dicit, speciem existere in natura, non vt sic, sed quatenus cognita in ordine ad sua inferiora. Quod est idem, quod explicat Doct. hic in corp. huius quæstionis.

Pro decisione huius controuersiæ, & fundamento verioris sententiæ, primo notandum est, ex Doct. in quarto, dist. prima, quæst. 2. B. & hic, quæst. 9. aliqualiter insinuatur; aliquid esse in aliquo, posse tripliciter contingere: vno modo effectiuè: & hoc modo dicimus, intellectiones, omnes ba-

habitus scientificos, species intelligibiles, secundas intentiones, & consequenter etiam vniuersale esse in intellectu, cùm ab ipso, vt à causa effectrico, in esse pendeant: secundo modo obiectiuè, scilicet vt obiectum cognitum in potentia cognoscente. Et sic secundæ intentiones, & vniuersale pariter, sunt in intellectu, quia ab ipso cognoscuntur: tertio modo subiectiuè, videlicet, vt sit in ipso, veluti accidens in subiecto, & ipsum denominet intrinsecè. Et sic albedo dicitur esse subiectiuè in pariete, scientia in intellectu, & vniuersale, sicut quælibet intentio secunda, in re cognita; quia intellectus non denominatur vniuersalis, nec genus, aut species, sed benè animal cognitum, dicitur vniuersale, & genus; homo cognitus, species; Petrus cognitus, indiuiduum.

Secundo Notandum est, ex Scoto hic in corpore quæstionis, rem realem posse tripliciter considerari: primo modo secundum esse, quod habet in suppositis, seù singularibus; & hoc esse dicitur materiale, & eidem insunt accidentia communia, scilicet albedo, nigredo; quia sic, homo dicitur albus, niger &c. secundo modo consideratur absolutè, secundum esse quiditatiuum; vt homo, in quantum est animal rationale: & sic conueniunt prædicata quiditatiua, scilicet animal, corpus animatum, substātia, ens; non tamen accidentalia; quia sic homo non denominatur albus, pulcher, doctus: tertio modo, quatenus res dicitur cognita ab intellectu, & ad aliud comparata; vt homo, quatenus est cognitus comparatiuè in ordine ad sua inferiora, vel ad superiora, sub aliqua proprietate sibi conueniente idest, in quantum est communicabilis pluribus differentibus numero; & sic ei inest secunda intentio speciei specialissimæ, prædicabilis, & vniuersalis; vel in quantum participat naturam animalis, sub qua immediatè ponitur, tamquam sub genere; & sic ei attribuitur secunda intentio speciei subijcibilis, à quibus secundum diuersam comparationem, vel ad inferiora, vel ad superiora denominatur intrinsecè species subijcibilis animalis, vel prædicabilis in ratione vniuersalis de differentibus numero inquid.

Tertio Notandum est, ex Sco. 3. d 8. q. vn. H. aliquid esse in intellectu subiectiuè, potest dupliciter intelligi; vno modò immediatè, itaut informet intellectum, tamquam accidens suum subiectum. Et sic scientia, intellectiones, species intelligibiles, dicuntur esse subiectiuè in eodem intellectu; quia ipsum informant, & intrinsecè ipsum denominant scientem, intelligentem &c. Alio modo mediatè, ita quod informet aliquid, quod aliquo modo, siuè subiectiuè, siuè obiectiuè habeat esse in intellectu. Et sic intentiones secundæ, (cuiusmodi est vniuersale) possunt dici habere esse subiectiuè in intellectu; quia nimirum subiectantur in re cognita, quæ saltem obiectiuè habet esse in intellectu. Ex quo sequitur, quod quando intellectus causat secundas intentiones in rebus cognitis, non emittit illas extra seipsum; quia res cognitæ, in quibus subiectantur, sunt etiam in intellectu, saltem obiectiuè, vt dicit Doct. in 3. d. 8. quæst. vn. lit. H. ad quartum, vbi dicit. Ens rationis non est in aliquo, nisi vt tantum habet esse in intellectu, sicut cognitum in cognoscente.

Quarto Notandum, vt colligitur ex Doctore pluribus in locis, sed præcipuè in primo, d. 3. quæst. prima H. & quæst. 2. ad vltimum principale; & in tertio, d 8. q. vn. sub H. denominationem esse duplicem, scilicet intrinsecam, & extrinsecam. Denominatio intrinseca est, quando forma denominans est inhæsiuè in denominato; hoc est, subiectiuè in illo, vt accidens in subiecto: vt cum dicitur. Paries est albus albedine. Si quidem albedo est subiectiuè, & inhæsiuè in pariete denominato. Denominatio autem illa est duplex, scilicet realis, cum forma denominans est realis; & rationis, quando nimirum forma denominans est ens rationis; hoc est, dependenter ab opere intellectus. Exemplum prioris. Vt homo est albus, vel niger. Exemplum posterioris. Vt homo cognitus, vel species, vel vniuersale. Denominatio extrinseca est, cum forma denominans non est in denominato subiectiuè, sed tantum terminatur ad illud per adhæsionem, seu per relationem attingentiæ, vel tendentiæ. Vt paries visus. Quia visio, quæ est forma denominans, non est in pariete viso, sed in oculo viden-

te,

te, & terminatur ad parietem, ratione cuius extrinsecè dicitur visus. Et hæc denominatio semper est realis; tùm quia fit à forma reali; tum etiam, quia terminatur ad denominatum antè quodcumquè opus intellectus. Ad propositum, cum dicitur, homo est species, animal est vniuersale, Petrus est indiuiduum, & similes, non sunt denominationes extrinsecæ, sed intrinsecæ; quia species, vniuersale, indiuiduum, & similes secundæ intentiones sunt in obiectis cognitis comparatiuè, per modum inhæsionis, & subiectiuè, & non tantum extrinsecè, hoc est à cognitione intellectus terminante ad illa obiecta; aliter non essent entia rationis, sed realia, vtpotè dependentia à causa reali, ante omnem operationem intellectus.

Ex his, fit prima Conclusio. Vniuersale, & quælibet secunda intentio, est in intellectu effectiuè, & obiectiuè. Est Doct. Subt. hic, q. 3. & in 4. dist. prima q. 2. B. Probatur prima pars. Quia effectus est effectiuè in sua causa efficiente; sed vniuersale, & quælibet secunda intentio est effectus intellectus, vt patet; ergo vniuersale, & quælibet secunda intentio est effectiuè in intellectu. Secunda pars probatur. Quia quod cognoscitur ab intellectu, est obiectiuè in illo; sed vniuersale, & quælibet secunda intentio cognoscitur ab intellectu, cum sint obiectum eius, ex secunda quæstione; ergo &c.

Secunda Conclusio. Vniuersale, & quælibet secunda intentio, est subiectiuè immediatè in re cognita, & non in intellectu. Est Doct. locis citatis. Probatur primo. Quia accidens est subiectiuè in eo, quod intrinsecè denominat, ex quarto notabili; sed vniuersale, & quælibet secunda intentio est accidens, & intrinsecè denominat rem cognitam, & non intellectum; ergo est subiectiuè in illa, & non in intellectu. Minor patet. Quia intellectus non dicitur vniuersalis, aut particularis, genus, vel species, sed benè homo cognitus, dicitur vniuersalis, species; similiter animal cognitum, genus; & Petrus cognitus, indiuiduum.

Si dicatur a Ruuio, maiorem esse veram de accidente reali, quod habet existentiam independenter ab operè intellectus, non tamen de accidente rationis, cuiusmodi est vniuersale, & quælibet secunda intentio, quæ in tantum habent esse, in quantum fiunt ab intellectu, & non amplius, nec ante, nec post eiusdem actum.

Contra. Quia quodlibet ens, quod non habet per se existentiam, dum est, debet esse in aliquo, vt in subiecto; aliter non esset; sed secundæ intentiones, cum sint accidentia, non habent per se existentiam, & tamen habent esse per se, dum fiunt ab intellectu; ergo pro illo tunc, debent habere esse in aliquo subiecto; non in intellectu, vt probatum est in præcedenti conclusione; ergo in re cognita.

Secundo probatur Conclusio. Vniuersale fit per actum intellectus comparantis aliquam naturam communem in ordine cognitam ad sua inferiora; ità quod, dum actu comparat naturam sic cognitam ad illa, actu est vniuersale: pono igitur continuari huiusmodi actum, præcipiente voluntate, per quadrantem, quod est possibile; & tunc quæro, an vniuersale sit in aliquo subiectiuè nec nè? Si primum, habeo intentum; si verò detur secundum; ergo cum vniuersale sit accidens, & non substantia, non erit; quia impossibile est, naturaliter loquendo, dari accidens, quod non sit in subiecto, ex Aristotele dicente, 5. Meth. cap. 7. t. c. 13. Quæ secundum accidens esse dicuntur, ità dicuntur, aut quoniam eidem enti ambo insunt, aut quoniam illud enti inest: & alibi. Accidens non est ens, nisi quia taliter entis; igitur dicendum est, vniuersale esse in aliquo subiectiuè, & inhæsiuè, non in intellectu, vt dictum est; ergo in re cognita, quod est propositum.

Tertia Conclusio. Vniuersale, & quælibet secunda intentio, est subiectiuè mediatè in intellectu. Est Doct. in 3. sent. d. 8. q. vn. lit. H. Probatur. Quia id est subiectiuè mediatè in intellectu, quod subiectatur in aliquo, quod aliquo modo habet esse in intellectu, vt patet ex tertio notabili; sed vniuersale, & quælibet secunda intentio habet esse immediatè in re cognita, quæ habet esse in intellectu obiectiuè, sicut cognitum in cognoscente; ergo saltem mediatè, vniuersale, & quælibet secunda intentio, habet esse subiectiuè in intellectu.

Obijcies primo, contra primam Conclu-

clusionem. Omne accidens, quod est in re, vel est proprium, vel commune; sed neutrum est vniuersale; ergo vniuersale non est in re. Maior est Porphyrij, tract. 2. cap. 12. Minor probatur, & primo, quod non sit accidens proprium. Quia accidens proprium, licet per se primo insit speciei, tamen per se non primo, inest etiam indiuiduis; vt patet de risibili, quod per se primo inest homini, secundario autem, Petro, Paulo, & cæteris hominibus; sed vniuersale non inest indiuiduis; quia hæc est falsa: indiuiduum est vniuersale; ergo non est accidens proprium. Secundo probatur de accidente communi. Quia accidens commune, primo inest indiuiduis; & postea speciei, & generi, ex Porphyrio loco citato; sed vniuersale nullo modo inest indiuiduis; ergo vniuersale non est accidens commune.

Respondetur, totum argumentum esse verum de accidente reali, quod inest naturæ, prout habet esse in suppositis, non tamen de accidente rationis, cuiusmodi est vniuersale; quia tale non inest rei; non prout est in suppositis, sed vt cognita est ab intellectu.

Obijcies secundo. Omnis virtus passiua, cuiusmodi est intellectus, non agit extramittendo, ex Philosopho, tertio de anima, t. 5. sed vniuersale, cum causetur ab intellectu, si esset subiectiuè in re, esset extramissum; ergo &c. Minor patet. Quia res est extra intellectum. Maioris secunda pars, posset etiam sic probari. Quod mittit extra se, est factiuum, & non passiuum, sed intellectus, cum sit virtus passiua, non est factiuus; ergo nequit aliquid mittere extra se.

Respondetur, maiorem esse veram cum sua probatione de eo, quod agit extra se per realem transmutationem, non tamen per transmutationem intentionalem; quia sic, etiam intellectus, quàmuis sit virtus passiua, potest aliquid mittere extra se, vt patet de secundis intentionibus, præsertim si accipiatur à proprietate illius rei, sicut attribuit modos significandi vocibus, in quibus sunt subiectiuè, & tamen voces sunt extra intellectum.

Vel dicendum cum Scoto cit. in tertio, d 8 q. vn. H. quod licet vniuersale sit subiectiuè in re per opus intellectus cognita, non propterea intellectus diceretur agere extra se; quia etiam res substracta vniuersali, esset in intellectu, saltem obiectiuè, quod sufficit.

Obijcies tertio. Ex intellectu, & intelligibili fit verius vnum, quàm ex materia, & forma; ex Comm. 3. de anima, com 5. sed forma est subiectiuè in materia, & non extra; ergo, & intelligibile debet esse subiectiuè in intellectu, & consequenter vniuersale, cum sit intelligibile, erit subiectiuè in intellectu, & non in re.

Respondetur, Maiorem posse habere duplicem sensum. Vno modo per compositionem; ita quod ex intellectu, & intelligibili fiat aliquod compositum verius, quàm ex materia, & forma: & sic non potest intelligi dictum Commentatoris; quia ex materia, & forma fit vnum per se; ex intellectu verò, & intelligibili, fieret vnum per accidens, quod non est veriùs vnum, quam sit vnum per se. Alio modo per prædicationem intelligibilis de intellectu; & sic est vera maior; quia intelligibile potest prædicari verè de intellectu, dicendo: intellectus est intelligibilis; supple à se reflexè; at hæc est falsa; materia est forma, vel è conuerso: & sic debet intelligi dictum Auerrois, & non aliter. Vnde non sequitur, vniuersale, quod est intelligibile, esse in intellectu subiectiuè, sed tantum per prædicationem.

Obijcies quarto, ex Poncio, disp. prima de Ente rationis, q. 5. concl. secunda, n. 41. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponendi vniuersale, & alias secundas intentiones subiectiuè in re cognita; ergo &c. maior patet per omnes. Minor probatur. Quia esse cognitum, vt sic, & vt tale, vel tale, potest haberi per cognitionem actiuam terminatam extrinsecè ad obiectum, & subiectum in intellectu; sed vniuersale dicit esse cognitum in ordine ad inferiora; ergo potest sufficienter haberi ab intellectu cognoscente naturam communem in ordine ad inferiora, absque eo, quod detur in illa cognitio passiua, seù respectus rationis, à quo denominetur vniuersale. Minor est clara. Maior probatur. Quia esse cognitum nil aliud dicit, quàm aliquid habens ad se cognitionem terminatam; alioquin non posset per aliam cognitionē dici obiectum

co-

cognitum. Quod probatur. Quia illa cognitio, quæ intrinseca poneretur in obiecto, terminaretur ad intellectum, & non ad obiectum; ergo potius intellectus diceretur cognitus per eam, quàm obiectum.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, nego maiorem absolutè. Et cum dicitur; esse cognitum nil aliud importare, quàm aliquid habens ad se cognitionem extrinsecè terminatam; est falsum. Quia dicit aliquod ens rationis absolutum, si est cognitum per actum rectum, vel reflexum; vel respectiuum, sit fuerit cognitum per actum collatiuum intellectus: modò ens rationis nequit habere esse formaliter per denominationem extrinsecam, quæ est ens reale, habens esse ante quamcumquè operationem intellectus, vt docet Doct. in primo, dist. 30. quæst. 1. & secunda.

Contra. Quia relatio creaturę ad Deum, quæ non minus est forma passiua, quàm quicumquè respectus resultans in obiecto cognito, quia dat denominationem producti creaturæ, tribuit Deo formaliter denominationem actiuam producentis, vt manifestè asserit Scotus, in primo, d. 30. q. 2. ergo similiter cognitio, quæ tribuit intellectui denominationem cognoscentis actiuè, potest tribuere obiecto denominationem cogniti passiuè.

Respondetur, negando consequentiam. Quia esse cognitum passiuè in obiecto, dicit aliquod ens rationis, quod nequit esse extrinsecè à cognitione actiua intellectus, quæ est ens reale. Esse verò creatorem in Deo, potest vtique haberi extrinsecè à relatione passiua existente in creatura per solam denominationem extrinsecam, quæ pariter est realis: at, si creare in Deo dicat aliquid rationis, non poterit sic denominari extrinsecè à relatione reali existente in creatura, sed à relatione rationis noua, habita non per actum intellectus diuini alioqui mutaretur in ęternitate, quod implicat; sed fabricata per actum intellectus creati, comparantis Deum, vt producentem in tempore, ad creaturam productam. Ex quo apparet, rationem similitudinis esse potius in oppositum opinionis Poncij; quam ad propositum.

Contra. Quia respectus quo denominatur obiectum cognitum, esset realis si poneretur subiectiuè in obiecto cognito; sed hoc implicat; quia non potest fundari respectus realis in Deo, in priuationibus, negationibus, aut impossibilibus, ob eorum incapacitatem, & tamen realiter cognoscuntur de nouo; ergo ad hoc, vt obiectum dicatur de nouo cognitum, non est necesse, vt fundetur in eo vlla relatio. Sequela maioris probatur. Quia huiusmodi respectus produceretur ab intellectu, sumpta occasione ex proprietate rei comparatæ ad aliam, quę sunt causæ reales; atqui causa realis nequit producere effectum rationis, sed realem; ergo huiusmodi respectus, si poneretur subiectiuè in obiecto, esset realis, quod implicat.

Respondetur, negando sequelam maioris: imò esset respectus rationis. Ad probationem, nego iterum maiorem; siquidem huiusmodi respectus resultaret in obiecto cognito comparatiuè, supposita proprietate itidem cognita ab intellectu; quæ non sunt entia realia, sed rationis, vel absoluta, vel relatiua, de quo non curo; atque ita Deus, & cætera obiecta incapacia relationum realium, denominarentur cognita per relationes rationis fabricatas suo modo, dependenter ab opere intellectus creati.

Contra. Quia Deus realissimè potest de nouo cognosci ab intellectu creato sine noua relatione, siuè reali, siuè rationis in ipso fundata; ergo obiectum cognitum dicitur tale sine aliqua cognitione passiua, sed per solam denominationem extrinsecam. Consequentia patet. Quia non est maior ratio de vno obiecto cognito, quam de alio. Antecedens probatur de relatione rationis. Quia de reali non est dubium; siquidem denominaretur realiter cognitus per relationem rationis, quod est absurdum, & contra Doctorem, in secundo d. 4. numero 11. vbi habet pro inconuenient, denominationem realem dependere à forma rationis.

Respondetur, ex Doct. in primo, d. 30. q. 2. ad vlt. princip. quod ly realissimè, potest determinare compositionem prædicati cum subiecto; & tunc nil aliud est, quam quod verissimè est; & facit sensum. Deus verissimè cognoscitur ab intellectu creato. Vel potest determinare illud prædicatum, cognoscitur; vt sit sensus. Deus dicitur cogni-

gnitus ab intellectu creato per cognitionem realem in ipso fundatam. Prior sensus est verus; posterior falsus. Nec indè sequitur, non posse denominari cognitum per relationem rationis in ipso fundatam per opus intellectus creati; quia huiusmodi relatio non daret esse aliquid reale in Deo, sed tantum rationis, hoc est esse cognitum, quod sibi non repugnat.

Formaliter ad argumentum dico, antecedens esse verum, si ly realissimè, sit idem, quod verissimè; falsum si specificet cognitionem realem. Quia nulla talis fundatur in Deo, per quam denominetur cognitus, sed tantum per cognitionem passiuam, quę est relatio rationis derelicta in eodem ab opere intellectus creati.

Multa alia dicit Poncius, vt probet suam sententiam, quod esse cognitum, sit denominatio quædam extrinseca, sicut esse visum in pariete, & non aliquid rationis superadditum obiecto; cæterùm, quia ex hucusque dictis facilè solui possunt, ideò consultò omittuntur, nè nimis in longum, & præter intentum nostrum, protrahamus quæstionem propositam.

Vtrum Propositiones, in quibus vniuersale, vel alia secunda intentio, prædicatur de re, sint vera, & per se?

QVÆSTIO VII.

Circa hanc duplicem difficultatem, quam pertractat Doctor. Subtilis, & soluit simul cum præcedenti quæstione 10. & vndecima suorum Vniuersalium, nulla reperitur controuersia; idcircò non est immorandum in limine eiusdem; sed quibusdam notatis, ad resolutionem deueniendum.

Primo igitur notanda sunt ea omnia, quæ de prædicatione secundarum intentionum de primis diximus in nostro Tract. secundarum Intent. cap. vltim. siquidem illa optimè faciunt ad præsentem solutionem.

Secundo Notandum est, ex Philosopho, & Commentatore, 9. Meth. cap secundo, t. c. 21. & Scoto, in primo, dist. 48. in fine, Veritatem posse sic describi. Veritas est adæquatio rei ad intellectum cognoscentem. Vel sic. Veritas est relatio conformitatis rei ad intellectum, insurgens necessariò ex compositione, vel diuisione vera obiecti cum obiecto. Ita enim debet se habere obiectum in intellectu, sicut extra ipsum. Quapropter Philosophus hoc declarans, ibidem subiungit. Non enim propter nos existimare te verè esse album; tu albus es, sed propter te esse album, nos hoc dicentes, verum dicimus. Idest, non propter hoc, quia meus intellectus considerat Franciscum esse album, albus est; sed quia in re ita se habet; ideò pronunciat, Franciscum esse verè album. Et Commentator, expendendo dictum Philosophi, subiungit. Manifestum est, quod qui opinatur, compositum esse compositum, vt hominem esse animal, affirmatio est vera; quia in re verum est, quod homo sit animal: & qui opinatur, diuisum esse diuisum, nimirum hominem non esse asinum, negatio eius est vera; quia ita se habet in re. Qui verò opinatur, compositum esse diuisum, idest hominem non esse animal, vel diuisum esse compositum, vt hominem esse asinum, fallitur in affirmatione, & negatione, cum ità non se habeant in re. Modò ad propositum nostrum. Si veritatem huius propositionis, verbi gratia, homo est vniuersale, adstruere debemus, inuestigandum est, an hæc secunda intentio, vniuersale, conueniat homini, & qua ratione sibi competat.

Tertio Notandum est, ex Doct. hic, q. 9. hominem, exempli gratia, significantem veram naturam, posse tripliciter considerari, scilicet prout habet esse in indiuiduis, secundum quod abstrahit ab illis, & secundum quod cognoscitur ab intellectu in ordine ad supposita, scilicet ad Petrum, Paulum, Franciscũ &c. Si consideretur primo, & secundo modo, homo nequit recipere prædicationẽ huius prædicati vniuersale; quia cum homo, primis illis duobus modis, habeat esse reale extra intellectum, & vniuersale sit secunda intentio, quæ nequit fundari nisi super prima intentione, hoc est, super obiecto cognito ab intellectu actu recto, vel reflexo, non potest esse subiectum respectu illius prædicati vniuersale. Si autem accipiatur homo tertio modo,

in quantum est cognitus in ordine ad sua supposita, cum vt sic, sit prima intentio, benè poterit esse fundamentum illius intentionis vniuersale, & sic recipere prædicationem veram denominatiuè, dicendo. Homo est vniuersale.

Quarto Notandum est, vniuersale, sicut quamlibet secundam intentionem posse dupliciter considerari, scilicet in concreto, & in abstracto. Vniuersale in concreto, significat illam secundam intentionem, scilicet prædicari de pluribus in quid, concernentem primam, scilicet hominem cognitum, animal cognitum in ordine ad plura inferiora, quibus possunt communicari. In abstracto verò, importat illam eamdem intentionem, in quantum abstrahit a prima intentione. Ex his habetur, quid sit accipere secundam intentionem vt quid, & vt modus: nam secunda intentio vt quid, est illa in abstracto accepta: vt modus verò, in concreto sumpta; siquidem, vt sic, importat modum sub quo intelligitur prima intentio, quam concernit. Modò in hac propositione, homo est vniuersale, & in consimilibus, in quibus secunda intentio prædicatur de re, non accipitur vniuersale, vel alia secunda intentio in abstracto, seù vt quid, sed in concreto; quia in tantum accidens prædicatur verè de suo subiecto, in quantum concernit illud; at vniuersale in abstracto non concernit hominem, quin potiùs abstrahit ab illo; ideò, vt possit de illo verè enunciari, debet sumi in concreto.

Quinto Notandum, ex Philosopho, primo Post. cap. 4. Propositionum indicantium veritatem, vel falsitatem, aliam esse per accidens, & aliam per se. Propositio per accidens est illa, in qua prædicatum accidit subiecto, hoc est, nō necessariò sibi conuenit, sed potest conuenire, & non conuenire: vt homo est albus, doctus, &c. quia doctrina, & albedo sunt accidentia, quæ accidunt homini, vt homo est. Per se verò propositio est illa, in qua prædicatum sub aliquo modo perseitatis conuenit subiecto. Et hæc est quadruplex, iuxta quatuor modos perseitatis. Propositio per se primo modo est illa, in qua prædicatum est de essentia subiecti: vt homo est animal; vel homo est rationalis; vel homo est animal rationale; vel homo est homo. Propositio secundo modo est illa, in qua prædicatum non est de essentia subiecti, sed eius propria passio: vt homo est risibilis. Propositio per se tertio modo est, in qua prædicatum facit subiectum independens à quocumque, quod non est ipsum: vt Franciscus est per se in camera; idest non cum alio. Vel accidens est ens per se; idest habet existentiam independentem ab existentia subiecti. Propositio quarto modo est illa, in qua subiectum est causa, quarè prædicatum sibi inest. Vt animal rationale est risibile. Siquidem animal rationale, quod est subiectum, est causa risibilitatis. Vel Franciscus albedine est albus. Dicitur per se quarto modo, quia albedo, quæ est pars subiecti, est causa, quarè albus prædicatum, insit Francisco. Ex his infertur quod cum vniuersale, vel quæuis alia secunda intentio non sit de essentia rei cognitæ actu recto, nec propria passio eius, sed accidens ab ipsa separabile, tales propositiones, in quibus intentiones prædicantur de rebus, non esse per se, sed per accidens, & denominatiuas.

Ex his, sit prima Conclusio. Hæc propositio; homo est vniuersale, animal est genus, & consimiles, in quibus intentio secunda prædicatur de prima, sunt veræ. Probatur sic à Scoto hic, q. 10. Illa propositio est vera, in qua prædicatum verè conuenit subiecto; sed vniuersale, in hac propositione, homo est vniuersale, verè conuenit homini; ergo &c. Maior patet ex secundo notabili. Minor probatur. Cuicumque conuenit diffinitio, eidem conuenit, & diffinitum; sed diffinitio vniuersalis, scilicet prædicari de pluribus, verè conuenit homini, quia prædicatur de Petro, Paulo, & cæteris hominibus; ergo etiam sibi competit vniuersale, quod est diffinitum. Maior patet per locum a diffinitione ad diffinitum. Eodem modo probatur conclusio de omnibus propositionibus, in quibus secundæ intentiones prædicantur de rebus cognitis.

Secunda Conclusio. Hæc propositio, homo est vniuersale, & consimiles, non sunt per se, primo, vel secundo modo. Probatur. Quia propositio per se primo modo est illa, in qua prædicatum est de essentia subiecti, ex Philosopho, primo post. cap. 4. sed vniuersale, vel alia secunda intentio non sunt de essentia hominis, aut alterius su-

subiecti; ergo &c. Minor probatur. Quia ens respectiuũ nõ est de essentia entis absoluti; sed homo cognitus, & quælibet alia res cognita ab intellectu actu recto, sunt entia absoluta, & vniuersale, sicut quæuis secunda intentio, sunt entia rationis respectiua; ergo vniuersale, & quælibet alia secunda intentio non sunt de essentia hominis, vel alterius rei cognitæ. Maior patet ex diffinitionibus entis relatiui, & absoluti, quæ sunt impermixtæ formaliter, vt docet Aristoteles in Prædicamentis, & quinto meth. c. de Ad aliquid. Minor probatur. Quia vniuersale, & quælibet secunda intentio cognoscuntur in ordine ad aliud, quod est esse relatiuorum; homo verò cognitus, & similes primæ intentiones ad se, quod est esse entis absoluti. Secunda pars probatur. Quia propositio per se secundo modo est illa, in qua prædicatum est propria passio subiecti, vel saltem necessariò, & inseparabiliter sibi inest, ex Aristotele loco citato; sed vniuersale, vel alia secunda intentio non est passio hominis, vel alterius rei cognitæ; ergo &c. Minor probatur. Quia passio oritur ex principijs intrinsecis subiecti, qua ratione, identificatur realiter subiecto; sed vniuersale non oritur ex principijs hominis, vel alterius rei cognitę, cum sint entia disparata, vt probatum est in præcedenti; siquidem se habent vt entia absoluta, & respectiua; ergo &c.

Tertia Conclusio. Huiusmodi propositiones, in quibus prædicantur intentiones secundæ de primis, non sunt per se tertio, vel quarto modo. Probatur prima pars. Quia propositio tertio modo est, in qua prædicatum excludit concomitantiam, & ponit solitudinem in subiecto; sed vniuersale, & quælibet secunda intentio non sunt huiusmodi respectu rerum cognitarum, seù primarum intentionum; ergo &c. maior patet ex vltimo notabili. Minor probatur. Quia tunc natura sola esset causa intentionis secundæ, puta homo solus, esset causa vniuersalis, siuè alterius secundæ intentionis; sed consequens est falsum; ergo, & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur. Quia quod inest alicui per se tertio modo, inest sibi solitariè, excludendo ab ipso quod cumquè aliud non est ipsum; ergo si vniuersale inest homini per se tertio modo, inest sibi, vt excludit quodcumquè non est ipsum, & sic solitariè. Minor probatur. Quia tunc vniuersale inesset indiuiduis hominis; sed hoc est falsum; quia indiuiduum non est vniuersale, sicut nec prædicabile de pluribus. Sequela maioris probatur. Quicquid est ab homine, vt à causa sufficienti sui esse, inest cuicumquè inest homo: patet de risibili, quod in tantum inest omnibus hominibus, in quantum est ab homine, à causa sufficienti suæ entitatis; ergo si vniuersale inest homini, & esset ab eodem, vt à causa sufficiente suæ entitatis, deberet inesse cuicumque competit homo; & sic omnibus hominibus in particulari; quia hæ sunt veræ. Petrus est homo, Paulus est homo, & sic de alijs. Secunda pars probatur. Propositio per se quarto modo est illa, in qua subiectum est causa efficiens prædicati, vel saltem includit causam efficientem eiusdem, ex quinto Notab. sed homo non est causa efficiens vniuersalis, vel alterius secundæ intentionis, sed intellectus, præsupposita tamen proprietate in re cognita, vt diximus in Tract. secundarum Intentionum; ergo hæc propositio, homo est vniuersalis, & consimiles, non sunt per se quarto modo.

Quarta Conclusio. Hæc propositio, homo est vniuersale, & consimiles, sunt propositiones denominatiuæ, & per accidens. Probatur primo. Quia omnis propositio indicatiua veritatis, vel falsitatis, aut est per se, aut per accidens; sed huiusmodi propositiones non sunt per se, vt probatum est secunda, & tertia conclusione; ergo &c. maior patet a sufficienti diuisione, quam tradit Aristoteles in primo Post. cap. 4. Secundo probatur. Quia illa propositio, in qua prædicatum accidit subiecto, & non est proprium eius, est propositio per accidens; sed tales propositiones, in quibus prædicãtur intentiones de rebus, sunt huiusmodi, ex secunda conclusione; ergo &c. Tertio. Quia si ista esset per se, homo est vniuersale; ergo omnis homo esset vniuersale, quod est absurdum. Consequentia probatur, ex Aristotele, primo posteriorum, capit. 4. Per se, præsupponit, & infert de omni; ergo si homo est per se vniuersale, omnis homo erit per se vniuersale, quod non est dicendum.

Obijcitur primo, contra primam conclusionem. Si hæc est vera; homo est species,

cies, vel vniuersale; aut esset prout homo est in indiuiduis, aut prout abstrahit ab illis; patet à sufficienti diuisione; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minoris prima pars probatur. Quia sic homo habet esse materiale, & non est capax alicuius secundæ intionis; ergo &c. Secunda pars minoris probatur. Quia in tantum hæc est vera, homo est species, in quantum prædicatur de pluribus differentibus numero; sed homo, prout abstrahit ab indiuiduis, non prædicatur de pluribus differentibus numero; ergo species non conuenit homini, prout abstrahit ab indiuiduis.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, speciem conuenire homini, vt prædicatur de pluribus differentibus numero prædicatione signata, vt sit sensus; homo, qui est species, prædicatur de pluribus differentibus numero; non tamen prædicatione exercita; quia tunc esset sensus, quod homo, secundum quod habet esse in indiuiduis, esset species, quod est falsum.

Vel dicendum cum Scoto, q. 9. Vniuers. hanc esse veram, homo est vniuersale, vel species, non prout homo habet esse in indiuiduis, vel prout abstrahit ab illis; quia sic habet esse reale independenter ab opere intellectus, sed vt est cognitus ab intellectu in comparatione ad indiuidua; & sic negatur maior, vt insufficiens; cum homo possit considerari, etiam hoc tertio modo, hoc est, secundum esse cognitum, & comparatum ad indiuidua.

Obijcitur secundo Non vera natura, nequit verè prędicari de vera natura, cum opponantur, saltem disparatè; sed vniuersale, cum sit ens rationis, significat non veram naturam; & homo cum sit realis, veram naturam; ergo vniuersale nequit prædicari verè de homine.

Respondetur, maiorem esse veram quiditatiuè, & accipiendo hominem secundùm esse materiale, vel quiditatiuum; falsam denominatiuè, & sumendo hominem secundum esse cognitum ab intellectu: quia species, vel vniuersale, quæ significant non veram naturam, prædicantur verè denominatiuè de homine accepto secundum esse cognitum.

Obijcitur tertio. Si hęc est vera; homo est species, & species est intentio; ergo etiam hæc erit vera; homo est intentio; quod tamen est omninò absurdum: quia intentio est ens rationis, & homo ens reale.

Respondetur primo, negando illam minorem; species est intetio; quia cum species accipiatur in concreto in maiori, & intentio in abstracto, nequit verè prædicari de illo, propter diuersos modos significandi; vndè non sequitur, quod homo sit intentio; quia abstractum nequit prædicari de concreto; hæc enim est falsa: homo est albedo: licet hæc sit vera; homo est albus.

Vel dicendum secundo, negando consequentiam. Quia in discursu committitur fallacia figuræ dictionis penes secundum modum, commutando modum in quid; ex eo enim quod illa dictio, species, sit eadem in maiori, & in minori, creditur etiam ibi adesse identitas in modo significandi, quod tamen est falsum; quia in maiori accipitur, vt modus, sub quo intelligitur homo, & in minori, vt quid, id est secundum propriam naturam; & sic de ea prędicatur quiditatiuè intentio secunda.

Vel dicendum tertio, minorem esse veram accipiendo speciem in concreto, & intentionem, pro intentione obiectiua; quia sic benè intentio potest prædicari denominatiuè de homine cognito, cum intentio obiectiuè sumpta, non sit aliud quam obiectum cognitum, vt diximus in Tract. secundarum Intentionum; & tunc argumentum esset simile huic. Homo est albus; sed album est coloratum; ergo homo est coloratus. Quod totum est verum denominatiuè, non formaliter.

Obijcitur quarto, contra secundam, & tertiam Conclusionem. Cuicumque inest per se diffinitio, eidem inest per se, & diffinitum; sed diffinitio speciei, scilicet prædicari de pluribus differentibus numero, competit per se homini; ergo etiam diffinitum, scilicet species, sibi competit, & consequenter hæc est per se. Homo est species &c.

Respondetur, Minorem esse veram, si ly per se, determinat inhærens, scilicet prædicatum; quia tunc facit sensum, quod prædicari per se, vt distinguitur contra prædicari per accidens, competit homini non per se, id est quiditatiuè, sed per accidens, & denominatiuè; quia cum prædicari de differentibus

bus numero sit secunda intentio, tantum per accidens competit homini cognito, & denominatiuè: falsam verò, si ly per se, determinat inhærentiam, idest totam propositionem; quia tunc esset sensus, quod hæc propositio est per se aliquo quatuor modorum; homo prædicatur de pluribus differentibus numero: quod est omninò falsum, vt visum fuit in probatione conclusionis secundæ, & tertiæ; siquidem nulla secunda intentio prædicatur per se de prima.

Obijcitur quinto. Quod est per se intelligibile, est per se vniuersale; sed homo est per se intelligibilis; ergo est per se vniuersale; ergo per se species. Maior probatur. Quia singulare pro statu isto non est per se intelligibile, vt docet Scotus, in 2. dist. 3. quæst. 6. & 8. & in lib. de Anima quæst. 22. Minor patet. Quia intelligibilitas est passio entis, & consequenter cuiuslibet entis; modo homo est ens; ergo, &c.

Respondetur, maiorem esse veram, si ly per se, determinat inhærens, idest prædicatum, vel subiectum; quia tunc facit sensum verum, scilicet quod vniuersale per se, idest ratione sui, intelligatur: falsam verò, si determinat inhærentiam, idest totam propositionem; quia tunc esset sensus falsus, scilicet quod hæc esset per se: quodlibet intelligibile est vniuersale, vel per se vniuersale: quod est falsum; quia etiam singulare est intelligibile ab intellectu considerato ex natura potentiæ; deindè entia realia sunt intelligibilia, & tamen non sunt per se vniuersalia, sed tantum per accidens, vt dictum est de homine.

Obijcitur sexto, probando quod sit per se, saltem quarto modo. Quia quando subiectum est causa inhærentiæ prædicati ad seipsum, propositio est in quarto modo; sed in hac propositione, homo est vniuersale, subiectum est huiusmodi; ergo est per se in quarto modo. Maior patet. Minor probatur. Quia homo dicit naturam communicabile pluribus; sed huiusmodi communicabilitas est causa, quarè prædicatum inest homini, scilicet vniuersale; ergo. Minor probatur. Quia secunda intentio nequit applicari primæ, nisi præsupposita proprietate sibi conuenienti in prima, cum hæc sit ratio fundandi relationem rationis, quam dicit secunda intentio; sed communicabilitas pluribus in natura humana est ratio fundandi in homine secundam intentionem vniuersalis, vt omnes fatentur; ergo.

Respondetur, minorem, & probationem esse veram de causa motiua, seù occasionatiua, non de efficienti, quæ requiritur ad hoc, vt propositio sit in quarto modo; modò licet huiusmodi communicabilitas pluribus in natura humana, sit ratio fundandi hanc secundam intentionem vniuersalis, vel speciei in homine, cum sit ratio motiua, seù occasionatiua ad hoc, vt intellectus causet illam secundam intentionem, non est tamen causa efficiens eiusdem; quia talis est tantum intellectus, ideò nequit conuinci, vt sit per se in quarto modo.

Obijcitur septimo, contra quartam conclusionem. Propositio per accidens est, in qua prædicatum accidit subiecto; sed vniuersale non accidit homini; ergo hæc propositio, homo est vniuersale, non est per accidens. Minor probatur. Quod accidit alicui, conuenit ei, vt accidens; sed vniuersale non conuenit homini, vt accidens, sed secundum quod abstrahitur ab omni accidente; ergo &c. Minor probatur. Quia vniuersale conuenit homini, vt non habet in indiuiduis esse, & existere, ex præcedenti; sed accidens inest subiecto, vt habet esse in indiuiduis; ergo vniuersale non conuenit homini, vt accidens.

Respondetur negando minorem. Ad probationem, nego iterum minorem. Ad probationem dico, minorem esse veram de accidente reali, non de intentionali, seù, quod est ens rationis, cuiusmodi est vniuersale. Quia tale non inest homini, nec vt habet esse in indiuiduis, nec vt abstrahit ab illis; hoc est, vt habet esse quiditatiuum, sed tantum prout est cognitus ab intellectu per actum comparatiuum in ordine ad indiuidua: vnde sequitur, inesse illi, vt accidens rationis, non reale.

(∴)

Vtrum Vniuersalia sint tantum quinquè?

QVÆSTIO VIII.

Circa hanc vltimam quæstionem de Vniuersali, vt sic, secundum se nulla reperitur controuersia; omnes enim secuti Porphyrium, cap. primo, & secundo huius primi Tractatus, docent, tantum quinquè esse vniuersalia. In assignando tamen eorum sufficientiam, aliqui, quos sine nomine citat, & impugnat Doctor Subt. hic, q. 12. disconueniunt. Cæterum, quia lis est parui momenti, nec adeò vtilis existit, quin forsan, ob eius prolixitatem, non parum affert detrimenti; idcò omittenda nobis videtur, & ad veram quæstionis, secundum mentem Doctoris, intelligentiam properandum; vndè pro eiusdem declaratione.

Primo notandum est, hic non agi de Vniuersalibus pro prima intentione, vt sunt animal cognitum, homo cognitus, rationale cognitum, risibile cognitum, & album cognitum, actu recto, vel reflexo intellectus, sed de eisdem pro secunda intentione, scilicet de genere, specie, differentia, proprio, & accidente, in quantum sunt quædam intentiones fabricatæ per opus collatiuum nostri intellectus, & ab eodem, vniuersalibus pro prima intentione, suppositæ in eisdem correspondente proprietate, attributæ, seù applicatæ; & quæritur. An sint tantum quinque, ità vt nec plura sint, aut pauciora quinque.

Secundo notandum est, quod ly tantum, cum sit dictio exponibilis gratia exceptionis, tripliciter potest exponi, scilicet gratia infinitatis, gratia alietatis, & gratia pluralitatis. Primo modo sic exponitur. Vniuersalia sunt tantum quinquè, idest, vniuersalia sunt quinquè, & nihil non quinquè est vniuersale. Et hic sensus est falsus; quia genus, & species, sunt non quinquè, & tamen sunt vniuersalia. Secundo modo sic exponitur. Vniuersalia sunt tantum quinquè, idest, vniuersalia sunt quinquè, & nihil aliud ab his quinque est vniuersale. Et hic sensus pariter est falsus; quia genus, & species, sunt alia à quinque, quia sunt duo, & tamen sunt vniuersalia. Tertio modo tandem sic exponitur. Vniuersalia sunt tantum quinquè, idest, vniuersalia sunt quinquè, & non sunt plura quam quinque, vel pauciora; ergo sunt tantum quinque. Et hic sensus est verus, sicquè intelligitur titulus quæstionis.

Tertio notandum est, sufficientiam horum quinque vniuersalium assignari a Doctore Subt. in litera, ratione de ly prædicari, quod diximus esse genus ad quinque vniuersalia; siquidem diuiditur per prædicari in quid, & in quale, tamquam per differentias per se disparatas, cum sint primi modi prædicandi. Vndè prædicati in quid, est prædicari essentiam per modum essentiæ, idest per modum per se stantis, & non alteri inhærentis, vel aliud denominantis. Et hoc est duplex, scilicet prædicari totam essentiam subiecti, idest inferioris, & prædicari partem essentiæ eiusdem per modum per se stantis. Si accipiatur primo modo, sic habetur secundum vniuersale, scilicet species, quæ dicit totam essentiam indiuiduorum: vt homo dicit totam Petri essentiam; quia in ipso nil aliud, præter hominem, essentialiter includitur. Si verò sumatur secundo modo, tunc datur genus primum vniuersale; quia genus dicit tantũ vnam partem essentiæ speciei, vt patet de animali respectu hominis. Prædicari autem in quale, est prædicari per modum qualis, seù per modum denominantis. Et est duplex. Prædicari in quale essentiale, & accidentale. Prædicari in quale essentiale, est prædicari essentiam per modum qualis, seu per modum denominantis. Et sic habetur tertium vniuersale, scilicet differentia, quæ dicit essentiam speciei, non per modum per se stantis, sed alteri inhærentis; quia inquit Porphyrius. Differentia adueniens generi, constituit speciem. Vt patet de rationali, respectu animalis, & hominis. Prædicati verò in quale accidentale, est duplex, scilicet conuertibile, & inseparabile a subiecto; & non conuertibile, ac separabile. Prædicari in quale accidentale primo modo, constituit proprium, quartum vniuersale, vt patet de risibili, quod per nullam potẽtiam potest separari ab homine. Prędicabile verò in quale accidentale secundo modo, constituit quintum prædicabile, seù vniuersale, quod dicitur accidens. Vt patet de albo, quod

quod prædicatur de pariete, & lapide, seù ligno accidentaliter, & non conuertibiliter; quia licet valeat dicere, paries est albus, non tamen sequitur; ergo omne album est paries; quia albedo posset concernere lignum, & illud denominare, & non parietem. Cùm igitur multiplicatio, & diuersitas vniuersalium desumatur ex multiplicitate, & diuersitate modorum prædicandi, & non inueniatur alius modus prædicandi, præter dictos quinque, consequenter nec aliud vniuersale supererit his quinquè; & sic tantum erunt quinquè vniuersalia; & non plura, vel pauciora.

Ex his, fit Conclusio. Vniuersalia pro secunda intentione, sunt tantum quinquè, & non plura, nec pauciora; scilicet, genus, species, differentia, proprium, & accidens. Probatur primo auctoritate Porphyrij, c. 2. huius tractatus dicentis. Illa, quæ de pluribus prædicantur, vt sunt vniuersalia, esse genera, species, differẽtias, propria, & accidentia. Secundo probatur ratione Doctoris Subt. Tot sunt vniuersalia, quot sunt modi prædicandi diuersi; sed tales sunt tantum quinquè; ergo vniuersalia sunt tantum quinquè. Maior patet. Quia diuersitas vniuersalium desumitur ex diuersitate modi prædicandi, cum se habeant, vt differentiæ essentiales, diuidentes prædicari, vt genus, & constituentes vniuersalia, veluti species. Minor pariter est manifesta, ex his, quæ diximus in tertio notabili.

Obijcies tamen primo, contra conclusionem, ex litera Doctoris. Quot sunt prædicata, tot sunt prædicabilia; quia non videntur differre inter se, nisi per actum, & aptitudinem prædicandi; sed prædicata sunt tantum quatuor, ex Aristotele, primo Topicorum, cap. 3. & quarto; ergo totidem pariter erunt vniuersalia, seù prædicabilia.

Respondetur. Aliter assignari sufficientiam prædicatorum ab Aristotele, & aliter à Porphyrio hic. Nàm Aristoteles distinguit prædicata per prædicari essentiam, & non prædicari essentiam, conuertibiliter, & non conuertibiliter. Prædicari autem essentiam, cum contingat dupliciter, scilicet conuertibiliter, ratione cuius datur secundum prædicatum, scilicet diffinitio, quæ dicit essentiam speciei conuertibiliter; valet enim dicere: omnis homo est animal rationale, & omne animal rationale est homo: & non conuertibiliter, ratione cuius datur primum prædicatum, scilicet genus; quod licet dicat essentiam speciei, non tamen conuertibiliter; quia licet valeat hæc propositio: omnis homo est animal: non tamen conuertitur; ergo omne animal est homo. Similiter prædicari non essentiam, sed accidens, cum dupliciter accidat, scilicet prædicari conuertibiliter; per quod denotatur proprium tertium prædicatum; & non conuertibiliter, per quod innuitur accidens; ideò concludit esse tantum quatuor prædicata, cum non inueniantur plures modi prędicandi essentiam, & non essentiam, conuertibiliter, & non conuertibiliter, quam quatuor prædicti. Cæterùm Porphyrius, cum distinguat vniuersalia, seù prædicabilia, per prædicari in quid, & in quale, quæ in quinque modos prædicandi diuiduntur; ideò quinque erunt vniuersalia, & non plura, nec pauciora.

Formaliter ad argumentum, negò maiorem. Ad probationem, concedo illam; sed inde non sequitur, esse tantum quatuor prædicabilia, sicut quatuor sunt prædicata, cum aliter assigneiur eorum sufficientia ab Aristotele, & Porphyrio, vt demonstratum est.

Obijcies secundo. Quot modis dicitur vnum oppositorũ, tot modis dicitur, & reliquum; sed vniuersale, & singulare sunt opposita, & singularia sunt ferè infinita; ergo & vniuersalia. Maior est Aristotelis, primo Topicorum, cap. 13. Minor patet ad sensũ.

Respondetur, duplicia esse opposita, scilicet secundum se, & secundum sua significata: exemplum priorum. Ens reale, & ens rationis opponuntur tantum secundum se, idest secundum suas diffinitiones; quia vnũ habet esse præter opus intellectus, & aliud dependenter ab opere eiusdem: non tamen secundum omnem suam significationem; quia tunc sicut ens reale diuiditur in substantiam, & accidens, & ens rationis deberet sic diuidi, quod est falsum. Exemplum posteriorum. Vt sanum, & ægrum; quæ nedum secundum se opponuntur, cum in eodem simul minimè reperiri valeant, sed etiam secundum suas significationes; quia sicut sanũ dicitur de tribus, scilicet de animali, vt de subiecto sanitatis; de dieta, vt de

causa sanitatis; & de vrina, vt de signo sanitatis; ita etiam ægrum dicitur de eisdem. Modò vniuersale, & singulare opponuntur tantum secundum se, & non secundum suas significationes; ideò non sequitur. Vniuersalia esse penè infinita, si singularia sint talia; quia auctoritas Aristotelis habet veritatem de oppositis secundo, non primo modo acceptis.

Respondetur ergo formaliter ad argumentum, maiorem esse veram de oppositis secundum se, & suam significationem simul; non tamen de oppositis tantum secundum se, vt sunt vniuersale, & singulare.

Obijcies tertio. Indiuiduum est vniuersale, quia prædicatur de hoc, & illo indiuiduo; sed non est aliquod istorum quinque; ergo vniuersalia sunt plura, quàm quinquè.

Respondetur, maiorem esse veram, sumendo vniuersale, vt modus, seù denominatiuè; non tamen accipiendo illud, vt quid, & secundum esse quiditatiuum. Vnde sequitur, indiuiduum esse speciem, vt modus; quia induit modum prædicandi speciei, scilicet de pluribus differentibus numero, prędicatione signata, quæ sufficit, vt dicatur vniuersale pro secunda intentione.

Obijcies quarto. Ens est vniuersale; sed non est aliquod horum quinquè; ergo sunt plura vniuersalia, quàm quinquè. Maior patet. Quia ens prędicatur de pluribus. Minor probatur inductiuè. Non est genus, per Philosophum, tertio Meth. c. 10. nec species; quia tunc haberet aliquid supra se, quod esset genus, quod est falsum: nec aliquod aliorum trium; quia illa prædicantur in quale, ens verò dicitur in quid de omnibus entibus, ex Aristotele, 8. Meth. t. c. vltimo; ergo non est aliquod istorum quinquè.

Respondetur ens esse vniuersale illimitatum, non tamen limitatum, de quo procedit nostra Conclusio. Modo, loquendo de vniuersali limitato, sicut ens non est vniuersale, sic nec augere potest numerum vniuersalium, vt sint plura, quam quinquè.

Obijcies quinto. Diffinitio est vniuersale cum prædicetur de pluribus; sed non est aliquod istorum quinquè; ergo sunt plura quinquè. Minor probatur inductiuè. Non genus, vel species; quia hæc tantum in quid prædicantur, differentia vero in quale quid. Nec aliquod aliorum trium; quia illa prædicantur tantum in quale, diffinitio verò prædicatur etiam in quid; ergo non est aliquod istorum quinquè.

Respondetur, negando maiorem. Ad probationem dico, vt aliquid sit vniuersale, non tantum debet prædicari de pluribus, sed etiam debet habere vnum modum prędicandi tantum, scilicet vel in quid, vel in quale dumtaxat: modò cum diffinitio habeat plures modos prædicandi, scilicet in quid, ratione generis, & in quale, ratione differentiæ ex quibus constat, ideò nequit constituere vniuersale distinctum ab his quinquè. Addo, quod vniuersale debet esse aliquid incomplexum; modò cum diffinitio non sit quid incomplexum, constat enim ex genere, & differentia, & secundum Aristotelem, septimo meth. t. c. 42 est oratio longa, sequitur diffinitionem non posset dici vniuersale, & consequenter nec augere numerum Vniuersalium vltra quinquè.

De Genere.

CAPVT II.

CVm in præcedenti capite Porphyrius, quasi exordiendo suum tractatum, proposuerit se velle pertractare de quinque Vniuersalibus, scilicet de genere, specie, differentia, proprio, & accidente; in hoc secundo, & sequentibus, intentum prosequitur, declarando vniuscuiusque naturam. Cùm autem Genus, inter cętera, participet perfectiori modo rationem Vniuersalis, scilicet prædicari de pluribus; ideò primo loco declarat naturam Generis, pręmittendo tamen prius eiusdem varias acceptiones.

Hoc caput diuiditur in duas partes principales; in quarum prima agit de tribus acceptionibus Generis: & incipit ibi. Genus enim est aliquorum quodammodo &c. in secunda vero tradit diffinitionem Generis logici, qua incipit ibi. Tripliciter igitur cum genus dicatur, de tertio apud Philosophos est sermo, quod etiam describentes, &c.

Quoad primam partem. Genus tripliciter accipitur. Vno modo pro collectione aliquorum quodammodo se habentium ad inuicē, & ad vnū principiū. Vt collectio Romano-

norum, dicitur genus Romanorum; quia omnes dicunt habitudinem ad Romulum, à quo traxerunt originem, vt ab vno principio. Similiter collectio multorum ex eadem familia, seu prosapia, dicitur genus hoc modo; quia dicunt habitudinem cognationis, seu parentelæ adinuicem. Secundo modo dicitur genus, de principio generationis, vel conseruationis. Et sic pater habens plures filios, dicitur genus illorum; quomodo dicere possumus, Aristotelem esse ex genere Nicomachi, & Orestem, ex Tantalo habere genus. Similiter Vicentia, dicitur genus Vicentinorum ibi commorantium; quia hic conseruantur. Et in hoc sensu locutus fuit Virgilius dum dixit. Mantua me genuit, &c. Tertio modo accipitur Genus pro eo, cui supponitur species, & sic animal dicitur genus; quia sub ipso collocantur species hominis, leonis, &c.

Deindè comparat Genus hoc modo sumptum, ad Genus primo modo acceptum, dicens, habere similitudinem cum eo; quia sicut illud est collectio aliquorum se habentium ad vnum principium, sic Genus tertio modo dicit collectionem multarum specierum ordinatarum ad ipsum, vt ad vnum primum. Comparat etiam illud cum Genere secundo modo sumptum; quia sicut illud est principium generationis quorumdam, ita Genus tertio modo, dicitur esse principium multarum specierum, quæ sub ipso continentur.

Quoad secundam Partem, restat dicere de quo genere sit ad propositum; quod præstat Porphyrius dum dicit. Tripliciter igitur cum dicatur Genus, de tertio apud Philosophos sermo est, quod sic diffinitur. Genus est quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid est prædicatur. Vt animal de homine, leone, equo &c. quam diffinitionem declarat per comparationem ad reliqua Vniuersalia.

Sed antequam incipiat huiusmodi declarationem, præmittit quamdam diuisionem Prædicabilis in communi, dicendo. Eorum, quæ prædicantur, quædam tantum de vno solo dicuntur; vt sunt indiuidua, scilicet Socrates, Plato, Aristoteles &c. quædam verò de pluribus prædicantur; vt genus, species, differentia, proprium, & accidens, & hæc dicuntur Vniuersalia. Exemplificat de omnibus subiungendo. Est autem genus, vt animal; species verò, vt homo; differentia autem, vt rationale; proprium, vt risibile; & accidens, vt album, nigrum &c.

Tamdem declarat diffinitionem Generis, quoad omnes particulas, comparando ipsum ad omnia, quæ prædicantur, siuè de pluribus, siuè de vno solo. Primo Differt Genus ab indiuiduis; quia indiuiduū, tantum de vno solo, Genus verò de pluribus prædicatur. Secundo Differt à specie; quia genus prædicatur de pluribus differentibus specie; species verò de pluribus differētibus numero tantum prædicatur. Tertio differt à proprio; quia proprium de vna sola specie prædicatur, & de indiuiduis ad ipsam: vt risibile de homine, & eius singularibus, genus autem de pluribus speciebus prædicatur. Quarto differt à differentia, & accidente; quia hæc de pluribus in quale prædicantur, genus verò de pluribus in quid dicitur.

Deniquè declarat, quid sit prædicari in quid, & in quale, dicens. Illud dicitur prædicari in quid, per quod conuenienter respondetur ad interrogationem factam per quid; vt si quæratur, quid est homo? respondetur est animal; igitur animal prædicatur in quid de homine. Illud verò prædicatur in quale, per quod conuenienter respondetur ad interrogationem factam per quale; vt si quæratur, qualis est homo? Respondetur, est rationalis, vel risibilis, aut doctus; igitur illa tria dicuntur prædicari in quale de homine.

Posteà dicit, quod prædicari in quid, conuenit tantum duobus Vniuersalibus, scilicet generi, & speciei; prædicari verò in quale, reliquis tribus, scilicet differentiæ, proprio, & accidenti. Finaliter epilogat declarationem dicens. Cum igitur prædicari de pluribus differentibus specie in quid, tantum competat ipsi generi, & faciat ipsum differre à quocumque non est genus, restat, vt diffinitio data, sit bona; quia nihil superfluum, diminutumque continet.

De Naturâ Generis.

DISPVTATIO III.

Vtrum per hanc Diffinitionem. Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. Diffiniatur Genus pro prima, an pro secunda Intentione, vel vtrumque?

QVÆSTIO I.

ANte hanc quæstionem, quam tangit Scotus, q. 14. Vniuersalium, quæri solet. An locus sit principium generationis, quemadmodum, & pater. Quæ difficultas oritur ex litera Porphyrij dicentis, Patriam esse principium generationis, sicuti & pater. At quia quæstio supponit doctrinam logicalem, quam modò quærimus inuestigare; & procedit philosophicè; ideò differenda est vsque ad quartum librum Physicorum, vbi peculiariter agendo de loco, comodius discuti licebit.

Ad propositam autem quæstionem respondent Tolet. q. 1 in cap. de Genere, Ruuius ibi, q. 2. hic diffiniri naturam Generis pro prima intentione, prout tamen substat secundæ. Quod idem est dicere, aggregatum ex prima, & secunda intentione hic diffiniri. Pro hac sententia citantur à Ruuio, D. Tho. in opusc. de Ente, & Essentia, cap. 4. Iauellus in log. tit. 4. cap. 2. Paulus Venetus, cap. de Genere, & Sotus ibi; quibus possunt addi Moris. disput. 2. art. 2. Amicus. tract. 5. q. 1. dub. 5. & Auersa q. 10. sect. 2. relati à Mastrio, disputat. 5. q. 1. art. 1. n. 5.

Oppositum tamen, quod defenditur à Scoto, loco citato, est longè verius; nimirum hic diffiniri Genus pro secunda intentione, & non prima, nec aggregatum ex illis; cum logicus per se consideret tantum secundas intentiones. Scotum sequuntur omnes eius Discipuli, vt Mauritius, Anglicus, Brasanolus, Sarnanus hic, q. 14. & alij, tum Scotistæ, tum ex Thomistis, quos refert, & sequitur Mastrius loco citato; à quibus non videtur esse alienus Caietanus, citatus à Ruuio, de Ente, & essentia, capit. 4. licet in modo explicandi veram sententiam, à veritate aberrare videatur.

Pro cuius intelligentia, & fundamento, primo notandum est, ex Doct. Subt. hic in corp. quæst. Genus tripliciter considerati, scilicet pro materiali, pro formali, & pro aggregato. Genus pro materiali, importat primam intentionem, prout est fundamentum secundæ intentionis: vt animal cognitum actu recto. Genus pro formali, dicit secundam intentionem concernentem primam: vt prædicari de pluribus differentibus specie in quid, vt afficit animal cognitum in ordine ad hominem, leonem, equum, &c. Genus pro aggregato, dicitur illud, quod coalescit ex genere pro materiali, & pro formali acceptis. Genus primo modo, consideratur per se à methaphysico, & per accidens à logico, in quantum est fundamentum generis pro formali. Secundo modo consideratur per se à logico tantum, & per accidens a methaphysico. Tertio modo, à nullo consideratur; quia cum sit ens per accidens, de eo nequit esse diffinitio, vel scientia.

Secundo notandum, ex eodem Doct. ibidem. Genus pro formali, dupliciter sumi posse, scilicet in abstracto, & inconcreto. Primo modo significat secundam intentionem generis, abstrahentem à prima, scilicet prædicari de pluribus differentibus specie in quid, abstrahentem ab animali cognito comparatiuè in ordine ad sua inferiora. Secundo modo importat eamdem secundam intentionem concernentem primam; & de genere hoc modo accepto est sermo in proposito; quia logicus considerat secundas intentiones, applicabiles primis intentionibus, idest concernentes primas.

Tertio notandum, ex eodem ibidem; quod cum prædicari, prædicatum, & prædicabile veniant à verbo prædicor, prædicaris, quod est nomen entis rationis, per se competunt tantum secundis intentionibus, & per accidens primis; ità esse, cum deriuetur à verbo sum, es, est, quod est nomen substantiale, per se conuenit primis intentionibus, per accidens verò secundis, prout nimirum gerunt vicem primarum intentionum. Istæ enim propositiones sunt per accidens: genus est vniuersale; genus est spe-

species; hæ verò per se: genus prædicatur de pluribus: species prædicatur de pluribus. Similiter, hæc est per se: homo est animal; hæc verò per accidens : animal prædicatur de homine, leone, equo &c. ex quibus sequitur, prædicationem signatam, cum fiat per verbum prædicari, dici, vel aliud æquiualens, tantum per se competere secundis intentionibus, & per accidens primis : Prædicationem verò exercitam , cùm fiat per verbum est , tantum conuenire per se primis intentionibus , per accidens verò secundis.

Quarto notandum, ex eodem ibidem; quòd cum secundæ intentiones concretiuè sumptæ, supponant pro primis ; vt genus supponit pro animali cognito, sicut album pro pariete, licet principaliter significent secundam intentionem ; sicut album, de principali significato importat albedinem, & secundariò subiectum eiusdem, à prædicatione in secundis intentionibus ad exercitam in primis, valet consequentia dicendo: genus prædicatur de speciebus; ergo homo est animal, leo est animal, &c. licet à signata ad exercitam, non valet consequentia formalis in eisdem terminis , siuè primæ, siuè secundæ intentionis; vndè non sequitur: genus prædicatur de specie ; ergo species est genus. Dicitur notanter, non valere consequentiam formalem ; quia loquendo de consequentia materiali , tenet argumentatio, etiam in eisdem terminis; valet enim dicere : animal prædicatur de homine; ergo homo est animal Hoc autem verificatur solum ratione identitatis, vel inclusionis essentialis prędicati in subiecto ; animal enim includitur essentialiter in homine. Similiter etiam hoc argumentum. Omne risibile est animal; omnis homo est animal; ergo omnis homo est risibilis, vel omne risibile est homo. Quia valet tantum ratione identitatis risibilis cum homine, & ratione inclusionis animalis in vtrisquè, cum consequentia non sit formalis ; nam in secunda figura, ex puris affirmatiuis nihil sequitur de forma , licet aliquid sequatur de materia , vt exemplificatum est.

Ex his , fit prima Conclusio. Per hanc diffinitionē. Genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. Non diffinitur genus pro prima intentione, seù res substracta generi pro secunda intentione. Probatur sic à Doctore. Illud, quod diffinitur hic, debet conuenire vniuocè rebus omnium generum ; sed nulla res substracta , seù pro prima intentione, huiusmodi potest esse; ergo. Maior patet. Quia genera debent habere hanc diffinitionem. Minor probatur. Quia nulla res, communis rebus omnium generum datur, preter ens; sed hoc tale non est vniuocum logicè decem prædicamentis, cum non sit limitatum, sed illimitatum ad illa; ergo &c.

Si dicatur, negando maiorem; & ad probationem dicendo, non requiri, vt illa res, quæ hic diffinitur, habeat vnitatem vniuocationis logicæ , sed sufficit , vt habeat vnitatem proportionis rebus omnium generum.

Contra. Quia id , quod diffinitur hic, & alibi, debet habere vnum genus, & similiter vnam differentiam contrahentem tale genus; siquidem diffinitio constat ex genere, & differentia; sed illa quæ habent vnitatem proportionis, non habent aliquod vnum genus commune , nec vnam differentiam contrahentem; ergo &c. Minor probatur. Quia rebus diuersorum generum, non datur aliquod vnum genus commune proximum, & vna differentia; sed illa , quæ habent vnitatem proportionis sæpè sunt diuersorum generum, vt patet in his ; sicut se habet animal ad hominem, & leonem, ità color ad album, & nigrum, quæ sunt diuersorum generum, & tamen proportionantur ad inuicem; ergo illa, quæ habent vnitatem proportionis, vt plurimum non habent aliquod genus commune, vt possint diffiniri. Secundo probatur conclusio. Nullum ens per accidens diffinitur, ex Philosopho, primo post. & 7. Meth. sed genus pro prima intentione, vt substat secundæ, est ens per accidens, cum dicat aggregatum ex prima & secunda intentione, & sic ex absoluto, & respectiuo; ergo &c.

Secunda Conclusio. Genus pro aggregato, hic non est diffinitum. Probatur. Quia ens per accidens non potest diffiniri, cum non habeat vnitatem vniuocationis logicæ saltem; sed genus vt includit primam, & secundam intentionē simul, est ens per accidens, quia dicit aggregatum ex ente rationis absoluto , cuiusmodi est prima intentio, & respectiuo , qualiter est secunda

intentio ; ergo vt sic , nequit diffiniri .

Tertia Conclusio. Diffinitum in hac diffinitione est Genus pro formali, idest pro secunda intentione, non in abstracto, sed in concreto. Probatur. Quia illud hic diffinitur, cui per se primo inest hæc diffinitio; sed generi pro secunda intentione concretiuè sumpto, tantum per se inest hæc diffinitio; ergo &c. Minor probatur. Quia diffinitio datur per prædicari de pluribus; sed ly prædicari, tantum per se conuenit secundis intentionibus, & per accidens primis, vt diximus not. 3 ergo tantum generi pro secunda intentione per se conuenit hæc diffinitio. Secunda pars probatur. Id solum diffinitur hic, quod per se consideratur à logico; sed solum genus pro secunda intentione in concreto, & non in abstracto, consideratur per se à logico; ergo tale solùm hic diffinitur. Maior patet. Quia modus considerandi, sumitur à modo diffiniendi, ex Philosopho, sexto Meth. t. c. 2. Minor patet ex Auicenna, & Boetio dicentibus, logicum considerare secundas intentiones applicatas primis; ergo, & genus applicatum, verbi gratia animali cognito: sed vt sic sumitur genus in concreto ; ergo &c. Confirmatur. Quia secundæ intentiones in abstracto considerantur à Methaphysico, qui considerat omnium entium quiditates; sed secundæ intentiones in abstracto sumptæ, accipiuntur secundum suas quiditates; ergo non considerantur a logico.

Obijcies tamen primo contra hanc conclusionem. Illud, quod diffinitur hic, prædicatur in quid de re; sed nulla intentio prædicatur in quid de re ; ergo nulla intentio hic diffinitur, & per consequens nec genus pro secunda intentione acceptum. Maior patet ex diffinitione generis. Minor probatur. Quia nullum accidens prædicatur in quid de re; sed omnis secunda intentio est accidens; ergo nulla secunda intentio prædicatur in quid de re.

Respondetur, Maiorem, & eius probationem esse veram, si ly in quid, determinat inhærens, idest prædicatum; quia tunc est sensus, quod prædicari in quid, competit intentioni, quæ hic diffinitur, per se, vt distinguitur contra per accidens, non tamen quiditatiuè de re, sed denominatiuè solum ; falsam verò si ly in quid, determinat inhærentiam, idest totam propositionem; quia tunc esset sensus, hic diffiniri intentionem, quæ esset de quiditate rei, quod est falsum ; quia nulla secunda intentio est de quiditate rei, seù primæ intentionis.

Vel dicendum secundo, maiorem esse veram de prædicatione signata, non de exercita; minorem verò esse falsam de prędicatione signata, veram de exercita; modo hic est sermo de prædicatione signata, & non de exercita.

Obijcitur secundo. Illud, quod diffinitur hic, prædicatur de pluribus differentibus specie in quid; sed genus pro secunda intentione non prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, quia prædicatur tantum de hoc, & illo genere, vt applicatur, verbi gratia, animali cognito, & colori cognito, quæ differunt numero, & non specie; ergo.

Respondetur ex Doctore Subtili, vt ad præcedens; maiorem esse veram, prout ly in quid, determinat inhærens, non tamen prout determinat inhærentiam. Quia propositiones, in quibus prædicantur intentiones, non sunt quiditatiuæ, nisi respectu huius, & illius intentionis, quæ differunt tantum numero; modo cum dicimus, genus prædicari de pluribus differentibus specie in quid: debet intelligi, prout ly in quid, determinat inhærens, scilicet ly prædicari, vt si sensus, quod prædicari in quid, conuenit vni naturæ, quæ habet sub se plures species, quod est verùm.

Vel dicendum secundo. Maiorem esse veram de prædicatione signata, falsam de exercita; & minorem esse falsam de signata, veram de exercita: modo prædicta diffinitio intelligenda est de prædicatione signata, non de exercita.

Obijcies tertio. Genus, quod hic diffinitur, prædicatur in quid de specie; sed genus pro secunda intentione non prædicatur in quid de specie, cum sint duæ species disparatæ, contentæ sub vniuersali in communi; ergo hic non diffinitur genus pro secunda intentione.

Respondetur, minorem esse veram, prout ly in quid, determinat inhærentiam, non tamen vt determinat inhærens; quia sic genus, quamuis secunda intentio disparata, cum specie potest prædicari de illa in quid de-

denominatiuè, vt dictum est in Tractat. secundarum Intentionum, cap. vltimo.

Vel dicendum secundo. Minorem esse veram de prædicatione exercita; quia hæc est falsa: species est genus: falsam tamen de signata; quia sic secunda intentio disparata, potest prædicari etiam in quid de sua disparata; quia tunc ly in quid prædicari, accipitur, vt modus, non vt quid.

Obijcies quarto Porphyrium, cap. de Genere, exemplificantem de animali respectu generis, de homine respectu speciei; ergo signum est, hic diffiniri genus pro prima intentione, scilicet natura communis substracta generi; aliter exempla non essent ad propositum.

Respondetur, negando consequentiam. Nam Porphyrius exēplificauit de genere, & specie pro prima intentione, non quod tradiderit de illis diffinitiones, sed vt cum illa sint nobis manifestiora, magis etiam conducant ad cognitionem secundarum intentionum; siquidem exempla dantur, non quod ita sint, sed vt audientes addiscant.

Obijcies quinto. Concretum supponit pro supposito, si est substantiale; vel pro subiecto, si est accidentale, vt patet de albo, quod supponit pro pariete, vel ligno; ergo si genus hic diffinitur in concreto, dicendum est diffiniri naturam communem substractam generi pro secunda intentione, & non intentionem ipsam.

Respondetur, maiorem esse veram de concreto pro materiali sumpto, non tamen pro formali; quia sic importat formam concernentem suppositum, vel subiectum; modò hic diffinitur genus in concreto, pro formali accepto, vt dictum est notabili primo, & secundo: vt sic enim significat secundam intentionem, scilicet prædicari de pluribus differentibus specie in quid; concernentem naturam cognitam, verbi gratia animalis, in ordine ad suas species, scilicet hominem, leonem, equum, &c.

Vtrum Diffinitio Generis, per prædicari de pluribus differentibus specie in quid, sit conuenienter data à Porphyrio?

QVÆSTIO II.

Hanc diffinitionem esse descriptiuam defendunt multi, tum moderni, tùm Antiqui; vt Ammonius, Albertus Magn. tractat. 3. Prædicab. cap. 34. Sotus hic, quæst. vn. §. Vltimo. Toletus, quæst. 2. Ruuius, quæst. 3. Conimbr. quæst. 1. art. 2. & omnes, qui docent, prædicari de pluribus esse passionem vniuersalis, & non quiditatem illius.

Oppositum tamen docent D. Thom. de ente, & essentia, c. 4. vbi Caietanus: & hic, q. prima de genere. Scotus, quæst. 15. Vniuersalium, quem sequuntur omnes Scotistæ; licet Mastrius hic videatur dubitare; siquidem cum superius docuerit, vniuersale constitui per esse vnum in multis, & prædicari de multis esse passionem eiusdem, habet dicere consequenter ad illa, hanc diffinitionem non esse quiditatiuam, sed descriptiuam. Tamen, nè videatur aberrare à Magistro, fatetur, & ipse verbis, esse quiditatiuam, saltem per additamentum. Quod, vt fiat manifestius, & euerti possit opposita sententia.

Primo notandum est, seu potiùs memoriæ reuocandum id totum, quod de duplici diffinitione, scilicet quid nominis, & quid rei, tradidimus in primo Antepraedicamento in generali, in Summul. tract. primo, sect. tertia. Siquidem hic loquimur de diffinitione quid rei, & non de quid nominis.

Secundo Notandum est, diffinitionem quid rei esse duplicem, scilicet quiditatiuam, & descriptiuam. Prior datur per essentialia, quibus indicatur quiditas, & essentia rei diffinitæ, vt hæc. Homo est animal rationale. Indicat apertè naturam hominis per genus, & differētiam, scilicet per animal, & rationale. Posterior verò datur per aliquod, quod non est de essentia rei diffinitæ, sed vel eius passio, vel accidens commune. Vt homo est animal risibile. Nā licet animal explicet partē essentiæ hominis potentialē, tamē risibile, cum sit passio,

non pertinet ad eius quiditatem: similiter in hac. Homo est animal disciplinæ capax. Indicatur natura hominis per aliquid, quod sibi accidit, scilicet per esse capax disciplinæ.

Tertio notandum est, vtramque diffinitionē esse duplicem, scilicet puram, & non puram. Diffinitio purè quiditatiua est illa, inqua nihil ponitur impertinens ad essentiam rei diffinitæ;& ista datur per genus, & differentiam duntaxat. Vt homo est animal rationale. Diffinitio verò non purè quiditatiua est illa, in qua ponitur aliquod impertinens ad essentiam rei diffinitæ, vt ista. Albedo est color disgregatiuus visus. In qua ponitur ly visus, qui non pertinet ad essentiam albedinis. Siquidem perfectè manifestatur per esse colorem disgregatiuum. Additur tamen ly visus, tamquam terminus, ad quem tendit disgregatio, vt quietetur intellectus super relatione, quam dicit disgregatio. Diffinitio pure descriptiua, est oratio indicans esse rei per accidentia, omnibus, vel saltem pluribus communia. Vt homo est animal bipes, locutionis capax. Quia esse animal, & locutionis capax, non tantum homini, sed etiam auibus competit, vt patet de psittaco, pica, & alijs. Diffinitio descriptiua non purè, est oratio indicans esse rei per genus, & accidens proprium. Vt homo est animal risibile. In proposito nostro; cum in hac diffinitione nil ponatur impertinens ad explicandam naturam, & essentiam generis, quia ly prædicari de pluribus, quod est diffinitio vniuersalis, ponitur tamquam genus, siquidem diffinitio, & diffinitum dicunt eamdem omninò essentiam; & ly differentibus specie, & in quid, ponuntur loco differentiæ; quia per illas particulas constituitur genus in ratione generis, & distinguitur à quo cumque non est genus, vt videbimus in sequentibus quęstionibus; ideò dicendum est, huiusmodi diffinitionem esse quiditatiuam, & non descriptiuam.

Quarto notandum est, requiri tres conditiones ad quamlibet bonam diffinitionem: & prima est, quod diffinitio constet ex genere, & differentia. Secunda, quod conueniat soli diffinito; & tertia quod conueniat omni contento sub diffinito. Modò diffinitio generis iam posita, est bona; quia habet omnes has conditiones. Primam habet: quia ly prædicari de pluribus, tenet locum generis, & ly de differentibus specie, & in quid, locum differentiæ; quia per primam differt genus à specie; & per secundam, à cæteris vniuersalibus, quæ non prædicantur in quid, sed in quale. Habet secundā: quia conuenit soli generi, vt patebit discurrendo per singula vniuersalia: Tertiam similiter habet; quia nullum reperitur genus, quod non prædicetur de pluribus differentibus specie in quid. Cùm igitur in hac diffinitione data à Porphyrio, nihil diminutum, aut superfluum reperiatur, sed omnia generis naturæ consona sint posita, concludendum est, esse diffinitionem conuenienter assignatam.

Ex his, fit prima Conclusio. Hæc diffinitio. Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid; non est descriptina, sed quiditatiua. Probatur prima pars sic. Quia ratio, quām significat nomen, est diffinitio, & non descriptio, ex Aristotele, quarto Meth. t.c. 28. Sed hæc diffinitio est ratio, quam significat nomen generis; ergo non est descriptio Minor est Porphyrij, cap. de specie dicentis. Necesse est in vtrorumquè rationibus, scilicet generis, & speciei, vtrisquè vti; ergo hæc diffinitio, scilicet prædicari de pluribus differentibus specie, est ratio eius, quod significat genus. Secundo sic. Descriptio est, quę conuertitur cum eo cuius est, & tamquā accidens proprium, prædicatur de eius subiecto; sed hæc ratio generis conuertitur cum genere, & non tamquam accidens proprium, sed vt essentiale sibi; ergo talis ratio nō est descriptio. Maior patet. Minoris prima pars probatur. Quia valet dicere: omne quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, est genus; & omne genus prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. Minoris secunda pars etiā probatur. Quia superius conuertitur essentialiter cum inferiori, cum sit de eius essentia; sed ly prædicari de pluribus, & ly in quid, quæ ponuntur in hac diffinitione, sunt superiora ad genus; ergo &c. Minor probatur. Quia prędicari de pluribus est diffinitio vniuersalis, quod est superius ad omnia vniuersalia, & ly in quid, est differentia essentialis diuidens simul cum in quale ly prædicari de pluribus; ergo sunt superiora ad genus; & sic conuertuntur, vt essentialia, & non vt ac-

accidentia cum illo. Tertio sic. Ratio, quæ est ex prædicatis, in quorum diffinitione non cadit per se subiectum, & sit conuertibilis cum diffinito, non est descriptio, sed vera diffinitio, ex Aristotele, 7. Meth. t. c. 11. & 13. sed hæc ratio generis est huiusmodi; quia prædicata ex quibus constat, sunt prædicabile, & in quid, in quorum diffinitione non cadit genus, quod est diffinitum per talia prędicata, aliter idem esset diffinitio, & diffinitum, quod est contra Aristotelem loco citato, ergo. Secunda pars probatur. Quia quælibet ratio constans ex genere, & differentia, est diffinitio quiditatiua, ex Aristotele, 7. Meth. t. c. 43. & sexto Topicorum, dicente; nihil aliud est in diffinitione, præter primum dictum genus, & differentia; sed hæc ratio generis est huiusmodi; quia ly prædicari de pluribus, est genus; & ly de differentibus specie, & in quid, sunt differentiæ, vt dictum est in not. 3. & 4; ergo est diffinitio quiditatiua.

Secunda Conclusio. Hæc diffinitio Generis, est conuenienter data à Porphyrio. Probatur ex quarto notab. Quia habet omnes conditiones bonæ diffinitionis, quas recenset Aristoteles, septimo Meth. t. c. 43. per totum; ergo est bona, & conuenienter assignata; siquidem nihil aliud desideratur.

Obijcies primo. In omni bona diffinitione accidentis debet poni substantia, vel aliquid pertinens ad substantiā; sed in diffinitione generis, nec ponitur substantia, nec aliquid pertinens ad substantiam; ergo. Maior est Philosophi, septimo Meth. t. c 4. Minor est manifesta.

Respondetur. Maiorem esse veram, cum sua probatione de accidente reali, quod dependet in fieri, & conseruari à substantia, non tamen de accidente rationis, cuiusmodi est genus, quod in suo esse, & fieri, solùm pendet ab intellectu, sumpta tamen occasione à re cognita.

Obijcies secundo. Nullum concretum diffinitur; sed genus, ex præcedenti quæstione, hic sumitur in concreto; ergo non diffinitur, sed describitur. Maior probatur dupliciter. Primo sic. Quia quæcumquè verè diffiniuntur, habent quodquid est idem sibi, ex Aristotelē, 7. Methaph. t. c. 20. & 21. Sed nullum concretum habet quodquid est idem sibi, ex eodem ibidem dicente. In concretis accidentalibus, idest dictis secundum accidens, non est idem quodquid est, cum eo cuius est; quia illa non diffiniuntur. Secundo probatur illa maior. Quia quicquid diffinitur, est in genere; sed nullum concretum est in genere, ex Aristotele, tertio Topicorum, cap. primo, vbi dicit. Iustitiam magis eligendam esse, quam iustum; quia magis eligendum est, quod est in genere, quam quod non est in genere. Sed iustitia est abstractum, & iustum concretum; ergo concretum non est in genere.

Respondetur, negando maiorem. Ad primam probationem, nego minorem. Ad cuius probationem dico, Philosophum loqui de concretis aggregantibus in se diuersas naturas, idest res diuersorum generum; vt homo albus, vel album, prout significat subiectum, & accidens simul; non tamen de concretis pro formali sumptis; quia tunc non aggregant diuersas naturas, sed dicunt formam concernentem subiectum. Modò genus diffinitur in concreto, pro formali acceptum, non pro aggregato ex prima, & secunda intentione.

Ad secundam probationem, nego minorem. Ad probationem eiusdem dico, genus esse duplex, scilicet virtutis, & prædicabile. Primum dicitur id, quod facit habentem bonum, vt dicit Philosophus, tertio, Ethic. c. 6. & est idem, quod virtus. Secundum est, quod diffinitur à Porphyrio, cap. de Genere, per esse prædicabile de pluribus differentibus specie in quid. Modo iustitia, quæ est abstractum, dicitur esse in genere primo modo accepto, & non iustum, quod est concretum: dicuntur tamen ambo esse in genere secundo modo; & sic vtrumquè posse diffiniri.

Obijcies tertio. Omnis bona diffinitio debet dari per priora, & notiora diffinito, ex Aristotele, sexto Topic. cap. secundo, & quarto; vbi dicit dari diffinitionē, vt sit ratio innotescendi diffinitum, quod nequit fieri per ea, quę sunt posteriora, & ignotiora diffinito; sed hæc diffinitio datur per speciem, quæ non est prior, nec notior ipso genere, imò posterior eo, vt patet; ergo.

Respondetur communiter, maiorem, & probationem esse veram de differentia entis absoluti, non tamen relatiui; quia hæc potest dari per posterius diffinito, scilicet

per terminum; imò natura relatiui, ità exposcit, vt diffiniatur per suum correlatiuum, dicente Porphyrio, cap. de specie, necesse esse in vtrormque rationibus, vtrisque vti; modo genus, cum sit relatiuum rationis, benè poterit diffiniri per speciem, tamquam per suum correlatiuum.

Contra. Quia hæc responsio est mera euasio; siquidem cum quælibet diffinitio quiditatiua sit oratio indicans esse rei per essentialia, debet dari per priora, & notiora diffinito; aliter non indicaret naturam rei diffinitæ, sed ignotum haberetur per ignotum, vel saltem per æquè notum; quod est contra Aristotelem, primo post. cap. primo, & secundo, dicentem; demonstrationem, cuius altera præmissarum est diffinitio, ex eodem, secundo post. c. 17. debere constare ex prioribus, notioribus, caussisquè conclusionis; ergo cum diffinitio relatiui sit vera diffinitio indicatiua naturæ eius, debet pariter dari per priora, & notiora diffinito.

Respondetur igitur secundo ad argumentum, ex doctrina Doct. Subt. in primo sent. d. 30. quæst. 1. & 2. lit. G. Relatiuum diffiniri, non per correlatiuum; quia cum sint simul natura, vnum nō est notius alio; sed per terminum sui correlatiui, quod est ens absolutum, ac proindè prius, ac notius relatiuo. Modò cum dicitur, genus, quod est relatiuum, diffiniri per speciem; dicendum est, accipi speciem ibi, non formaliter pro secunda intentione, quatenus est correlatiua generi, sed pro fundamento secundæ intentionis, quæ cum necessariò habeat præcognosci antequam sibi applicetur intentio speciei, benè poterit diffinire genus, tamquam per prius, & notius illo.

Obijcies quarto. Illa diffinitio non est bona, in qua committitur nugatio, ex Aristotele, sexto Top. cap. primo. & primo Elenchorum cap. 13. sed in diffinitione generis committitur nugatio; ergo non est bona. Minor probatur. Quia tunc committitur nugatio, cum præponitur superius inferiori ex eadem parte, ex Philosopho, sexto Topic. cap. 3 & 7. Meth. t. c. 43. sed in hac diffinitione præponitur superius inferiori; ergo. Minor probatur. Quia in hac diffinitione præponitur ly pluribus, ad ly differentibus; sed plura sunt superiora ad differentia, ex Philosopho, 5. & 10. methaphys. t. c. 10. 12. 17. vbi dicit, differentia includere multitudinem, seù pluralitatem, sicut species suum genus; ergo plura, sunt superiora ad differentiam.

Respondetur, nugationem esse ex eadem parte orationis inutilem repetitionem; vt cum dicitur: homo homo currit: hæc autem repetitio inutilis, potest fieri dupliciter, vno modo replicando idem secundum totum: vt homo homo currit; alio modo idem secundum partem, vt dicendo: animal homo currit. Siquidem hic replicatur tantum vna pars hominis, scilicet animal. Dicitur tamen inutilis repetitio in vtroque; quia si idem bis repeteretur ad maiorem expressionem laudis, vel vituperij, aut ad emphasim locutionis, non esset nugatio; quia non esset inutilis repetitio. Similiter, si idem repeteretur, vt esset expositio alterius, vel eiusdem, tunc non esset nugatio, vt dicendo: animal homo currit: quia tunc esset sensus quod non omne animal currit, sed tantum illud, quod est in homine. In proposito, quamuis ly pluribus sit quodam superius ad ly differentibus, cum tamen ly differentibus, ponatur ad expositionem de ly pluribus, quia tunc denotatur genus prædicari quidem de pluribus, sed non de omnibus, quæ sub illis continentur, verùm de illis tantum, quæ differentia dicuntur; ideo nulla committitur nugatio.

Formaliter ad argumentum dico, negando minorem. Ad probationem dico, maiorem esse veram, quando vnum non ponitur ad expositionem alterius, sed inutiliter repetitur; modo ly differentibus, ponitur in huiusmodi diffinitione ad expositionem de ly pluribus; ac proindè non sequitur nugatio. Et restat, vt sit bona diffinitio, & conuenienter assignata a Porphyrio.

Vtrum hæc Propositio. Homo est animal, & consimiles, sint veræ, & per se?

QVÆSTIO III.

Præsupposita veritate huius propositionis. Genus est, quod prædicatur de speciebus, loquendo in actu signato; modo quæ-

quærit, an valeat consequentia à prædicatione signata generis de specie in terminis secundarum intentionum, ad exercitam in terminis primæ intentionis, idest. Vtrum sicut hæc est vera. Genus prædicatur de specie per se; ita hæc sit vera; homo est animal, & consimiles, & an sint per se. Circa quas, cum nulla adsit controuersia, statim ad decisionem quæstionis accedere debemus, ostendendo, paucis notatis, eius veritatem, ac perseitatem.

Primo igitur notandum est, quod superius diximus, q. 7. & 8. de Vniuersali in communi, duplicem esse propositionem, scilicet veram, & falsam. Veram, adhuc duplicem, scilicet per se, & per accidens, restringendo propositionem per se ad primum, & secundum modum tantum dicendi per se; nam alij duo modi non sunt propriè modi prædicandi per se, sed tertius, est per se essendi, & quartus per se inherendi.

Secundo notandum, & memoriæ reuocandum, quod superius notauimus, scilicet quod homo potest tripliciter considerari, scilicet secundum esse materiale, quod habet in suis indiuiduis, secundum esse cognitum ab intellectu, & secundum esse quiditatiuum, hoc est, vt sibi conueniunt prædicata quiditatiua, de quo solum est sermo in præposito.

Tertio notandum. Animal multipliciter diffiniri; communiter tamē acceptatur diffinitio Aristotelis, quā tradit tertio de anima, t c, 63. scilicet quod sit corpus animatum sensibile, seù vt alijs placet, substantia animata sensibilis. In qua diffinitione ponitur ly corpus, seu substantia animata, vt genus, cui in arbore prædicamentali immediatè subest animal, tamquam species subalterna, & ly sensibile, est differentia, quæ contrahit corpus animatum; quod secundum se, omnia animata, siuè sensibilia, vt sunt animalia, siuè insensibilia, vt sunt plantæ, compræhendit; & ad sensibilia, scilicet ad animalia, ipsum coarctat, ac restringit.

Quarto notandum est; ista se habere per ordinem in arbore prædicamentali, scilicet indiuiduū, vt Petrus; species specialissima, vt homo; species subalterna, & genus subalternum, vt animal, corpus animatum, corpus; & tamdem genus generalissimum, vt substantia. Et hic ordo est essentialis; nam superius, semper includitur in inferiori, quia corpus includit essentialiter substantiam; corpus animatum, includit corpus, & substantiam; & tamdem Petrus, includit hominem, animal, corpus animatum, corpus, & substantiam. Quia sicut hæ sunt veræ; corpus est substantia; corpus animatum est corpus; animal est corpus animatum, ita hæc est vera. Petrus est homo, animal, corpus animatum, corpus, & substantia. Cum igitur homo ponatur immediatè sub animali in recta linea, & ipsum includat, etiam ista erit vera: homo est animal, corpus animatum, corpus, & substantia.

Ex his, sit prima conclusio. Hæc propositio: homo est animal; est vera, & consimiles pariter: vt animal est corpus animatum, corpus animatum est corpus, corpus est substantia, sunt veræ. Probatur. Quia illa propositio est vera, in qua significatur prædicatum conuenire subiecto, sicut est in se, ex Aristotele, 9. Methaph. t. c. 21. dicente, veritatem propositionis sumi à veritate rei: Sed hæc propositio, homo est animal, & consimiles, sunt huiusmodi; quia, vt dictum est not. quarto, superius includitur essentialiter in inferiori; ergo cum prædicata ità se habeant in re, ità se habebunt in prædicatione, & sic erunt verè: homo est animal: animal est corpus animatum, & consimiles.

Secunda Conclusio. Hæc propositio: homo est animal, & consimiles, sunt per se primo modo. Probatur. Quia illa propositio est per se primo modo, in qua prædicatur superiùs de inferiori: sed in hac propositione, & consimilibus, superius prædicatur de inferiori: ergo. Maior patet ex Aristotele, primo Post. c. 4. Minor est clara, ex quarto notabili.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Nulla pars prædicatur de toto in recto: sed genus est pars speciei, & homo est species, & animal est genus: ergo animal non prædicatur verè de homine. Maior est Philosophi, quarto Topic. cap. 2. Minor similiter est eiusdem, quinto Methaph. capit. de toto, t. c. 30. 33. & etiam probatur. Quia quod est pars diffinitionis, est etiam pars diffiniti: sed genus est pars

diffinitionis, ex Philosopho, 7. Meth. t.c.43. ergo &c.

Respondetur, partem dupliciter accipi; vno modo per modum partis, & in abstracto; alio modo per modum totius, & in concreto. Vt animal, consideratur per modum partis, cum est pars diffinitionis hominis, & sumitur in abstracto, scilicet pro animalitate; consideratur verò per modum totius, quando accipitur, vt est superiùs inclusum in suo inferiori, & in concreto, prout significat animalitatem concernentem suppositum, scilicet hoc animal. Primo modo, pars nequit prædicari de toto in recto, sed benè secundo modo. Et sic ad formam argumenti dico, maiorem esse veram de parte accepta per modum partis, & in abstracto, non tamen de parte accepta per modum totius, & in concreto; modo animal prædicatur de homine, & genus de specie secundo modo, non primo modo. Ità soluitur secundum argumentum Scoti in litera, cum dicitur. Materia non prædicatur de eo cuius est materia; sed genus est materia speciei &c. Siquidem ly materia, sumitur in concreto, & in abstracto: primo modo prædicatur de toto, secundo modo non prædicatur &c.

Contra Si animal in concreto de homine, & genus de specie prædicatur in concreto, sequitur, quod tantum denominatiuè prędicantur; sed hoc est falsum, ex quarto notabili, & secunda conclusione; ergo. Sequela maioris probatur. Quia concretum, & denominatiuum sunt idem; siquidem ambo cadunt à recto, vt patet de albo, & albedine, iusto, & iustitia, quæ dicuntur concreta, & denominatiua.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, esse veram de concretis accidentalibus, non tamen de substantialibus; siquidem priora cum concernant subiecta, nequeunt prædicari plusquam accidentaliter, & denominatiuè, at posteriora, quia concernunt supposita, in quibus essentialiter includuntur, benè prædicantur quiditatiuè: quæ autem sint concreta substantialia, & accidentalia, à subiecto, & à supposito, diximus in quæst. An logica sit scientia: & in Summulis, in cap de Denominatiuis: modo cum animal, & genus sint concreta substantialia, & non accidentalia, respectum suorum inferiorum benè prædicantur de illis verè, & quiditatiuè.

Obijcies secundo. Si hæc est vera; homo est animal; etiam ista erit vera; humanitas est animalitas; sed hæc est falsa; ergo & illa. Sequela maioris probatur dupliciter. Primo. Quia à cõcretis per se, ad abstracta per se, valet consequentia, ex Doct. Subt. q. 1. Vniuers. sed homo, & animal sunt concreta per se, & humanitas, & animalitas sunt abstracta per se; ergo valet consequentia, &c. Secundo. Quia omnis prædicatio per se in concretis, tenet ratione essentiæ significatæ; ergo perfectius tenet vbi veriùs significatur essentia; sed in abstractis veriùs significatur essentia, quam in concretis; ergo si est vera prædicatio in concretis, & per se, verior, & per se erit in abstractis; Maior patet. Quia ideò hæc est vera; homo est animal; quia natura animalis includitur in homine, & non quia animal concernit suppositum, scilicet hoc animal, hominem videlicet. Minor etiam patet. Quia essentia in abstractis, significatur sine concernentia, seù dependentia ad suppositum, vel subiectum. Minor primi syllogismi probatur. Quia si hæc est vera; humanitas est animalitas; ergo etiam ista erit per se vera; rationalitas est animalitas, quia humanitas, & rationalitas sunt idem per se; sed consequens est falsum; quia genus, siuè in abstracto, siuè in concreto, non prædicatur per se de differentia, ex Aristotele, sexto Topic. c. 8. & tertio Methaph. t. c. 10. ergo & antecedens.

Respondetur negando sequelam maioris. Ad probationem primam dico, maiorem esse veram de concretis, & abstractis à subiecto, non vltimatis, non tamen à suppositis, sicut sunt animal, & homo, humanitas, & animalitas, quæ sunt vltimatè abstracta; siquidem in tantum animal prædicatur de homine, quia ipsum concernit; at quia humanitas, & animalitas sunt vltimatè abstracta, & non se concernunt ad inuicem, ideò nequeunt de se prædicari verè; & per se. Ad secundam probationem, negatur antecedens cum sua probatione, quia prædicatio concreti de concreto est vera, quia vnum concernit aliud; si essentialiter, est per se; si accidentaliter, per accidens, & denominatiuè; cum igitur animalitas non concernat humanitatem, sed vtraque sit

sit abstracta à suppositis, sequitur non posse prædicari de se inuicem per se, & verè.

Obijcies tertio. Illa propositio est falsa, in qua prædicatum, & subiectum accipiuntur sub oppositis modis significandi, vt patet de hac; albedo est alba; quæ est falsa. Quia albedo significat in abstracto, & ly alba, in concreto, qui sunt modi oppositi; sed homo, & animal in hac propositione, sumuntur sub oppositis modis significandi; quia homo, sub modo speciei, & animal, sub modo generis, quæ sunt relatiuè opposita; ergo hæc est falsa; homo est animal.

Respondetur ex Doct. hic, & in Grammatica speculatiua, modos sub quibus vnaquæque res concipi valet, esse in duplici differentia; quidam enim dicuntur modi significandi; quidam verò intelligendi. Priores sunt grammaticales, & sunt quædam proprietates, attributæ vocibus ex impositione Grammaticorum; vt sunt concretum abstractum, numerus pluralis, singularis, casus, persona &c. sub quibus dictiones significant; & cum tales sint inseparabiles à suis vocibus, nequeunt voces significare sub oppositis modis significandi; vt si vox est concreta, nequit significare in abstracto, neque in concreto, si fuerit abstracta. Posteriores verò dicuntur modi logicales, & sunt intentiones secundæ attributæ ab intellectu rebus significatis, non in quantum per voces exprimuntur, sed prout ab intellectu concipiuntur sub aliqua proprietate; vt sunt genus, species, differentia, subiectum, prædicatum, & similes; qui dant nobis intelligere, animal esse communicabile pluribus differentibus specie; hominem, pluribus differentibus numero; quia hic species, & sub modo speciei concipitur, & illud genus, & sub modo generis consideratur ab intellectu; & hi modi, cum sint separabiles per intellectum à rebus significatis per ipsos, benè subiectum, & prædicatum possunt intelligi sub opposito modo; quia sibi non repugnant; vt patet de animali cognito in ordine ad hominem, leonem, &c. quod intelligitur sub ratione generis, & sub ratione speciei, si comparetur ad corpus animatum; & tamen genus; & species, sunt oppositi modi intelligendi.

Formaliter ad argumentum dico. Maiorem esse veram, loquendo de modis significandi grammaticalibus, non de modis intelligendi logicalibus; modo genus, & species, sunt modi intelligendi logicales, qui competere possunt eidem respectu diuersorum; ac proindè, nec esse oppositi ad inuicem: & licet sint oppositi relatiuè, non officit, quin possint competere subiecto, & prædicato, iuxtà diuersas conceptiones intellectus, vt dictum est.

Obijcies quarto. Sicut sequitur, homo est asinus; ergo homo est animal; ita sequitur; homo non est asinus; ergo homo non est animal; sed re vera, homo non est asinus; ergo re vera homo non est animal. Sequela maioris probatur. Sicut animal includitur in asino, data hipothesi, quod homo includat in suo esse asinum, sequitur includere etiam animal; ergo sequitur, si non includit asinum, nec animal includere; quia inquit Aristoteles, primo post. t. 30. sicut affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis; sed affirmatio asini de homine, est causa affirmationis animalis de eodem; ergo etiam negatio asini de homine, erit causa negationis animalis de homine. Secundo probatur eadem sequela maioris. Sicut se habet asinus ad non asinum, ità animal ad non animal; & permutatim. Sicut se habet asinus ad animal, ità non asinus ad non animal; sed sequitur, si homo est asinus, homo est animal; ergo etiam, si homo non est asinus, homo non est animal.

Respondetur, regulam illam Aristotelis, si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis, valere tantum in terminis conuertibilibus; quia valet dicere. Petrus est homo; ergo est risibilis; & Petrus non est homo; ergo non est risibilis. Non valet tamen in terminis non conuertibilibus, vt patet in argumento allato de asino, & animali; quia non conuertuntur; cum animal in plus se habeat, quam asinus. Ad quod formaliter dico, negando vltimam consequentiam sequelæ maioris, scilicet, si homo non est asinus, homo non est animal; quia regula illa, valet solum in terminis conuertibilibus; modo asinus, & animal non conuertuntur; quia licet valeat, omnis Asinus est animal; non tamen conuersa, omne animal est asinus; quia ho-

mo

mo est animal, & tamen non est asinus.

Ad secundam probationem dico cum Doct. in primo. d. 36. lit. L. argumentum à commutata proportione regulariter tenere tantum in quantitatibus; in alijs verò non tenet, nisi ratione oppositionis materialiter, & in terminis conuertibilibus. Ratione oppositionis valet, sic arguendo. Sicut se habet homo ad animal, ità non homo ad non animal; & permutatim. Sicut se habet homo ad non hominem, ità animal ad non animal; sed homo, & non homo opponuntur contradictoriè: ergo & animal, & non animal opponuntur contradictoriè. Ratione verò conuertibilitatis terminorum sic arguitur. Sicut se habet risibile ad hinnibile, ità homo ad equum; & permutatim. Sicut se habet risibile ad hominem, ità hinnibile ad equum: sed risibile conuertitur cum homine: ergo & hinnibile cum equo: modo cum homo, & asinus non conuertantur ad inuicem, nec cum animali, nec opponantur ad inuicem, non valet consequentia à negatione asini de homine, ad negationem animalis de homine.

Obijcies quinto. Si animal prædicatur verè de homine, aut est animal, quod est idem homini, aut animal, quod est aliud ab homine: sed neutrum est dicendum: ergo non prædicatur verè de homine. Maior patet. Quia non datur medium. Minor probatur. Non primum; quia tunc prædicatio generis de specie, esset eiusdem de se ipso, & ista: homo est animal, esset eadem ac ista: homo est homo: quod est falsum. Nec secundum. Quia prædicatum, quod est aliud à subiecto, non potest verè prædicari de subiecto, vt patet de ista: homo est asinus: quia prædicatum asinus, est aliud ab homine.

Respondetur, aliud esse prædicari de aliquo, & aliud verificari de aliquo. Illud enim quod prædicatur, nec est idem, nec aliud ab eo, de quo prædicatur, sed indifferens. Illud verò quod verificatur, debet esse aliquo modo idem illi, de quo verificàtur: si essentialiter, essẽtialiter, si accidẽtaliter, accidentaliter debet esse idẽ illi: modo animal in quantum prædicatur de homine, nec est idẽ, nec aliud ab homine, sed indifferens ad omnia animalia: quando verò verificatur de homine, debet esse idem illi essentialiter; quia hæc, homo est animal, in tantum est vera, in quantum animal includitur essentialiter in homine.

Contra. Si animal prædicatur de homine, vt est indifferens ad omnia animalia; ergo quodlibet animal prædicatur de homine; & ità hæc erit vera, homo est asinus, sed consequens est falsum; quia oppositum non prædicatur de opposito; ergo, & antecedens. Sequela maioris probatur a simili. Si color prædicatur de superficie, prout indifferens ad omnes colores; ergo album, & nigrum prædicantur de superficie; aliter non diceret de superficie, vt indifferens ad omnes colores; & consequenter ad album, & nigrum; ità à simili arguitur de animali respectu hominis, si animal prædicatur de illo, vt indifferens ad omnia animalia: & sic sequitur, quod homo sit asinus, quod non est dicendum.

Respondetur, quod duplex est indifferentia, scilicet potentialis, & disiunctiua; & actualis, seu copulatiua Prima dicitur illa, secundum quam indifferens respicit subiectum, non secundum omnia inferiora, sed secundum vnum tantum; & sic animal respicit tantum hominem; quia non omnia inferiora ad animal possunt prædicari de homine, sed idem de se ipso tantum; vt homo est homo. Secunda verò indifferentia est illa, secundum quam respicitur subiectum, non secundum se, sed etiam secundum sua inferiora; vt patet in exemplo allato de colore respectu superficiei; quia non tantum color prædicatur de ea, sed etiam omnes colores inferiores, scilicet albus, niger &c. Ex his.

Formaliter ad argumentum, nego sequelam maioris. Ad probationem dico, non esse paritatem; quia color est indifferens indifferentia copulatiua respectu superficiei; animal verò tantum indifferentia potentiali, seù disiunctiua; atquè adeò non sequitur, quodlibet animal prædicari de homine, sicut sequitur, quemlibet colorem dici de superficiẽ.

Obijcies sexto. Si homo est animal; ergo tota natura animalis est in homine; sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Sequela probatur. Quia si homo est animal, vel est animal secundum totum, vel secundum partem; si secundum partem: ergo homo est animal tantum secundum

quid,

quid, quod non est dicendum. Si verò secundum totum; ergo tota natura animalis est in homine, quod est intentum. Minor probatur. Quia tunc asinus non esset animal; siquidem totum, ex Philosopho, tertio physicorum, t.c.63. est illud, extra quod nihil est; igitur si totum animal est in homine, nihil animalis erit extra hominem; & sic non erit in asino, vt possit dici; Asinus est animal, quod est omninò falsum.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, nego sequelam; ergo asinus non esset animal. Et cum probatur per auctoritatem Philosophi; dico, diffinitionem totius, sic esse intelligendum. Totum est, extra quod nihil est. Idest, quod requiratur ad perfectionem totius; non tamen quod sit ibi totum adæquatè, vt non possit esse in aliquo; modo totum animal est in homine; quia nihil, quod est de perfectione animalis, est extra hominem; non tamen est totum in homine, idest adæquatum homini, itaut non sit etiam in alijs animalibus; quia cum eadem perfectione est in omnibus.

Obijcies septimo. Si hæc est vera; homo est animal; sequitur, quod etiam ista esset vera. Petrus est homo; sed hoc est falsum; ergo, & illud ex quo sequitur. Sequela maioris patet. Quia ita homo includitur essentialiter in Petro, sicut animal in homine. Minor probatur. Quia nullum incorruptibile prædicatur de corruptibili; sed homo est incorruptibilis, & Petrus est corruptibilis; ergo homo non prædicatur verè de Petro. Maior patet. Quia sunt opposita; tum etiam, quia idem esset corruptibile, & incorruptibile, quod est falsum. Minor probatur. Quia ex Philosopho, primo Post cap. .. species est incorruptibilis, & indiuiduū est corruptibile, ex eodem, septimo Meth. t. c. 53. sed homo est species, & Petrus est indiuiduum; ergo homo non prædicatur verè de Petro; & sic est hæc falsa. Petrus est homo.

Respondetur primo. Indiuiduum posse tripliciter accipi, vt v.g. Petrus; primo modo accipitur, vt includit tantum naturam humanam, & suam differentiam indiuidua. lem; & sic indiuiduum est vnum per se, constitutum ex natura communi, & differentia indiuiduali, tamquam ex per se actu, & per se potentia: neque sic, est corruptibile, sicut nec natura humana specifica. Secundo modo sumitur, prout vltra hæc, includit etiam accidentia cōmunia, scilicet quatuor qualitates cōtrarias, scilicet humiditatem, siccitatem &c. Tertio modo, prout addit existentiam in rerum natura extra suas causas. Et his duobus modis vltimis, est ens per accidens, & corruptibile; & de illo non prędicatur homo essentialiter, dicendo. Petrus est homo.

Formaliter ad argumentum, nego minorem. Ad probationē dico, minorem, & eiusdem probationem esse veram de indiuiduo secundo, & tertio modo accepto, non tamē de primo modo sumpto; quia sic est incorruptibile sicut species; modo homo prædicatur de Petro, accepto primo, non duobus modis vltimis.

Vel dicendum secundo Speciem, vt v. g. naturam, esse corruptibilem, & incorruptibilem; est corruptibilis, vt est materialiter in indiuiduis, scilicet Petro, Paulo &c. est postea incorruptibilis secundum se considerata, vt abstrahit ab illis, & sibi competūt tantum prædicata quiditatiua; modo cum Philosophus dixit, speciem esse incorruptibilem, locutus est de specie secundum se, non tamen vt habet esse materialiter in indiuiduis; quia sic est corruptibilis, sicut illa, in quibus est.

Obijcies octauo, contra secundam conclusionem. Si homo est per se animal; ergo homo est per se genus; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur. Quia homo est per se animal; sed animal est per se genus; ergo homo est per se genus; ex illa Regula Anteprædicamentali. Quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, quæcumquè de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia de subiecto dicuntur. Sed per te animal prædicatur per se de homine, & genus prædicatur de animali; ergo debet prędicari de homine, quod tamen est falsum.

Respondetur, negando consequētiā. Quia committitur fallacia accidentis, arguendo a suppositione personali ad simplicē, ob diuersam variationem medij; nam ly animal, in maiori supponit personaliter; quia accipitur, vt habet esse in suppositis, seu inferioribus; in minori verò supponit simpliciter; quia accipitur, vt abstrahitur ab illis, & cognoscitur comparatiuè in ordine ad sua inferiora; quia sic tantum sibi conuenit hæc intentio generis.

Contra, & probat Doctor, quod animal accipiatur eodem modo in vtraque propositione, & sic responsionem datam, esse nullam. Quia omne, quod prædicatur, sub ratione alicuius vniuersalis prædicatur; sed animal in maiori prædicatur de homine, & non nisi sub ratione generis; ergo eodem modo accipitur in maiori, sicut in minori.

Respondetur, maiorem esse veram de prædicatione signata, non tamen de exercita; modo animal in maiori prædicatur de homine, prædicatione exercita, vt patet; quia fit per illud verbum est; igitur non sibi conuenit genus, sed extraneatur ab ipso, sicut omnes secundæ intentiones extraneantur à primis intentionibus.

Vtrum illa particula, de differentibus specie, conuenienter ponatur in diffinitione Generis?

QVÆSTIO IV.

PRo declaratione huius difficultatis, circa quam nulla reperitur controuersia, primo notandum, ex Aristotele, quinto Meth. c. 6. & 9. Meth. 1. c. 10. 12. 17. ens in tota sua latitudine diuidi per vnum, & multa. Multa verò esse triplicia, scilicet eadem, differentia, & diuersa. Multa eadem, sunt duplicia, scilicet eadem accidentaliter, & quiditatiuè. Eadē accidētaliter sunt illa accidentia, quæ simul habent esse in eodem subiecto numero; vt si album, musicum, & pulchrum sint in eodem homine, tunc dicuntur esse eadem accidentaliter inter se. Eadem verò quiditatiuè, sunt plura prædicata quiditatiua, inclusa in eodem inferiori; vt substantia, corpus, corpus animatum, animal, homo, & rationale in Francisco. Differentia verò sunt triplicia, scilicet genere, specie, & numero. Illa differunt genere, quæ in nullo genere conueniunt; vt substantia, & quantitas; quia non habent aliquod genus supra se, in quo conueniant. Illa differunt specie, quæ faciunt diuersas species, & conueniunt in aliquo genere; vt homo, & leo, Petrus, & hic leo, qui sunt diuersarum specierum; tamen omnes conueniunt in animali, vt in suo genere. Illa tamdem differunt numero, quæ faciunt diuersum numerum; vt Petrus, & Paulus, qui faciunt numerum binarium. Diuersa sunt illa, quæ nec in aliquo conueniunt, nec per aliquid differunt, sed se ipsis sunt alia; vt sunt vltimæ differentiæ indiuiduales, scilicet Petreitas, & Pauleitas, quibus differunt ab inuicem Petrus, & Paulus: non differunt per alias differentias; aliter non essent vltimæ, & daretur processus in infinitum; quia esset quærendum de illis differentijs, per quas alias differentias differrent; & sic daretur processus in infinitum in vltimis differentijs, quem, vt vitare possimus, quia ab ipso abhorret natura, dicendum est, vltimas differentias esse diuersas. Hic est sermo de multis, non de omnibus; sed de differentibus, non genere, vel numero, sed tantum specie.

Secundo Notandum est. Quod sicut ens absolutum est illud, quod habet suam entitatem a se, idest non in respectu ad aliud, ita differentiam quiditatiuam, quæ sit ens absolutum, & non respectiuum habere debet; nam cum quiditas, saltem partialiter, habeatur à differentia quiditatiua, si fuerit absoluta quiditas non poterit constitui per relatiuum, sed solum per absolutum. Et per oppositum, sicut ens relatiuum habet suam essentiam in relatione ad aliud, idest ad suum terminum, ità differentiam quiditatiuam, per quam constituitur in esse relatiuo, respondentem, de necessitate exposcit. Cum igitur Genus sit relatiuum rationis, optimè assignatur sibi differentia relatiua, scilicet de differentibus specie; quæ terminatur ad correlatiuum generis, scilicet ad speciem; per ipsam enim constituitur genus in esse generis, & differt à specie, quæ tantum de differentibus numero prædicatur.

Tertio notandum, ex Doct. Subt. in primo sent. d. 30. quæst. 1. & secunda, lit. G. & in tertio d. 8. quæst. vn. quod relatiuum non diffinitur per suum correlatiuum, sed per fundamentum sui correlatiui; nam pater non diffinitur per filium, sed per fundamentum filiationis, vt per suum terminum. Et ratio est; quia, sicut dicit Phi-

Philosophus, sexto Topicorum, capit. 2. & quarto, diffinitio debet dari per priora, & notiora diffinito; & correlatiuum non sit prius, neque notius relatiuo; sunt enim simul natura, idest simul naturali intelligentia, ex Philosopho, in Prædicam. cap. de Ad aliquid; ideò non debet diffiniri per suum correlatiuum: at, cum fundamentum sui correlatiui sit prius relatiuo, quia absolutum filij, est prius patre, vt pater est; ideò diffinitio relatiui debet dari per fundamentum sui correlatiui. In proposito. Cùm Genus diffiniatur per speciem, non accipitur ibi species pro secunda intentione; quia ipsa non est prior, neque notior genere, sed pro prima intentione; quæ cum non sit aliud, quam obiectum cognitum actu recto, vel reflexo, est prior, & notior ipso genere pro secunda intentione, quod per actum vltimum intellectus, scilicet per collatiuum, causatur.

Ex his, sit conclusio. Hæc particula, de differentibus specie, est benè posita in diffinitione Generis. Probatur. Quia differentia est benè posita in aliqua diffinitione, ex Philosopho, septimo Methaph. t. c. 43. Sed hæc particula est posita tamquam differentia in diffinitione generis; ergo est benè posita. Minor probatur. Quia munus differentiæ, est diuidere genus, & constituere speciem; sed ly de differentibus specie, est diuisiuum vniuersalis in communi, & constitutiuum generis; ergo ponitur in hac diffinitione, vt differentia. Minor probatur. Quia prædicari de pluribus, quod est differentia vniuersalis, diuiditur per prædicari de differentibus specie, & de differentibus numero; sed per prædicari de differentibus numero descendit vniuersale in speciem; ergo per prædicari de differentibus specie descedit vniuersale in genus; & sic genus constituitur in ratione vniuersalis per illam particulam de differentibus specie. Secundo sic. Genus per illam particulam differt à specie, quæ prædicatur tantum de differentibus, numero, vt patebit inferiùs; ergo illa particula est differentia generis. Consequentia patet per diffinitionem differentiæ, de qua suo loco.

Obijcies primo. Si hæc particula conuenienter ponitur in diffinitione Generis, ideò est, quia facit differre genus a specie; sed hoc est falsum; ergo. Sequela maioris patet, ex Porphyrio, cap. de Genere. Minor probatur. Quia Genus non tantum prædicatur de differentibus specie, sed etiam de differentibus numero, vt patet de animali, quod prædicatur non tantum de homine, leone equo, &c. sed etiam de hoc homine, hoc leone, &c. quia hic homo est animal, ille leo est animal, & sic de alijs; ergo Genus per illam particulam, non differt a specie, cum sibi conueniat diffinitio speciei.

Respondetur primo, negando minorem. Ad probationem dico, Genus prædicari de pluribus differentibus numero, non per se, sed ratione speciei; quia enim homo est animal, & hic homo est homo, sequitur hunc hominem, & illum esse animal; ideò non sequitur generi conuenire diffinitionem speciei; quia species prædicatur immediatè de differentibus numero, quod generi nequit conuenire.

Vel dicendum secundo. Quod prædicari de differentibus numero dupliciter contingit, scilicet præcisè, & non præcisè. Primum conuenit tantum speciei, & constituit speciem in esse, facitque ipsam differre à genere. Secundum etiam conuenit generi, per quod non differt a specie, sed tantum per prædicari de differentibus specie, quod nullo modo speciei competere potest.

Obijcies secundo. Si hæc particula ponitur conuenienter in diffinitione generis, ideò est, quia facit ipsum differre à proprio; sed hoc nequit dici; quia proprium genericum, vt sensibile, vel quodlibet aliud conuertibile cum animali, prædicatur de pluribus differentibus specie; ergo non facit differre genus à proprio. Sequela maioris patet, ex Porphyrio dicente. Genus differt à proprio, quia Genus de pluribus speciebus prædicatur, proprium autem de vna sola specie.

Respondetur primo. Negando minorem. Ad probationem dico, proprium genericum non prædicari de differentibus specie, sed solum de differentibus numero; siquidem non conuenit generi, vt genus est, sed vt species subalterna, quæ in quantum species est, non prædicatur de differentibus specie, sed non tantum.

Vel dicendum ſecundo, negando ſequelam maioris; nam genus non differt à proprio per prædicari de differentibus ſpecie; quia etiã proprium genericum ſic prædicatur, vt probat argumentum; ſed per prædicari in quid, quod proprio non conuenit. Ad Porphyrium dico, ibi locutum eſſe tantum de proprio ſpecifico, quod de pluribus differentibus numero, & de vna ſola ſpecie prædicatur; non verò de generico; quia huiuſmodi proprium, ad modum generis, de pluribus differentibus ſpecie in quale dicitur.

Obijcies tertio. Si illa particula conuenienter ponitur in diffinitione generis; ergo competit per ſe primo generi; ſiquidem ponitur, vt differentia, & differentia prædicatur in primo modo dicendi per ſe de eo cuius eſt differentia, vt ſuperiùs diximus; ſed hoc non eſt dicendum; ergo. Minor probatur. Quia ſi genus prædicatur per ſe de differentibus ſpecie; ergo differentia ſpecie per ſe ſubijciuntur generi; ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Sequela probatur. Quia ſicut ſe habet duplum ad dimidium, ità prædicari de pluribus differentibus ſpecie ad ſubijci plura differentia ſpecie; ſed valet; duplum per ſe refertur ad dimidium; ergo dimidium per ſe refertur ad duplum; igitur à ſimili valebit; genus per ſe prædicatur de pluribus differentibus ſpecie; ergo plura differentia ſpecie ſubijciuntur per ſe generi; quandoquidem ità ſubijci, & prædicari ſe habent, vt relatiuum, & correlatiuum, ſicut duplum, & dimidiũ, quæ dicuntur ad conuertentiam, ex Ariſtotele in Prædicam. cap. de Ad aliquid. Minor probatur. Quia quæ tantum differunt numero, non differunt ſpecie; ſed quæ per ſe ſubijciuntur generi, tantum differunt numero; ergo &c. Minor probatur. Quæ per ſe ſubijciuntur generi, ſunt intentiones ſecundæ, ſcilicet hoc genus, & illud genus, quæ tantum numero differunt, ergo non differunt ſpecie.

Reſpondetur, negando minorem. Ad probationem dico, diffinitionem generis ſic eſſe intelligendam, ſcilicet, Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, ideſt, de ſpeciebus differentibus, non ſpecie, ſed numero tantum. Et hoc eſt verum; quia cum prædicetur per ſe de ſecundis intentionibus attributis verbi gratia homini, & leoni cognitis, tales non differunt ſpecie, ſed numero tantum; ideò dicuntur prędicari quidem de ſpeciebus differentibus, non ſpecie, ſed tantum numero.

Vel dicendum ſecundo. Differentia ſpecie, eſſe differentia ſpecie, & non numero tantum, poſſe dupliciter contingere. Vno modo accipiendo ly differentia ſpecie, vt quid; alio modo ſumendo illa, vt modus. Si accipiantur, vt quid; tunc eſt ſenſus, quod hæc ſecunda intentio, differentia ſpecie, à parte prædicati, prædicatur de ſe ipſa à parte ſubiecti; ſicut iſta; genus eſt genus; ſpecies eſt ſpecies. Si verò accipiantur, vt modus, tunc eſt ſenſus, quod illa differentia, per quã differunt differentia ſpecie, ideſt ſpecies differentes, ſit differentia ſpecifica. Et hic ſenſus eſt falſus; quia illæ intentiones ſpeciei, attributæ differentibus ſpeciebus pro prima intentione, non differunt differentia ſpecifica, ſed numerica tantum, vt dicit Doctor Subtilis, in quol. 6. ſub lit X. in fine. Vndè.

Formaliter ad argumentum, nego minorem. Ad probationem, iterum nego minorem. Ad cuius probationem dico, maiorem eſſe veram accipiendo differentia numero, & differentia ſpecie pariformiter, ſcilicet vel vt quid, vel vt modus; quia ſic opponuntur, non tamen differentia numero, vt modus, & differentia ſpecie, vt quid; quia ſic ſe compatiuntur in eiſdem: modo, quæ per ſe ſubijciuntur generi, licet differentia numerica differant, vt modus, tamen ſunt differentia ſpeciẽ, vt quid; quia ſunt intentiones ſpeciei, attributæ rebus differentibus ſpecie, vt quid.

Vel dicendum tertio. Concedendo ſequelam maioris, & negando minorem. Ad probationem dico, maiorem eſſe veram in prædicatione ſignata; falſam in exercita. Et cum probatur, quod ea, quæ per ſe ſubijciuntur generi, non differunt ſpecie, ſed tantum numero; verum eſt in actu exercito, falſum in actu ſignato, de quo tantũ loquimur; quia diffinitio generis eſt intelligenda in actu ſignato, & non exercito.

Obijcies quarto. Si genus prædicaretur de pluribus differentibus ſpecie, ſequeretur, vnum relatiuum poſſe referri ad plura correlatiua, vt ad plures terminos; ſed hoc non eſt dicendum; ergo genus non prædicatur de pluribus differentibus ſpe-

specie. Sequela maioris patet. Quia prædicari, & subiici, sunt relatiua; ergo prædicari de pluribus differentibus specie supponit subiici plura differentia specie, ad quæ terminetur huiusmodi prædicatio. Minor probatur. Tùm quia vnum relatiuum per se ad vnum correlatiuum duntaxat referri potest, ex Philosopho, quinto Meth. t. c. 20. Tum etiam, quia idem relatiuum posset habere plures quiditates totales; siquidem habitudo relatiui ad terminum, constituit relatiuum in esse quiditatiuo relatiui; ergo si plures sint habitudines, plures erunt quiditates. Tùm denique, quia posset esse, & non esse: esset quidam, per habitudinem ad illos terminos: non esset, quia posset circumscribi vnus terminus, qui cum sit totalis, destrueret totum esse relatiui; & sic esset, & non esset, quod est oppositum primi principij Metaphysici. Non contingit idem esse, & non esse.

Respondetur, sequelam maioris esse veram de correlatiuis partialibus, falsam de totalibus. Ad improbationem. cum dicitur non posse idem relatiuum referri ad plura correlatiua: dico esse verum de correlatiuis totalibus; quia tunc sequerentur illa inconuenientia allata in secunda, & tertia probatione minoris; falsum tamen de correlatiuis partialibus; quia cum huiusmodi integrent vnum totale, non sequitur, idem referri ad plura, sed tantum ad vnum: modo genus, si prædicatur de pluribus differentibus specie, non refertur ad illa, vt ad terminos totales, sed partiales, integrantes vnum terminum totalem. Quod vt meliùs, ac manifestiùs appareat, mouetur sequens difficultas, de termino prædicationis generis.

Vtrum Genus requirat multas species. Et an actu, vel aptitudine?

QVÆSTIO V.

MOuet Doct. Subt. hanc difficultatem, q. 18. Vniuersalium. Circa quam, recenset tres opiniones, quas etiam probabiles putat; ideò tamquam problematicus, primam impugnat, & postea soluit argumenta, quæ militant contra ipsam.

Prima opinio asserit. Ad Genus non requiri actu, vel potentia plures species necessariò, sed tantum aptitudine. Vndè dicit, ipsum saluari posse in vnica specie, sicuti ratio speciei saluatur in vnico indiuiduo, vt manifestum est de Sole, & de Phoenice.

Secunda opinio defendit, ad rationem generis non requiri quidem plures species actu, vel potentia existentes; exigi tamen necessariò plures ab intellectu conceptas per species intelligibiles, ab indiuiduis plurium specierum, quę aliquando extiterunt, abstractas.

Tertia opinio tamdem, exigit ad rationem Generis species actu conceptas ab intellectu, vt dicit secunda opinio; non per species intelligibiles, ab indiuiduis earum aliquando existentibus, abstractas, sed sufficere, vt aliquo modo cognoscantur ab aliquo intellectu, Deo sibi speciem, seù notitiam earumdem, immediatè inmittente.

Pro declaratione harum opinionum, primo notandum est, ex Doctore, loco citato, in corp. quæstionis; hæc ab inuicem secerni, actum, potentiam, & aptitudinem. Nàm illa dicuntur esse in actu, quæ habent esse actualiter extra suas causas. Et sic Petrus dicitur esse actu, quia existit extra suos parentes. Et etiam species animalis, scilicet homo, leo, equus, & similes, dicuntur esse in actu, quia habent esse actuale in suis indiuiduis. Illa verò dicuntur esse in potentia, quæ actualiter non sunt, tamen possunt esse extra suas causas. Et sic lapis existens deorsum, est in potentia ad esse sursum. Illa verò dicuntur esse in aptitudine, quæ sunt apta nata esse, siuè possint esse naturaliter, siuè supernaturaliter. Et sic cæcus dicitur habere aptitudinem ad videndum, cum sit animal aptum natum videre, licet naturaliter videre nequeat. Ex quo patet differētia inter illa; nam potentia potest esse sine aptitudine; quia lapis est in potentia ad esse sursum, non tamen habet aptitudinem; quia omne graue naturaliter appetit esse deorsum. Similiter aptitudo potest

esse sine potētia; quia cæcus habet aptitudinem ad videndum, caret tamē potentia, cū naturaliter videre non possit; siquidem, à priuatione ad habitum, naturaliter non datur regressus. Ad propositum. Quodlibet vniuersale, & consequenter etiam genus, aptitudinaliter dicitur de multis; quia nulli vniuersali, ex sua ratione formali repugnat prædicari de pluribus; non tamen quodlibet est in actu, vel in potentia, vt prædicetur, vel prædicari possit de pluribus; quia talis aptitudo impediri potest, quando non adsunt plura inferiora, de quibus possit enunciari, vt patet de Sole, & Phoenice.

Secundo notandum, ex eodem Doct. hic. Genus dupliciter sumi posse, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Genus primo modo, est natura generica, verbi gratia animalis, cognita ab intellectu actu recto. Genus secundo modo, est illa secunda intentio generis, scilicet prædicari de pluribus differentibus specie in quid, attributa per intellectum generi pro prima intentione. Hic est sermo de genere vtroque modo sumpto.

Tertio notandum, pro intelligentia secundæ, & tertiæ opinionis; quod in quibusdam conueniunt, & in quibusdam differunt. Conueniunt primo, quia ambæ asserunt, ad rationem Generis non requiri plures species actualiter existentes in rerum natura. Secundo conueniunt; quia vtraque dicit, ad rationem generis requiri pluralitatem specierum ab intellectu cognitarum. Differunt verò dupliciter. Primo, quia secunda opinio exigit plures species cognitas ab intellectu, quæ aliquando extiterint realiter in suis indiuiduis. Secundo, quod cognitio talium specierum habeatur in intellectu per species intelligibiles abstractas ab indiuiduis, aliquando existentibus. At tertia opinio, ex opposito, dicit, non esse necessarium, quod illæ species aliquando extiterint in rerum natura, sed sufficere cognitionem illarum infusam immediatè à Deo, vel per species intelligibiles infusas, habitam in intellectu. Exemplo differentia ista manifestatur. Si Deus annichilaret omnes species animalis, sola specie humana relicta, tunc dicit secunda opinio, posset causari ab homine, hæc secunda intentio generis in natura animalis; quia actu cognosceret species annichilatas, per species intelligibiles, abstractas ab indiuiduis cuiuslibet speciei, dum erant in rerum natura. At tertia opinio, inquit, non est necessarium, vt intellectus abstrahat huiusmodi species intelligibiles ad cognitionem cæterarum specierum animalis habendam; quia posset Deus immediatè per se infundere in illo huiusmodi cognitionem, vel mediantibus speciebus intelligibilibus infusis; atquè ità fundare secundam intentionem Generis.

Ex his, sit prima conclusio, pro prima opinione. Genus pro secunda intentione, nō requirit plures species actu, vel potētia. Probatur. Genus, & species pro secunda intentione, sunt correlatiua; ergo existente vna specie, erit genus. Antecedens patet. Quia dicitur, genus speciei genus; & species, alicuius generis species; ergo sunt correlatiua. Consequentia probatur. Quia relatiua, & correlatiua, sunt simul natura, quæ posita se ponunt, & perempta se perimunt, ex Philosopho in prædicamentis, cap. 3. de Ad aliquid; sed genus, & species sunt relatiua; ergo posita specie, ponitur genus; & posito genere, ponitur species.

Secunda conclusio eiusdem opinionis. Genus pro prima intentione, non requirit plures species actu, vel potentia. Probatur. Quia genus, & species pro secunda intentione, fundantur super genere, & specie pro prima intentione, & nequeunt esse sine illis; sed genus pro secunda intentione, non requirit plures species actu, vel potentia, vt probatum est; ergo nec pro prima intentione. Maior patet ex dictis sæpius, quod secundæ intentiones applicantur primis. Secundo probatur vtraque conclusio simul. Quia non est maior ratio de specie, quam de genere; sed vna species potest saluari in vnico indiuiduo, vt patet de Phoenice, & Sole; ergo & genus potest saluari in vnica specie. Maior patet. Quia vtraque se habent vt relatiua, & correlatiua; ergo non est maior ratio de vno, quam de alio.

Si dicatur ad maiorem, negando paritatem; quia cum genus diuidatur per duas differentias oppositas, vt animal per rationale, & irrationale; ad minus debent esse duæ species; at species cum non diuidatur per differentias sic oppositas, benè poterit

sal-

saluari in vnico indiuiduo.

Contra. Quia æquè essentiale est generi prædicari de pluribus differentibus specie, sicut speciei de pluribus differentibus numero; sed hoc non obstante, species saluari potest in vnico indiuiduo; ergo & genus in vnica specie. Maior patet. Quia vtrobique est differentia constitutiua, illa generis, & hæc speciei; ergo.

Tertia Conclusio pro eadem opinione. Genus, siuè pro prima, siuè pro secunda intentione acceptum, requirit plures species in aptitudine. Probatur. Quia quod est de quiditate superioris, est etiam de quiditate inferioris; quia superius includitur essentialiter in quolibet inferiori; sed exigere multa aptitudinaliter sub se, est de quiditate vniuersalis, quod est superius ad quinque vniuersalia, vt patet ex eius diffinitione; ergo hoc erit etiam de quiditate generis. Secundo. Quia in diffinitione Generis, ponuntur plures species; ergo necessariò exigit plures species, non actu, vel potentia, vt probatum est conclusione prima, & secunda; ergo aptitudinaliter. Consequentia patet a sufficienti diuisione, posita in primo notabili.

Quarta Conclusio, pro tertia, & quarta opinione. Genus necessariò requirit plures species in actu ab intellectu conceptas. Probatur primo. Quia in diffinitione Generis ponuntur plures species; sed hoc debet intelligi de pluralitate actu ab intellectu concepta; ergo genus requirit plures species in actu. Maior patet ex diffinitione Generis. Minor probatur. Quia impossibile est, aliquid esse aptum natum dici de pluribus speciebus, nisi illæ plures species ab intellectu appræhendantur; sed per te, genus est aptum natum prædicari de pluribus differentibus specie; ergo illæ plures species debent esse in actu. Consequentia ista probatur. Quia nulla natura potest dici species, nisi actu concipiatur ab intellectu cum proprietate correspondente quiditati speciei; ergo si plures species concipiantur, debent esse in actu. Secundo sic. Genus refertur ad plures species; sed nequit referri ad plures aptitudinaliter, vel actualiter existentes; ergo ad plures actu cognitas ab intellectu. Maior patet. Quia genus, & species sunt relatiua, ex Porphyrio, cap. de specie; sed plures species ponuntur in diffinitione generis; ergo genus refertur in alm res species. Minor probatur, quoad p ad p u partem; quia de secunda, constat e x dictis, conclusione prima, & secunda. Quia relatiua rationis, non sunt relatiua aptitudinalia, sed actualia; quia relatio rationis nequit causari, nisi fundamentum, & terminus actu comparentur ad inuicem, & consequenter, nisi sint actu cognita; sed genus, & species sunt relatiua rationis, ex dictis sæpius, quia sunt secundæ intentiones, obiectiuè, & concretiuè sumptæ; ergo sunt relatiua rationis; & sic actualia, & non aptitudinalia.

Obijcitur contra conclusiones primæ opinionis multipliciter, & primo sic. Quia id, quod ponitur in diffinitione generis, necessariò exigitur ab eo; quia diffinitio dicit quiditatem, quæ necessariò reperitur; sed plures species ponuntur in diffinitione generis, vt patet; ergo.

Respondetur, maiorem esse veram, vel in actu, vel in aptitudine; modò plures species tantum necessario aptitudinaliter ponuntur in diffinitione generis, & non actu, vel potentia.

Contra. Quia genus actu diuiditur per differentias oppositas, quarum quælibet est constitutiua speciei; ergo saltem duæ species exiguntur actu.

Respondetur, antecedens esse verum aptitudinaliter, non actualiter, & potentialiter: & licet aliquod genus diuidatur actu per differentias oppositas, hoc non est de ratione generis, vt patet; quia non ingreditur eius diffinitionem, sed accidit sibi, actu diuidi per differentias oppositas.

Obijcitur secundo. Species non debet prædicari de æqualibus cum genere, ex Aristotele, quarto Topic. c. primo, vbi dicit, quod si species potest prædicari de æqualibus cum genere, interimitur genus; sed si genus haberet tantum vnam speciem, prædicaretur de æqualibus cum specie, & species de æqualibus cum genere; quia prædicaretur de indiuiduis contentis sub vna specie; ergo.

Respondetur, maiorem, & probationem habere veritatem in aptitudine, non tamen in actu; quia sic, non inconuenit, genus, & speciem posse prædicari de æqualibus, cum genus possit saluari in vnica specie.

Obijcitur tertio Philosophus, quarto Topic. cap. 3. & quarto, dicens. Omnis generis plures sunt species. Insuper, Boetius, lib. de Diuisione, inquit. Minus duarum specierum, sub vno genere esse non possunt, ergo.

Respondetur, has, & similes auctoritates, siuè Philosophi, siuè Boetij, aut alterius Doctoris classici habere veritatem in aptitudine, non tamen in actu, vel potentia, vt declaratum est in primo notabili.

Obijcitur quarto. Nihil est aptum natum dici de pluribus, nisi illa plura sint apta nata recipere prædicationem illius; sed secundum primam opinionem, aptitudo talis sufficit, vt possit dici genus in actu; ergo aptitudo participandi genus in speciebus sufficiet, vt sint plures species in actu. Maior patet. Quia aptitudo dicit respectum ad aliud. Minor probatur. Quia æquale esse sufficit vtrique correlatiuo; sed genus, & species sunt correlatiua, & aptitudo in genere sufficit ad esse actuale illius; ergo & in specie sufficiet.

Respondetur. Duplicem esse aptitudinem, scilicet propinquam, & remotam. Prior dicit ordinem ad actum; & ista semper est possibilis; vt est risibilitas in homine; quia aptitudo ad ridendum, potest reduci ad actum ridendi. Posterior verò non dicit ordinem ad actum possibilem naturaliter, sed tantum ad non repugnantem; & sic Sol dicit aptitudinem ad plures Soles; quia quantum est de se, haberet plures Soles; hoc autem naturaliter est impossibile; quia nullum agens creatum repetitur, quod habeat talem actiuitatem producendi plures Soles; propterea eius aptitudo ad plures, potius dicenda est non repugnantia, quam aptitudo.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram de aptitudine propinqua, non de remota.

Vel dicendum, minorem esse falsam. Quia genus non constituitur in esse per talem aptitudinem, sicut nec homo per risibilitatem, sed tantum manifestatur per illam in esse constitutum.

Dices. Ergo aptitudo in speciebus ad recipiendum prædicationem generis, licet non constituat species in actu, saltem manifestabit eas in actu constitutas. Sicut genus, non constituitur, sed tantum manifestatur in esse constitutum per eamdem aptitudinem ad prædicandum de speciebus.

Respondetur, negando paritatem. Quia genus, cum sit superius, continet species tantum in potentia; ideò aptitudo prædicandi de pluribus speciebus in genere, potest sequi genus in actu; at species continet genus in actu, vt patet de homine respectum animalis; ideò aptitudo recipiendi prædicationem generis, non constituit, nec sequitur necessariò species in actu positas.

Vel dicendum, concedendo illatum de specie subijcibili, quæ constituitur in esse per comparationem ad genus, vt dicemus inferius, cap. de specie; & ideò manifestatur, & ipsa in esse posita per aptitudinem recipiendi prædicationem generis, non realiter, sed secundum esse cognitum ab intellectu, vt dictum est in probatione conclusionis quartæ.

Ad argumenta conclusionis quartæ, in quantum militant contra tertiam conclusionem primæ opinionis, in quam videtur potiùs inclinare Doctor, respondetur.

Ad primum dico, maiorem esse veram de aptitudine propinqua, quæ dicit ordinem ad actum, non tamen de remota, quæ tantum dicit non repugnantiam. Modò genus non dicit necessariò aptitudinem propinquam ad plures species, sed sufficit, vt dicat remotam.

Ad secundum dico, maiorem esse veram aptitudinaliter non actualiter; quia sic non necessariò refertur ad plures species, sed sufficit, vt referatur ad vnam, ad hoc vt dicantur relatiua actualia, genus, & species; vt dictum est in probatione primæ, & secundæ conclusionis.

Quia tamen Doctor videtur sustinere etiam quartam conclusionem problematicè; ideò respondetur ad argumenta, quibus probantur duæ primæ conclusiones pro prima opinione, dicendo, probare quidem non requiri plures species actu, vel potentia existentes in rerum natura ad rationem generis; non tamen concludere, non esse necessarias plures species actu cognitas ab intellectu, vt dicit quarta opinio; & sic non militant contra ipsam, vnde.

Ad

Ad primum dico. Genus, & speciem esse relatiua, vt diffiniuntur ad inuicem, at certum est, genus non diffiniri posse per vnam speciem, cum plures ponantur in eius diffinitione data per Porphyrium; igitur plures requiruntur in actu; non existentes, vt benè probatum est; ergo actu ab intellectu conceptæ.

Ad secundum, pro secunda conclusione, concedo paritatem de speciebus, vel individuis actu, vel potentia existentibus; quia in his non requiritur pluralitas actualiter, vel potentialiter, sed sufficit aptitudinalis; at loquendo de eisdem, actu cognitis, nego minorem. Quia non potest concipi, genus, vel species aptitudinaliter referri per prædicationem ad plura, quin actu concipiantur illa plura; aliter non posset adæquatè intellectus conficere secundas intentiones generis, vel speciei, cum non essent cogniti termini, ad quos secundum aptitudinem se extendunt. Ad probationem de Sole, & de Phoenice, dico verum esse, speciem saluari in vnico indiuiduo secundum actualem existentiam, non tamen secundum aptitudinem, actu ab intellectu conceptam; quia sic requiruntur plura indiuidua, saltem actu ab intellectu cognita, & comparata ad speciem pro prima intentione.

Vtrum illa particula, in quid, conuenienter ponatur in Diffinitione Generis?

QVÆSTIO VI.

PRo declaratione huius difficultatis, primo notandum est; quod prædicari in communi diuiditur, tamquam per primos modos prædicandi, in quid, & in quale. Quod notanter dicitur; quia aliud est prædicari in quid, & aliud est prædicari quid; & similiter, aliud est prædicari quale, & aliud in quale. Nam prædicari quid de aliquo, est prædicari quiditatem, seu esse de essentia illius; vt in hac propositione; homo est animal; ly animal, prædicatur quid de homine; quia dicit partem essentiæ, & quiditatis eius. Prædicari autem in quid, est modus prædicandi essentiam per modum quid, idest per se stantis. Et sic genus prædicatur in quid; quia cum sumatur a parte materiali, & materia habeat rationem substantis, seu per se stantis, ideò genus prædicatur in quid. Prædicari autem quale de aliquo, est prædicari qualitatem, seu vniuersaliùs loquendo, est prædicari accidens de eo, de quo prædicatur. Vt homo est doctus, vel albus. Prædicari autem in quale, est modus prædicandi, siuè accidens, siuè essentiam per modum qualis, seu denominantis. Vt homo est rationalis, vel doctus. Ex quo sequitur, quod aliquid potest prædicari quid, sed non in quid. Vt rationale, prædicatur quidem quid, quia est de quiditate hominis, non tamen prædicatur in quid, sed in quale; quia prædicatur illam partem essentiæ per modum qualis, seu denominantis, & non per modum per se stantis, vt alibi dictum est; siquidem, secundum Philosophum, differentia est quædam qualitas.

Secundo notandum est, tàm quid, quàm quale, dupliciter accipi posse, scilicet strictè, & largè. Primo modo, quid, cum dicat essentiam, quæ præsertim reperitur in prædicamento substantiç, tãtum conuenit substantiæ. Et sic accipiendo quid, accidentia non possunt prædicari, quid, de suis inferioribus, sed tantum substantiæ; vt animal, de homine, leone &c. Secundo modo, cum quid, dicat essentiam, quç etiam secundariò reperitur in alijs prædicamentis a substantia, benè potest illis conuenire. Et sic color, quàmuis accidens, prædicatur quid de albedine, & nigredine, cum sit de earum essentia, tamquàm genus de suis speciebus. Similiter etiam quale, strictè acceptum, cum significet qualitatem, nequit conuenire alijs rebus à prædicamento qualitatis: at secundo modo, cum se extendat ad omne illud, quod potest denominare subiectum accidentaliter, reperitur in omni prædicamento accidentium. Et sic etiam quantitas, & relatio prædicantur quale; quia denominant accidentaliter sua subiecta, in quibus sunt.

Tertio notandum est, quod omne, quod prædicatur quale, prædicatur etiam in quale. quia cum prædicari in quale, sit prædicari per modum denominantis, & omne accidens denominet substantiam, sequitur, omne accidens, quod præ-

prædicatur quale, etiam prædicari in quale. Cæterum non valet è conuerso, scilicet, omne, quod prædicatur in quale, prædicari etiam quale; quia differentia quiditatiua prædicatur in quale de specie per ipsam constituta, non tamen prædicatur quale, idest accidens; quia differentia, cum sit pars diffinitionis speciei, est de essentia eiusdem.

Ex his, sit prima Conclusio. Genus prædicatur in quid de suis speciebus. Probatur Quia id quod prædicatur essentiam per modum per se stantis, prædicatur in quid; vt patet ex not. primo; sed Genus prædicatur essentiam specierum per modum per se stantis; ergo prædicatur in quid de illis. Minor probatur. Quia Genus prædicatur essentiam ad modum substantiæ; ergo per modum per se stantis; siquidem per se stare, est modus intrinsecus substantiæ, per quem differt ab alijs prædicamentis, quæ habent esse in alio, vt in subiecto. Antecedens probatur. Quia Genus prædicatur essentiam, quæ sumitur à parte materiali, ex Aristotele, quinto meth. t.c. 10. & Porphyrio, cap. de differentia; sed materia habet modum substantiæ, cum non sit in alio, nec tamquam accidens in subiecto, nec tamquam forma; aliter, vltra materiam primã, daretur alia materia, quod est falsum, ergo prædicantur ad modum per se stantis; & sic in quid.

Secunda Conclusio. Hæc particula, in quid, conuenienter ponitur in diffinitione Generis. Probatur. Quia huiusmodi particula, in quid, ponitur in diffinitione, vt differentia quiditatiua; ergo conuenienter ponitur. Consequentia patet. Quia diffinitio constat ex genere & differentia, ex Aristotele, septimo Meth. t.c 43. Antecedens probatur. Quia differentia est per quam genus descendit in speciem, ex Porphyrio, cap. de Differentia; sed per ly in quid, descendit vniuersale in genus, tamquàm in suam speciem: ergo Minor probatur. Quia vniuersale diuiditur per prædicari in quid, & in quale, vt diximus superiùs sæpissimè; sed per prædicari in quale descendit in differentiam, proprium, & accidens: ergo per ly in quid, descendit in genus, & in speciem. Secundo probatur primum antecedens. Quia Genus per ly in quid, differt à proprio, differentia, & accidente, quæ dicuntur in quale, ex Porphyrio, cap. de Genere; ergo ly in quid, est differentia in diffinitione Generis. Consequentia patet. Quia differentia est, qua vnum differt ab alio, ex eodem Porphyrio, cap. de differentia.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Si ideò genus prædicatur in quid, quia prædicatur essentiam per modum essentiæ; ergo & lapis prædicatur in quid de homine; sed consequens est falsum; quia hæc est falsa; homo est lapis; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur. Quia lapis non prædicatur de homine per modum informantis, seù denominantis, cum sit substantia; ergo per modum quid, idest substantis; ergo in quid.

Respondetur negando sequelam maioris. Quia Genus est superius essentialiter inclusum in his inferioribus; vt animal, includitur in homine, leone, equo &c. at lapis, nec est superius quoddam ad hominem, nec essentialiter includitur in eo; ideò quamuis prædicet substantiam, & non accidens, non potest tamen prædicari de homine.

Obijcies Secundo. Si Genus prædicaretur in quid, sequeretur, Genus non esse vniuocum logicè omnibus generibus; sed consequens est falsum, ex q. prima de Genere; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur. Quia prædicari in quid, non est vniuocum logicè; ergo si genus prædicatur in quid, non esset vniuocum logicè omnibus generibus. Antecedens probatur. Quia prędicari in quid, est prædicari essentiam per modum essentiæ; sed nulla essentia est vniuoca logicè omnibus generibus, vt probauimus supra, quæstione prima huius disput. ergo, &c.

Respondetur, quod ly in quid, dupliciter consideratur, scilicet pro prima intentione, & pro secunda intentione. Primo modo dicit essentiam substantiæ, quantitatis, qualitatis, &c. Secundo verò modo, dicit modum prædicandi substantiæ, quantitatis, qualitatis, &c. de suis inferioribus. Si ly in quid, accipiatur pro prima intentione, non est vniuocum logicè; quia nequit prædicari, vt essentia communis de rebus omnium generum sub ratione alicuius horum quinquè Vniuersalium: at secundo intentionaliter, est vniuocum logicè; quia attribuitur re-

rebus omnium generum, vti genus: sicut enim substantia prædicatur in quid de suis inferioribus, ità quantitas, qualitas, & relatio de suis.

Obijcies tertio. Illud prædicatur in quid, per quod conuenienter respondetur ad interrogationē factam per quid, per Porphyrium hoc eodem cap. in fine; sed ad interrogationem per quid, factam de specie pro secunda intentione, non respondetur per genus pro formali, de quo hic est sermo; ergo genus non prædicatur in quid. Minor probatur. Nam si quæratur, quid est species; falsò respondetur, esse genus; ergo, &c.

Respondetur, sicut duplex est prædicatio scilicet exercita & signata, ità duplex est interrogatio, in actu exercito, & signato. Prior fit per verbum est: vt quid est homo, vel species? Posterior verò, per verbum prædicatur, dicitur, vel aliud æquiualens; vt de quo, vel quibus dicitur genus pro secunda intentione? Si fiat interrogatio in actu exercito, dicendo quid est homo, vel species? respondetur per genus pro prima intentione, scilicet est animal. Si fiat verò interrogatio in actu signato: vt de quibus dicitur Genus in quid? respondetur, de suis speciebus. Vel quid prædicatur de specie in quid? Respondetur, Genus Ex his, formaliter ad argumentum dico, minorem esse veram, loquendo de interrogatione exercita; falsam designata. Ad probationem dico, illam propositionem ideò esse falsam, quia non benè respondetur per genus pro prima intentione, sicut procedit interrogatio de specie pro prima intentione: at si fieret de specie pro secunda intentione, & in actu signato, dicendo. Quid prædicatur de specie in quid? statim daretur optima responsio, per genus. Vndè sequitur, genus prædicari in quid, in actu signato de speciebus.

Obijcies quarto, contra secundam conclusionem. Illa particula in quid, frustra ponitur in diffinitione generis; ergo non est conuenienter posita. Consequentia est nota. Antecedens probatur. Illa particula frustra ponitur in diffinitione, quæ non facit distinguere diffinitum à quocumque non est ipsum, ex Philosopho, quarto Physicorum, t. c. 62. Quia frustra dicitur illud, quod non fit illius gratia, cuius natum est fieri; sed hæc particula in quid, ponitur ad distinguendum genus à differentia, à qua tamen non distinguit; ergo frustra &c. Minor probatur. Quia differentia superior prædicatur per se primo de differentia inferiori, vt sensibile de rationali; sed non prædicatur in quale; igitur in quid; ergo per illam particulam non distinguitur genus à differentia, vt intendebat Porphyrius. Maior est Aristotelis, septimo Meth. t. c. 43. vbi vult, hanc esse per se primo. Fixio pedis est pedalitas quædam. Et tamen sunt ambæ differentiæ distinguentes diuersas species animalium. Minor probatur. Quia tunc differentia superior descenderet per seipsam in differentiam inferiorem; sed hoc est falsum; quia tunc idem esset contrahens, & contractum, quod implicat. Sequela maioris probatur. Quia superius descendit in inferius per id, quod prædicatur in quale; vt animal, descendit in hominem per rationale, quod prædicatur in quale essentiale de homine; ergo si differentia superior descendit in inferiorem, & prædicatur in quale, tunc descenderet per se ipsam.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, nego minorem. Ad cuius probationem dico, differentiam superiorem posse ad duo comparari, v. g. sensibile, vel ad speciem subalternam, quam constituit, scilicet animal; & ad eius inferiora, nimirum hominem, leonem, equum &c. vel ad differentiam inferiorem, scilicet ad rationale, & irrationale. quæ sub ipsa continentur, vt inferiora. Primo modo, habet rationem differentiæ, & prædicatur in quale. Secundo modo, habet rationem generis, & prædicatur in quid de suis differentijs inferioribus. Vnde sequitur, per ly in quid, distingui genus à differentia comparata ad suam speciem; quia sic est differentia; non tamen ab eadem comparata ad differentias inferiores; quia sic, non est differentia, sed genus.

Contra. Quia tunc essent triginta genera generalissima, contra Aristotelem, quinto Meth. t. c. 14. & in Prædicamentis; ergo Sequela probatur. Quia in omni genere essent tres coordinationes, scilicet vna generum, & specierum, & duæ differentiarum, quarum quælibet constitueret vnum prædicamentum; & sic essent triginta genera

ge-

generalissima, quod est falsum. Tum quia, si differentia superior esset genus, & inferior species, essent infinitæ differentiæ; sed hoc est impossibile; quia tunc essent infinitæ species, quod non est admittendum; ergo, &c. Sequela maioris probatur. Quia quælibet species constituitur per suam differentiam; ergo differentia inferior haberet aliã differentiam se constituentem in ratione speciei; tunc quæro de illa differentia, vel est species, vel non: si non; ergo pari ratione nec prima differentia esset species: si verò esset species; ergo esset constituta per aliam differentiam, de qua quæram sicut prius; & sic daretur processus in infinitum in differentijs, & speciebus.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem, nego consequentiam. Quia duæ coordinationes laterales reducuntur ad directam. Modo prædicamenta distincta, sunt ità impermixta, vt vnum nequeat reduci ad aliud.

Ad secundum. Dico cum Doctore, lib. primo Post. q. 24. ad argumenta principalia, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, quod illa differentia, quæ est species, aliam differentiam habet, quæ tamen non est species; nec habet aliam differentiam, cum sit vltima, & dicat conceptum simpliciter simplicem, scilicet non resolubilem in alium conceptum, in quo conueniat, & per aliud differat. Et sic, vltrà non proceditur in differentijs, sed datur status in illa differentia speciei.

Dices. Non est maior ratio de vna, quam de alia; igitur si vna differentia est species, & alia pariter debet esse species. Vnde, cum quælibet differentia constituat vnam speciem, sicut possunt multiplicari species in infinitum, ità, & differentiæ possunt esse infinitæ.

Respondetur, ex eodem Doct. ibidem: & in primo d. 3 q. 3. O. & in 2. d. 3. q. 6. G. Differentiam dupliciter considerari posse, scilicet pro connotato, & pro formali, seu pro illo, pro quo supponit, & pro illo, quod importat. Differentia pro connotato, seu pro quo supponit, non dicit nisi speciem, quam constituit; vt rationale hoc modo dicit ipsum hominem. Differentia verò pro formali, significat seipsam, vt rationale importat ipsam rationalitatem: quæ dupliciter sumitur; vno modo, prout sumitur à forma; alio modo, vt sumitur ab vltima realitate formæ, scilicet vltimo gradu animæ rationalis, qui est nobis incognitus. Differentia primo modo, includit superiorem quiditatiuè; quia rationale hoc modo non est aliud præter hominem; sed homo, includit quiditatiuè sensibile; igitur & rationale. Differentia verò secundo modo, similiter includit superiorem quiditatiuè; quia rationale, hoc secundo modo dicit animam intellectualem; sed anima includit sensibile; ergo & rationale includit sensibile. At differentia tertio modo, non includit quiditatiuè superiorem; quia est simpliciter simplex, non conueniens in aliquo, nec per aliquid differens. Et in hac datur status; quia est ità differentia, vt non possit esse species.

Obijcies quinto. Si hæc particula, in quid, conuenienter poneretur in diffinitione Generis, hoc ideò esset, quia facit distinguere genus ab accidente; sed consequens est falsum; ergo & id ex quo sequitur. Sequela maioris patet ex Porphyrio, cap. de Genere. Minor probatur. Quia accidens etiam prædicatur in quid; cum in omni genere sit reperire quid, ex Aristotele, primo Topicorum, cap. 7. & patet; quia color prædicatur in quid de colore albo, nigro, flauo, rubeo &c.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, maiorem esse veram in ordine ad sua inferiora; quia, vt sic, sunt genera, & species: falsam in ordine ad subiectum; quia sic accidens prædicatur in quale. Et hoc modo distinguitur à genere per prædicari in quid, vt aliàs dictum fuit.

Vtrum Genus sit principium speciei?

QVÆSTIO VII.

Ista quæstio, citrà controuersiam, mouetur, cum omnes sequantur Porphyrium dicentem, genus esse principium speciei. At cum non sit ità manifestum de quo genere loquatur, scilicet pro formali, vel pro materiali; ideò quibusdam notatis, deueniemus ad resolutionem difficultatis.

Primo notandum est, vel potiùs ad memo-

moria reuocandum, quod sæpiùs diximus; nimirum genus, & speciem dupliciter accipi posse, scilicet pro prima, & pro secũda intentione. Hic est sermo de genere, & specie pro prima intentione, vt sit sensus. Vtrum Genus, idest animal; sit principium constiruriuum speciei, scilicet hominis?

Secundo notandum, ex Philosopho, & Commentatore, quinto Meth. t. c. primo, 2. 3. & 4. principia esse multiplicia; tamen in proposito sunt rantum duplicia, scilicet realia, & rationis, seù physica, & methaphy. sica. Principia realia, seu physica sunt illa, quæ componunt compositum physicum, quod, & totum physicum nominatur; & principia, dicuntur eius partes physicæ, vt sunt corpus, & anima rationalis respectu hominis. Principia verò rationis, seu methaphysica sunt illa, quæ componunt, seù constituunt compositum, seù totum methaphysicum; vt genus, & differentia, scilicet animal, & rationale respectu hominis. Modo cum quæritur. An genus pro prima intentione sit principium speciei; non quæritur de principio physico, sed de methaphysico.

Tertio notandum, ex Doctore, q. 19. & 20. Vniuers. & in primo, d. 8. q. 3. & in secundo, d. 3. q. 6. & 7. quod ista principia ordinãtur ad inuicem. Nam principia methaphysica sumuntur à physicis; quia genus, cum à Porphyrio assimiletur materiæ, & differentia formæ, ideo genus debet sumi à principio materiali physico, differentia verò, à formali. Vnde animal in homine, sumitur à corpore, saltem cum anima sensitiua, quod est materia; & rationale, ab anima rationali, quæ est forma dans esse homini.

Quarto notandum, ex Doct. nedum in locis proximè citatis, sed etiam q. 16. Vniuers. principia physica, & methaphysica, in aliquibus conuenire, & in aliquibus differre. Conueniunt in hoc; quod sicut principia physica non prædicantur verè de se inuicem, & ratione sui, ità, & methaphysica; quia sicut hæ sunt falsæ: corpus est anima, & anima est corpus; ità pariter hæ sunt falsæ: animal est rationale, rationale est animal. Et licet concedatur ista: rationale est animal, accipiendo rationale pro homine, quem connotat; non tamen ratione sui, & formaliter acceptum. Differunt verò dupliciter; & primo, quia principia physica nequeunt prædicare in recto de suo composito; nam hæ sunt falsæ: homo est corpus, homo est anima; at methaphysica benè prædicantur in recto de suo toto; vt homo est animal, homo est rationalis. Secundo differunt; quia principia physica concurrunt in composito secũdum esse existentiæ; methaphysica verò, secundum esse essentiæ, & quiditatiuum, Vt homo, prout habet esse existentiæ in rerum natura, dicitur compositus ex anima, & corpore; prout verò habet esse quiditatiuum, ex animali, & rationali. Cum igitur genus, puta animal, conueniat speciei, scilicet homini verè, & in esse quiditatiuo, sequitur genus esse principium methaphysicum, & non physicum, respectu speciei.

Ex his, sit prima Conclusio. Genus pro secunda intentione, non est principium speciei. Probatur. Quia omne principium, vel est physicum, vel methaphysicum; sed neutrum istorum est genus pro secunda intentione; ergo, &c. Minor probatur. Quia principium, siuè physicum, siuè methaphysicum, est pars principiati; sed genus pro secunda intentione, non est pars speciei, quia nullum disparatum est pars sui disparati; at genus, & species pro secunda intentione, sunt disparata, cum sint duæ species vniuersalis in communi, vt visum est superiùs; ergo genus pro secunda intentione nequit esse pars speciei, & consequenter neque principium eiusdem.

Secunda Conclusio. Genus pro prima intentione, seù pro fundamento acceptum, est principium speciei eodem modo sumptæ; non physicum, sed methaphysicum. Probatur prima pars. Quod est essentiale principium cognoscendi speciem, est etiam essentiale principium essendi speciei, ex Philosopho, 2. Metaph. t. c. 4. vbi dicit, ità rem se habere ad cognosci, sicut ad esse; sed genus pro fundamento, est essentiale principium cognoscendi speciem pro prima intentione, cum diffiniatur species per genus, vti per partem diffinitionis essentialis, ex Aristotele primo Topic. cap.

cap. 4. & sexto Topic. cap. p. ergo genus est essentiale principium cognoscendi speciem; & sic etiam essendi. Secunda pars probatur. Quia principium physicum, non prædicatur in recto de principiato, sed benè methaphysicum; sed genus pro fundamento, prædicatur in recto de specie similiter sumpta; ergo est principium methaphysicum, & non physicum. Confirmatur. Quia principium physicum, competit principiato secundum esse existentiæ; & methaphysicum, secundum esse quiditatiuum; sed genus conuenit speciei in esse quiditatiuo consideratæ, vt dictum est in quarto, no. ego genus est principium Methaphysicum, & physicum speciei.

Obijcies primo. Idem nequit esse principium, & principiatum; sed genus pro prima intentione est idem cum specie similiter accepta; ergo. Maior patet. Quia nihil gignit se ipsum, ex D. August. 7. de Trinit. cap. vltimo Minor probatur dupliciter. Primo. Quia Philosophus, septimo Meth. t. c. 43. inquit; genus nihil aliud esse, præter ea, quæ sunt generis species. Secundo. Quia quod prædicatur per se primo de aliquo, non est distinctum ab illo; sed genus prædicatur per se primo de specie; quia ista est per se primo: homo est animal; vt vidimus supra, quæst. 3. huius Disputat. ergo.

Respondetur primo. Maiorem esse veram de principijs physicis; quia talia distinguuntur realiter à suis principiatis: falsam de methaphysicis; quia sicut principium methaphysicum, vt puta animal respectu hominis, potest esse totum & pars; totum, prout prædicatur de eo; pars verò, prout ponitur in eius diffinitione; ita non inconuenit, idem esse principium methaphysicum, vt est pars diffinitionis; & principiatum, vt est pars diffiniti.

Vel dicendum secundo. Maiorem esse veram de illis, quæ sunt omninò eadem, & nullo modo distincta; non tamen si aliquo modo distinguantur, saltem ex natura rei, vt est in proposito; quia animal, vt est genus pro fundamento, distinguitur ex natura rei ab homine: & sic, quod est idē formaliter alicui, & distinctum ex natura rei, potest esse principium, & principiatum; vt exemplificatum est in præcedenti responsione.

Obijcies secundo. Genus est totum respectu speciei; ergo non est principium. Antecedens probatur, ex Porphyrio, cap. de specie, in fine; & ex Philosopho, primo Physicorum, t. c. 4. Consequentia patet. Quia principium est simplicius principiato; sed totum non est simplicius; imò compositiùs eo, cuius est totum; ergo totum nequit esse principium respectu alicuius.

Respondetur, totum esse duplex, scilicet actuale, & potentiale. Totum actuale est, quod continet suas partes actualiter. Et sic, quodlibet inferius dicitur totum respectu superiorum; quia continet illa in actu; vt patet de homine respectu animalis, corporis animati, corporis, & substantiæ, quæ in se actu continet. Potentiale est, quod continet suas partes potentialiter. Et sic quodlibet superius dicitur totum respectu sui inferioris; vt animal respectu hominis, leonis &c. Totum actuale nequit esse pars respectu alterius totius actualis, sed benè totum potentiale potest esse pars respectu totius actualis; vt animal respectu hominis, & corpus animatum respectu animalis, & sic de alijs, ascendendo vsque ad substantiam.

Formaliter ad argumentum dico. Antecedens esse verum de toto potentiali, non actuali. Ad probationem consequentiæ dico, minorem esse veram de toto actuali, & non potentiali; quia tale est simplicius, eo cuius est totum potentiale.

De Specie.

CAPVT III.

Explicata natura Generis, sequitur Porphyrius intentum, declarando naturam speciei in hoc tertio capite. Quod diuiditur in quatuor partes; in quarum prima proponit duas acceptiones speciei, & incipit ibi. Species autem dicitur quidem, & de vniuscuiusque forma. In secunda, tradit duas diffinitiones speciei, quæ incipit ibi. Assignant ergo, & sic species, &c. In tertia verò, ponit ordinem prædicamentalem Generum, & specierum Prædicamenti substantia ibi. Fiat in vno quidem prædicamento manifestum &c. quod dicitur substantia. In quarta tandem, definit Indiuiduum, duabus

bus diffinitionibus ibi. Indiuidua autem dicuntur huiusmodi &c.

Quoad primam partem dicit, speciem dupliciter accipi posse; vno modo pro speciositate, seu pulchritudine cuiuslibet rei; quo modo dicebant Prisci de formositate Priami. Specie Priami digna est imperio. Et Aristoteles, primo Ethicorum. Non omninò felix, qui specie turpissimus est, aut sine prole. Alio modo pro eo, quod immediatè, & directè ponitur sub assignato genere: vt homo est species animalis; albedo coloris, & triangulus est species figuræ.

Deinde remouet vnam tacitam obiectionem. Cum enim superius, genus sit diffinitum per speciem, nè committatur circulus in diffinitionibus generis, & speciei, species non habet diffiniri per genus, dicendo; genus, & speciem esse relatiua, quorum esse, est ad aliud se habere, scilicet ad terminum sui correlatiui; ideò necesse est in vtrorumque rationibus, vtrisque vti; scilicet in diffinitione generis poni speciem, & in diffinitione speciei poni genus. Quod enim dicitur genus, dicitur alicuius speciei genus; & quod species, alicuius generis species, necessariò dici debet.

Quoad secundam partem, ponit duas diffinitiones speciei. Primam in ordine ad genus, cum sit correlatiuum generis. Secundam verò, in ordine ad indiuidua, ad quæ pariter refertur.

Prima Diffinitio. Species est, quæ ponitur sub assignato genere, & de qua genus in eo quod quid prædicatur. Vt homo, est species animalis; animal corporis animati; corpus animatum, corporis; & corpus substantiæ. Quia vnumquodque in Arbore prædicamentali, immediatè ponitur sub altero; vt patebit in sequenti figura. Et hæc diffinitio competit tantum speciei subijcibili, siue specialissimæ, siuè subalternæ; idest, in quantum dicit habitudinem inferioris ad superius, vt subiecti ad suum prædicatum.

Secunda Diffinitio. Species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid. Vt homo, de Petro, Paulo, Francisco, Antonio &c. Et hæc diffinitio conuenit speciei per habitudinem ad indiuidua; cuiusmodi est sola species specialissima, quæ, quia prædicatur de pluribus, idcircò species prædicabilis nuncupatur.

Quoad tertiam partem. Subiungit ordinem Prædicamentalem, qui maximè iuuat ad intelligentiam diffinitionum speciei. Et talis consistit in his quinquè prædicatis, scilicet substantia, corpus, corpus animatum, animal, & homo. Ex quibus, primum, scilicet substantia, dicitur genus generalissimum: vltimum verò, scilicet homo, dicitur species specialissima; reliqua autem tria, dicuntur genera, & species subalterna, ad aliud, & aliud comparata.

Vndè Genus generalissimum dupliciter diffinitur à Porphyrio. Genus generalissimum est illud, quod non habet aliud genus superueniens. Vt est substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, situs, habitus, vbi, & quando. Et licet ens, sit superius ad ipsa, non tamen dicitur genus; quia non est vniuocum, sed æquiuocum, logicè loquendo. Si quis enim omnia entia vocet, æquiuocè nuncupabit; cum tantum vocem omnibus communem, & non conceptum quidditatiuum prædicabilem de illis, sub ratione alicuius horum quinque vniuersalium, proferat.

Secundo Diffinitur Genus generalissimum per hoc. Quod ità est genus, vt non possit esse species. Quæ diffinitio declaratur ex prima. Enimverò, cum de ratione speciei sit, quod habeat genus supra se, & genus generalissimum ex præcedenti diffinitione, non habeat aliud genus supra se, sequitur ità esse genus, vt species esse nequeat.

Species verò specialissima est illa, quæ cum sit species, non potest esse genus; vt homo leo &c. Quæ diffinitio explicatur. Quod ad rationem generis requiratur, vt habeat species sub se. Cum igitur species specialissima, nullam speciem, sed tantum indiuidua sub se contineat, ità species dicenda est, vt genus dici non possit.

Genus verò subalternum, & species subalterna, dicuntur genera, & species, secundum diuersam habitudinem. Nam, si corpus ad substantiam comparetur, cum ponatur sub immediato genere, dicitur species subalterna. Si verò ad corpus animatum, animal, & cætera ordinetur, genus subalternum nuncupatur; quia de illis, vt de differentibus specie in quid, prædicatur; vt clarius ostenditur in sequenti Arbore.

Ar-

ARBOR PRÆDICAMENTI
SVBSTANTIÆ.

Genus,	Substantia	& non species.
Genus,	Corpus	& species.
Genus,	Corpus animatum	& species.
Genus,	Animal	& species.
Species,	Homo	& non Genus.

Ex his, infert duo corollaria, quorum primum est. Quòd descendendo à generalissimis vsquè ad specialissima, iubet nos Plato quiescere. Quod probat dupliciter. Primo. Quia talis descensus fit per differentias formales; vt patet de substantia, per corpoream, & incorpoream; de corpore, per animatum, & inanimatum; de corpore animato, per sensibile, & insensibile; de animali, per rationale, & irrationale. Cum igitur species specialissima non diuidatur per alias differentias formales, sed solum per indiuiduales, quæ materiales dicuntur, immediatè descendat in indiuidua; ideò in specialissimis quiescendum est. Secundo. Quia indiuidua sub specie specialissima, tendunt in infinitum; sed infinitum est excludendum ab arte; quia de infinitis non potest haberi scientia; igitur in specie specialissima, quiescere debemus.

Secundum Corollarium. Descensus a Generalissimis ad specialissima, fit per diuisionem vnius in plura: ascensus verò, quo à specialissimis ad generalissima ascendimus, fit per collectionē plurium in vnum. Prima pars patet, ex dictis. Secunda probatur. Quia ascensus à specialissimis, procedit a collectione singularium in aliquod commune; quod patet in natura humana; quia participatione speciei humanæ, plures homines sunt vnus homo: in natura animalis, plura animalia sunt vnum animal; & sic de cæteris discurrendo, vsquè ad substantiam, quæ est genus generalissimum.

Quoad quartam partem. Notificat indiuiduum per duas diffinitiones, quarum prior est talis. Indiuiduum est, quod prædicatur de vno solo. Vt Petrus, de seipso, dicendo. Petrus est Petrus. Posterior diffinitio. Indiuiduum est illud, cuius collectio proprietatum, quæ in vno est, in alio esse non potest. Et declaratur sic. Proprietates præcipuæ, in indiuiduo cōuenietes, sunt forma, figura, locus, tempus, sanguis, patria, & nomen proprium; quæ licet diuisim, omnibus indiuiduis sint communes, tamen collectiuè, quæ sunt vnius, alterius esse non possunt. Non enim possunt reperiri duo indiuidua, quæ habeant eamdem formam, scilicet temperiem in quatuor qualitatibus; eamdem figuram, scilicet delineamenta, corporis staturam, quantitatem, & qualitatem, eamdem patriam, & sanguinem, seu prosapiam, &c. collectiuè sumpta: ergo distinguuntur.

Tamdem epilogat totum, hoc ordine. Indiuiduum ponitur sub specie; species, sub genere subalterno; genus subalternum, sub genere generalissimo. Quia genus generalissimum, est totum, supple potentiale, seu vniuersale respectu generis, subalterni: genus subalternum, quod est pars generalissimi, est totum respectu speciei specialissimæ: & hæc, est totum respectu indiuiduorum; indiuidua verò, sunt partes subiectiuæ, sicut quodlibet inferius respectu sui superioris. Et hæc de specie, quoad textum.

De

De Natura Speciei, & Indiuidui.

DISPVTATIO IV.

Vtrum Diffinitiones Speciei, sint conuenienter positæ. Et an sint quidditatiuæ?

QVÆSTIO I.

Circa primam partem, duas reperio oppositas sententias; quarum prior, est Caietani, & Canteri, in expositione textus. Toleti hic, q. prima. Ruuij ibidem, & aliorum, quos recēsent, dicentium, speciem esse diffinitam triplici diffinitione, quarum est prima dum dicitur. Species est, quæ ponitur sub assignato genere. Secunda. Species est, de qua genus in eo quod quid prædicatur. Tertia Species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, in quid.

Posterior, est Auicennæ, cap. de specie. Doct. Subt. q. 21. Vniuers. Sotii hic; & Colleg. Conimb. q. 1. art. primo, asserentium, duas dumtaxat diffinitiones esse assignatas à Porphyrio, esseque illas, quas in textu retulimus; cum prima, assignata à priori opinione, non distinguatur à secunda, vt probabimus infra.

Circa secundam partem, etiam eadem est controuersia, sicut diximus de diffinitione Generis. Qui enim asserebant, illam esse tantum descriptiuam, & nullo modo quidditatiuam, similiter fatentur de his diffinitionibus speciei.

Veram tamen sententia, quam affert, & probat Scotus, q. 21. Vniuers. asserit, speciem diffiniri quiditatiuè per illam diffinitionem secundam, in ordine ad indiuidua; per primam verò, diffiniri etiam quiditatiuè in ordine ad genus; cui, & nos libenter subscribimus. Vndè.

Pro eius declaratione, & fundamento. Primo notandum est, speciem dupliciter considerari posse, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Species primo modo, non dicit nisi naturam specificam, cognitam ab intellectu, vt communicabilē pluribus differentibus numero: vt homo cognitus, leo cognitus &c. Species verò secundo modo, dicit secundam intentionem fabricatam per opus collatiuum intellectus, fundatamquè super tali natura cognita, in ordine ad sua indiuidua, vel in ordine ad genus proximum. Et hæc est duplex, scilicet prædicabilis, & subjcibilis. Prior importat respectum rationis, seù secundam intentionem, fundatam super tali natura cognita, in ordine ad indiuidua, de quibus prædicatur in quid. Et sic dicitur referri ad indiuidua, vt relatiuum ad sua correllatiua. Posterior verò, dicit respectum rationis, seù secundam intentionem fundatam super eadem natura cognita, in ordine ad suum superius, sub quo immediate ponitur. Vt species attributa naturæ hominis, cognitæ in ordine ad animal cognitum, in quantum participat quiditatiuè naturam animalis. Et sic species, dicitur esse correlatiuum generis, diffiniturque per illam primam diffinitionem. Species est, quæ ponitur sub assignato genere, & de qua genus in eo quod quid prædicatur. Cum omne relatiuum, habeat diffiniri per fundamentum sui correlatiui.

Secundo notandum est, diffinitionem quiditatiuam esse illam, quæ constat ex genere, & differentia. Cum igitur in secunda diffinitione speciei, ponatur ly prædicari de pluribus, loco generis, scilicet Vniuersalis, cum sit diffinitio eius, & ly de differentibus numero, & in quid, loco differentiæ; quæ per priorem particulam differt species à genere, quod prædicatur de differentibus specie; & per posteriorem differt à differentia, proprio, & accidente, quæ prædicantur in quale; sequitur, illam esse quiditatiuam, in ordine ad indiuidua.

Tertio notandum, quod illa particula posita in prima diffinitione speciei, scilicet de qua genus in eo quod quid prædicatur, non facit distinctam diffinitionem ab illa, quæ dicit. Species est, quæ ponitur sub assignato genere. Sed fuit addita, vt notificatio huius, in qua consistit prima diffinitio speciei in ordine ad genus, vt sit sensus,

Species est, quæ ponitur sub assignato genere; scilicet. Illud, de quo immediatè prædicatur genus in quid, est species subijcibilis, scilicet prout est correlatiuum generis. Ex quo patet falsitas primæ opinionis, (quam tuetur etiam noster Tataretus hic) separantis primam particulam a secunda; adeò vt constituant distinctas diffinitiones speciei. Nam idem est dicere, hoc est subiectum respectu huius prædicati, & illud de quo hoc prædicatum enunciatur; cum hoc sit diffinitio subiecti, quæ non distinguitur saltem formaliter, & quiditatiuè, a suo diffinito.

Quarto notandum, & memoriæ reuocandum totum id, quod superius diximus, q. prima, & secunda de genere, scilicet duplicem esse diffinitionem, quiditatiuam, & descriptiuam: & vtramque pariter duplicem, scilicet purè quiditatiuam, vel descriptiuam; vel non purè quiditatiuam, aut descriptiuam. Insuper, duplex esse ens rationis, scilicet absolutum, & respectiuum; & quid sit vtrumquè, & quomodo vnum ab alio secernatur. Et demum, speciem tripliciter considerari, pro formali, pro fundamento, & pro aggregato. Et quod species pro formali dupliciter sumi possit, scilicet in abstracto, & in concreto; quia eadem difficultas habetur hic de specie, quæ superius habebatur de Genere.

Ex his, sit prima Conclusio. Non sunt plures, quàm duæ, diffinitiones speciei, scilicet vna in ordine ad genus, per quam ostenditur in esse subijcibili, & alia in ordine ad indiuidua, qua dicitur species prædicabilis. Probatur. Quia species tantum dupliciter consideratur, scilicet vt subijcibilis, & vt est prædicabilis; ergo tantum debet habere duas diffinitiones explicantes naturam speciei, in quantum est subijcibilis, & prædicabilis. Antecedens probatur. Quia tantum refertur ad genus, quo constituitur in esse subijcibilis; & ad indiuidua, quo constituitur in esse prædicabilis. Consequentia patet. Quia eiusdem rei non possunt esse plures diffinitiones; sed species est tantum vna in esse subijcibili, & vna in esse prædicabili; ergo tantum duas diffinitiones habere debet, quibus explicetur vtrumque esse. Secundo sic. Quia per hoc, quod dicitur. Species est, quæ subijcitur generi; dicitur etiam, species est de qua genus in quid prædicatur; ergo illæ particulæ non faciunt distinctas diffinitiones. Antecedens probatur. Quia per hoc, quod dico diffinitum, non dico distinctam essentiam, ab essentia importata per diffinitionē; quia homo, & animal rationale dicunt eamdem essentiam; sed esse illud, de quo aliud prædicatur, est diffinitio illius, quod subijcitur; ergo per hoc, quod dico; species est, de qua genus prædicatur, dico etiam; species est quæ subijcitur generi. Minor est Philosophi, primo Periherm vbi diffinit subiectum per hoc, quod de ipso dicitur prædicatum.

Secunda Conclusio. Diffinitio secunda speciei, scilicet species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid; est quiditatiua. Probatur. Quia ratio constans ex genere, & differentia, est diffinitio quiditatiua, ex Aristotele, 7. Methaph. t. c. 43. & sexto Topicorum; sed hæc diffinitio est huiusmodi; quia ly prædicari de pluribus, est genus ad quinque vniuersalia, cum sit diffinitio vniuersalis in communi; ly verò de differentibus numero, & in quid, tamquam differentiæ, quibus species differt à genere, & ab alijs tribus vniuersalibus, vt dictum est in secundo notab. ergo hæc diffinitio est ratio constans ex genere, & differentia; & consequenter quiditatiua.

Tertia Conclusio. Diffinitio prima speciei, qua refertur ad genus, est quiditatiua. Probatur. Quia diffinitio explicans naturam relatiui, est quiditatiua, aliter relatiuum non haberet suam quiditatem, quod est falsum; sed huiusmodi diffinitio explicat naturam speciei, vt refertur ad genus, quia datur per fundamentum sui correlatiui, quod est genus pro prima intentione; ergo explicat naturam speciei in ordine ad genus, tamquam suum correlatiuum.

Quarta Conclusio. Diffinitiones speciei, sunt conuenienter datæ à Porphyrio. Probatur. Quia habent conditiones requisitas ad bonam diffinitionem; ergo sunt conuenienter datæ. Consequentia patet. Quia nihil aliud requiritur. Antecedens probatur. Nam sicut secunda diffini-

ni-

nitio competit soli speciei prædicabili, ità prima soli speciei subijcibili. Similiter vtraque conuenit omni speciei, siuè prædicabili, siuè subijcibili respectiuè, & per secundam explicatur natura speciei prædicabilis per genus, & differentiam; & per primam expenditur natura speciei subijcibilis per fundamentum, & terminum sui correlatiui, vt dictum est notabili secundo, & tertio; ergo habent conditiones bonæ diffinitionis, & consequenter sunt conuenienter datæ à Porphyrio.

Obijcies primo, contra secundam conclusionem. Omne relatiuum debet diffiniri per suum correlatiuum, seù per terminum sui correlatiui, ex Porphyrio dicente. Necesse est in vtrorumque rationibus, vtrisquè vti, scilicet relatiui, & correlatiui vicissim, vt explicauimus in textu; sed in secunda diffinitione speciei, non ponitur genus, quod est eius correlatiuum, sed indiuidua, vt patet; ergo &c.

Respondetur negando minorem. Imò in diffinitione secunda, ponuntur indiuidua, quæ sunt correlatiua speciei, vt est prædicabilis. Ad probationē dico, genus esse correlatiuum speciei, vt est subijcibilis tantum; modo per secundam diffinitionem diffinitur species, vt est prædicabilis tantum; & sic debet dari per indiuidua, & non per genus.

Obijcies secundo. Idem nequit habere plures diffinitiones, ex Aristotele, sexto Topicorum; aliter idem posset habere plures quiditates, quod est falsum; sed species conuenienter diffinitur, per poni sub assignato genere, quod est prima diffinitio; ergo secunda, per prædicari de pluribus differentibus specie in quid, superfluit.

Respondetur, maiorem esse veram in entibus absolutis, quorum esse quiditatiuum est tantum ad se, non tamen in relatiuis, quorum esse est ad aliud, vt ad suum terminum; & quia vnum, & idem potest referri ad plures terminos, consequenter potest habere plures diffinitiones, & quiditates, iuxtà diuersitatem terminorum diffinientium idem relatiuum; vt patet in proposito de specie, quæ cum referatur ad genus, & ad indiuidua, vt ad terminos diuersos, consequenter habere diffiniri duabus diffinitionibus, quarum vna explicet naturam eius, in ordine ad genus, & altera in ordine ad indiuidua.

Obijcies tertio. Opposita non possunt in esse eidem simul, & semel, ex Aristotele in Postprædicamentis, cap. de oppositis; sed illæ duæ diffinitiones, si forent quiditatiuæ, & bonæ, opposita simul, & semel inessent eidem; ergo &c. Minor probatur. Quia prima datur secundum esse subijcibile; secunda, secundum esse prædicabile speciei; sed esse subijcibile, & prædicabile, i. e. sunt opposita, vt patet; ergo opposita inessent eidem speciei simul, & semel.

Respondetur, maiorem, cum suis probationibus, habere veritatem in oppositis absolutis, vt sunt album, & nigrum; non tamen in relatiuis, vt pater, & filius; quia sic possunt eidem inesse simul respectu terminorum diuersorum, vt patet; quia Petrus potest esse Pater respectu Antonij, & filius respectu Francisci: modò subijcibile, & prędicabile sunt opposita relatiua; quarè, species eadem potest esse subijcibilis, & prædicabilis; subijcibilis, respectu generis; & prædicabilis, respectu indiuiduorum.

Contra. Quia tunc idem posset bis referri, semel ad genus, & semel ad indiuidua; sed hoc est contra Aristotelem, quinto Meth. t. c. 20. ergo &c.

Respondetur concedendo sequelam maioris, & negando minorem. Ad probationem, ex Aristotele dico, ibi non velle, quod idem nequeat bis referri secundum diuersos terminos; quia alibi hoc concedit, & probat; sed tantum, quod actus intelligendi non referatur ad intellectum, & ad obiectum, vt ad duas mensuras; cum tantum ab obiecto, & non ab intellectu, mensurari queat, & habeat.

Vel dicendum. Idem non posse referri bis, idest ad plura per se primo, hoc est ratione sui; posse tamen per se non primo, & ratione alterius; modo species refertur ad genus per se primo; quia illud includit in sui essentia, & quiditate; per se non primo verò, refertur ad indiuidua; quia illa non respicit ratione sui, sed ratione superioris, scilicet vniuersalis, in quantum prædicari de pluribus, quod est diffinitio vniuersalis, includitur in ratione speciei, vt dicit ordinem

nem ad indiuidua, & non vt respicit genus.

Obijcies quarto, contra quartam conclusionem. Quia secunda diffinitio speciei conuenit alijs à specie; quia etiam diffinitio prædicatur de pluribus differentibus numero in quid; vt patet de animali rationali, quod prædicatur de hoc, & illo homine, qui differunt numero; ergo non est conuenienter data; deficit enim sibi prima conditio requisita ad bonam diffinitionem.

Respondetur negando antecedens. Ad probationē dico, diffinitionem non prædicari in quid tantum, sicut facit species. sed in quale quid; siquidem constat ex genere, & differentia; & ratione generis in quid, & ratione differentiæ in quale prædicatur; & sic in quale quid.

Vtrum eadem species, quæ est subijcibilis, sit etiam prædicabilis?

QVÆSTIO II.

Avicenna, Alpharabius, Albertus Magnus, & Caietanus, cap. de specie, asserunt, speciem subijcibilem non esse vniuersale, sed tantum prædicabilem. Vndè isti coguntur dicere, non esse eamdem speciem subijcibilem, & prędicabilem; aliter, idem simul, & semel esset vniuersale, & non vniuersale, quod videtur implicare.

Toletus verò, q vn. super cap. de specie, circa primum argumentum, oppositum putat; & ideò repræhendit Auctores prioris sententiæ, dicens, tam subijcibilem, quam prædicabilem esse vniuersale, quia vniuersale, est commune prædicabili, & subijcibili; sicut prædicari, ad prædicari de pluribus, & de vno tantum; & sicut hæc est vera. Indiuiduum est prædicabile; ità pariter ista. Subijcibile est vniuersale.

Alij distinguunt de specie in abstracto, & in concreto, dicentes, eamdem esse speciem subijcibilem, & prædicabilem in concreto, diuersam in abstracto, cum fiant diuersis actibus comparatiuis, hæc, & illa, vt patet consideranti. Hanc videtur sequi Mastrius, disp. 5. de Vniu. in particulari, q 2 art. 2. n. 78. cum asserat, hos duos respectus subijcibilitatis, & prædicabilitatis, esse connexos necessariò in specie; si quidem nulla species reperitur prædicabilis, quæ non sit etiam subijcibilis: quia cum species essentialiter constituatur ex genere, & differentia, necessariò subijcitur alicui generi.

Quid verò sentiat in hac difficultate Doctor Subt. non est ità clarum. Videtur tamen dicere, q. 21. Vniuersalium, respondendo ad quartum argumentum, speciem subijcibilem, qua talem, non esse vniuersale, cum constituatur in esse vniuersalis tantum per prædicari de inferioribus; ac propterea speciem subijcibilem, siuè in concreto, siuè in abstracto, esse diuersam à specie prædicabili. Hanc defendit ex nostris, Poncius, disp. 5. q. 2. quam etiam, esse Scotistis, & Thomistis communem asserit sub num. 14. in fine; cui pariter, & nos subscribimus, cum Ruuio hic, q. 2. & alijs Recentioribus.

Pro cuius declaratione, & fundamento. Primo notandum est, ex dictis, quæst. prima de Genere. Speciem pro secunda intentione posse dupliciter accipi, scilicet in concreto, & in abstracto. Si in concreto sumatur, significat secundam intentionem, seù respectum rationis concernentem primam intentionē; vt puta, hominem cognitum. Si verò in abstracto accipiatur, significat secundam intentionem, abstrahentem a prima, scilicet ab homine cognito. Ex quo sequitur, quod cum species, seù secunda intentio speciei, possit concernere primam; & in ordine ad genus, qua ratione dicitur subijcibilis; & in ordine ad indiuidua, quomodo dicitur prædicabilis. Similiter abstrahere à prima, vtroque modo consideraro, tàm species subijcibilis, quàm prædicabilis, in concreto accipi valent, ac in abstracto; cum non sit maior ratio de vna, quam de alia.

Secundo notandum est, ex Doctore pluribus in locis suæ doctrinæ. Concretum, & abstractum esse idem re, differre tamen ratione, idest in modo significandi. Nam album, & albedo realiter sunt idem; cum ambo importent eamdem formam albedinis; differunt tamen in modo; quia album importat albedinem in concernentia ad subiectum, albedo verò, vt ab illo abstrahit. Modò species subijcibilis in concreto erit eadem re, quæ est in abstracto; & similiter prædicabilis in abstracto, est eadem re cum prædicabili in concreto: differunt ta-

tamen in modo significandi; quia subijcibilis in concreto, importat secundam intentionem, concernentem primam in ordine ad genus, & prædicabilis in ordine ad indiuidua. Subijcibilis verò, & prædicabilis in abstracto, important secundam intentionem non concernentem, imò abstrahentem à prima. Ex quo sequitur, quod licet subijcibilis in concreto, & in abstracto sint idem; & prædicabilis similiter in concreto, & in abstracto, non tamen subijcibilis in concreto, aut in abstracto, est eadem cum prædicabili pari modo considerata, imò valdè differunt, cum, & proprietates à quibus sumuntur, sint valdè diuersæ, vt mox ostendemus.

Tertio notandum est, ex Doctore loco citato; quod aliud est considerare speciem, vt speciem, & speciem, vt vniuersale; nàm species, vt species, fit per comparationem naturæ, verbi gratia hominis ad superiùs, scilicet ad animal, in quantum homo participat naturam animalis, & non è conuersò: species verò, vt vniuersale, fit per comparationē, verbi gratia, eiusdem naturæ ad inferiora, scilicet ad Petrum, Paulum &c. in quantum illis communicatur; ità vt nequeat per eosdem alijs communicari. Qua ratione attribuitur sibi secunda intentio vniuersalis, scilicet prædicari de pluribus; quæ ratio non attribuitur sibi, si comparetur ad animal. Cum igitur species, vt species, fit subijcibilis, & species, vt vniuersale, fit prædicabilis, sequitur de mente Doctoris, speciem subijcibilem esse aliam à prædicabili, & è conuerso.

Ex his, fit prima Conclusio. Species subijcibilis, vt talis, non est vniuersale. Contra Toletum. Probatur. Quia subijcibile, vt tale, non est prædicabile; sed vniuersale est prędicabile; ergo subijcibile non est vniuersale. Maior patet. Quia licet opposita relatiuè possint verificari de aliquo tertio respectu diuersorum, vt Franciscus est pater, & filius, non tamen de se inuicem; vt Pater est filius; sed subijcibile, & prædicabile sunt opposita, saltem in actu exercito; ergo &c. Minor probatur. Quia prædicabile de pluribus est diffinitio vniuersalis; ergo vniuersale est prædicabile, & prædicabile, est vniuersale. Secundo probatur. Quia secundæ intentiones distinguuntur, saltem fundamentaliter, per diuersas proprietates, à quibus occasionantur; ex dictis, in Tractat. secund. Intentionum; sed species subijcibilis, & prædicabilis, seù vniuersalis, fundantur super diuersis proprietatibus; ergo distinguuntur saltem fundamentaliter. Minor patet. Nam subijcibilis, fundatur v. g. in homine cognito in ordine ad animal, prout ab eo recipit naturam communicabilem alijs inferioribus; & prædicabilis, prout communicat suam naturam inferioribus; sed communicare, & recipere, sunt diuersæ proprietates, vt patet; ergo &c.

Secunda Conclusio. Species subijcibilis, siuè concretiuè, siuè abstractiuè sumpta, non est species prædicabilis. Probatur primo. Quæ habent diuersas rationes formales, non sunt idem saltem formaliter; sed species subijcibilis, & prædicabilis, vtcumque consideratæ, habent diuersas rationes formales; ergo non sunt idem formaliter. Maior patet. Quia ideo homo, & leo distinguuntur formaliter, quia habent diuersas rationes formales, licet ambo conueniant in animali. Minor probatur. Quia subijci, & prædicari dicunt diuersas rationes formales, sicut subiectum, & prędicatum à quibus deriuantur, vt patet per diffinitiones prædicati, & subiecti, allatas ab Aristotele, primo Periherm. ergo species subijcibilis, & prædicabilis dicūt diuersas rationes formales. Secundo probatur. Quia relationes habentes terminos diuersos essentialiter; scilicet alterius, & alterius rationis, sunt pariter diuersæ, & alterius rationis; sed subijcibilitas, & prędicabilitas sunt huiusmodi; ergo. Maior patet. Quia eadem sunt principia essendi, & distinguendi; sed relationes habent suam entitatem à terminis, ex Philosoph. 5. Meth. & in Prædicam. cap. de Ad aliquid; quia totum esse relatiuorum, est ad aliud se habere; ergo. Minor probatur. Quia subijcibilitas habet pro termino superius, & prędicabilitas inferius, quæ sunt diuersa in ratione terminorum; ergo. Tertio probatur. Intentiones secundæ, habentes proprietates alterius rationis, sunt alterius rationis; sed species subijcibilis, & prędicabilis, siuè concretiuè, siuè abstractiuè sumptæ, sunt huiusmodi; ergo sunt alterius, & alterius rationis. Maior probatur. Quia secundæ intentiones originantur à primis, supposita proprietate conuenienti; aliter quodlibet, fundaretur super quolibet, & non esset

maior ratio, cur animali attribueretur intentio generis potiùs, quam speciei specialissimæ; igitur cum hoc dici nequeat, fatendum est distingui per distinctas proprietates. Minor patet, ex probatione præcedentis conclusionis.

Obijcies primo, contra primam conclusionem Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens, sunt species Vniuersalis in communi subijcibiles; sed etiam sunt vniuersalia; ergo species subijcibilis est vniuersale. Maior patet. Quia vniuersale se habet ad illa quinque, vt genus. Minor est clara, ex dictis superiùs sępius.

Respondetur, minorem esse veram, in quantum sunt species prædicabiles, non in quantum subijcibiles sunt reduplicatiuè, hoc est dictu; genus, species, differentia, proprium, & accidens, sunt vniuersalia, inquantum comparantur ad sua inferiora, non autem quatenus referuntur ad vniuersale in communi.

Obijcies secundo. Species subijcibilis, non est singularis; ergo est vniuersalis. Antecedens patet. Tum quia fundatur in natura communi; tum etiam, quia non est contracta per differentiam indiuidualem, cum sit communis huic, & illi speciei subijcibili. Consequentia patet. Quia inter singulare, & vniuersale, non datur medium; si ergo non est singularis, sequitur, quod sit vniuersalis.

Respondetur, negando consequentiam. Quia inter singulare, & vniuersale datur medium, scilicet subiectum commune, quod nec est vniuersale, nec singulare. Sicut enim inter vniuersale, & singulare complexum datur medium, scilicet indefinitum, quod non est aliquod illorum, ità inter singulare, & vniuersale incomplexum, datur medium, scilicet indiffinitum, seu subiectum commune, vt est species subijcibilis.

Vel dicendum secundo, negando consequentiam. Nam singularitas, & vniuersalitas, non diuidunt ens in ratione subiecti, sed in ratione prędicati; quia valet dicere. Omne quod est prædicatum, vel est vniuersale, vel singulare; non tamen omne subiectum, aut est vniuersale, aut singulare; cum subiecto, vt subiecto, accidat esse vniuersale, vel singulare. Modò cum species subijcibilis habeat rationem subiecti, non sequitur, si non est singularis, ipsam esse vniuersalem; cum vtraque ratio sibi accidat.

Obijcies tertio. Species subijcibilis prædicatur de hac, & illa specie subijcibili; ergo species subijcibilis est prædicabilis. Consequentia patet per locum à diffinitione ad diffinitum; sed diffinitio speciei prædicabilis, scilicet prædicari de pluribus differentibus numero, competit subijcibili; ergo & species, quæ est diffinitum, scilicet prædicabilis, sibi competit.

Respondetur, consequens esse verum, vt modus, non vt quid; hoc est dictu; species subijcibilis, est prædicabilis; quia induit modum prædicabilis, cum super ipsa fundati possit secunda intentio speciei prædicabilis, scilicet prædicari de pluribus differentibus numero in quid. At secunda opinio prætendit, eam esse prædicabilem, vt quid; cum asserat, eam esse vniuersalem, vt quid.

Obijcies quarto contra secundam conclusionem. Ad multiplicationem concretorum, non sufficit multiplicatio abstractorum, sed requiritur multiplicatio suppositorum, ex Doct. Subt. in 3. d. 8. q. vnica, ad primum argumentum; sed species subijcibilis, & prædicabilis fundantur in eodem; siquidem eadem natura, v. g. humana, fundat speciem subijcibilem, prout refertur ad animal, & prædicabilem, quatenus ordinatur ad indiuidua; ergo fundantur in eodem.

Respondetur, maiorem esse veram de subiectis propinquis, non de remotis; modo licet species subijcibilis, & prędicabilis fundentur in eodem fundamento, seu subiecto remoto, vt probatur, non tamen in propinquo, quinimò sic fundantur in diuersis; quia subijcibilis fundatur in proprietate, quam dicit v. g. homo, in ordine ad animal, quæ est participare naturam eius; prædicabilis verò, in proprietate, quam dicit homo, in ordine ad indiuidua, quæ est communicabilitas propriæ naturæ: atqui huiusmodi proprietates sunt alterius rationis, vt patet; igitur fundantur in subiectis alterius rationis.

Dices. Species pro secunda intentione, ex Scoto, & omnibus Scotistis, fundatur super natura v. g. hominis, vel leonis, cognita, aut in ordine ad animal, aut ad indiuidua;

sed

ſed hæc eſt ſemper eadem ; ergo ſpecies ſubijcibilis, & prædicabilis fundantur in eodem ſubiecto ; & ſic, quàmuis multiplicentur in abſtracto, non tamen in concreto.

Reſpondetur eodem modo, maiorem eſſe veram de fundamento remoto, non tamen de propinquo ; quia ſic, quælibet ſecunda intentio fundatur in proprietate naturæ cognitæ. Nec hoc debet eſſe alienum à Scoto, cum ipſe afferat, ſecundas intentiones fieri per actum collatiuum, ſeù comparatiuum intellectus, comparantis duo obiecta ad inuicem ; atqui illa duo obiecta nequeunt comparari, niſi adſint proprietates, in quibus comparantur ; igitur dicendum eſt, fundamenta propinqua ſecundarum intentionum eſſe proprietates rerum cognitarum ; reſque cognitas, eſſe fundamenta remota, ſeu denominationis.

Dices cum Maſtrio loco citato ; hos reſpectus ſubijcibilitatis, & prædicabilitatis, eſſe connexos eſſentialiter in ſpecie ; ergo eadem ſpecies, quæ eſt ſubijcibilis, eſt etiam prædicabilis, & è conuerſo. Antecedens probatur. Quia quælibet ſpecies eſſentialiter conſtat ex genere, & differentia ; ſed prout reſpicit genus, eſt ſubijcibilis, prout verò reſpicit differentiam, eſt prædicabilis: ſiquidem differentia coarctat naturam generis pro inferioribus ad ſpeciem, vt patet de rationali, quod coarctat, & diſtribuit naturam animalis in omnes homines.

Reſpondetur, antecedens eſſe verum de ſpecie accepta pro fundamento remoto, non tamen de eadem accepta pro fundamento propinquo; quia ſic, cum non ſit eadem ratio fundandi ſubijcibilitatem, & prædicabilitatem, vt dictum eſt, conſequenter huiuſmodi reſpectus non ſunt eſſentialiter connexi, imò diuerſi, & ad inuicem diſcreti. Ad probationem dico, eſſe veram de ſpecie ſubijcibili ; quia talis diffinitur per genus, & differentiam, non tamen de prædicabili ; quia cum hæc conſtituatur in ordine ad inferiora, accidit ſibi, vt habeat genus ſupra ſe. Quod vel maximè comprobatur ; quia genus generaliſſimum eſt ſpecies prædicabilis reſpectu omnium generaliſſimorum, & tamen non habet genus ſupra ſe, cui ſubijciatur; aliter non eſſet generaliſſimum. Et cum dicitur, quod differentia coarctat genus ad ſpeciem, & diſtribuit illud pro inferioribus ad ſpeciem; concedo, primum præſtari per differentiam ſpeciei ſubijcibili; ſiquidem differentia adueniens generi conſtituit ſpeciem; ſed nego ſecundum eſſe effectum differentiæ ; imò hoc habet ſpecies, quatenus prædicabilis, ex ſua natura, ſecundum quam, ſaltem aptitudinaliter, ordinatur ad plura indiuidua, ſicut dictum eſt de genere in ordine ad plures ſpecies.

Obijcies quinto. Quod immediatè ſubijcitur generi, eſt vniuerſale; ſed ſpecies, quatenus ſubijcibilis, immediatè ſubijcitur generi, ex ſua diffinitione data à Porphyrio ; ergo ſpecies ſubijcibilis eſt vniuerſalis, & ſic prædicabilis. Maior patet. Quia quod immediatè ſubijcitur generi prædicatur de multis; ergo eſt vniuerſale.

Reſpondetur, negando maiorem. Quia illud, quod immediatè ſubijcitur generi, licet ſit ſubiectum commune, ſuper quo poteſt fundari ratio vniuerſalis, non eſt tamen formaliter vniuerſale ; quia hoc conſtituitur in eſſe per prædicari de multis inferioribus, & non per ſubijci ſuperioribus immediatè, vel mediatè.

Obijcies ſexto. Quia genus ſubalternum non conſtituitur in eſſe per prædicabilitatem, ſed per ſubijcibilitatem ; ergo & ſpecies poteſt conſtitui in ratione vniuerſalis vltimi per ſubijcibilitatem. Conſequentia patet à ſimili. Antecedens probatur. Quia non conſtituitur in eſſe per prædicabilitatem de differentibus ſpecie; quia hoc conuenit generi generaliſſimo; nec per prædicari de differentibus numero ; quia hoc eſt proprium ſpeciei ſpecialiſſimæ; ergo genus ſubalternum non conſtituitur in eſſe per prædicabilitatem.

Reſpondetur, Aliud eſſe conſiderare genus, vt genus; & genus, vt ſubalternum. Primum ponitur in eſſe per prædicari de pluribus differentibus ſpecie ; & hæc ratio conuenit omni generi. Secundum conſtituitur in eſſe per ſubijci generi generaliſſimo; & tunc non dicitur genus formaliter, ſed tantum materialiter. Dicitur tamen formaliter ſpecies ſubijcibilis, quia immediatè ponitur ſub genere, & de ipſa, genus prædicatur in quid.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem eſſe veram de genere materialiter ſum-

sumpto in ratione subalterni; quia sic, formaliter est species subijcibilis; falsam, loquendo de genere in ratione generis; quia sic ponitur in esse per prædicari de pluribus differentibus specie, siuè sit supremum, siuè infimum.

Dices. Genus generalissimum non constitui in esse per ordinem ad inferiora, sed tantum per negationem non habendi genus supra se; ergo genus subalternum constituitur in ratione generis vniuersalis, per habere aliud genus supra se. Antecedens patet, ex Porphyrio, cap. de genere; & ex Doct. in primo, d.8.q.3.O. vbi docet, de ratione generis generalissimi, non esse, quod habeat plures species sub se, sed tantum, quod non habeat genus supra se; aliter prædicamentum, quando, non esset genus generalissimum, cum vel nullas, vel saltem paruas species habeat sub se.

Respondetur similiter, genus generalissimum dupliciter considerari posse; vel vt genus; vel vt generalissimum. Priori modo, constituitur in esse per habere, & prædicari de pluribus speciebus, saltem in aptitudine; & sic, ratio generis est communis sibi, & subalterno. Posteriori modo, ponitur in esse per non habere genus supra: & per hoc distinguitur à subalterno, vt subalternum est. Nec indè sequitur, subalternum, vt tale, esse vniuersale; quia non habet esse per prædicari de pluribus, sed tantum per subijci generi superiori. Plura alia argumenta afferuntur à Poncio, & Mastrio ex Recentioribus; sed quia ex dictis facilè diluuntur, ideò consultò omittuntur.

Vtrum participatione speciei, hæc sit vera. Plures homines sunt vnus homo?

QVÆSTIO III.

HAnc quæstionem mouet Doctor, q. 22. suorum Vniuersalium, occasione verborum Porphyrij, quibus probat, ascensum à specialissimis ad generalissima fieri debere per recollectionem plurium indiuiduorum, seù inferiorum in vnum; & profert hanc propositionem. Participatione speciei, plures homines sunt vnus homo. Et quia huiusmodi propositio videtur ambigua, iuxta diuersam acceptionem vnius, & pluris; ideò quæritur, quomodo habeat veritatem.

Pro cuius intelligentia, primo notandum est, hanc dictionem, plures, dupliciter accipi posse. Vno modo comparatiuè; & sic regitur ab hoc aduerbio, quàm; vt plures homines, quàm decem currunt. Vel construitur cum ablatiuo absoluto; vt ignorantes sunt plures sapientibus. Alio modo accipi potest positiuè; & tunc significat absolutè, construiturque independenter ab alio; vt plures homines currunt. Et facit sensum. Multi homines currunt. Et sic accipitur in præsenti; & est sensus. Vtrum multi homines in participando speciem, sint vnus homo?

Secundo notandum, ex Doctor Subtili hic in corpore quæstionis. Vnum, accipi posse dupliciter, scilicet cathegorematicè, & sincathegorematicè. Vnum cathegorematicè, significat vnam entitatem, & est differentia entis; cum ens, secundum Aristotelem, 5. Methaph. t. c. 8. & quarto Methaph. t. c. 12. diuidatur per vnum, & multa, tamquam per differentias oppositas. Vnum verò sincathegorematicè, est signum determinatiuum termini communis, faciens ipsum stare pro supposito indeterminatè. Vt cum dicitur; vnus homo currit. Ly vnus, facit stare hominem, pro quodam homine particulari indeterminatè; quia non denotatur potius iste, vel ille, sed vterque indeterminatè.

Tertio notandum, quod vnum cathegorematicè sumptum, est quadruplex, scilicet logicum, physicum, methaphysicum, & mathematicum. Vnum mathematicum, est principium numeri prædicamentalis. Vnum verò methaphysicum, est principium numeri transcendentalis, de quibus in prædicamento quantitatis erit sermo. Vnum physicum, est inter illa, quorum motus est vnus. Et est triplex; sci-

scilicet numericum, specificum, & genericum; de quibus in quinto physicorum tractabimus. Vnum tandem logicum est quadruplex, scilicet numero, specie, genere, & proportione. Vnum numero illa dicuntur, quæ non faciunt diuersum numerum; vt Petrus, vel Paulus. Illa verò sunt vnum specie, quæ continentur sub eadem specie; vt Petrus, & Paulus sub homine. Illa sunt vnum genere, quæ continentur sub vno genere; vt homo, & leo sub animali. Illa tamdem sunt vnum proportione, quæ habent eamdem habitudinem ad aliqua; vt homo, & albedo, sunt vnum proportione; quia sicut homo est species respectu Petri, & Pauli, ità albedo est species huius, & illius albedinis. Vel Petrus, & albedo hæc, dicuntur vnum proportione; quia qualem habitudinem dicit Petrus ad hominem, talem pariter dicit hæc albedo ad albedinem; se habent enim ad illa, vt indiuidua ad propriam speciem. In proposito; hæc propositio. Plures homines sunt vnus homo; habet veritatem, accipiendo ly vnus, pro vno specie, genere, & proportione; quia plura indiuidua hominis, vniuntur in homine, tamquam in specie; in animali, vt in suo genere proximo; & qualem proportionem dicunt hæc, & illa albedo ad albedinem, & colorem, talem pariter dicunt multi homines ad hominem, & animal. Est tamen falsa, si accipiatur ly vnus, numericè; quia plures homines faciunt diuersum numerum; igitur non sunt vnum numero.

Ex his, fit prima Conclusio. Si sumatur vnũ cathegorematicè, pro vno specie, genere, & proportione, hæc propositio est vera. Plures homines sunt vnus homo. Probatur primo de vno specie. Quia plures homines continentur sub vna specie humana; ergo sunt vnus homo specie. Antecedens est notum. Consequentia tenet ex descriptione vnius speciei. Secundo probatur de vno genere. Quia plures homines in participando speciem humanam, continentur sub vno genere proximo, scilicet sub animali; ergo plures homines sunt vnus homo, etiam in vnitate generica. Antecedens, & consequentia sunt manifesta ex dictis, notabili tertio. Probatur tertio de vnitate proportionis. Plures homines habent eamdem habitudinem ad hominem in communi; quia sunt indiuidua sub eadem speciem contenta; ergo sunt vnus homo, vnitate proportionis. Consequentia tenet ex diffinitione vnitatis proportionalis.

Secunda Conclusio. Accipiendo vnum sincathegorematicè, vel cathegorematicè pro vno numero, hæc propositio est falsa. Plures homines sunt vnus homo. Probatur prima pars de vno sincathegorematicè. Quia hæc est falsa: quidam homo est plures homines, seù plures homines sunt quidam homo. Sed vnum sincathegorematicè idem est, ac quidam; ergo accipiendo vnum sincathegorematicè, hæc est falsa. Plures homines sunt vnus homo. Secunda pars probatur. Quia illa sunt vnum numero, quæ non faciunt diuersum numerum; sed plures homines faciunt diuersum numerum, quia si fuerint duo, faciunt numerum binarium; tres, ternarium; quatuor, quaternarium, & sic de cæteris.

Tertia Conclusio. Si hæc propositio. Plures homines sunt vnus homo. Coniũgatur cum hac particula (participatione speciei) est simpliciter vera. Probatur. Quia ly participatione speciei, facit stare ly vnum, pro vno specie tantum; sed plures homines sunt vnus homo specie; ergo &c. Maior patet. Quia facit hunc sensum, quod plures homines in participando speciem humanam, sunt vnus homo specie.

Obijcies primo, contra primã, & tertiã conclusionẽ. Quia si hęc est vera. Plures homines sunt vnus homo; ergo per conuersionem simplicem erit ista vera. Vnus homo, est plures homines; sed consequens est falsum; ergo, & antecedens. Minor probatur. Quia si vna contradictoriarum est vera, reliqua erit falsa; sed contradictoria huius; vnus homo est plures homines; est vera, scilicet nullus homo est plures homines; ergo talis est falsa, scilicet vnus homo est plures homines.

Respondetur, maiorem esse veram de vnitate specifica, non numerica. Ad minorem dico, quod hæc; nullus homo est plures homines; non contradicit huic; vnus homo est plures homines; quia homo in priori, supponit personaliter pro quo-

quolibet homine in particulari; in posterio-ri verò, supponit simpliciter, pro homine in communi.

Obijcies secundo. Illa propositio est falsa cuius subiectum, & prædicatum accipiuntur sub oppositis modis significandi grammaticalibus, ex dictis de Genere, q.3. sed subiectum, & prædicatum huius propositionis; plures homines sunt vnus homo; sunt huiusmodi; ergo. Minor probatur. Quia ly homines, in subiecto, accipiuntur in numero plurali; & ly homo in prædicato, in numero singulari; sed singulare, & plurale sunt oppositi modi significandi grammaticales; ergo &c.

Respondetur, duplicem esse singularitatem, & pluralitatem, scilicet indiuiduorum, & specierum. Singularitas, & pluralitas primo modo opponuntur, sicut singularitas, & pluralitas secundo modo; non tamen singularitas specifica, & pluralitas indiuiduorum. Modo in hac propositione; plures homines sunt vnus homo; ly homines, sumuntur sub pluralitate indiuiduorum, & ly homo a parte prædicati, sub singularitate specifica, quæ non opponuntur.

Formaliter ad argumentum, nego minorem. Ad probationem dico, minorem esse veram de singulari, & plurali indiuiduorum, vel specierum ad inuicem comparatorum, non tamen de plurali indiuiduorum, & singulari naturæ specificæ; quia sic non opponuntur, immò vna continetur in alia, vt dictum est.

Vtrum Diffinitio indiuidui, scilicet, quod prædicatur de vno solo, sit bona, & conuenienter assignata a Porphyrio?

QVÆSTIO IV.

Circa hanc quæstionem, potest esse multiplex difficultas, secundum quod indiuiduum potest accipi pro prima, & pro secunda intentione; siquidem quæri potest. An per hanc diffinitionem, diffiniatur aliquod commune positiuum, dicibile vniuocè, & in quid de omnibus indiuiduis, vel solum aliquod negatiuum, vel tandem, an diffiniantur omnia indiuidua indeterminatè realiter, & conuenientia duntaxat in similitudine, quam dicunt ad inuicem, & in modo singularizandi naturam communem?

Mastrius, disput.5. de Vniuers. in particulari, q.2. art.4. putat, per hanc diffinitionem diffiniri, seu explicari aliquod commune positiuum dicibile in quid sub modo speciei de omnibus indiuiduis. Et dicit, hanc sententiam esse Scoti, in primo, d.23. in fine; & d.26. q. vnica, sub Y. Quia ibi clarè asserit, ab vltimis differentijs, & constitutis per eas, posse abstrahi ab intellectu aliquod commune in quid, quod est dicibile de omnibus indiuiduis sub ratione speciei; vt docet, q.12. Vniuersalium, in sol. ad tertium, & in 4. d.13 q 1. paulò ante V. quia hæc est vera in prædicatione denominatiua: singulare, est vniuersale; quod non esset, si ab indiuiduis non posset abstrahi aliqua ratio communis, dicibilis de illis per prædicari de vno solo in quid. Pro hac opinione citantur a Mastrio ex nostris Lychetus, in expositione ad textum Doctoris, in locis citatis super primo sent. Bargius, in primo, dist. 24. in fine §. Ad quæstionem; & alij. Ex alienis verò, Runius hic, quæst. 6. & 7. Hurtad. disputat. 5. sect. 7. Arriaga; disput. 7. num. 53. & alij ab ipso relati.

Pontius verò, ex opposito, dispnt. 6. q. 1. conclusione prima & secunda, inquit, non posse aliquam rationem communem, singularibus, quæ sit singularis, prout singulare distinguitur ab vniuersali, abstrahi, nec dari conceptum communem positiuum, qui multiplicetur in illis. Vndè cogitur fateri, hic diffiniri indiuiduum indeterminatè, prout omnia importat in vnitate similitudinis, & proportionis, quam ad inuicem præsefe- unt & ad naturam, quam singularizant. Etiam ipse prætendit habere pro se Doctorem Subt. in secundo, d.3. q. 6. B. vbi clarè dicit, entitates indiuiduantes, & constituta per eas, non habere aliquod commune, quod sit vnum numero. Insuper, hæc opinio videtur esse Nominalium, & Recẽtiorum communiter, vt refert etiam Mastrius citatus. Pro hac opinione possent adduci Caiet. Soto, Toletus, & Louanienses, cap. de Specie; cum, & ipsi negent, hic diffiniri indiuiduum sub aliqua ratione communi; siquidem nulla talis assignari potest, cum

cum indiuidua formaliter accepta, sint primo diuersa, vt etiam frequenter docet Scotus, nedum in loco citato pro hac opinione, sed etiam in primo, d. 3. q. 3. sub lit. F.

Quid autem sit tenendum secundum veritatem, & de mente Doct. Subtilis, non est ita clarum; quia vtriquè videtur fauere sententiæ. Nihilominus quibusdam notaris, dicam, & ego quid sentiam cum eodem.

Circa secundam partem quæstionis, etiam potest esse controuersia. An hic diffiniatur Indiuiduum pro fundamento, vel pro formali, vel prout importat vtrumque. Cæterum loquendo consequenter ad dicta de diffinitione Generis, dicendum est, hic diffiniri, vel describi Indiuiduum pro secunda intentione, concretiuè sumptum; siquidem datur per prædicari de vno, quod per se duntaxat conuenire potest indiuiduo pro secunda intentione accepto, & in actu signato.

Pro harum omnium difficultatum intelligentia, ac solutione, primo notandum est Indiuiduum duo in se complecti, scilicet naturam communem, seù specificam, & differentiam indiuidualem, per quam singularizatur, & fit hæc natura; vnde denominatione, veluti ab effectu, appellatur à Doctore Subtili, in secundo, d. 3. q. 6. & 7. hæcceitas. Exemplum sit de Petro, qui in se complectitur, & esse hominis, & huius hominis determinatè. Primum habet à natura humana, & dicitur esse quiditatiuum eius; siquidem species dicit totum esse quiditatiuum indiuiduorum, vt alibi diximus Secundum possidet ab entitate indiuiduali, scilicet Petreitate, secundum quam consideratur in esse formali, seù proprio indiuidui, vt indiuiduum est; & dicitur hic homo, prout distinguitur ab alio homine.

Secundo notandum est, indiuiduum hoc modo acceptū, posse dupliciter accipi; vno modo determinatè; alio modo indeterminatè, seù secundum esse signatum, & in vago. Indiuiduum determinatè, & in esse signato acceptum, notatur per signum demonstratiuum; vt hic homo, ille leo, iste equus; vel per terminum discretum, seù singularem; vt Petrus, Paulus, Bucefalus, & similia; & sicut importat tantum vnam rem determinatè, ità dicitur tantum de vno solo, scilicet de se ipso: vt Petrus est Petrus; Paulus est Paulus; & sic de cæteris. Indiuiduum indeterminatum, seù vagum, exprimitur per terminum communem, & signum particulare; vt aliquis homo, quidam leo, aliquod album: & hoc modo, cum rem singularem indeterminato modo, non signando hanc, vel illam importet, dicendum est potiùs commune, quam particulare, & potiùs vniuersale, quam singulare, & Indiuiduum; quia sic prædicatur de pluribus, imò de omnibus indiuiduis, licet indeterminatè. Hic est sermo de indiuiduo determinato, & signato; quia hoc distinguitur ab vniuersali per prædicari de vno tantum.

Tertio notandum est, indiuiduum signatum, seù determinatum, posse ab intellectu dupliciter concipi, scilicet adæquatè, & inadæquatè. Conceptus adæquatus indiuidui, inuoluit duo, scilicet naturam communem contractam, & singularizatam; & differentiam indiuidualem, per quam contrahitur ad vnum tantum, & ipsum differre facit à quocumque non est ipsum; vt patet de Petro, qui dicit naturam hominis; & petreitatem, per quam contrahitur natura humana ad ipsum, & differt à Paulo, & cæteris hominibus. Conceptus inadæquatus indiuidui, tantum terminatur ad differentiam indiuiduantem, præscindendo ab ipsa naturam indiuiduatam; vt Petreitas, Pauleitas, & sic de alijs. Hic non loquimur de indiuiduo adæquatè concepto, cum quæritur. An ab Indiuiduis possit abstrahi aliquod commune. Quia certum est, posse abstrahi naturam comunem in ipsis diuisam, in qua omnia conueniant, & ab ipsa prædicationem in quid recipiant, cum hæ sint veræ, & quiditatiuæ. Petrus est homo. Paulus est homo, & sic de alijs. Sed est sermo de indiuiduis inadæquatè conceptis, vt sit sensus. An ab illis possit abstrahi aliquod commune, cui conueniat illa diffinitio, scilicet prædicari de vno tantum; & prædicetur secundum illam, de omnibus indiuiduis.

Quar-

Quarto notandum est, diffinitionem, & diffinitum relatiuè se habere, seque essentialiter comitari; ita quod non detur diffinitio absque diffinito, neque è conuersò; & qualis sit diffinitio, tale pariter sit etiam diffinitum. Cum igitur prædicari de vno tantum, sit diffinitio indiuidui, prout secernitur ab vniuersali, & in ea conueniant omnia indiuidua, tum substantialia, tum accidentalia, quia hæ sunt veræ. Petrus prędicatur de vno tantum, Paulus prædicatur de vno tantum, & sic de cæteris; sequitur de necessitate dari debere indiuiduum commune diffinibile per eamdem, & in quo omnia indiuidua particularia conueniant; ita vt sit verum dicere, non æquiuocè, sed vniuocè. Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum, hoc album est indiuiduum; & sic de alijs.

Quinto notandum est, indiuiduum hoc modo sumptum dupliciter considerari posse, scilicet pro prima, & secunda intentione. Indiuiduum primo modo, est aliquod commune positiuum, abstractum ab omnibus indiuiduis particularibus, vt est cognitum ab intellectu actu recto. Indiuiduum secundo modo, est secunda intentio fundata super indiuiduo pro prima intentione, cognito comparatiuè in ordine ad obiectū commune, & prout sibi repugnat diuidi in plura inferiora; qua ratione, dicitur prædicari tantum de vno solo, idest de seipso. Et hæc secunda intentio adhuc dupliciter accipitur, scilicet in concreto, & in abstracto, vt supra dictum est de secundis intentionibus generis, & speciei. Hic est sermo de indiuiduo vtroque modo considerato, sed præcipuè de ipso secundo intentionaliter accepto, & in concreto; quia tale diffinitur per prædicari de vno tantum.

Sexto notanda sunt omnia ad bonam differentiam requisita; sicut diximus superius, loquendo de diffinitione generis, & speciei; quia talia, mutatis mutandis, etiam hic possunt adaptari. Si quidem indiuiduum, quamuis diffiniri nequeat, diffinitione exprimente quod quid erat esse, seu quiditatiua; quia sic sola specie diffinitur, cum sola constet ex genere, & differentia, tamen quia indiuiduum est per se ens, addens aliquam entitatem entitati speciei, vt docet Scotus, in secundo, d.3.q.6. sub lit. M. poterit vtique diffiniri diffinitione exprimente propriam eius naturam, prout distinguitur à natura speciei; & talis conuenienter assignatur à Porphyrio per prædicari de vno solo tantum, vt inferiùs probabitur.

Ex his, sit prima Conclusio. Ab indiuiduis formaliter sumptis, potest abstrahi aliqua ratio communis, quæ tamen sit singularis, prout singulare secernitur ab vniuersali, & positiua, in qua conueniant omnia indiuidua. Est Scoti, in primo sent. dist. 23.q. vn. in fine, vbi habet hæc verba. Potest dici, quod ab indiuiduis, non tantum potest abstrahi species, quæ dicit quiditatem indiuiduorum, sed etiam aliquid quasi proprium. Et in dist. 26.q. vn. sub lit. Y. clarius se exponendo addit, quod à primo diuersis, cuiuscmodi sunt indiuidua formaliter sumpta, potest abstrahi aliquis conceptus realis communis, in quo conueniant, non tamen vt in realitate quasi potentiali, & determinabili per proprias differentias; quia sic daretur processus in infinitum in primo diuersis, sed vt in ratione communi dicibili de illis, secundum diffinitionem indiuidui. Probatur prima pars. Quia diffinitio, & diffinitum se consequuntur relatiuè, vt patet; quia ad positionem, vel destructionem vnius, ponitur, & destruitur alterum; sed datur vna diffinitio communis vniuocè omnibus indiuiduis, scilicet prædicari de vno solo tantum; ergo etiam debet dari vnicum diffinitum commune ad omnia indiuidua. Minor est Porphyrij, cap. de specie; & patet etiam inducendo in omnibus indiuiduis. Quia Petrus dicitur de vno tantum, scilicet de se. Paulus dicitur de vno tantum, & sic de cæteris; ergo omnia indiuidua conueniunt in illa diffinitione, scilicet prædicari de vno tantum. Secundo probatur ex Ruuio. Quia valet hic syllogismus in Darij. Omne indiuiduum est incommunicabile, saltem vt quod, idest pluribus inferioribus; sed Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum, & sic de alijs; ergo Petrus, Paulus, & sic de cæteris, sunt incommunicabiles vt quod; atqui non benè concluderet, si non daretur indiuiduum commune vniuocum omnibus indiuiduis, cum non posset fieri distributio medij termini ad extremitates; igitur dicendum est, dari indiuiduum, quod sit commune vniuocum omnibus indiuiduis. Secunda pars, quod talis

ra-

ratio sic abstracta, sit singularis, probatur. Quia quod dicitur de vno, vt vnum opponitur multis, seù pluribus, est singulare; sed talis ratio sic abstracta, est huiusmodi; ergo. Maior, & minor sunt claræ ex dictis. Confirmatur. Quia talis ratio, vt sic abstracta, non est in illis, vt realitas potentialis contrahibilis per differentias contrahentes, sed vt realitas actualis, quæ si millies abstraheretur ab intellectu, non multiplicaretur in esse obiectiuo, sed tantum in præcisione formali; ergo dicendum est, ipsam sic abstractam, esse singularem, quàmuis communem in quid indiuiduis.

Secunda Conclusio. Indiuiduum pro secunda intentione, in concreto sumptum, importat aliquid commune dicibile tantum de vno, vt quid; vt modus verò, est prædicabile de pluribus, siuè in actu signato, siuè in actu exercito, ad modum speciei de omnibus indiuiduis. Est Scoti, q. 8. & 12. Suorum Vniuersalium, respondendo ad tertium principale; vbi Mauritius, Anglicus, & Brasauolus, & communiter Scotistæ. Probatur. Quia indiuiduum pro secunda intentione diffinitur à Porphyrio, cap. de specie, per prædicari de vno tantum, vt obseruant communiter expositores; sed vt sic, sumitur vt quid, cùm per hoc opponatur vniuersali, quod prædicatur de pluribus; ergo indiuiduum pro secunda intentione acceptum, vt quid, dicitur tantum de vno solo. Secunda pars probatur. Quod prædicatur ad modum speciei, est species, vt modus; sed indiuiduum secundo intentionaliter acceptum, est huiusmodi; ergo. Maior patet per locum à diffinitione ad diffinitum. Minor probatur. Quia indiuiduum pro secunda intentione prædicatur de intentione secunda applicata Petro, & de alia applicata Paulo, & sic de cæteris; sed huiusmodi secundæ intentiones differunt numero; ergo prædicatur ad modum speciei. Confirmatur. Quia hæ sunt quidditatiuæ: hoc indiuiduum est indiuiduum; illud indiuiduum est indiuiduum; sed hoc, & illud indiuiduum significant diuersas secundas intentiones applicatas indiuiduis pro prima intentione; ergo indiuiduum prædicatur in quid de differentibus numero; & sic ad modum speciei.

Tertia Conclusio. Hæc diffinitio, scilicet prædicari de vno solo, data de indiuiduo, est bona, & conuenienter assignata à Porphyrio. Probatur. Quia hæc diffinitio exprimit naturam indiuidui, prout indiuiduum distinguitur ab vniuersali, & à quocumque non est ipsum; ergo est bona, & conuenienter assignata. Consequentia patet. Quia diffinitio est oratio indicans esse rei. Antecedens probatur. Quia indiuiduum, seù singulare, & vniuersale conueniunt in eo, quod ambo sunt prædicabilia: differunt verò, quia vniuersale prædicatur de pluribus, indiuiduum verò, seù singulare, tantum de vno; ergo hæc diffinitio explicat naturam indiuidui, prout distinguitur ab vniuersali, & à quocumque alio, quod non est ipsum. Secundò. Hæc diffinitio facit differre indiuiduum à specie specialissima, vt à suo correlatiuo; ergo est bona, & conuenienter assignata. Consequentia patet. Quia indiuiduum ad duo refertur, scilicet ad vniuersale, & ad speciem specialissimam; à priori differt per prædicari de vno tantum; à posteriori verò per non habere inferiora differentia numero; sed vtrumque importatur per ly prædicari tantum de vno; ergo hæc diffinitio est bona, & conuenienter assignata; quia facit differre indiuiduum à specie specialissima. Antecedens patet. Quia species specialissima dicitur de differentibus numero in quid; indiuiduum verò, de non differentibus numero, sed tantum de vno, quod non facit diuersum numerum; ergo hæc differentia, facit differre indiuiduum à specie specialissima.

Quarta Conclusio. Hæc diffinitio cōpetit per se indiuiduo pro secūda intentione, concretiuè sumpto; per accidens verò, & denominatiuè conuenit etiam indiuiduo pro prima intentione. Probatur. Quia hæc diffinitio datur per prędicari, & nō per esse; sed prædicari competit per se secundis intētionibus, & per accidens primis; ergo &c. Maior patet in textu Porphyrij. Minor etiam est clara, ex his, quæ diximus de mente Scoti supra, disput. secunda q. 3. scilicet, quod prædicari est nomen secundæ intentionis, sicut esse, primæ intentionis; ergo prædicari conuenit per se secundis intentionibus, & denominatiuè pri-

primis. Secunda pars probatur. Quia Petrus prædicatur de vno solo, hoc est de se; quia hæc est vera identicè saltem, si non formaliter. Petrus est Petrus; sed Petrus est indiuiduum pro prima intentione; ergo prædicari, sibi conuenit aliquo modo; non per se; igitur per accidens, & denominatiuè. Confirmatur. Quia secundæ intentiones dicuntur denominatiuè de primis, vt supra probatum est & conclusum in Tract de secundis intentionibus, cap. vltimo; sed prædicari, est vna secunda intentio; ergo denominatiuè conuenit indiuiduo pro prima intentione.

Obijcies primo, contra primam conclusionem, cum Poncio, disp. 6. de Indiuiduo, q. prima, conclusione prima. Quia si daretur aliqua ratio communis abstracta à singularibus, talis non esset singularis, & indiuidua, sed vniuersalis; atqui hoc pugnat cum natura indiuidui, quæ distinguitur essentialiter ab vniuersali; ergo &c. Maior probatur. Quia ideò natura humana abstracta ab omnibus hominibus, est vniuersale methaphysicum, quia est communis illis, vt sit in potentia proxima prædicandi de illis, prædicatione dicente, hoc est hoc; ex Doct. Subt. in secundo, d. 3. q. 1 N. & ideò Petrus, v. g. est singulare, & non vniuersale, quia non est communis pluribus, quorum quodlibet sit ipsum; ergo si illud abstractum à singularibus sit commune pluribus indiuiduis, quorum quodlibet sit ipsum, sequitur manifestè, quod non sit indiuiduum, & singulare, sed vniuersale, quod repugnat.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, maiorem esse veram, quia natura humana abstracta, importat realitatem, quasi potentialem, contrahibilem per differentias indiuiduales ad indiuidua adæquatè concepta, & diuisibilem in illis, secundum quam est in potentia proxima, vt possit prædicari de illis, prædicatione dicente, hoc est hoc; at ratio indiuidui, ab illis abstracta, non importat realitatem quasi potentialem, contrahibilem ad illa per differentias indiuiduales, & in illis diuisibilem; alioquin daretur processus in infinitum in differentijs vltimis; sed tantum præsefert quamdam entitatem, distinctam ab esse specifico, dicibilem de omnibus indiuiduis per prædicati de vno tantum, quæ est ratio singularitatis; ideò non sequitur, si huiusmodi ratio, vt sic abstracta, sit communis omnibus indiuiduis, ipsam non esse singularem, & indiuiduam, sed vniuersalem.

Contra. Imò sequitur, vt sit vniuersalis: quia huiusmodi ratio sic abstracta, esset communis, & in potentia proxima prædicandi de pluribus, prædicatione dicente, hoc est hoc; quia valeret dicere. Petrus est indiuiduum prædicabile de vno solo. Paulus est indiuiduum prędicabile de vno solo, & sic de cæteris; ergo huiusmodi ratio sic abstracta, non esset singularis sed vniuersalis. Consequentia patet ex Doct. Subt. in secundo, d. 3. q. 1. sub lit. H. vbi dicit, quod vniuersale in actu, est illud, quod habet vnitatem indifferentem, secundum quam ipsum idem est in potentia proxima, vt dicatur de quolibet supposito, prædicatione dicente, hoc est hoc; sed huiusmodi ratio sic abstracta ab indiuiduis, esset talis naturæ, vt probatum est; ergo &c.

Respondetur, negando sequelam. Ad probationem dico, consequens esse verum, accipiendo commune, & vniuersale, vt modus; falsum verò, si sumatur vt quid. Quia ratio sic abstracta, cum secundum esse obiectiuum, & præcisum, sit singularis, quia dicibilis tantum de vno incommunicabiliter, vt quod, sequitur tantum esse in potentia proxima prædicabili de pluribus, vt modus; quandoquidem indueret modum speciei specialissimæ, & consequenter esset vniuersale, vt modus; singulare verò, vt quid. Nec inconuenit, idem posse dici commune, & vniuersale, vt modus, & singulare vt quid; quia intentiones etiam disparatæ, possunt eidem competere secundum diuersas comparationes factas ab intellectu, vt optimè demonstrat Doct. Subt. q. 6. 8. & 12. suorum Vniuers. à quo accepi hanc responsionem, soluendo tertium argumentum principale quæstionis duodecimæ.

Obijcies secundo, ex Scoto, in secundo, d. 3. q. 6. Quia à primò diuersis, non potest abstrahi aliqua ratio communis, in qua conueniant; sed indiuidua formaliter sumpta, sunt primo diuersa; ergo ab eis non potest abstrahi ratio indiuidui in communi. Maior est Scoti, nedum loco citato, sed etiam in primo, d. 3. q. 3. vbi probat, vltimas differen-

rentias non includere quiditatiuè rationē entis, quia sunt primo diuersæ. Minor probatur. Quia si differentiæ indiuiduales non essent primo diuersæ; ergo in aliquo conuenirent, & per aliqua differrent; tunc quæram de illis, an sint primo diuersa, vel non; & sic daretur processus in infinitum, quod non est dicendum.

Respondetur ex Doct. Subt. in primo, d. 26. q. vn. sub Y §. Ad aliud dico &c. quod à primo diuersis, non potest abstrahi conceptus communis, importans realitatem, quasi potentialem, determinabilem per differentias proprias, vel quasi proprias, inclusum essentialiter in illis realitatibus, à quibus abstrahitur; quia sic non essent primo diuersa, sed daretur processus in infinitum; cum non esset maior ratio de istis, quam de illis; potest tamen abstrahi ab intellectu aliqua ratio, seu conceptus communis actualis, in quo primo diuersa conuenire possint, & ab eo recipere prædicationē in quid, non vt quid, sed vt modus; nec hoc est inconueniens, vt dictum est in præcedenti responsione. Tum etiam; quia paternitas, & filiatio in diuinis, sunt primo diuersæ, & tamen, secundum Scotum ibidem, potest ab eis intellectus abstrahere aliquem conceptum communem realem positiuum, dicibilem de illis, vt modus in quid. Cùm igitur vltimæ differentiæ indiuiduales sint primo diuersæ tantum primo modo, & non secundo, benè poterit ab illis abstrahi aliqua ratio communis, dicibilis de illis in quid, quæ tamen sit etiam, vt quid, singularis, & indiuidua, & non contrahibilis ad illas, per alias differentias indiuiduales.

Obijcies tertio. Quia si daretur aliqua ratio communis indiuiduis formaliter acceptis, quæ tamen esset indiuidua, daretur etiam aliqua natura, seu ratio vna communis omnibus naturis indiuiduatis; sed hoc est absurdum; ergo &c. Sequela maioris probatur. Quia indiuiduum dicit naturam communem materialiter, & differentiam indiuidualem formaliter; ergo indiuiduum, vt sic, dicit aliquam naturam materialiter; sed non dicit aliquam naturam determinatam, v.g. humanitatem, aut brutalitatem, vt patet; ergo aliquam naturam communem omnibus naturis indiuiduatis. Minor probatur. Quia non posset assignari quænam esset illa natura communis, & quos effectus in rerum natura haberet, & in ordine ad quem finem deseruiret, sed hæc omnia essent absurda, vt est euidens; ergo &c.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, indiuiduationem illam sic abstractam, quamuis singularem, non esse propriè naturam à parte rei, sed solum rationem communem per intellectum abstractam; ac proindè non sibi competere aliquod munus particulare physicum, vt prætendit Poncius; cum sufficiat, (nè videatur frustranea) esse fundamentum singularitatis; non enim est, aut debet esse deterioris conditionis, quàm sit ratio fundandi vniuersalitatem, aut aliam intentionem secundam, quæ tamen, vt sic, nullum aliud munus exercet, aut exercere debet, cum non habeat esse singulare, aut commune à parte rei, sed solum virtute intellectus, vt sic abstrahentis illam à singularitatibus in particulari.

Obijcies quarto. Si daretur ratio communis indiuidui, abstracta ab vltimis differentijs, & dicibilis in quid de illis; ergo etiam posset dari conceptus entis, qui dicatur in quid de vltimis differentijs; sed hoc est expressè contra Doctorem Subt. in primo, d. 3. q. 3. sub F. ergo & illud &c. Sequela maioris probatur. Quia in tantum Scotus negat, conceptum entis posse vniuocè prædicari in quid, de vltimis differentijs, quia sunt primo diuersæ, & non resolubiles in conceptum quiditatiuum, & qualitatiuum; sed tales differentiæ indiuiduales sic se habent; aliter differrent per alias differentias, & sic daretur processus in infinitum; ergo &c.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, latam esse differentiam inter differentias vltimas comparatas ad ens, & ad illam rationem communem abstractam ab illis; nam in primo sensu, comparantur in ratione contrahentium ad contrahibile, quæ non possunt de se inuicem prædicari in quid sed tantum in quale, & denominatiuè; vt patet de animali, & rationali; in secundo verò comparantur, vt inferiora ad suum superius, in quibus includitur; modo superiùs semper prædicatur quiditatiuè de inferioribus. Et sic, indiuiduum commune potest prædicari de vl-

vltimis differentijs in quid, & non ens.

Vel dicendum, concedendo sequelam maioris, & negando minorem cum Lycheto. Quia Doctor non negat, ens importare conceptum vniuocum in quid, dicibilem etiam de vltimis differentijs, eo modo, quo dicitur prædicari in quid de Deo, & creaturis; sed tantum negat prædicari de illis, eo modo, quo dicitur vniuocè de decem prædicamentis; quia sic importat realitatem potentialem contrahibilem ad decem prædicamenta per modos intrinsecos, veluti per differentias; modò nulla realitas dicitur, vt sic, de vltimis differentijs; quia non essent primo diuersæ, sed essent resolubiles in conceptum quiditatiuum, & qualitatiuum; & sic daretur processus in infinitum in vltimis differentijs, quod implicat.

Obijcies quinto. Illud hic diffinitur, quod prædicatur de vno solo tantum; sed si daretur indiuiduum commune abstractum ab indiuiduis, non prædicaretur de vno solo, sed de pluribus; ergo &c. Maior est Porphyrij in textu, cap. de specie. Minor patet. Quia fundaret secundam intentionem vniuersalis, & non indiuidui.

Respondetur, minorem esse veram cum sua probatione, accipiendo commune, & vniuersale, vt modus; falsam si sumatur, vt quid; quia tunc illud indiuiduum abstractum, cum esset singulare, prædicaretur de vno tantum, & non de pluribus.

Obijcies sexto, contra tertiam conclusionem. Petrus est indiuiduum; sed Petrus non est prædicabile de aliquo; ergo illa diffinitio non est benè data de indiuiduo. Minor probatur, ex Aristotele, cap. de substantia. A prima substantia, nulla est prædicatio; sed Petrus est prima substantia; ergo nulla est ab ipso prædicatio.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, Aristotelem ibi locutum de prædicatione formali, in qua prædicatum aliquo modo debet esse distinctum à subiecto, saltem ex natura rei; non tamen de identica, in qua inter subiectum, & prædicatum sufficit distinctio rationis. Modò Petrus de se ipso identicè, non formaliter prædicatur: & hanc duplicem prædicationem tradit Philosophus, quinto Meth. t. c. 23.

Obijcies septimo. Indiuiduum entis, & quodcumque indiuiduum genericum, est prædicabile de multis; ergo huiusmodi diffinitio non conuenit omnibus indiuiduis. Antecedens probatur. Quia hoc ens, & hoc animal, sunt indiuidua; sed talia prædicantur de Petro, & de Paulo; quia verum est dicere. Petrus est hoc ens, & hoc animal. Paulus est hoc ens, & hoc animal; ergo indiuiduum entis, & genericum, prędicantur de multis.

Respondetur, negando antecedens, sumendo indiuiduum, vt quid. Ad probationem dico, hoc ens, & hoc animal, quod prædicatur de Petro, non esse illud, quod prædicatur de Paulo, sed aliud numero distinctum; ac proindè non sequi, indiuiduum prædicari de multis, sed tantum de vno solo.

Obijcies octauo. Indiuiduum vagum, est indiuiduum; sed tale prædicatur de pluribus, quia hec est vera. Petrus est aliquis homo, & pariter ista. Paulus est aliquis homo; ergo.

Respondetur, maiorem esse veram de indiuiduo indeterminato; falsam de signato, & determinato; modò definitio data, est tantum de indiuiduo signato, & determinato; quia re vera indiuiduum vagum prædicatur de pluribus indeterminatè, & non de vno; vndè hæc propositio. Petrus est aliquis homo; exponenda est per disiunctiuam, vel, dicendo. Petrus est hic, vel ille homo signatè.

Obijcies nono. Essentia diuina est indiuidua, & singularis; sed talis prædicatur de multis, scilicet de Patre, Filio, & Spiritu Sancto; ergo hæc diffinitio non conuenit omni indiuiduo.

Respondetur, essentiam diuinam esse indiuiduum illimitatum, quæ ob sui infinitatem reperitur in tribus personis diuinis absque sui diuisione; & ideò bene potest prædicari de pluribus. Nec indè sequitur, diffinitioné esse insufficientem; quia est data de indiuiduo finito, & limitato tantum; quod cum diuidi non possit in inferioribus, quibus caret, benè sequitur, tantum prædicari de se solo.

Obijcies decimo. Diffinitiones oppositæ, nc-

nequeunt eidem conuenire, nec per se, nec per accidens; sed indiuiduum pro secunda intentione potest prædicari de pluribus, vt dictum fuit in secunda conclusione; ergo non debet prædicari de vno solo tantum. Maior patet. Quia vnius rei, est vnica diffinitio, sicut vnica quiditas, & essentia.

Respondetur, Maiorem esse veram de diffinitionibus absolutorum, & vt quid; falsam de relatiuis, & vt modus. Siquidem relatiua, cum possint habere plures terminos, per quorum fundamenta habent diffiniri, vt docet Doctor, in primo, d. 30. quæst. 2. sub H. & G. consequenter eidem possunt competere plures diffinitiones relatiuè oppositæ. Modò indiuiduum, cum sit relatiuum rationis, & possit formari ab intellectu per comparationem ad omnia indiuidua particularia, & per ordinem ad seipsum, vt habet esse incommunicabile pluribus, poterit vtiquè, vt quid, esse prædicabile de vno solum, & de pluribus, vt modus.

De Differentia.

CAPVT IV.

Postquam Porphyrius se expediuit de Prædicabilibus, quæ in quid prædicantur, se conuertit ad illa, quæ in quale dicuntur. Et cum inter ea præcipuum, sibi vendicet locum Differentia, quæ prædicatur in quale essentiale, in præsenti capite intendit de illa pertractare.

Diuiditur autem hoc capitulum in duas partes præcipuas; in quarum prima agit de Differentia diuisiuè; in secunda verò de eadem diffinitiuè. Prima, in qua ponuntur tres eiusdem Diuisiones, incipit ibi. Differentia verò, & communiter &c. Secunda verò, in qua subijcit quinquè diffinitiones Differentiæ, incipit ibi. Quas etiam demonstrantes &c.

Quoad primam partem, diuidit Differentiam tripliciter, vt ex eis eligat quam diffinire velit in ratione quarti vniuersalis.

Prima Diuisio. Differentiarum, alia est communis, alia propria, & alia magis propria. Communis est, quæ vnum differt ab alio accidente communi; vt Socrates albus, differt à Platone nigro; vel Socrates senex, differt à seipso puero. Propria est, quæ aliqua differunt ab inuicem accidente inseparabili: vt Petrus cæcus, differt à seipso vidente; aut nasus curuus, differt à naso aquilino. Propriissima, seu magis propria dicitur illa, quæ vnum differt ab alio specifica differentia: vt homo differt ab asino per rationale.

Secunda Diuisio. Differentiarũ, alia faciunt aliud, idest differre essentialiter; & alia faciunt alteratum, idest differre accidentaliter. Et hæc diuisio sub alijs terminis est eadem cum præcedenti; nam propriissima est, quæ facit aliud, idest differre essentialiter; vt rationale, & irrationale. Differentia verò communis, & propria, coincidunt cum differentia, quæ facit alteratum; quia faciunt differre accidentaliter, vt manifestè patet in exemplis ibidem adductis. Deinde ponit duas differentias inter hæc duo membra. Prima. Quia differentiæ facientes aliud, dicuntur specificæ, quia constituunt aliquam speciem. Vt rationale adueniens animali, constituit speciem humanam. Differentiæ verò facientes alteratum, dicuntur differentiæ simpliciter, sine aliquo addito; quia tantum faciunt differre, non tamen aliquam constituunt speciem. Vt mouere, nihil constituit, sed solum facit differre Petrum currentem à Paulo quiescente. Secunda. Quia diuisiones generum, fiunt tantum per differentias facientes aliud; vt patet in arbore prædicamentali.

Tertia Diuisio. Differentiarum, aliæ sunt separabiles: vt sanum esse, ægrum esse, mouere, quiescere &c. aliæ sunt inseparabiles; vt simum esse, curuum esse, rationale, irrationale, sensibile, insensibile &c. Differentiarum verò inseparabilium, aliæ sunt per se, vt rationale respectu hominis, irrationale respectu leonis; aliæ verò sunt per accidens; vt aquilinum esse, simum esse,

Siquidem aquilinitas, & simitas, non sunt de essentia nasi, sed accidentia inseparabilia. Discriminantur autem hæ differentiæ; quia differentiæ per se ingrediuntur diffinitionem quiditatiuam eorum, quorum sunt constitutiua; vt homo est animal rationale, leo animal irrationale; differentia verò per accidens, non ingrediuntur diffinitionem quiditatiuam, sed tantum descriptiuam, cum ipsa detur per genus, & accidens proprium, vel commune.

Deindè diuidit differentias per se. Quia aliæ diuidunt genus; vt corporeum, & incorporeum diuidunt substantiam; aliæ constituunt species; vt sensibile constituit animal, & insensibile plantam. Ex quo infert vnum dictum; differentias nimirum easdem, quæ diuidunt genus, constituere etiam species; nam animal, diuiditur per rationale, & irrationale; & rationale hominem; & irrationale brutum constituit, scilicet leonem, vel equum. Idem dicatur de cæteris differentijs positis in arbore prædicamentali.

Quoad secundam partem, Porphyrius eligit differentiam propriissimam, de qua est sermo præcipuus in hoc capite, & eam quinque diffinitionibus demonstrat, ac notificat.

Prima Diffinitio. Differentia est, quæ species abundat à genere. Idest, plura actu continet quam genus. Nam homo, per rationale continet animal, corpus animatum, corpus, & substantiam actualiter. Animal verò, quod est genus, licet contineat actu superiora ad ipsum, non tamen continet hominem, & rationale actu, sed tantum potentia.

Deinde remouet vnum dubium per inquisitionem. A quo nimirum species habeat differentiam. Non enim habet à se, cum nihil gignat seipsum, & differentia constituit speciem. Non à genere; quia tunc genus præhaberet illam ante speciem; & sic species non diceretur per eam abundare a genere. A quo igitur habet illam? Respondet, eam habere à genere, in quo continetur potentialiter, & non actualiter. Et licet prius sit in genere, quam in specie potentialiter, non impedit, quin species dicatur per eam abundare à genere; quia illam habet actu, genus vero potentia.

Secunda Diffinitio. Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale; suple, essentiale: vt rationale, & mortale; nam rationale, prædicatur de hominibus, & Dijs, qui secundum ipsum, specie differunt; mortale verò, de hominibus, & brutis, quæ differunt specie.

Quod verò prædicetur in quale, probat dupliciter, & primo à signo. Quia illud dicitur prædicari in quale, per quod conuenienter respondetur ad interrogationem factam per quale. Quærenti enim, qualis est homo essentialiter: respondetur, rationalis; quod est differentia constitutiua eius. Secundo probat ab exemplo. Nam statua constat ex duobus, scilicet ex ære, tamquam ex materia; & ex figura, veluti ex forma; ità species, constat ex genere, vt ex materia; & differentia, sicuti ex forma; sed figura prædicatur in quale de statua; ergo & differentia de specie.

Tertia Diffinitio. Differentia est vniuersale, quod aptum natum est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt. Idest distinguere species sub eodem genere contentas; vt rationale, & irrationale, faciunt distinguere hominem, & equum ab inuicem, & cætera, quæ sub animali continentur.

Quarta Diffinitio. Differentia est, quæ differunt à se singula. Idest singulæ species. Nam homo, & leo, qui sunt duæ species, in aliquo conueniunt, & per aliqua differunt. Conueniunt quidem in animali; quia ambo ipsum includunt essentialiter. Differunt verò per differentias; quia homo est animal rationale, leo verò animal irrationale. Hæc diffinitio videtur omninò eadem cum præcedenti.

Quinta Diffinitio. Differentia est, quæ conducit ad essentiam speciei, & est pars essentiæ, & diffinitionis eius. Non enim homo per hoc, quod aptus est ad nauigandum, constituitur in esse essentiali, & quiditatiuo, cum talis aptitudo sit tantum propria eius passio; sed per hoc, quod est rationalis, homo est homo; cum rationale additum animali, constituat hominem in esse quiditatiuo, & essen-

ſentiali, ingrediaturque diffinitionem eius; quia homo diffinitur per animal rationale. Ex quo infert vnum corollarium, quod per hanc vltimam diffinitionem, non diffiniuntur niſi differentiæ ſpecificæ: quia huiuſmodi tantum conſtituunt ſpecies in eſſe quiditatiuo, & eſſentiali. Et hæc de textu.

De Natura Differentiæ.

DISPVTATIO V.

Vtrum prima Diuiſio Differentiæ in Communem, Propriam, & Propriiſſimam, ſit bona, & conuenienter aſſignata à Porphyrio?

QVÆSTIO I.

QVidam Recentiores putant, hanc diuiſionem eſſe datam de Differentia pro ſecunda intentione accepta, eſſeque vniuocam, ſcilicet generis in ſpecies; itaut Differentia in communi pro ſecunda intentione diuidatur in Communem, Propriam, & Propriiſſimam, veluti genus in ſuas ſpecies. Primam partem ſequutus eſt Caietanus, cap. de Differentia. Complutenſes, diſput. 7. quæſt. 1. & alij ex Thomiſtis. Siquidem, ad logicum ſpectat pertractare de differentia pro ſecunda intentione, & ad Methaphyſicum de eadem pro prima. Et affirmant, eſſe diuiſionem analogi in ſua analogata.

Antiqui verò communiter, vt Auicennas, Albertus Magnus hic, cenſent diuidi Differentiam pro prima intentione, & non prima ſecunda; eſſeque æquiuoci analogi in ſua æquiuocata analogata. Siquidem vox tantum, & non res importata, per nomen Differentiæ hic partitur, vt mox probabimus. Huic ſubſcribit Doctor Subt. quæſt. 23. Vniuerſ. quicquid dicat Maſtrius, diſput. 5. quæſt. 3. num. 116. & ſequitur Antonius Ruuius, cap. de Differentia, quæſt. 2. At Conimbric. cum Louanienſibus, videntur vtrique fauere opinioni, cum quærant modum eas conciliandi. Diſcrepant tamen, maximè primi, ſi benè inſpiciantur, à noſtra ſententia, & apertè ſuſtinent, vt probabiliorem, oppoſitam.

Pro declaratione, & fundamento noſtræ ſententiæ, primo notanda ſunt ea omnia, quæ de Diuiſione diximus in Summulis, tract. primo, ſect. tertia c. 3. & potiſſimum, diuiſionem per ſe eſſe duplicem, ſcilicet vniuoci in ſua vniuocata, & æquiuoci in ſua æquiuocata; & vtramque ſubdiuidi, in puram, & analogam. Quia de his omnibus eſt ſermo in præſenti quæſtione.

Secundo notandum, quod ad quamlibet bonam diuiſionem tres conditiones requiruntur, ſcilicet quod membra diuidentia ſint oppoſita, itaut nequeant de ſe inuicem verè enunciari: quod non excedant diuiſum, & non excedantur ab eo; de quibus ſatis egimus in Sum. loco citato.

Tertio notandum, Differentiam dupliciter accipi, ſcilicet in ratione tertij vniuerſalis ab alijs diſtincti, & vt ſic in communi, prout ſe extendit ad omnia, quæ faciunt differre aliqua ad inuicem, ſiuè ſubſtantialiter, ſiuè accidentaliter. Si primo modo accipiatur, non diuiditur in communem, propriam, & propriiſſimam, ſed eſt differentia propriiſſima pro ſecunda intentione accepta; de qua in ſequentibus erit ſermo. Si verò ſecundo modo ſumatur, ſic differentia eſt quoddam æquiuocum, cum non importet niſi vocem communem, differentiæ communi, propriæ, & propriiſſimæ; ſiquidem nullus conceptus aſſignari poteſt per illam importatus; quia nec ſubſtantiæ tantum, nec accidentis tantum: nàm primus, excluderet differentias accidentales; ſecundus verò ſubſtantiales; igitur dicendum eſt præſeferre ſolum nomen communem, differentiæ communi, propriiſſimæ, & propriæ; & ſic diuidi æquiuocum in ſua æquiuocata. Cæterum, cum differentia propria magis faciat differre, quam communis, & propriiſſima magis quàm propria, concludendum eſt, illam vocem eſſe analogam ad illas, & ſimul æquiuocam;

ac proindè hanc diuisionem esse æquiuoci analogi in sua æquiuocata analogata, vt infrà demonstrabimus.

Ex his, fit prima Conclusio. Differentia, quæ diuiditur in communem, propriam, & proprijssimam, non est secunda intentio, sed vox realis æquiuoca. Probatur primo. Quia differentia, quæ hic diuiditur, facit differre vnum ab alio realiter, nullo intellectu considerante; sed nulla secunda intentio, cum sit ens rationis pendens ab opere collatiuo intellectus, potest sic diuersificare, vt patet; ergo &c. Maior probatur ex Porphyrio in textu, vbi exemplificans de differentijs, in quas secatur differentia in communi, dicit, Socratem sedentem differre a Platone, qui mouetur, differentia communi; nasum curuum, à naso aquilino, differentia propria; & equum ab homine, per irrationale, differentia proprijssima secerni; sed certum est, huiusmodi differre ante quamcumquè operationem intellectus; ergo &c. Secundo probatur. Siuè intellectus cõsideret de nigredine Pauli, & de albedine Petri, siuè non, verum est, Paulum differre à Petro Differentia communi realiter; ergo Differentia, quæ hic diuiditur, præcedit opus intellectus, & sic non est secunda intentio.

Secunda Conclusio. Hæc diuisio non est vniuoci in sua vniuocata, sed æquiuoci analogi in sua æquiuocata analogata. Prima pars probatur sic primo. Quia omnis diuisio vniuoca, vel est generis in differentias, vel generis in species, vel speciei in indiuidua, ex diffinitione diuisionis vniuocæ, tradita in Summulis, loco citato; sed hęc diuisio differentiæ non est aliqua istarum; ergo. Minor probatur. Quia genus dicitur vniuocè de differentijs, & speciebus, sicut species de indiuiduis, vt patet; sed differentia, vt sic, non dicitur vniuocè de communi, propria, & proprijssima; siquidem hæc facit differrè specificè, & quiditatiuè; aliæ verò accidentaliter, vel inseparabiliter, vt propria; vel separabiliter, vt communis, vt probat Porphyrius in textu, ergo diuisio differentiæ in communem, propriam, & proprijssimam, non est vniuoca. Secundo probatur. Quia si dicunt eumdem conceptum communem, vel est substantialis, vel accidentalis; sed neutrum est dicendum; ergo non habent conceptum communem vniuocè. Maior patet. Quia omnia, quæ differunt, vel differunt substantialiter, vel accidentaliter, ex Porphyrio, in secunda, & tertia Diuisione differentiæ; quia vel dicunt aliud; & sic differunt substantialiter; vel alteratum; & sic accidentaliter. Minor probatur. Conceptus substantialis, & accidentalis sunt omninò disparati; ergo vnus nequit contineri sub alio vniuocè. Secunda pars probatur. Quia diuisio æquiuoci analogi est, quando vna vox importat plura non æqualiter, sed vnum per prius, & reliquum per posteriùs, ex dictis in Summulis loco citato; sed hæc vox, differentia, est huiusmodi; quia prius significat differentiam proprijssimam, vtpotè facientem aliud, scilicet differre essentialiter, & quiditatiuè, quam propriam, & communem, quæ tantum faciunt alteratum, idest differre accidentaliter; & inter has, prius propriam, quàm communem; quia accidens inseparabile, est perfectius, quam separabile; ergo hæc vox, differentia, significat ęquiuocè analogicè, differentiam communem, propriam, & proprijssimam.

Tertia Conclusio. Hæc Diuisio, est conuenienter data. Probatur primo, auctoritate Porphyrij in textu, & Aristotelis, primo Elenchorum, cap. 2. approbantis diuisionem æquiuoci analogi in sua æquiuocata analogata, pro bona, & conuenienti; sed hæc diuisio est huiusmodi, vt probatum est in præcedenti conclusione; ergo. Secundo probatur ratione fundamentali. Quia illa diuisio, cui conueniunt omnes conditiones requisitæ ad bonam diuisionem, est bona, & conuenienter assignata; sed hæc est huiusmodi; ergo. Minor probatur. Tum quia membra diuidentia sunt opposita disparata; non excedunt differentiam in communi, nec exceduntur ab ea; nam omnia illa, quæ faciunt differre, aut faciunt differre specificè, & quiditatiuè, & sic habetur differentia proprijssima; aut inseparabiliter accidentaliter tamen, & sic est differentia propria; aut accidentaliter separabiliter, & sic est differentia communis. Cum igitur non inueniantur

niantur alij modi differendi, qui aut non contineantur ſub his tribus membris, aut ſaltem non reducantur ad illa, ſequitur adæquatio inter diuiſum, & membra diuidentia. Et licet Porphyrius multiplicauerit alia differentiarum membra, omnia tamen reducuntur ad iſta tria membra, vt patet ex dictis in expoſitione textus.

Obijcies primo, contra primam concluſionem. Membra diuiſionis non debent coincidere, ſed eſſe oppoſita; ſed ſi differentia non ſumeretur pro ſecunda intentione, in hac diuiſione membra coinciderent; ergo. Maior patet ex prima conditione requiſita ad bonam diuiſionem. Minor probatur. Quia differentia albedinis reſpectu parietis eſt communis; reſpectu cygni propria; & reſpectu ſui ipſius proprijſſima; ergo membra huius diuiſionis ſi ſumantur realiter, coincidunt.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram de oppoſitione diſparata, in qua vnum nequit prædicari de alio formaliter, non tamen de reali, & ſubiectiua; modo differentia communis, proprijſſima, & propria, & ſi coincidant in eadem re ſubiectiuè, non tamen formaliter; quia differentia albedinis reſpectu parietis, eſt accidens commune ab ipſo ſeparabile; reſpectu cygni, accidens proprium inſeparabile; & reſpectu ſui, ſpecifica, & quiditatiua; Cæterum iſtæ rationes nequeunt de ſe inuicem enunciari formaliter, & quiditatiuè; igitur huiuſmodi membra formaliter non coincidunt, ſed ſunt oppoſita diſparata; & hoc ſufficit ad bonam diuiſionem.

Obijcies ſecundo. Quia Diuiſum hic eſt differentia in communi, formaliter ſumpta; ſed differentia formaliter accepta, eſt ſecunda intentio; ergo. Maior patet. Quia logicus conſiderat per ſe vniuerſalia pro formali; modò Differentia eſt vnum ex quinque vniuerſalibus; igitur &c.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram, ſumendo differentiam, quoad ſuum proprium munus, quod eſt facere differre vnum ab alio; falſam accipiendo illam in ratione vniuerſalis, vel prædicabilis; quia ſic, eſt tantum differentia proprijſſima, & non in communi ſumpta. Ad minorem dico, differentiam formaliter ſumptam in ratione prædicabilis, eſſe ſecundam intentionem, non tamen in ratione differendi; quia ſic eſt ens reale. Et hoc modo, conſideratur à logico per accidens, quatenùs poteſt eſſe ſubſtractum alicuius ſecundæ intentionis, quæ ſuper ipſa fundari poſſet virtute intellectus.

Obijcies tertio, contra ſecundam concluſionem. Quia Differentia communis, propria, & proprijſſima conueniunt in hoc, quod eſt facere differre, quamuis differant ſecundum eſſe ſimpliciter, & ſecundum quid; ſed hæc non impediunt vniuocationem, ſaltem analogicam; ergo diuiſio iſta eſt vniuoci, & non æquiuoci analogi. Maior patet ex Porphyrio in textu. Minor probatur. Quia ſubſtantia, & accidens conueniunt vniuocè in conceptu entis, quamuis differant ſecundum eſſe ſimpliciter conueniens ſubſtantiæ, & ſecundum quid proprium accidentis; ergo licet differentia proprijſſima faciat differre ſimpliciter, & propria, & communis ſecundum quid, cum tamen conueniant omnes in vnam rationem faciendi realiter differre, dicendum eſt, differentiam in communi præſeferre illis conceptum communem vniuocum, non minus, quam ens ad ſubſtantiam, & accidens.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram de conuenientia ſignificatorum in voce ſignificante, non tamen in conceptu ab illis abſtracto; quia ab eſſe ſimpliciter, & ſecundum quid, nequit abſtrahi vnus conceptus: modò differentia proprijſſima, dicitur ſimpliciter differentia; propria vero, & communis, tantum ſecundum analogiam proportionis, quam habent cum illa in faciendo diferre: at certum eſt, quod ab analogis ſecundum proportionem, nequit abſtrahi aliquis conceptus communis, aliter omnia eſſent vniuoca, cum omnia proportionentur vel ad inuicem, vel reſpectu ſuorum proportionabilium. Ad probationem de ſubſtantia, & accidente, nego paritatem in comparatione ad eus, & ad differentiam in communi; quia licet ſubſtantia, & accidens differant ſecundum eſſe perfectius, & minus perfectum; quia ſubſtantia eſt eus per ſe, accidens in alio, non tamen ſecundum ſimpliciter eſſe, & ſecūdum quid; quia ambo ſunt entia ſimpliciter in ratione entis, licet in modo eſſendi diſcriminentur;

at differentia proprijssima, non differt à propria,& communi,secundum esse perfectius, & minus perfectum, sed secundum esse simpliciter, & secundum quid, vt dictum est; ideò licet à substantia, & accidente possit abstrahi conceptus vnicus analogus, non tamen à differentijs propria, proprijssima,& communi.

Obijcies quarto, contra tertiam conclusionem. Omnis bona diuisio, aut est per se, aut per accidens, ex Boetio, lib. de Diuision. Sed hęc non est aliqua istarum; ergo non est bona. Minor probatur, quoad vtramque partem;& primo quod non sit per se. Quia omnis talis, vel est generis in species, vel totius in partes, vel vocis in significationes, ex dictis in cap. de Diuision. sæpius citato; sed non est aliqua istarum; ergo &c. Minor probatur, quod non sit generis in species, ex conclusione secunda. Quod verò non sit totius in partes, patet. Quia nec totius vniuersalis, nec in modo, nec in quantitate, vt est manifestum ex suis diffinitionibus traditis loco citato; ergo &c. Nec vocis in significationes; quia hæc importat sua significata æqualiter, vt patet de hac voce canis, quæ æqualiter significat canem latrabilem, marinum, & cælestem; sed differentia prius importat differentiam proprijssimam, quam propriam;& hanc prius, quam communem; ergo non est diuisio vocis in significationes. Confirmatur primo. Quia æquiuocum non sequitur in consequentia ad aliud, ex Aristotele, primo Elench. c. 3. sed differentia, quæ hic diuiditur, sequitur in consequentia; valet enim dicere, hæc differunt specificè; ergo differunt differentia propria; similiter, si differunt differentia propria; ergo, & communiter; ergo vnum sequitur ad aliud. Confirmatur secundo. Quia nullum ęquiuocum diffinitur, ex Porphyrio,& Aristotele; sed differentia diffinitur, vt patet in textu, &c. ergo differentia non est vox æquiuoca.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, esse diuisionem vocis in significationes, seù æquiuoci in sua ęquiuocata. Et cum probatur contra; dico esse verum de æquiuoco puro, non de analogo, cuiusmodi est hæc vox differentia in communi. Ad primam confirmationem dico, minorem esse veram, si accipiatur differentia pro differentia proprijssima, non tamen pro differentia in communi, vt sumitur hic; quia talis, ad nullum sequitur in consequentia bona. Ad secundam confirmationem dico, diffiniri in textu differentiam proprijssimam, quia talis non est ęquiuoca; non verò differentiam in communi sumptam, cum sit æquiuoca analogicè, vt dictum est.

Obijcies quinto, contra eamdem. Quia omnis bona diuisio debet dari per opposita, vt patet ex prima conditione requisita ad bonam diuisionem; sed hæc diuisio non datur per opposita; ergo non est bona. Minor probatur. Quia diuisio per opposita, debet esse bimembris, cum vnum tantum, vni opponatur, ex Philosopho, primo de Cęlo t.c.12. & 10. Meth. t.c.14.17.& 19. sed hæc est trimembris, vt patet; ergo. Secundo probatur minor. Quia oppositum non sequitur ad oppositum, sed sic vnum membrum sequitur ad aliud; quia valet dicere; homo, & equus differunt differentia proprijssima; ergo differunt differentia propria, & communiter; siquidem, accidentia consequuntur substantiam rei; sed differentia propria, & communiter, sunt accidentia, & differentia proprijssima dicit substantiam, ergo si homo, & equus differunt differentia proprijssima, sequitur differre differentia propria, & communiter.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem primam dico, maiorem esse veram formaliter, vel reductiuè; modo licet ista diuisio non sit bimembris, potest tamen reduci sic dicendo. Differentiarum, alia est proprijssima, & alia non proprijssima; vel alia propria, & communiter, & alia non propria, nec communiter. Ad secundam probationem dico, minorem esse veram, si sumantur sine præcisione, non verò si cum præcisione, vt de facto sumuntur; quia sic non valet dicere; homo, & equus præcisè differunt differentia proprijssima, idest quiditatiuè; ergo differunt accidentaliter, seù differentia propria, aut communiter; quia hæc non includuntur intra quiditatem illorum, vt patet.

Obijcies sexto. Differentia indiuidualis, est propria differentia; sed non est aliqua istarum; ergo membra diuidentia exceduntur à diuiso, & consequenter diuisio non est bona.

Re-

Respondetur, differentiam indiuidualem ad duo posse comparari; & ad naturam communem, quam contrahit, & ad indiuiduum, quod formaliter constituit. Primo modo, est differentia propria; quia inseparabilis ab ea, cum sit identificata realiter. Secundo modo, est differentia proprijssima, quia facit vnum indiuiduum differre ab alio, quasi essentialiter, sumendo indiuiduum, vt sic, formaliter.

Vtrum hac sit vera. Socrates senex, differt à seipso puero?

QVÆSTIO II.

PRo declaratione huius quæstionis, primo notandum est, quod à plerisque multipliciter diuiditur ætas; communiter tamen cum Clemente Alexand. Solone, Hipocrate, & alijs, septem constituuntur hominum ætates, scilicet infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, virilitas, senectus, & decrepitas. Infantia, quæ priores septem annos claudit, abundat calido, & humido copioso, ac affluenti. Pueritia, quæ a septimo anno, vsquè ad quartumdecimum se extendit, potitur pariter maiori calido, & humido. Adolescentia, quæ à quartodecimo vsque ad vigesimum quintum protenditur, permanet in eadem caliditate, & humiditate. Iuuentus, quæ à vigesimo quinto vsque ad trigesimum quintum protrahitur, gaudet calido, & humido temperato. Virilitas, quę à trigesimo quinto vsquè ad quinquagesimum tendit, incipit decrescere in caliditate, & humiditate. Senectus verò, quæ incipit à quinquagesimo, & terminat in sexagesimũ quintũ, habet calidũ, & humidũ iam diminutũ, & appropinquat magis frigiditati, & siccitati, quàm ab eis recedat. Decrepitas tamdem, quæ post sexagesimum quintum, diem mortis claudit, est frigiditati, ac siccitati propinquior, quàm senectus, licet neutra careat totaliter humido, & calido; cum in ijs communis animantium viuendi ratio consistat. Ex dictis colligitur, ætatem formaliter dicere relationem fundatam in eodem composito, comparato ad aliam, & aliam successionem temporis, quæ iuxtà varietatem eiusdem, variari, & multiplicari dicitur.

Secundo notandum, triplicem esse differentiam, scilicet communem, propriam, & magis propriam, seu proprijssimã; quarum diffinitiones vidimus in textu. Ad propositum, cum quæritur. An Socrates senex differat à seipso puero; non est sermo de differentia proprijssima, vel propria; quia certum est, ætatem non esse differentiam specificam, vel accidens inseparabile hominis, vel animalis, cum de facto separetur ab eo; sed tantum de differentia communi, & est sensus. Vtrum Socrates per senectutem, differat accidente communi à seipso in pueritia existente?

Ex his, sit prima Conclusio. Socrates senex non differt à seipso puero, differentia proprijssima, vel propria. Probatur prima pars. Quia differentia proprijssima, est specifica, & quiditatiua; sed nihil differt à se specie, & quiditatiuè; ergo &c. Secunda pars probatur. Quia differentia propria, est inseparabilis à subiecto, quod facit differre, ex Porphyrio in textu; sed senectus, & pueritia sunt separabiles ab eodem, vt experientia constat; ergo, &c.

Secunda Conclusio. Socrates senex, differt à seipso puero, differentia communi. Probatur. Quia Socrates senex, non est idem, ac puer; quia senectus, ac pueritia sunt diuersæ relationes. Sed non differt differentia magis propria, vel propria, vt probatum est; ergo differentia communi. Secundo. Illa, quæ differunt accidente separabili, differunt communiter, seù differentia communi; sed Socrates senex, & puer, differunt accidente separabili; quia senectus, & pueritia sunt accidentia separabilia à Socrate; ergo idem senex, differt à seipso puero differentia communi.

Obijcies primo, contra secundam conclusionem. Quia differentia realis, est relatio realis; sed inter Socratem senem, & seipsum puerum, non potest esse relatio realis; ergo nec differentia realis. Maior patet. Minor probatur. Quia relatio realis requirit extrema realiter distincta in actu; sed Socrates senex, & ipse puer, non sunt simul in actu, vt patet per experientiam; ergo &c.

Respondetur primo cum Doctore hic, negando minorem. Ad probationem dico, maiorem esse veram de relatione reali

quoad rationem referrendi, non tamen quoad existentiam; quia etiam prius, refertur ad posterius, & tamen non simul existunt; modò quamuis Socrates senex non sit simul cum seipso puero, quia separantur ab inuicem senectus, & pueritia, est tamen simul cum seipso quoad rationem referrendi; quia per vnam relationem refertur idem senex ad se puerum.

Vel dic cum Parisiensibus hic, duplicem esse differentiam, scilicet positiuam, & negatiuam. Prior est inter extrema realiter actu existentia; & est relatio realis, vt paternitas, filiatio &c. Posterior non requirit ambo extrema actu existentia, sed sufficit, quod alterum, in quo fundatur ratio differentiæ, actu existat; & talis non est relatio realis, sed rationis tantum.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem cum sua probatione esse veram de differentia positiua, non de negatiua; modò Socrates senex, differt à seipso puero tantum negatiuè, hoc est dictu. Socrates senex, non est ipse puer.

Obijcies secundo. Si Socrates senex differt à seipso puero, sequitur non esse idem sibi ipsi puero; ergo non est idem sibi; sed hoc est falsum; ergo & primum ex quo deducitur. Minor patet. Quia nihil differt à seipso. Sequela maioris prima probatur, per locum ab oppositis; sed differens, & idem sunt opposita; ergo si Socrates senex differt à seipso puero, sequitur non esse idem sibi ipsi puero; siquidem posito vno oppositorum, remouetur reliquum. Sequela secunda maioris probatur. Negatio identitatis particulariter, sequitur ad negationem identitatis eiusdem vniuersaliter; sed in antecedente negatur vniuersaliter identitas Socratis senis cum seipso puero, & in consequente negatur particulariter; ergo si valet dicere. Socrates senex non est idem sibi ipsi puero; valebit dicere etiam simpliciter. Socrates senex non est idem sibi. Maior patet. Quia sequitur; si nullus homo currit; ergo quidam homo non currit.

Respondetur, concedendo primam sequelam maioris de negatione identitatis accidentalis, non substantialis; quia reuera Socrates senex per senectutem differt à seipso puero accidentali differentia, & non substantiali. Nego tamen secundam sequelam; quia committitur fallacia consequentis, arguendo à negatione identitatis accidentalis, ad negationem identitatis substantialis; siquidem in primo antecedente, negatur tantum identitas accidentalis, in consequente verò etiam substantialis. Ad probationem, nego minorem; imò negatur identitas particulariter; quia negatur identitas accidentalis, & non substantialis.

Obijcies tertio. Si Socrates senex, differt à seipso puero; ergo Socrates senex, & ipse puer differunt; ergo Socrates senex, & Socrates puer sunt multa; ergo Socrates, & Socrates sunt multa; sed hoc vltimum consequens est falsum; ergo & primum antecedens vndè sequitur. Falsitas patet. Quia idem, & multa opponuntur, ex decimo Methaph. t. 12. atqui Socrates, & Socrates sunt idem; ergo non sunt multa. Prima consequentia probatur à simili in relatiuis æquiparantiæ. Quia valet dicere. Socrates est similis Platoni; ergo Socrates, & Plato assimilantur; igitur à simili. Socrates senex, differt à seipso puero; ergo Socrates senex, & ipse puer, differunt. Secunda consequentia probatur. Quia differentia, est species multitudinis, ex Philosopho, quinto Methaph. textu non habente commentum; & 10 Methaph. t. c. 10. 12. & 17. ergo si valet dicere. Socrates senex, & ipse puer differunt; valebit etiam dicere, quod sint multa. Tertia consequentia probatur. Quia à parte in modo, ad suum totum, valet consequentia affirmatiuè; sed Socrates, & Socrates sunt quædam tota in modo, & Socrates senex, & Socrates puer, sunt partes in modo; ergo si sequitur, Socrates senex, & Socrates puer sunt multa, sequetur etiam, Socrates, & Socrates sunt multa.

Respondetur, negando vltimam consequentiam, scilicet hanc; ergo Socrates, & Socrates sunt multa; quia non sequitur ad illud antecedens, sed potius committitur fallacia, arguendo à secundum quid ad simpliciter. Cùm enim conceditur, quod Socrates senex, & Socra-

crates puer sunt multa, intelligendum de multitudine accidentali, scilicet pueritiam, & senectutem in Socrate esse multa. Quando verò infertur; ergo Socrates, & Socrates sunt multa, neganda est consequentia; quia intelligitur de multitudine substantiali, vt sit sensus. Socrates, & Socrates, sunt multa accidentaliter, ratione senectutis, & pueritiæ; ergo sunt multa etiam substantialiter, quod est falsum; cum idem Socrates, qui puer erat, modò senex existat. Ad probationem tertiæ consequentiæ, neganda est minor; siquidem totum in modo, & etiam eius pars, sunt termini communes; modo Socrates non est terminus communis, sed discretus; ideò non arguitur à parte in modo ad suum totum, sed bene à multitudine secundum quid, scilicet accidentalis, ad multitudinem simpliciter, scilicet substantialem, in quibus non valet consequentia, sed committitur fallacia, vt dictum est.

Vtrum prima Diffinitio Differentiæ, scilicet. Differentia est, qua species abundat à genere. Sit conuenienter data?

QVÆSTIO III.

Circa hanc quæstionem, quam mouet Scotus, quæst. 25. Vniuersalium, nulla reperitur controuersia; idcircò ad eius declarationem properantes, primo notandum est, ex his, quæ diximus in expositione textus, hic non diffiniri differentiam communiter, vel propriè sumptam, sed tantum differentiam proprijssimam, quæ facit differre quiditatiuè; quia illa sola constituit speciem, & facit ipsam abundare a suo genere. Nec est sermo de differentia vltima constitutiua speciei specialissimæ duntaxat, sed etiam de intermedia; quia, & ipsa constituit speciem subalternam; siquidem quælibet differentia proprijssima adueniens generi, constituit suam speciem, vt patet discurrenti per Arborem prædicamentalem.

Secundo notandum est. Differentiam magis propriam, seù proprijssimam dupliciter sumi posse, scilicet primo, & secundò intentionaliter. Primo modo differentia dicit quamdam realitatem diuisiuam generis cum alia, & constitutiuam speciei pro prima intentione acceptæ, ac pluribus communicabilem, cognitam tamen ab intellectu actu recto, vel reflexo, cuiusmodi est rationale. Quia cum irrationali, diuidit animal, & constituit hominem in esse specifico, communicaturque omnibus hominibus. Secundo modo dicit respectum rationis, causatum per opus collatiuum intellectus cognoscentis comparatiuè, verbi gratia rationale, in ordine ad animal, quod cum irrationali diuidit, & ad hominem, quem constituit in esse specifico, ac ad inferiora, quibus est communicabile. Et de differentia hoc secundo modo accepta, erit sermo in sequentibus. In præsenti autem, agendum est de primo modo sumpta.

Tertio notandum est. Differentiam pro prima intentione acceptam, tripliciter considerari posse. Primo modo, quatenus cum sua opposita diuidit genus; & sic vocatur Differentia diuisiua. Secundo modo, prout constituit cum genere speciem; & sic appellatur constitutiua. Tertio modo, quatenus communicatur inferioribus ad speciem per ipsam constitutam; & sic dicitur prædicabilis. In proposito, diffinitio data, intelligitur de Differentia constitutiua tantum, vt sit sensus. Differentia constitutiua, prout talis, est qua species abundat à genere, idest, ratione cuius species plura, quam genus actu continet in se prædicata quiditatiua.

Ex his, sit prima Conclusio. Hæc diffinitio, vt sic explicata, est conuenienter data de Differentia Constitutiua. Probatur primo. Quia habet omnes conditiones bonæ diffinitionis; ergo est conuenienter data. Consequẽtia patet. Quia in his consistit bonitas cuiuslibet Diffinitionis, vt diximus supra de Diffinitione Generis, cum Aristotele. Antecedens probatur. Habet primam, & secundam. Quia omnis differentia constitutiua, & specifica, facit abundare speciem a suo genere; & so-

a suo genere, & sola differentia constitutiua præstat hoc munus speciei, siuè specialissimæ, siuè subalternæ; & hoc loquendo de abundare essentialiter, quia accidentaliter, species potest abundare à genere per proprium,& accidens; quia homo est risibilis actu, non item animal. Tertia etiam sibi conuenit, scilicet quod constet ex genere, & differentia. Nam cum hic sit sermo de differentia primo intentionaliter accepta, prima intentio ponitur loco generis, & ly abundare actu, loco differentiæ; nàm per ipsum differentia differt à genere, quia per differentiam,& non per genus, species actu continet plura prædicata quiditatiua; ergo est bona &c.

Secunda Conclusio. Hæc diffinitio competit tantum differentiæ, pro prima intentione. Probatur. Quia abundare ab alio actu, est habere actualiter aliquam realitatem essentialem, quam non habeat aliud; sed tantum differentia pro prima intentione dicit realitatem essentialem constitutiuam speciei, & non generis, vt patet; ergo hæc diffinitio competit tantum differentiæ pro prima intentione. Secundo probatur. Quia hic diffinitur differentia, quæ est de essentia speciei, ex Doctore, in solutione quæstionis; sed differentia pro secunda intentione, non est de essentia speciei pro secunda intentione, cum sint disparata quiditatiuè; ergo hic diffinitur differentia pro prima, & non pro secunda intentione.

Obijcies tamen primo. Quod abundat ab alio, in plus se habet illo; sed genus in plus se habet, quàm species, ex Aristotele in Prædicamentis, cap. de substantia, vbi dicit; animal in plus se habere, quam hominem; sed animal est genus, & homo species; ergo genus in plus se habet, quam species.

Respondetur, maiorem esse veram vel actualiter, vel potentialiter. Ad minorem dico, genus in plus se habere potentialiter, quàm species; quia plura sub se continet, quàm species; animal enim sub se continet omnia animalia; homo verò solum homines. Species verò actualiter in plus se habet, quàm genus, quia plura in se continet actu, quam genus: homo enim continet in se omnia prædicata, quæ continentur in animali, scilicet corpus animatum, corpus, & substantiam: & præter hæc, continet etiam ipsum animal, ratione suæ differentiæ constitutiuæ, scilicet rationalis: animal verò non continet actualiter hominem, nec rationale, sed tantum potentialiter; igitur species per differentiam abundat a genere actualiter.

Obijcies secundo. *Si per differentiam*, species abundaret à genere, vel haberet illam à se, vel ab aliquo, vel à nullo, sed nullum horum est dicendum; ergo. Minor probatur. Non est dicẽdum à nullo; quia ex nihilo nihil fit, ex Aristotele, primo Physicorum, t.c.33 Nec à se; quia nihil facit se esse in actu; sed differentia facit speciem esse in actu; ergo non habet eam à se. Nec à genere; tum quia genus prius haberet in se differentiam, & sic species non abundaret à genere; tum etiam, quia opposita essent in eodem simul, & semel; quia qua ratione rationale esset in animali, eadem ratione etiam irrationale oppositum ibi esset, quod non est admittendum; ergo &c.

Respondetur, speciem habere differentiam à genere, in qua erat potentialiter, & non actualiter; & sic dicitur abundare a genere actu, non potentia. Ad secundam probationem dico, differentias oppositas esse simul in genere potentialiter, nec hoc haberi pro inconuenienti; quia etiam formæ oppositæ, existunt in eadem materia potentialiter: esset solum absurdum, si ibi adessent actualiter simul; quia tunc opposita essent in eodem simul, & actualiter, quod non est admittendum.

Contra, & probo, differentias oppositas, esse actualiter in genere. Quia quod prædicatur verè de aliquo, actu est in illo; non enim albedo prædicaretur verè de pariete, nisi actu existeret in pariete; sed rationale, & irrationale verè prædicantur de animali; hæ siquidem sunt veræ: animal est rationale, & animal est irrationale; ergo &c.

Respondetur, maiorem esse veram, si prædicetur vniuersaliter, non tamen si tantum particulariter: modo licet hæc sit vera: aliquod animal est rationale, & aliquod animal est irrationale; non tamen omne animal est rationale, vel omne animal est irrationale.

Contra. Quia omnis potentia reducenda est

est ad actum; aliter esset frustra; ergo si genus potest habere differentias oppositas potentialiter, etiam in actu habere poterit.

Respondetur, maiorem esse veram de potentia, quæ dicit ordinem ad actum, cuiusmodi est potentia materiæ ad recipiendas formas, etiam oppositas; non tamen de potentia, quæ dicit solum indeterminationem passiuam, cuiusmodi est potentia generis, respectu differentiarum, ac specierum per ipsas constitutarum; hæc non est reducibilis ad actum in se, scilicet in genere, sed solum in suis inferioribus; vt rationale in homine, & irrationale in brutis: & hoc sufficit; vt non dicatur frustra.

Vtrum Differentia pro secunda intentione, possit diffiniri?

QVÆSTIO IV.

PRo resolutione huius difficultatis, primo notandum, ac memoriæ reuocandum id, quod diximus de diffinitione in primo Antepraedicamento; & quod hic est sermo de diffinitione non pure quiditatiua, seu per additamentum data; talis namque conuenit secundis intentionibus. Deinde hic agi de differentia pro secunda intentione duntaxat; alioquin fatuè quæsisset Doct. in præcedenti, de bonitate, & conuenientia diffinitionis Differentiæ, antequam determinaret, si possit diffiniri; siquidem quæstio si est, debet præcedere quæstionem quid, & qualis est, ex Aristotele, secundo Post. c. primo.

Secundo notandum, ex Doct. Subr. in 4. d. prima, q. 2. sub lit. C. quod licet de ratione diffinitionis puræ quiditatiuæ sit, vt per ipsam diffiniatur ens reale, per se, & vniuersale, tamen ad diffinitionem non purè quiditatiuam, seu per additamentum, sufficit, vt sit ens rationis, per se, vniuersale, & compositum ex genere, & differentia. Modò; cum differentia pro secunda intentione habeat has conditiones, quia est ens rationis collatiuum intellectus, per se, vniuersale, cum sit vnum è quinque vniuersalibus, & constet ex genere, & differentia; siquidem vniuersale in communi est genus; & in quale essentiale, est differentia, per quam differt à cæteris vniuersalibus, vt superiùs diximus; sequitur posse rectè diffiniri.

Ex his, fit vnica Conclusio. Differentia proprijssima, pro secunda intentione sumpta, potest rectè diffiniri. Probatur. Quia ad diffinibile quodlibet, requiruntur tria. Primo, vt sit ens reale, vel rationis. Secundo, quod sit vniuersale. Tertio, quod sit per se compositum ex genere, & differentia, ex not. secundo; sed differentia pro secunda intentione est huiusmodi, vt ibidem probatũ est; ergo potest diffiniri. Secundo. De quinquè vniuersalibus datur scientia, nedum in communi, sed etiam in particulari, cum de vnoquoquè possit demonstrari aliqua passio; ergo vnumquodquè potest diffiniri. Consequentia probatur. Quia, ex Aristotele, secundo Post. c. 17. Diffinitio, est medium in demonstratione potissima, per quam habetur scientia.

Obijcies primo. Id, quod diffinitur, debet habere genus, & differentiam; sed differẽtia non est huiusmodi; ergo non diffinitur. Minor probatur. Quia si differentia haberet differentiam se diffinientem; ergo quælibet differentia haberet differentiam, cum non sit maior ratio de vna, quam de alia; sed hoc non est admittendum; quia tunc dareretur processus in infinitum; ergo dicendum est, differentiam carere differentia; & sic non diffiniri.

Respondetur, Differentiam pro secunda intentione, ad duo posse comparari, scilicet ad vniuersale in communi, scilicet ad prædicari de pluribus, & ad prædicari in quale essentiale. Primo modo, habet rationem speciei, quæ constituitur in esse tali per prædicari in quale essentiale. Secundo modo, habet rationem differentiæ, & non habet aliam differentiam se diffinientem, & constituentem; aliter, & ipsa esset species, & non differentia.

Formaliter ad argumentum, nego minorem. Ad probationem, nego sequelam maioris. Quia dum diffinitur, habet rationem speciei, & sic habet differentiam, quæ posteà non diffinitur, sed est pars diffinitionis; & ibi datur status.

Obijcies secundo. Sola species diffinitur, ex Philosopho, septimo Methaph. t.c. 14. & 53. sed differentia non est species, cum

cum sit disparata ad ipsa; ergo.

Respondetur, maiorem esse veram de specie, vel vt quid, vel vt modus. At differentia, licet non sit species, vt quid accepta, est tamen species vt modus, cum contineatur sub vniuersali in communi, quod pariter est genus, vt modus; vt superiùs dictum fuit.

Vtrum secunda Diffinitio Differentiæ, scilicet prædicari de pluribus differentibus specie in quale, sit conuenienter assignata?

QVÆSTIO V.

Circa hanc quæstionem, duæ extant Doctorum oppositæ sententiæ; quarum prima asserit, hanc diffinitionem conuenire nedum differentiæ intermediæ, seù subalternæ, sed etiam specialissimæ. Ità aliqui apud Auicennam, cap. de Differentia. Cui fauere videtur etiam Caietanus, dùm ait, per hanc diffinitionem diffiniri differentiam, communem intermediæ, & vltimæ.

Secunda sententia huic opposita, quam communiter sequuntur Doctores, tum antiqui, tùm moderni, docet, per hanc diffinitione diffiniri solum differentiam intermediam, seu subalternam, & non vltimam. Ità Commentator, Auicenna, Albertus Mag. tract. quinto de Differentia, c. 6. Scotus q. 27. Vniu. Parisienses, Iauellus, Louanienses, & alij; quos refert, & sequitur Anton. Ruuius hic, quæst. 7. §. Tertia opinio &c.

Pro cuius explicatione, & fundamento, primo notandum est, nos hic loqui de differentia proprijssima pro secunda intentione accepta, non in quantum est diuisiua generis, & constitutiua speciei; quia vt sic, non prædicatur de pluribus; sed vt comparatur ad inferiora. Qua ratione, sortiut vniuersalis, vel prædicabilis nomenclaturam.

Secundo notandum est, ex Doct. loc. cit. in corpore quæstionis, differentiam pro secunda intentione, vt refertur ad inferiora, esse triplicem, scilicet intermediam, seù subalternam; vltimam, siuè specialissimam; & eisdem communem. Differentia intermedia, seù subalterna est, quæ constituit speciem subalternam, & prædicatur de pluribus differentibus specie, de quibus prædicatur species subalterna, in quale tamen essentiale. Vt sensibile de animalibus; corpus animatum de viuentibus, & non viuentibus animatis &c. Differentia vltima, seù specialissima est, quæ diuidit vltimum genus, & constituit speciem specialissimam, prædicaturquè de pluribus differentibus numero in quale essentiale. Communis verò, quæ vtramque complectitur, sicut superius sua inferiora, prædicatur de pluribus, abstraheudo à differentibus specie, & numero; & ista constituit tertium vniuersale ab alijs distinctum, diffiniturque sic. Differentia est vniuersale, quod prædicatur de pluribus in quale essentiale. In eo enim, quod de pluribus, conuenit cum cæteris vniuersalibus; per prædicari in quale, differt à genere, & specie, quæ prædicantur in quid; & per ly essentiale, distinguitur à proprio, & accidente, quæ dicuntur in quale accidentale, vt videbimus.

Tertio notandum, ac memoriæ recolendum id, quod diximus disp. 2. q. vlt. nimirum vniuersalia distingui iuxtà diuersos prædicandi modos, scilicet in quid, & in quale, & non per prædicari, de differentibus specie, vel numero tantum. Ex quo infertur, quod licet differentia intermedia de pluribus differentibus specie, & vltima de pluribus differentibus numero prædicentur, non propterea constituunt duo vniuersalia distincta; quia ambæ conueniunt in eodem prædicandi modo, qui est prædicari de pluribus in quale essentiale.

Ex his, sit prima Conclusio. Hæc diffinitio, scilicet prædicari de pluribus differentibus specie in quale essentiale, conuenit differentiæ intermediæ, & est conuenienter assignata. Probatur prima pars. Quia huiusmodi diffinitio conuenit illis differentijs, quæ prædicantur de differentibus specie in quale essentiale; sed hæ sunt tantum differentiæ intermediæ; ergo &c. Maior patet. Minor similiter. Quia differentia prædicatur de inferioribus ad speciem, quam constituit; sed differentiæ intermediæ constituunt species intermedias, seù subalternas, quæ de pluribus differentibus specie prædicantur; ergo &c. Secunda pars proba-

batur. Quia diffinitio constans ex genere, & differentia, est optima, ex Philosopho, septimo Meth. t. c. 53. sed hęc diffinitio est huiusmodi; ergo. Minor probatur. Quia ly prædicari, ponitur loco generis, cum sit diffinitio vniuersalis, quod est genus ad quinque vniuersalia; ly de differentibus specie, ponitur ad differentiam vltimæ differentię, quæ de differentibus numero prædicatur: ly verò in quale, ponitur ad differentiam Generis, & Speciei, quæ prædicantur in quid; & tandem ly essentiale, facit distinguere differentiam à proprio, & accidente, quæ prædicantur accidentaliter.

Secunda Conclusio. Huiusmodi Diffinitio, non conuenit differentiæ vltimæ. Probatur. Quia differentia vltima prædicatur de inferioribus ad speciem vltimam, quam constituit; sed talia non differunt specie, sed numero tantum; ergo &c. Maior patet. Quia differentia in ratione vniuersalis, prædicatur de inferioribus ad speciem, quam constituit. Minor est nota. Quia species vltima, est species specialissima; sed hæc prædicatur tantum de differentibus numero, vt superiùs visum fuit; ergo.

Tertia Conclusio. Hæc Diffinitio, non competit differentiæ in communi, prout facit tertium vniuersale ab alijs distinctum, sed ista. Differentia est vniuersale, quod prædicatur de pluribus in quale essentiale. Probatur prima pars, contra Caietanum. Quia diffinitio superioris, & communis, debet competere cuilibet inferiori; sed hæc diffinitio non competit differentiæ vltimæ, quæ est inferius ad differentiam in communi, vt probatum est in præcedenti conclusione; ergo &c. Maior patet. Quia sicut superiùs includitur essentialiter in inferioribus, ità diffinitio superioris, habet includi in diffinitionibus inferiorum. Secunda pars probatur. Quia differentia communis continet sub se intermediam, & vltimam, vt superiùs sua inferiora; ergo habet diffiniri, diffinitione conueniente vtrisque; sed talis nequit esse per prædicari de differentibus specie, vel numero tantum, vt patet; ergo debet dari per prædicari de pluribus in quale essentiale, quod vtramquè compræhendit.

Obijcies primo, contra secundam conclusionem. Quia si talis diffinitio non competeret differentiæ vltimæ, sed alia, scilicet prædicari de differentibus numero, sequeretur aliud vniuersale constitutum per differentiam vltimam, & aliud per intermediam; sed hoc non est admittendum; ergo &c. Minor patet. Quia tunc essent sex vniuersalia, contra Porphyrium, & ea, quæ superius conclusimus. Sequela maioris probatur. Quia ità differt differentia vltima ab intermedia, sicut species à genere; sed species, & genus constituuntur vniuersalia distincta per prædicari de differentibus specie, & de differentibus numero; ergo differentia vltima, si prædicatur de differentibus numero, faciet distinctum prædicabile ab intermedia; & sic erunt sex prædicabilia.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, genus, & species non constituere diuersa prædicabilia per prædicari de differentibus specie, & de differentibus numero, sed per diuersos modos prædicandi; quia nimirum genus prædicatur partem essentiæ, & species totam essentiam. Cum igitur differentia vltima, & intermedia conueniant in eumdem prædicandi modum, qui est prædicari de pluribus in quale essentiale, quamuis differant per prædicari de differentibus specie, & numero, non constituent distincta vniuersalia, seu prædicabilia, sed vnum duntaxat, scilicet prædicari de pluribus in quale essentiale.

Obijcies secundo, contra diffinitionem datam, quod non sit conuenienter assignata. Quia diffinitio, quæ competit alijs à diffinito, non est bona; sed diffinitio iam data de differentia intermedia, competit alijs à differentia intermedia; ergo. Maior patet. Minor probatur. Quia hæc diffinitio competit sensibili; sed sensibile non est differentia; ergo. Maior probatur. Quia sensibile prædicatur de homine, leone, equo &c. vt de differentibus specie in quale essentiale. Minor probatur. Quia abstractum pro secunda intentione, non potest verè prædicari de concreto pro prima intentione; sed sensibile est concretum pro prima intentio-

tione, vt patet, & differentia est abstractum secundæ intentionis; ergo &c. Maior patet. Quia prædicatum debet semper concernere subiectum, vt possit prædicari de illo; sed abstractum non concernit, imò abstrahit à concreto; ergo &c. Minor probatur. Quia differens, venit à differentia; sed differens est concretum secundo intentionaliter acceptum; ergo differentia erit eius abstractum.

Respondetur, differentiam dupliciter sumi, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Differentia primo modo, est relatio realis resultans inter duo extrema realia, qua vnum dicitur differre ab alio; vt est differentia inter Socratem Senem, & Platonem puerum. Et ab hac differentia, deriuatur differens, veluti concretum a suo abstracto. Differentia verò secundo modo, est relatio rationis causata per opus collatiuum intellectus, comparantis, verbi gratia, rationale, in ordine ad animal, quod diuidit. Et sic, dicitur differentia diuisiua, ad hominem, quem constituit, & dicitur constitutiua, & ad Petrum, & Paulum, quibus communicatur; & sic dicitur vniuersale, seu prædicabile. Et talis differentia consideratur in concreto, dum concernit animal, hominem, & Petrum, ac Paulum, cognita ab intellectu: & in abstracto, dum consideratur ab intellectu secundum esse quiditatiuum, & à suis concretis pro prima intentione separata. Ad propositum: sensibile denominatur differentia, à differentia secundo intentionaliter accepta in concreto, & non in abstracto.

Formaliter ad argumentum, nego minorem. Ad probationem iterum negatur minor. Ad cuius probationem dico, sensibile denominari à differentia pro secunda intentione, concretiuè sumpta, & non in abstracto; & sic benè potest prædicari de illo, dicendo; sensibile est differentia.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionem. Nulla diffinitio constans ex æquiuocis est bona, ex Aristotele, septimo Metaph. t. c. 43. Sed illa diffinitio data de differentia communi ad intermediam, & vltimam, constat ex æquiuocis; ergo &c. Minor probatur. Quia in ea ponitur ly de pluribus; sed tale est æquiuocum; ergo. Minor probatur. Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur, & reliquum, ex Philosopho, primo Top. cap. 12. sed vnum, & plura opponuntur, & vnum est æquiuocum, secundum Aristotelem, 5. Meth. cap. de vno, t. c. 8. ergo & plura.

Respondetur negando minorem. Ad probationem negatur iterum minor. Ad cuius probationem dico, tam vnum, quam plura posse dupliciter accipi; vno modo prout dicuntur de vno, vel pluribus numero, specie, & genere; alio modo, vt dicuntur de vno, vel pluribus, communibus ad vnū, & plura perse, & per accidens. Primo modo, tàm vnum, quam plura sunt vniuoca analoga; quia vnum dicitur per prius de vno numero, postea de vno specie, & vno genere; & plura priùs dicuntut de pluribus genere, postea specie, & tamdem numero: at secundo modo, tàm plura, quam vnum, sunt æquiuoca; modò in hac diffinitione ponitur ly pluribus, vt est commune ad plura specie, & numero, quod est vniuocum; & sic diffinitio constat ex vniuocis, & non ex æquiuocis, vt prætendebat argumentum.

Obijcies quarto. Eiusdem rei non possunt esse plures diffinitiones; sed differentia benè diffinitur per id, quo species abundat à genere, vt conclusimus superius, q. tertia; ergo non debet diffiniri per aliam diffinitione. Maior est Philosophi, primo, & sexto Topicorum, cap. 4. Quia eiusdem rei nequeunt esse plures quiditates; ergo nec plures diffinitiones quiditatiuæ.

Respondetur, maiorem esse veram in entibus absolutis, vel respectiuis, quæ referuntur ad vnum terminum tantum, non tamen de respectiuis, quæ possunt referri ad plures terminos; quia cum quilibet terminus habeat diffinire suum relatiuum, poterit vtiquè idem habere plures diffinitiones. Cum igitur differentia sit quoddam relatiuum, & referatur ad speciem, quam constituit, & ad inferiora speciei, quibus communicatur per modum qualis essentialis, non inconuenit diffiniri posse in ordine ad speciem, per id, quo species abundat à genere, & per prædicari de pluribus in ordine ad inferiora.

Vel dicendum secundo, negando consequentiam. Quia per hanc diffinitionem diffinitur differentia in ratione vniuersalis, & pro secunda intentione; per illam verò, dif-

differentia pro prima intentione in ordine ad speciem, quam constituit; & sic non eadem.

Vtrum Differentia prædicetur in quale?

QVÆSTIO VI.

PRo resolutione, & intelligentia huius quæstionis, primo notandum est, ex Philosopho in Prædicam. cap. de qualitate: & quinto Meth. cap. de quali, t. c. 19. quale esse duplex, scilicet cathegorematicum, & sincathegorematicum. Quale hoc secundo modo, est quoddam quæsitiuum Prædicamenti qualitatis; vt cum dicitur, qualis est paries? & respondetur per qualitatem, scilicet quod sit albus, vel rubeus, aut vario colore respersus: & de hoc non est ad propositum in præsenti quæstione. Quale autem cathegorematicum dupliciter accipitur, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Quale cathegorematicum pro prima intentione, adhuc dupliciter sumitur, scilicet propriè; & sic se extendit tantum ad res Prædicamenti qualitatis; & impropriè; & hoc modo comprehendit sub se omnem formam, siuè substantialem, siuè accidentalem, siuè naturalem, siuè supernaturalem; reperiturquè, nèdum in omnibus decem Prædicamentis, sed etiam in Deo. Vndè in hoc sensu intelligendus est Doct. Subt. in primo, d. 26. respondendo ad argumenta principalia, dum dicit, attributa, quæ in Deo reperiuntur, esse qualitates. Quale cathegorematicum pro secunda intentione, dupliciter accipi potest; vno modo pro secunda intentione applicabili rebus prædicamenti qualitatis; & sic dicitur qualitas pro secunda intentione, sicut secunda intentio applicata rei prædicamenti substantiæ, dicitur substantia pro secunda intentione. Alio modo accipitur pro modo prædicandi, distincto à modo prædicandi in quid; qui modus prædicandi in quale, constituit tria vniuersalia distincta ab illis, quæ prædicantur in quid, scilicet Differentiam, Proprium, & Accidens. Et de quali, hoc modo accepto, est sermo in præsenti, vt sit sensus. Vtrum Differentia prædicetur in quale. Idest, constituatur in esse prædicabilis, seu vniuersalis distincti ab alijs per modum prædicandi qualitatem, substantialem, aut accidentalem?

Secundo notandum, ex Doct. hic, q. 28. Vniuersalium, in solutione quæst. duplicem esse actum, scilicet primum, & secundum. Actus primus est, qui cōstituit rem in esse simpliciter, & sine quo nequit esse. Vt anima rationalis, dicitur actus primus hominis; quia dat esse simpliciter illi, & homo nequit esse sine illa. Actus verò secundus est, qui dat esse secundum quid. & sine quo res in esse simpliciter potest esse. Et sic albedo potest dici actus secundus hominis; quia dat illi esse album; quod esse dicitur secundum quid; quia homo potest consistere sine illa: ità duplicem esse formam, seu qualitatem dicendum; alteram, quæ dat esse simpliciter rei; & sic differentia specifica, quia dat esse speciei quidditatiuum, & essentiale, potest vocari actus primus eiusdem; alteram verò, quæ dat esse secundum quid, & accidentale; & sic accidens proprium, & commune dicuntur actus secundus; quia quiditas specifica potest sine illis perfectè intelligi. Ab actu primo, seu à qualitate essentiali, sumitur modus prædicandi in quale essentiale, conueniens differentiæ. Ab actu verò secundo, seu à qualitate accidentali, sumitur modus prædicandi in quale accidentale, conueniens proprio, & accidenti, prout distinguuntur à differentia.

Tertio notandum, ex dictis superiùs, cum Doct. Subt. disp. secunda, q. 6. quod sicut aliud est prædicari quid, & aliud prædicari inquid; ità aliud est prædicari quale, & aliud prædicari in quale. Nam prædicari quale, est prædicari qualitatem, vt dicendo; albedo est color; color est qualitas. Prædicari verò in quale, est prædicari qualitatem, siuè substantialem, cuiusmodi est differentia; siuè accidentalem, vt est proprium & accidens, per modum qualis, idest alteri inhærentis. Modò, quamuis differentia substantialis non prædicetur quale, accipiendo quale propriè pro re prædicamenti qualitatis, prædicatur tamen in quale; quia dicit partem quiditatis specificæ, non per modum quid, seu per se stantis, sed per modum qualitatis, hoc est, alteri inhærentis; quia differentia, antequam constituat speciem, intelligitur priùs inhærere generi, veluti forma materiæ methaphysicæ; & ideò in-

inquit Porphyrius: differentia adueniens generi, constituit speciem.

Ex his, fit prima Conclusio. Differentia specifica, seù proprijssima, non prædicatur in quale accidentale. Probatur. Quia quale accidentale, sumitur ab actu secundo, seù à qualitate accidentali; sed differentia est actus primus, seù qualitas substantialis, aut essentialis; ergo differentia non prædicatur in quale accidentale. Maior, & minor patent ex secundo Notabili.

Secunda Conclusio. Differentia proprijssima, seù specifica, prædicatur in quale essentiale. Probatur primo ex Porphyrio in textu, dicente. Illud prædicari in quale, per quod conuenienter respondetur ad interrogationem factam per quale; sed ad interrogationem factam per quale essentiale de homine verbi gratia, respondetur per differentiam, scilicet per rationale; ergo differentia prædicatur in quale essentiale. Secundo probatur ratione. Quia id, quod prædicatur per modum qualis, prædicatur in quale, ex tertio Not. sed differentia est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur. Quia quod prædicatur per modum formæ, seù actus, prædicatur per modum qualis; sed differentia prædicatur per modum formæ, seù actus; ergo prædicatur per modum qualis. Minor probatur. Sicut res se habet in composito reali, ita se habet in composito methaphysico, & logico; sed in composito reali, & physico, est aliquid habens modum materiæ, & aliquid modum formæ; ergo etiam in composito rationis, seù methaphysico, est aliquid, quod habet rationem materiæ, & aliud, quod habet rationem formæ; sed differentia, quæ est pars compositi methaphysici, non habet rationem materiæ; ergo habet rationem formæ, & sic prædicatur per modum formæ. Maior est Auerrois, in libro Destruct. destr. septima, in solutione tertij Dubij: & Philosophi, secundo de Cælo, t.c.49. Minor est eiusdem Philosophi, primo Physic. vbi asserit, compositum constare ex materia, & forma: & etiam 8. Meth. t. c. 6. 9. & 15. Assumptum patet, ex Philosopho, 7. Meth. t.c.43. & Auerroe, secundo de anima, com. 8. vbi asserunt, genus demonstrare materiam, differentiam verò formam.

Obijcies primo. Quid, dicitur à quiditate; sed differentia dicit quiditatem speciei, cum ponatur in eius diffinitione quiditatiua; ergo. Maior patet. Quia quid, & quiditas, sunt concretum, & abstractum. Minor similiter patet, ex Philosopho, septimo Meth. t.c.43.

Respondetur, concedendo minorem, quod differentia dicit quiditatem speciei; sed nego, illam prædicari in quid; siquidem non dicit illam per modum per se stantis, sicut facit genus; sed per modum alteri inhærentis; & sic in quale, & non in quid prędicatur.

Obijcies secundo. Quod prædicatur in quale, est qualitas; quia modus prædicandi, sumitur à modo essendi; sed differentia non est qualitas; ergo &c. Minor probatur. Quia qualitas est posterior eo, cuius est qualitas, ex Philosopho, 7. Meth. t.c.4. & 12. Meth. t. c.43. sed differentia non est posterior eo, cuius est differentia, cum constituatur per illam; ergo differentia non est qualitas.

Respondetur, ex Philosopho, quinto Meth. cap. de quali; qualitatem posse sumi transcendenter; & sic est quid commune ad quodlibet, quod habet rationem formæ, siuè substantialis, siuè accidentalis; & sic differentia, cum sit forma, potest dici qualitas: alio modo limitatè; & sic differentia non est qualitas; quia vt sic, restringitur, & limitatur ad formas accidentales de prædicamento qualitatis.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram, accipiendo qualitatem transcendenter; modo differentia vt sic, est qualitas; vndè in hoc sensu nego minorem. Ad probationem dico, esse veram de qualitate limitata; & sic differentia non est qualitas. Vndè non sequitur, quod differentia non habeat prædicari in quale, cum sit qualitas primo modo.

Obijcies tertio. Quod prædicatur in quale, prædicatur denominatiuè; sed differentia non prædicatur denominatiuè; tum quia prædicat essentiam subiecti, scilicet speciei; tum quia prædicatur vniuocè; sed prædicatio vniuoca contradistinguitur à denominatiua, ex Philosopho, in Anteprædicamentis, cap. primo; ergo &c. Maior etiam est Aristotelis, cap. de substantia, vbi dicit, genera, species, & differentias prædicari vniuocè; ergo differentia non prædica-

ca-

catur denominatiuè; & sic nec in quale.

Respondetur, maiorem esse veram de quali accidentali, non tamen de quali essentiali; modò differentia prædicatur in quale essentiale. Et sic, non prædicatur denominatiuè, prout prædicari denominatiuè, sumitur à quali accidentali; potest tamen concedi, quod prædicatur denominatiuè, prout sumitur à quali essentiali. Nec hoc est contra Philosophum dicentem, differentiam prædicari vniuocè; quia huiusmodi prædicatio non excludit prædicationem denominatiuam essentialem, sed tantum accidentalem.

Obijcies quarto. Si differentia prædicatur in quale, sequeretur opposita inesse eidem simul, & semel; sed hoc non est admittendum; ergo &c. sequela maioris probatur. Quia quid, & quale opponuntur; sed differentia dicit quid; ergo si prædicatur in quale, opposita essent simul &c.

Respondetur. Ad hoc, vt aliqua sint opposita, requiritur, vt ambo sumantur vniformiter, scilicet vel vt quid tantum, vel vt modus tantum; genus enim & species, si ambo sumantur, vt quid, opponuntur; si verò genus sumatur, vt quid, & species vt modus, nequaquam opponuntur, imò stant simul; quia hæc est vera: genus est species, supple vniuersalis. Ad propositum; quid, & quale sumpta vt quid, vel vt modus tantum, opponuntur, non tamen si vnum accipiatur, vt quid, & aliud vt modus. Modò; licet differentia prædicetur quid, quia dicit quiditatem speciei, non tamen dicit illam per modum quid, hoc est per se stantis, sed per modum qualis, hoc est alteri inhærentis.

Doctor subtilis imposito fine huic quæstioni vigesimæ octauæ, quærit in vigesima nona. An mortale sit differentia diuisiua animalis rationalis, constitutiuaquè hominis, prout distinguitur à Dijs, secundum sensum Porphyrij, qui putabat, homines distingui specie à Dijs per mortale, & immortale; ac proindè sequendo ordinem Doctoris, de eadem agendum nobis esset. Cæterum quia procedit modo phylosophico, & semper disputat de mente D. Thomæ, ideò omittendum duximus, & ad alia properandum.

De Proprio.

CAPVT V.

IN hoc quinto capite, Porphyrius tractat de Proprio, quod est quartum Vniuersale, & ipsum diuidit in duas partes; in quarum prima ponit quatuor acceptiones Proprij, & incipit ibi. Proprium verò quadrifariam diuiditur &c. In secunda determinat per quam acceptionem ex his quatuor constituatur proprium, vt est quartum Vniuersale ab alijs distinctum; & incipit ibi. Hac autem, & propriè propria, &c.

Quoad primam partem huius capitis, Propriũ quadrupliciter accipitur. Primo modo pro eo, quod accidit alicui soli speciei, sed non omni indiuiduo illius speciei. Vt esse Medicum, vel Geometram, conuenit soli speciei humanæ, non tamen omni indiuiduo eiusdem; quia non omnis homo est Medicus, vel Geometra. Secundo, pro eo, quod conuenit cuilibet contento sub vna specie, sed non soli vni speciei. Vt esse bipedem, conuenit omnibus hominibus, & non tantum illis, sed etiam auibus. Tertio pro eo, quod conuenit omni indiuiduo alicuius speciei, soli vni speciei, sed non semper. Vt canescere, est proprium hominis, & cuiuslibet hominis, non tamen semper, sed aliquando, hoc est in senectute. Quarto accipitur pro eo, quod conuenit omni, soli, & semper. Vt risibile, conuenit omni homini, soli homini, & semper. Et licet homo non semper rideat, quia ridere est accidens commune, quod potest adesse, & abesse ab eo, præter eiusdem corruptionem, est tamen semper risibilis, idest aptus ad ridendum. Et in tali aptitudine consistit proprium quarto modo, non autem in actu ridendi.

Quo ad secundam partem dicit, proprium quarto modo duntaxat facere ad propositum; quia illud solum constituit quartum vniuersale ab alijs distinctum; & potest sic describi, seu diffiniri. Proprium est, quod conuenit omni, soli, & semper, & conuertibiliter prædicatur de illo, cuius est proprium, & non est de eius essen-

essentia. Vt risibile respectu hominis; rugibile respectu leonis; hinnibile respectu equi; & sic de caeteris. Nam risibile praedicatur conuertibiliter de homine, & è conuerso; quia valet dicere. Omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo. Et non est de eius essentia; quia homo potest intelligi, quod sit animal rationale, non intelligendo ipsum risibilem. Vnde sequitur, risibile esse extra hominis essentiam, & quiditatem. Et haec breuiter de textu.

De Natura Proprij.

DISPVTATIO VI.

Vtrum Proprium, sit Vniuersale?

QVÆSTIO I.

Albertus Magnus, tract. 6. de Proprio, cap. primo. Et tract. septimo de Accidente, cap. primo. Louanienses, & Canterus, cap. de Proprio, dicunt, non solum proprium quarto modo, facere quartum Vniuersale ab alijs distinctum, sed etiam tertio modo. Et hos secuti sunt aliqui ex Modernis.

D. Thomas autem, opusc. 48. cap. 7. Scotus, q. 30. Vniuersalium, & communiter Thomistae, ac Scotistae asserunt, proprium quarto modo tantum, facere vniuersale ab alijs distinctum. Nos sequuntur Toletus hic, & Rubius, q. 1. de Proprio.

Pro declaratione huius sententiae, quae & mihi verior probatur, primo notandum est, proprij nomen deriuari à propè, quod vicinitatem, seù intimitatem significat; vndè proprium, iuxtà Ethimologiam nominis, idem est, ac intimum; quia ità vicinum sistit essentiae, seù quiditati subiecti, vt non sit extra illam, sed identificetur ei realiter. Proprium autem, ex Aristotele, primo Topicorum, capit. 4. & 5. Topic. cap. 2. est multiplex. In proposito autem est duplex, sicut dictum est superius, disput. 2. de proprietate, q. 3. scilicet complexum, & incomplexum. Complexum est illud, quod complexè conuertitur cum re, cuius est proprium. Et est duplex, scilicet essentiale, & accidentale. Proprium complexum essentiale, est diffinitio rei; vt animal rationale dicitur hoc modo proprium hominis. Proprium complexum accidentale, est descriptio rei; vt animal risibile respectu hominis; quia conuertitur cum illo, & non est de eius essentia. Proprium verò incomplexum est duplex, scilicet indiuiduale, quod conuenit vni soli indiuiduo, prout distinguitur ab alio; & sic albedo Petri, dicitur propria Petro; quia sibi soli, & non alteri inest; similiter dicimus, fortitudinem Herculis esse sibi propriam; quia nullus reperiebatur aequalis fortitudinis; & proprium hoc modo acceptum distinguitur contra commune. Aliud est proprium specificum, quod conuenit speciei, & diuiditur in quatuor illos modos iam enumeratos in textu. Hic est sermo de proprio incomplexo, specifico, & quarto modo accepto, non de alijs.

Secundo notandum est, ex Doct. Subt. q. 30. Vniuers. in corpore, quod proprium specificum quarto modo acceptum, adhuc dupliciter accipi potest, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Proprium specificum primo modo acceptum, est quaedam realitas emanans à principijs intrinsecis speciei, eiquè soli conueniens, de qua conuertibiliter praedicatur. Vt risibile respectu hominis, dicitur eius proprium; quia pullulat, seù emanat ab animali, & rationali, quae sunt eius principia intrinseca; & competit soli homini, cum nec per potentiam diuinam possit ab eo separari, & alteri vniri. Proprium verò secundo modo sumptum, est quidam respectus rationis, seù quaedam secunda intentio fundata super proprio pro prima intentione, cognito ab intellectu comparatiuè in ordine ad speciem, à qua pullulat, & ad indiuidua eiusdem speciei, quibus communicatur; & potest sic diffiniri. Proprium est vniuersale, quod praedicatur de pluribus conuertibiliter, in quale accidentale, intransmutabiliter, seù inseparabiliter. Vt risibile de homine, & de omnibus indiuiduis eiusdem.

Ex his, sit prima Conclusio. Proprium incomplexum, specificum pro secunda inten-

tentione, quarto modo sumptum, est vniuersale. Probatur primo auctoritate Aristotelis, primo Topic. cap. 4. & 5. Topic. cap. 2. necnon Porphyrij, cap. 5. dicentium, Proprium esse vniuersale ab alijs distinctum; sed hoc nequit intelligi de proprio, nisi quarto modo sumpto; ergo. Minor probatur. Non enim loquuntur de proprio complexo; quia clarum est, huiusmodi non constituere aliquod horum quinquè vniuersalium, cùm sint incomplexa. Nec de indiuiduali; quia cum tale dicatur tantũ de vno, nequit facere vniuersale, quod prædicatur de pluribus. Nec pro prima intentione; quia logica considerat secundas intentiones per se, per accidens primas. Nec de proprio, primo, secundo vel tertio modo considerato, vt statim probabimus; ergo loquũtur de proprio incomplexo, specifico, quarto modo sumpto. Secundo probatur. Quia subiectum vniuersale, debet habere propriũ vniuersale; sed subiectũ proprij est vniuersale; ergo & proprium debet esse vniuersale. Maior patet. Quia subiectum, & propriũ prædicantur de se inuicem conuertibiliter; ergo si subiectum est vniuersale, & propriũ debet esse vniuersale. Minor probatur. Quia subiectum demonstrationis est vniuersale, ex Philosopho, primo Post. t. c. 14. vbi dicit, demonstrationẽ, scientiam, & deffinitionẽ debere esse de vniuersalibus; sed subiectum proprij, est subiectum demonstrationis, ex eodem Philosopho ibidem, t. 14. ergo. Tertio probatur. Omne prædicabile de pluribus, est vniuersale; sed proprium de quo est sermo, est prædicabile de pluribus; risibile enim prædicatur de omnibus hominibus; ergo proprium prædicatur de pluribus, & sic est vniuersale.

Secunda Conclusio. Proprium primo, secundo, vel tertio modo sumptum, non constituunt quartum vniuersale ab alijs distinctum. Hæc est contra Albertum, & alios citatos in prima sententia. Probatur primo. Quia ex Aristotele, primo Topicorum, c. 4. Illud solum appellatur proprium, secundum communem modum concipiendi, & loquendi, quod quibusdam ità conuenit, vt non sit alijs commune; & quod semper eis conuenit, vt nequeat ab illis seiungi; sed proprium primo, ac secundo modo, non tãtum vni speciei, sed pluribus conuenit; & si vni speciei, non tamen omni indiuiduo cõtento sub illa; proprium verò tertiò modo, non semper conuenit illis, quibus est proprium; ergo &c. Maior, & minor patent ex dictis in textu Porphyrij, & in primo Notabili. Secundo probatur. Quia proprium, quod facit quartum vniuersale, debet esse à cæteris distinctum essentialiter; sed proprium primis tribus modis acceptum, non est distinctum ab accidente communi, & separabili, vt patet in exemplis adductis à Porphyrio in textu, & inferius etiam probabimus; ergo illa non faciunt quartum vniuersale ab alijs distinctum.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Quia si proprium esset vniuersale, oppositum prædicaretur de opposito; sed hoc non debet concedi; ergo proprium non est vniuersale. Maior probatur. Quia proprium, & vniuersale opponuntur; ergo si vniuersale prædicatur de proprio, oppositũ prædicatur de opposito. Antecedens probatur. Quia vniuersale est commune pluribus, sed proprium conuenit tantum vni; atqui vnum, & plura opponuntur, ex Philosopho, quinto Meth. ergo vniuersale, & proprium opponuntur.

Respondet Doctor dupliciter ad argumentum, & primo negando sequelam maioris. Ad probationem dicit, antecedens esse verum de proprio pro prima intentione; quia cum tale conueniat tantum vni speciei, nequit esse vniuersale; falsum tamen de proprio pro secunda intẽtione; quia tale, cum sit prædicabile de pluribus, nõ opponitur cõmuni, vel vniuersali, sed est vtrũque.

Respondet secundo, distinguendo de proprio; potest enim dupliciter considerari, vel in ordine ad speciem; v. g. risibile in ordine ad hominem, a quo fluit; vel in ordine ad sua inferiora de quibus prædicatur; vt risibile in respectu ad Petrum, Franciscum, Antonium &c. Primo modo opponitur vniuersali, non verò secundo modo; quia sic est commune, & vniuersale, cum prædicetur de inferioribus ad speciem.

Obijcies secundo. Quodlibet vniuersale pro secunda intentione, est intentio; siquidem superius prædicatur de inferiori quidditatiuè; sed proprium non est intẽtio; ergo. Minor probatur. Quia nulla secunda intentio prædicatur in abstracto de re primæ intentionis, vt diximus in precedenti quęstione; sed proprium dicit rem primæ intentio-

R 2 nis,

nis, & intentio abstractum secundæ; ergo &c. Minor probatur. Quia proprietas, est nomen secundæ intentionis; sed proprium est proprietas; ergo & proprium est nomen primæ intentionis. Maior patet. Quia risibilitas est proprietas; sed risibilitas est prima intentio &c. Minor patet. Quia proprietas est abstractum proprij; sed abstractum, & concretum, sunt idem realiter,& tantum differunt in modo significandi;ergo proprietas est proprium; & sic prima intentio.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, minorem esse veram, accipiendo intentionem in abstracto, falsam si sumatur in concreto; quia sic etiam secunda intentio prædicatur denominatiuè de re primæ intentionis concretiuè sumpta. Modò dicendo, proprium est vniuersale, & proprium est intentio, non est prædicatio abstracti de concreto,sed intentionis secundæ concretiuè sumptæ, de concreto primæ intentionis.

Vel dicendum, minorem esse veram de proprio pro prima intentione, non pro secunda;quia sic proprium,est secunda intentio. Ad probationem, nego minorem. Ad probationem, nego maiorem; imò proprietas est nomen secundæ, & non primæ intentionis. Vndè cum dicitur, risibilitas est proprietas; ibi est prædicatio denominatiua, nimirum secundæ intentionis de prima.

Obijcies tertiò. Si proprium est vniuersale, sequitur, proprium esse ad aliquid, seu relatiuum; sed hoc est falsum; ergo proprium non est vniuersale. Sequela maioris probatur. Quia Philosophus, primo Topic. c.4.& 9. arguit. Si genus est ad aliquid, & species est ad aliquid; sed si proprium est vniuersale, vniuersale est genus, & proprium est species; & vniuersale est relatiuum,cum referatur ad singulare;ergo propriũ, quod est species eius, esset ad aliquid. Minor probatur. Si proprium refertur, maximè ad subiectum cuius est proprium; sed ad tale non refertur; ergo. Maior est clara. Minor probatur. Quia nullum accidens refertur ad suum subiectum; aliter omne accidens esset relatiuum, & nullum absolutum, quod est falsum: sed proprium est accidens respectu sui subiecti; ergo non refertur ad illud. Confirmatur illa minor prima. Quia relatiuum, & correlatiuum, sunt simul natura, ex cap. de Relatiuis, in Prædicam. sed proprium non est simul natura cum suo subiecto, vt patet; ergo proprium non est relatiuum.

Respondetur, negando minorem. Ad primam probationem dico, minorem esse veram de proprio pro prima intentione, falsam de proprio pro secunda intentione, de quo loquimur;quia tale refertur,nedum ad suum subiectum, sed etiam ad eiusdem inferiora. Ad Confirmationem dico, minorem esse veram de proprio pro prima intentione,& eius subiecto pro prima intentione accepto;quia hoc præcedit natura illud;non tamen de proprio, & eius subiecto pro secunda intentione consideratis; quia talia, cum sint relatiua rationis, sunt simul natura.

Obijcies quarto Vniuersale pro secunda intentione, est ens rationis; sed proprium non est ens rationis; ergo non est vniuersale. Minor probatur. Quia cessante operatione intellectus, manet proprium, vt patet; quia habere tres angulos æquales duobus rectis, est proprium trianguli, & tamen cessante operatione intellectus, manent tres anguli æquales duobus rectis, vt patet per experientiam; ergo proprium non est ens rationis, sed verum ens reale.

Respondetur, minorem, & eius probationem habere veritatem de proprio reali, non tamen de proprio pro secunda intentione accepto;quia tale non manet, cessante operatione intellectus collatiua, cum dependeat in fieri, & conseruari ab ea. Modo proprium pro secunda intentione, & pro prima, est vniuersale.

Vtrum Diffinitio Proprij quarto modo, sit conuenienter assignata à Porphyrio in textu?

QVÆSTIO II.

NOnnulli, è quorum numero est etiam noster Petrus Tartaretus, cap. de Proprio, sciendum secundo, sub lit. C. putant, diffinitionem assignatam in textu conuenire tantum proprio in

in ratione proprij, non tamen in ratione vniuersalis, vel prædicabilis; quia vt sic, debet dari per prædicari de pluribus in quale accidentale intransmutabiliter.

Alij verò, ex opposito, asserunt, hanc diffinitionem comprehendere proprium vtroque modo consideratum & in ratione proprij, & in ratione vniuersalis. Ità Doctor Subt. q. 31. Vniuer. vbi Mauritius, Anglicus, & Brasauolus. Sequuntur Albertus Magnus, tractat. 5. cap. primo Caiet. cap. de proprio. Sotus, q. 2. Ruuius ibidem, & Toletus in fine huius capitis.

Pro huius sententiæ declaratione, primo notandum est, ex Doct. Subt. loco cit. in corp. q. quod Diffinitio proprij, scilicet proprium est quod accidit omni, soli, & semper &c. sic est intelligenda; vt per ly accidit, innotescat nobis ratio prædicati proprij. & modus prædicandi, scilicet in quale accidentale. Per ly verò omni; intelligatur ratio vniuersalis, quæ est prædicari de pluribus. Per ly autem soli; denotetur conuertibilitas cum suo subiecto. Et tandem per ly semper; demonstretur distinctio proprij ab accidente communi, quod potest adesse, & abesse a subiecto, præter subiecti corruptionem. Vndè sensus diffinitionis erit iste. Proprium est vniuersale, quod prædicatur de pluribus conuertibiliter, in quale accidentale, intransmutabiliter, seù inseparabiliter. Vt risibile de homine, & omnibus hominibus; quia valet dicere. Omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo. Et prædicatur in quale accidentale intransmutabiliter; quia ad interrogationem factam per quale accidentale intransmutabiliter de homine, respondetur per risibile.

Secundo Notandum est, quod proprium pro secunda intentione, ad duo potest comparari; & ad subiectum, & ad inferiora ad ipsum. Si primo modo comparetur, tunc habet rationem proprij, & non vniuersalis; quia sic, non prædicatur de pluribus, sed tantum conuenit vni, soli, & semper. Si verò comparetur ad sua inferiora, tunc habet rationem vniuersalis tantum; quia prædicatur de pluribus in quale accidentale intransmutabiliter, vt patet de risibili; quod prædicatur de homine tantum in ratione proprij, & de omnibus hominibus in ratione vniuersalis. Ad propositum. Prior opinio dicit, per hanc diffinitionem diffiniri tantum proprium in ratione proprij, scilicet in ordine ad subiectum; at posterior sustinet, comprehendere vtramque rationem proprij; quia dum dicitur. Proprium est, quod accidit omni; idem est, ac si diceret. Proprium est, quod prædicatur accidentaliter de omnibus contentis sub subiecto. Dum verò subiungitur, soli, & semper; tantum valet, ac si diceretur. Proprium est, quod conuenit vni soli conuertibiliter; quod est ratio proprij, vt proprium est. Ex his etiam habetur bonitas huius diffinitionis; cum habeat genus, & differentiam. Nam per ly quod, intelligitur genus, scilicet vniuersale; cuius ratio est prædicari de pluribus. Per ly in quale accidentale; denotatur differentia, per quam proprium differt à differentia, quæ prædicatur in quale essentiale; & per ly intransmutabiliter; intelligitur alia differentia, faciens ipsum differre ab accidente, quod transmutabiliter, & separabiliter dicitur de pluribus.

Tertio notandum, ex Doctore Subt. loco citato; accidens esse duplex, scilicet reale, & rationis. Accidens reale, est quædam natura, seù quoddam ens distinctum contra substantiam; de quo loquitur Philosophus, quinto Meth. t. c. 13. diuidens ens reale finitum, simul cum substantia; & hoc accidens se extendit ad nouem prædicamenta. Accidens secundo modo, adhuc est duplex. Alterum, prout idem est, quod prædicatum non essentiale: & tale vocatur accidens pro extraneo; quia extraneatur á quiditate subiecti, quam tamen connotat; & in tantum dicitur accidens, quia non est de quiditate subiecti; cum hoc tamen stat, vt sit idem realiter illi. Et accidens hoc modo sumptum, ponitur in diffinitione proprij, vt sit sensus. Proprium est, quod accidit, idest est prædicatum accidentale extraneum, idest non ingrediens essentiam subiecti; vt risibile respectu hominis, hinnibile respectum æqui &c. Alterum verò est secunda intentio causata per opus collatiuum in-

intellectus, præsupposita proprietate rei separabilis à subiecto, sub qua, & sub eius opposito, potest subiectum intelligi. Vt intentio fundata in albedine respectu parietis, dicitur accidens rationis hoc modo sumptum; quia albedo potest separari a pariete, & sub ipsa, ac sine ipsa, & sub opposita nigredine potest intelligi; & hoc accidens, constituit quintum vniuersale, distinctum ab alijs quatuor, vt videbimus in sequenti capite. Hic agimus de accidente rationis, pro extraneo accepto tantum.

Ex his, fit prima Conclusio. Hæc diffinitio, conuenit proprio, vt proprium, & vt vniuersale est. Probatur. Quia hæc diffinitio compræhendit vtramquè rationem; ergo conuenit proprio vtroque modo considerato. Consequentia patet per locum à diffinitione ad diffinitum subiectiuè: quicquid dicitur de diffinitione, & de diffinito. Antecedens probatur. Quia ratio proprij, vt proprium est, conuenit subiecto conuertibiliter, & inseparabiliter; ratio verò eiusdem, vt vniuersale, est conuenire pluribus, seù omnibus contentis sub subiecto; sed per hanc diffinitionem explicatur vtrumque; ergo. Maior patet ex dictis, not. primo, & secundo. Minor similiter. Quia per ly proprium est quod accidit omni, intelligitur ratio vniuersalis, & modus prędicandi eiusdem; quia idem est, ac si diceretur; est prædicatum accidentale pro extraneo de omnibus contentis sub subiecto. Per ly autem soli, denotatur ratio proprij; quia idem est, ac si diceretur. Proprium est, quod conuenit subiecto conuertibiliter, inseparabiliter; ergo hæc diffinitio compræhendit vtramque rationem proprij, & vt proprium, & vt vniuersale est.

Secunda Conclusio. Hæc diffinitio, est conuenienter data. Probatur primo auctoritate Porphyrij hic in textu, cap. 5 & Aristotelis, primo Topic. c. 4. vbi dicit, hanc esse diffinitionem veram proprij. Secundo probatur ratione; Quia habet omnes conditiones bonæ diffinitionis; ergo est conuenienter assignata. Antecedens probatur inductiuè. Habet primam; quia constat ex genere, & differentia, vt explicatum est secundo Notab. Habet etiam secundam, & tertiam, quia conuenit soli, & omni proprio, quarto modo accepto, vt patet discurrendo; ergo habet omnes conditiones; ac proindè est diffinitio bona, ac conuenienter assignata.

Obijcitur tamen primo, contra hanc conclusionē. In hac diffinitione non ponitur genus, & differentia; ergo non est bona. Consequentia patet, Antecedens probatur. Quia in hac diffinitione ponitur ly accidit, idest accidens; sed tale non potest esse genus, cum sit æquiuocum ad proprium, & accidens, vt dictum est notabili tertio; ergo &c.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, quod per ly accidit, non intelligitur accidens commune proprio, & accidenti, sed prædicatum accidentale in quale pro extraneo, quod est genus; cum sit vniuocum ad quinque vniuersalia.

Vel dicendum, & meliùs; quod in tali diffinitione, per ly quod, intelligitur vniuersale, quod est genus ad quinquè vniuersalia; & per ly accidens, seù accidit omni, &c. intelligitur modus prædicandi accidentaliter; qui est differentia faciens distinguere proprium à differentia, quæ prædicatur in quale essentiale. Et sic patet, huiusmodi diffinitionem habere genus, & differentiam.

Obijcitur secundo. Hæc diffinitio competit alijs à diffinito; ergo non est bona. Consequentia est nota ex conditione secunda, requisita ad bonam diffinitionem. Antecedens probatur. Quia etiam differentia conuertitur cum diffinito, scilicet cum specie, ex Aristotele, septimo Meth. t. c 43. & patet de rationali, quod conuertitur cum homine; sed differentia est vniuersale, aliud à proprio; ergo competit alijs ab ipso.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, differentiam conuerti cum specie essentialiter; proprium verò accidentaliter, cum prædicetur in quale accidentale; differentia verò in quale essentiale. Et sic patet, non esse eandem diffinitionem proprij, & differentiæ.

Obijcies tertio. Talis diffinitio conuenit proprietati; quia etiam ipsa inest omni, soli, & semper; sed proprietas non est proprium; quia concretum non prædicatur de abstracto; ergo.

Respondetur, negando maiorem, & probationem. Quia talis diffinitio, cum detur per secundas intentiones, vt patet in expositio-

sitione eiusdem, not. secundo, & primo, nequit conuenire proprietati, quæ est res primæ intentionis. Et dato etiam, quod proprietas sit idem, quod est abstractum proprij pro secunda intentione, scilicet intentio proprij, adhuc sibi competere nequit huiusmodi diffinitio; quia in ea ponitur ly accidit, quod denotat esse actu prædicabile; quod non conuenit abstractis, sed tantum concretis, vt diximus in tract. secundarum Intent. in fine.

Vel dicendum, concessa maiori, negando minorem identicè. Quia abstractum, & concretum sunt idem realiter, licet differant in modo significandi grammaticaliter; ac proindè non inconuenit diffinitionem proprij competere etiam proprietati, quoad rem, non quoad modum.

Obijcitur quarto. Nihil potest diffiniri per suum disparatum; quia diffinitio, & diffinitum sunt idem formaliter, & quiditatiuè, non sic disparata; sed hæc diffinitio datur per accidens, quod est disparatum cum proprio; ergo &c. Minor patet. Quia dicitur. Proprium est, quod accidit &c.

Respondetur, negando minorem. Quia accidens, quod ponitur in diffinitione proprij, est accidens pro extraneo; accidens verò disparatum est illud, quod est separabile a subiecto.

Obijcitur quinto. Hæc diffinitio datur per copulationem, quia dicitur. Omni, & soli, & semper. Quę sunt copulata per ly &; ergo non est bona. Consequentia patet, ex Aristotele, sexto Top. cap. 2. Diffinitionem datam per copulationem non esse bonam, docet idem, 8. Meth. t. c. 15.

Respondetur, negando consequentiam. Ad probationem dico, Philosophum ibi locutum de diffinitione formali; in qua ponuntur tantum genus, & differentia; non tamen de circumlocutiua, cuiusmodi est hæc diffinitio proprij, in qua ponuntur circumlocutiuè omnia necessariò requisita ad bonam diffinitionem: modò licet diffinitio proprij non sit bona, & conuenienter assignata formaliter, quia in ea non ponuntur expressè genus, & differentia, est tamen bona circumlocutiuè; quia per ly quod, circumloquimur vniuersale, quod est genus; & per ly accidit, modum prædicandi in quale accidentale, qui est vna differentia; & per ly semper, conuertibilitatem, & inseparabilitatem, quæ sunt aliæ differentiæ partiales, explicantes naturam proprij, vt distinguitur à cæteris vniuersalibus.

Vtrum Proprium, sit distinctum Vniuersale ab Accidente?

QVÆSTIO III.

PRo declaratione huius quæstionis, primo notandum est, quod obseruat Doctor Subt. q. 32 suorum Vniuers. accidens nimirum esse multiplex, seu multipliciter dici; siquidem quædam insunt subiectis ab intrinseco, quędam verò ab extrinseco. Accidentia, quæ insunt ab intrinseco, quædam insunt ratione formæ specificæ, cuiusmodi sunt accidentia propria, seu propriæ passiones; vt risibile, quod inest homini, ratione differentiæ specificæ, scilicet rationalis. Quædam verò insunt ratione quantitatis, sicut sunt omnes qualitates, vt caliditas, frigiditas &c. albedo, nigredo &c. quæ insunt substantiæ, ratione quantitatis; prius, enim intelligitur substantia quanta, quàm intelligatur calida, vel frigida &c. Quędam tamdem insunt ratione primarum qualitatum; sicut sunt odores, sapores, & cæteræ qualitates secundæ, quæ insunt subiecto ratione caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis, quæ dicuntur quatuor primæ qualitates. Accidentia verò, quæ insunt ab extrinseco, quędam diù manēt in subiecto, sicut nigredo causata ab æstu solis; siquidem, remoto etiam solis calore, diù manet in subiecto, vt experientia compertum est. Quædam autem non diu manent, imò semoto extrinseco, citò destruuntur; vt calor aquæ causatus, vel à sole, vel ab igne, qui tamdiù manet, quamdiù manet approximatio aquæ ad solem, vel ignem; & remota approximatione, cessat, reducituque aqua ad pristinam frigiditatem. Hic est sermo de omnibus accidentibus; & est sensus. An proprium, quod est accidens inhærens subiecto ab intrinseco, ratione formæ specificæ, faciat distinctum vniuersale ab accidente, quod inest ab extrinseco, vel ab intrinseco, ratione quantitatis, vel primarum qualitatum?

Secundo notandum est, ex eodem Doct. loco citato; quod tam proprium, quàm aci-

cides possunt dupliciter accipi, scilicet pro prima, & pro secunda intentione; de quibus visum est in præcedenti quæstione. Cæterum hic, cum quæstio procedat de vniuersali, an proprium faciat vniuersale distinctum ab accidente, quæritur duntaxat de proprio, & accidente pro secunda intentione acceptis; hæc nàmque faciunt, seù constituunt vniuersalia pro secunda intentione.

Ex his, fit Conclusio affirmatiua. Proprium est vniuersale distinctum ab accidente. Probatur primo. Quia illæ intentiones secundæ sunt distinctæ, quæ applicantur rebus pro prima intentione distinctis; sed intentio proprij, & accidentis, sunt huiusmodi; ergo. Maior probatur. Tum quia secundæ intentiones sumunt suam entitatem à primis; ergo etiam distinctionem; quia eadem sunt principia constitutiua, & distinctiua. Tùm etiam, quia ideò genus, & species sunt distincta vniuersalia, quia fundantur in rebus habentibus proprietates alterius rationis; nam genus fundatur in proprietate communicabili pluribus differentibus specie; species verò, in communicabilitate pluribus differentibus numero tantum. Minor primi syllogismi probatur. Quia proprium pro secunda intentione fundatur in accidente, quod inest ab intrinseco ratione formæ specificæ, accidens verò, super cæteris accidentibus prouenientibus, siuè ab intrinseco, siuè ab extrinseco; sed clarum est, huiusmodi accidentia esse re ipsa ab inuicem distincta; ergo proprium, & accidens pro secunda intentione, sunt vniuersalia distincta. Secundo probatur, conclusio. Illa vniuersalia sunt distincta, quæ habent distinctas diffinitiones; sed proprium, & accidens sunt huiusmodi; ergo sunt vniuersalia distincta. Maior patet. Quia diffinitio dicit essentiam, & quiditatem diffiniti; ergo distinctæ diffinitiones, dicunt distinctas quiditates; sed quodlibet vniuersale habet propriam quiditatem; ergo vniuersalia habentia distinctas diffinitiones, sunt distincta. Minor probatur. Quia proprium, ex Porphyrio in textu, cap. quinto, & Aristotele, primo Topic. cap. 4. sic diffinitur. Proprium est prædicatum non essentiale, quod inest rei conuertibiliter, & inseparabiliter. Accidens verò est, quod adest, & abest a subiecto, præter subiecti corruptionem. Idest, cuius subiectum potest intelligi sub vna forma, & sub eius opposita, hoc est, separabiliter; ergo proprium, & accidens, habent distinctas diffinitiones, ac proindè sunt distincta vniuersalia.

Obijcitur tamen primo in oppositum. Quia omne ens, vel est substantia, vel accidens, ex Philosopho, quinto meth. t. 15. sed proprium non est substantia; ergo est accidens. Minor probatur. Quia omnis substantia, vel est eadem, vel distincta essentialiter ab alia substantia; sed proprium, nec est essentialiter idem, nec essentialiter distinctum à subiecto; ergo proprium non est substantia. Maior patet. Quia inter idem, & diuersum non datur medium. Minor similiter. Quia risibile, quod est proprium hominis, non est idem essentialiter homini; quia non est de essentia eius, nec distinctum essentialiter, cum prædicetur verè, & conuertibiliter de suo subiecto; ergo &c.

Respondetur, maiorem esse veram de accidente reali distincto contra substantiã; non tamen de accidente rationis, sumpto pro extraneo; modò proprium, est accidens secundo modo, nõ primo modo sumptum. Vndè non sequitur, quod sit accidens separabile à subiecto, si non sit substantia; quia datur medium, quod est accidens sumptum pro extraneo.

Obijcitur secundo. Omne, quod est in composito, præter materiam, & formam, est accidens; sed proprium est in composito, saltem methaphysico, scilicet in specie, præter materiam, idest genus; & formam, hoc est differentiam; ergo proprium est accidens. Maior est Philosophi, primo Physic. & 7. Meth. t. c. 9. dicentis, essentiam rei consistere in materia, & forma tantum.

Respondetur, maiorem esse veram, accipiendo accidens, vel pro extraneo, vel pro re separabili à subiecto; modo proprium, est accidens pro extraneo sumptum, non prout distinguitur contra substantiam, vt prætenditur in argumento.

Obijcitur tertio. Probando, omne accidens esse proprium. Quia quicquid diffinitur per subiectum, est proprium, & potest demonstrari de subiecto; sed omne accidens diffinitur per subiectum, ex Aristotele, septimo Meth. t. c. 4. 17. & 19. ergo omne accidens est proprium. Maior probatur.

Quia

Quia id, quod prædicatur per se secundo modo de subiecto, est proprium; sed quicquid diffinitur per subiectum, prædicatur per se secundo modo de subiecto; ergo quicquid diffinitur per subiectum, est proprium. Maior, & minor huius argumenti habetur à Philosopho, primo. Poster.

Respondetur, maiorem, & probationem esse veram, dummodò pullulet, seu emanet à principijs intrinsecis subiecti; modò quãuis quodlibet accidens, saltem quietatiuè, diffiniatur per subiectum, cum tamen non omne accidens egrediatur à principijs specificis subiecti, sed quædam ab intrinseco ratione quantitatis, vel qualitatis, quædam verò ab extrinseco tantum, dicendum est, non omne accidens esse proprium, sed tantum illud, quod inest subiecto, ratione formæ specificæ.

Obijcitur quarto. Omne accidens, quod inest per se subiecto, est proprium; sed omne accidens est huiusmodi; ergo omne accidens est proprium. Maior patet. Minor probatur. Quia accipio aliquod accidens, & quæro, si insit per se subiecto, vel per accidens. Si per se; ergo omne accidens inest per se; quia non est maior ratio de vno, quam de alio. Si verò inest per accidens, quæram de illo, per quod illud inest subiecto, an insit per se, vel per accidens; & sic datur processus in infinitum, quod non est concedendum. Restat ergo, vt omne accidens insit per se subiecto, & ita sit proprium.

Respondetur, quod inesse per se alicui, potest dupliciter intelligi; vno modo, prout idem est, ac inesse sine medio: & sic, saltem quantitates insunt per se substantiæ, quia non præsupponunt aliquod accidens in illa: alio modo, vt idem est, ac per se primo, vel secundo modo, hoc est, quiditatiuè, vel identicè; & sic nullum accidens inest quiditatiuè, cum nullum sit de essentia subiecti, licet aliqua accidentia insint per se identicè, quia nequeunt separari à subiectis; huiusmodi sunt accidentia propria, & non communia.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram de accidente, quod inest per se identicè subiecto; quia omne tale est proprium; non tamen sic per se, dicat sine medio; quia nullum tale est proprium; siquidem quantitates, quæ insunt subiectis sine præuio alio accidente, sunt accidentiam communia, quæ ab illis possunt separari; hoc est, possunt intelligi subiecta sine illis, vt videbimus in libro Prædicamentorum, & primo Physicorum.

Vtrum Proprium, necessariò semper insit?

QVÆSTIO IV.

HÆc difficultas est eadem cum illa, quam pertractant Philosophi, primo Post. & primo Physic. & alij, primo Methaphysicorum. Vtrum propria passio, possit per aliquam potentiam separari a suo subiecto. Cæterum, quia ista potiùs methaphysicalis, quàm logicalis est; ideò missum facientes quæstionem, prout spectat ad Methaphysicum, breuiter quid verum sit, logicaliter aperiemus.

Vndè, primo notandum est, necessarium esse duplex, scilicet simpliciter, & ex suppositione. Necessarium simpliciter est, cui repugnat simpliciter non esse. Et sic solus Deus est ens necessarium; quia cum existentia sit de eius quiditate, sibi repugnat simpliciter non esse, & existere. Necessarium ex suppositione, est illud, quod quantum est ex se, potest non esse; tamen, facta suppositione, sibi repugnat non esse. Vt compositum hominis physicum; quia licet possit non esse, cum sit corruptibile, & finitum, tamen facta suppositione, quod partes, scilicet corpus, & anima maneant vnitæ, implicat contradictione tum non esse hominem. Ad rem applicando. Proprium, vt risibile, non est necessarium simpliciter, cum possit destrui; sicut, & animal, & rationale, à quibus pullulat, possunt non esse; facta tamen suppositione, quod maneat animal rationale vnitum, necessariò manet, & risibile. Et hoc modo, proprium dicitur necessarium.

Secundo notandum. Aliquid inesse alteri, potest dupliciter intelligi; vno modo quiditatiuè; alio modo identicè, seu realiter. Priori modo, proprium non inest necessariò subiecto, cum non sit de quiditate eius, sed

sed tantum posteriori modo; quia necessariò identificatur sibi realiter. Qua ratione postea dicitur inseparabile à suo subiecto.

Tertio notandum, quod ly semper, potest dupliciter accipi; vno modo propriè; & sic est dictio temporalis, comprehendens omne tempus aduerbialiter, scilicet præteritum, præsens, & futurum; & sic erit sensus quæstionis. Vtrum proprium, ità necessariò insit subiecto, vt nullo temporis spatio, vel differentia, absque eo, reperiri possit subiectum. Alio modo transumptiuè, nedum prout significat omnes temporis partes diuisibiles, sed etiam instantia indiuisibilia; & sic est sensus quæstionis. Vtrum proprium, ità necessariò semper insit subiecto, vt nullum detur, vel dari possit instans temporis, in quo sit subiectum, & non sit eius proprium. Vtrum, nimirum, possit dari homo in aliquo instanti temporis, quin sit risibilis? Quæstio vtroque modo determinabitur in præsenti.

Ex his, sit prima Conclusio. Proprium necessariò inest subiecto, loquendo de necessario ex suppositione. Probatur. Quia posita causa necessaria, & immediata alicuius effectus, necessariò ponitur talis effectus; sed causa necessaria proprij, sunt principia constitutiua speciei, quæ necessariò ponuntur in subiecto, seù specie; ergò necessariò ponitur eius proprium. Maior patet. Quia oppositum prædicati, infert oppositum subiecti; si enim causa non est necessaria, nec effectus necessariò eueniet, aut inerit; ergo per oppositum, posita causa necessaria, & immediata alicuius effectus, necessariò ponitur talis effectus. Minor patet. Quia proprium emanat à principijs specificis subiecti; ergo &c.

Secunda Conclusio. Proprium inest semper subiecto, prout ly semper, nedum dicit tempus, sed etiam, vt extenditur ad instans eiusdem. Declaratur autem conclusio sic. Homo est subiectum, & risibile est proprium; atqui risibile ità semper inest homini, vt implicet contradictionem dari aliquã partem temporis, vel aliquod instans eiusdem, in quo sit homo, & non sit risibilis. Probatur primo. Quia si proprium non inesset semper subiecto, modo explicato, sequeretur posse pro aliquo saltem instanti temporis falsificari conclusionem demonstrationis; sed hoc nullo modo concedi debet; ergo dicendum est, proprium semper inesse necessariò subiecto. Sequela maioris probatur. Quia pro aliquo instanti hęc posset esse falsa; homo est risibilis; sed ista est conclusio huius demonstrationis; omne animal rationale est risibile; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est risibilis. Minor patet. Quia scientia est impossibilium aliter se habere, ex Aristotele, primo Posteriorum; sed scientia est notitia conclusionis demonstratæ; ergo conclusio demonstrationis nõ potest aliter se habere, sed semper debet esse vera. Secundo probatur conclusio. Quæ sunt realiter identificata, pro nullo instanti possunt separari; sed proprium, & eius subiectum sunt huiusmodi; ergo &c. Maior patet ex diffinitione identitatis realis. Minor probatur. Tùm quia proprium est accidens intrinsecum, egrediens à principijs specificis subiecti, & habet esse, & non esse eadem generatione, & corruptione qua subiectũ. Tùm etiam, quia est accidens inseparabile a subiecto; sed inseparabilitas in rebus logicis, & methaphysicis arguit identitatem realem; ergo proprium, & eius subiectum sunt idem realiter, ac proindè necessariò semper inest subiecto.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Nihil necessariò inest alicui, quod est in potentia contradictionis respectu illius; sed subiectum proprij est in potentia contradictionis respectu illius; ergo Maior patet. Quia potentia contradictionis est, qua res potest esse, & non esse, ex Aristotele, septimo Meth. & primo Physicorum. Minor probatur. Quia potentia passiua, est potentia contradictionis, ex Aristotele, 9. Meth. t. c. 17. sed subiectum est in potentia passiua ad ipsum proprium, quia recipitur in ipso; ergo &c.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, maiorem esse veram de potentia purè passiua, qualis est potentia materiæ primæ; non tamen de potentia passiua, & actiua simul, sicuti est subiectum respectu proprij; quia ab ipso fluit in ratione causæ efficientis, & etiam recipitur postea in ipso, vt in sua materia.

Contra. Materia, & efficiens non coincidunt; ex secundo Physic. t. c. 70. ergo subie-

biectum nequit simul habere rationem materiæ, & efficientis respectu proprij.

Respondetur, materiam esse in duplici differentia; alia enim dicitur ex qua cum forma fit compositum. Et hæc non coincidit cum efficiente, quia efficere, præsupponit actum formalem, per quem agat; alia verò dicitur in qua recipitur forma accidentalis, cuiusmodi est omne subiectum respectu accidentis. Et ista coincidere potest cum efficiente; nàm, cum sit in actu formali substantiali, benè potest agere, & efficere, & etiam recipere in se effectum; modò subiectum respectu proprij, est materia in qua; & sic non inconuenit esse simul causam efficientem, & materialem respectu eiusdem proprij.

Contra. Quia nihil potest esse simul in actu, & in potentia; alioquin posset simul agere, & pati, quod est oppositum primi principij, non contingit simul esse, & non esse; sed ex concessis, subiectum proprij est in potentia, saltem ratione materiæ, in qua, respectu eiusdem; ergo nequit esse simul in actu illud efficiendo.

Respondetur, maiorem esse veram respectu eiusdem; falsam respectu diuersorū; siquidem contradictio, secundum Philosophum, in Elenchis, est ad idem, secundum idem, similiter, & eodem tempore; modo licet proprij subiectum sit in potentia ad ipsum ratione partis materialis, scilicet generis; vt homo respectu animalis dicitur esse in potentia ad risibilitatem; tamen ratione formæ, seù differentiæ rationalis, dicitur esse in actu; quia per ipsum homo habet risibilitatem sibi inexistentem.

Obijcies secundo, contra secundam conclusionem. Substantia præcedit omne accidēs, tempore, natura, & diffinitione, ex Philosopho, septimo Meth. t. c. 4. Sed subiectum proprij est substantia, & proprium est accidens; ergo subiectum præcedit proprium tempore; & in aliquo tempore est subiectū, in quo non sibi insit proprium. Hoc assumptum probatur, ex quinto Methaph. cap. de Priori; vbi dicitur, quod illud est prius tempore, quod potest esse in aliqua temporis differentia, in qua non sit illud aliud; ergo quod præcedit aliud tempore, potest esse sine illo.

Respondetur, auctoritatem illam Aristotelis esse veram per se, non tamen per accidens; hoc est dictu; substantia est talis naturæ, quæ secundum se potest esse sine omni accidente, siue communi, siuè proprio, cum à nullo dependeat in esse; cæterum per accidens non præcedit, idest ratione identitatis, vt puta passionis cum subiecto, nequit præcedere saltem tempore; quia in eodem instanti temporis, in quo generatur subiectum, sibi inest eius proprium; siquidem fiunt eadem generatione, & deperduntur simul per eamdem corruptionem.

Obijcies tertio. Quia subiectum potest esse sine passione, vt puta homo sine risibilitate; non enim semper ridet; ergo proprium non necessariò semper inest subiecto.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, quod ridere, est accidens commune; & risibile proprium: modo licet homo possit esse sine risu, non tamen sine risibilitate; quia semper est in aptitudine ad ridendum.

De Accidente.

CAPVT VI.

IN hoc vltimo capite huius primi Tractatus, agit Porphyrius de Accidente, prout est quintum vniuersale ab alijs distinctum. Et diuiditur in tres partes: in quarum prima ponit tres diffinitiones Accidentis; & incipit ibi. Accidens autem est, quod adest &c. In secunda subinfert quamdam diuisionem accidentis, quæ incipit ibi. Diuiditur autem in duo &c. In tertia tamdem remouet quamdam tacitam obiectionem, incipitque ibi. Potest enim intelligi &c.

Quantum ad primam partem, ponit tres diffinitiones Accidentis, quarum prima est hæc. Accidens est, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem. Vt albedo, quæ inest ità parieti, vt possit etiam abesse ab illo, præter eius corruptionem; vt patet per experientiam.

Secunda Diffinitio, quę est ferè eadem cum præcedenti, est ista. Accidens est quod contingit eidem inesse, & non inesse. Iac. illud.

lud, quod inest alicui subiecto, non necessario inest illi, sed ita contingenter, vt possit non inesse. Ex quo patet, quod hac secunda diffinitio non est distincta a prima, sed est mera explicatio prioris.

Tertia Diffinitio, qua datur per negationem aliorum vniuersalium ab accidente, talis est. Accidens est, quod neque est species, neque genus, nec differentia, nec proprium, inest autem rei, idest subiecto. Vt nigredo, inest coruo, albedo cygno &c.

Quoad secundam partem, diuidit accidens in duo membra, dicens. Accidentium, aliud esse separabile, & aliud inseparabile. Accidens separabile est, quod potest separari à suo subiecto; vt dormire, & vigilare respectu hominis. Accidens verò inseparabile est, quod nequit naturaliter separari à suo subiecto; vt albedo cygni; & nigredo corui, vel æthiopis, quæ licet per diuinam potentiam tolli possint, naturaliter tamen separari non possunt.

Quantum ad tertiam partem, remouet vnam obiectionem super hac diuisione exorientem. Posset enim quis dicere: aut per priorem diffinitionem diffinitur tantum accidens separabile; & sic esset diminuta; vel etiam inseparabile, & sic non est bona, cum non possit abesse à subiecto; aliter foret separabile. Respondet, dupliciter contingere posse, vt aliquod accidens dicatur separari à subiecto; vno modo secundum rem: & sic non omne accidens adest, & abest, vt patet de albedine cygni, & nigredine corui; alio modo secundum considerationem intellectus, quia intellectus posset considerare rem albedini subiectam, nigram, & è conuerso; sicut coruus potest intelligi albus, & cygnus niger, præter corui, vel cygni corruptionem; & sic omne accidens adest, & abest à suo subiecto, præter subiecti corruptionem. Vnde sequitur per priorem diffinitionem diffiniri omne accidens, tam separabile, quam inseparabile, licet vnum realiter & aliud intentionaliter. Et hæc de primo tractatu, dicta sufficiant.

De Natura Accidentis.

DISPVTATIO VII.

Vtrum Accidens, sit de numero Vniuersalium?

QVÆSTIO I.

Qvamuis de Accidente multa dixerimus in superioribus, ex quibus posset facile fieri satis huic difficultati, tamen nè videamur aberrare à Doctoris litera, cum eodem seiunctim illam pertractabimus, quibusdam adnotatis.

Primo ergo notandum est, ex eodem Doct. q. 34. Vniuers. quod hoc nomen accidens, est æquiuocum ad accidens reale, & rationis, seu pro prima, & pro secunda intentione consideratum. Si enim accipiatur primo modo, est etiam æquiuocum ad duos priores modos accidentis, quos assignat Aristoteles, quinto Meth. t. c. 35. quandoquidem dicit ibi, quod vno modo accidens dicitur de eo, quod in paucioribus euenit; sicut inuentio thesauri respectu fodientis terram; quia rarò, vel numquam accidit. Alio modo dicitur accidens, quod aduenit enti in actu completo, siuè physicè, siuè methaphysicè. Et hoc modo, etiam propria passio dicitur accidens, cum adueniat subiecto post esse completum quiditatiuum eiusdem. Similiter omnia contenta in nouem prædicamentis, dicuntur accidentia substantiæ completæ, quia adueniunt illi post esse quidditatiuum eiusdem vltimatum. Si verò accipiatur secundo modo, scilicet pro secunda intentione, adhuc subdiuiditur in quatuor modos. Enimverò, primo modo accipitur pro prædicato extraneo, quod est in parte idem, & in parte diuersum; de quo dictum est in præcedentibus. Secundo modo significat nomen secundæ intentionis, seu secundam intentionem causatam per actum collatiuum intellectus. Et sic accidens, est quid commune ad quinque vniuersalia; genus enim, & species, sunt accidentia intentionalia. Tertio modo significat prædicatum non essentiale, idest non qui-

quiditatiuum. Et sic comprǽhendit duo vltima prædicabilia, scilicet proprium, & accidens; quia sunt prædicata non quiditatiua de suis subiectis. Quarto tamdem accipitur pro prædicato non essentiali, nec per se, nec conuertibili cum eo, de quo prædicatur. Et sic significat quintum vniuersale ab alijs distinctum; de quo est tantum sermo in præsenti quæstione.

Secundo notandum, accidens, vt distinguitur contra substantiam, posse ad duo comparari, scilicet ad sua inferiora quiditatiua, & ad subiecta, quæ afficere potest. Vt color, potest respicere albedinem, nigredinem, & cæteros colores; vel hominem, lapidem, lignum, & cætera subiecta, quæ potest dénominare. Accidens primo modo, nequit esse fundamentum secundæ intentionis accidentis, prout facit quintum vniuersale, sed induit modum generis, vel speciei, cum prędicetur de inferioribus inquid, vel de differentibus specie, vel numero. At secundo modo, fundat accidens pro secunda intentione, quæ constituit quintum vniuersale; quia prædicatur de illis in quale accidentale, non conuertibiliter, sed transmutabiliter.

Ex his, sit prima Conclusio. Accidens pro secunda intentione, vltimo modo sumptũ in primo Notab. est vniuersale. Probatur primo auctoritate Aristotelis, primo Topicorum, cap. 4. & Porphyrij in textu huius capitis, dicentium, accidens esse vniuersale; sed hæc auctoritas non potest intelligi de accidente pro prima intentione; quia vniuersale est secunda intentio; nec pro extraneo; quia vt sic, ingreditur diffinitionem proprij; nec pro secunda intentione vt sic; quia tunc est quoddam commune ad quinque vniuersalia; ergo loquuntur de accidente pro secunda intentione, prout significat prædicatum non essentiale, nec conuertibile cum subiecto, sed vt est separabile ab eo. Secundo probatur. Quia id, quod prædicatur de pluribus, est vniuersale; sed accidens prædicatur de pluribus; siquidem album, prædicatur de lacte, de niue, lapide, & alijs subiectis; ergo prædicatur de pluribus, ac proindè est vniuersale.

Secunda Conclusio. Accidens, est vniuersale distinctum à cæteris quatuor vniuersalibus. Probatur. Quia distinctio vniuersalium, sumitur penes diuersos modos prędicandi, vt diximus superius, disp. 2. q. vltima; sed accidens habet diuersum modum prædicandi à cęteris; ergo. Minor probatur. Quia accidens prædicatur in quale accidẽtale, transmutabiliter; sed hic modus prædicandi, est diuersus à cæteris; ergo. Maior patebit ex sequenti quæstione. Minor probatur. Quia genus, & species prædicantur in quid; differentia in quale essentiale; proprium verò in quale accidentale conuertibiliter, & intransmutabiliter; ergo hic modus prædicandi accidentis, est diuersus à cęteris modis prædicandi aliorum vniuersalium, ac propterea constituit vniuersale distinctum ab alijs.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Intentio secunda, quæ fundatur in re singulari, est singularis; sed intentio accidentis est huiusmodi; ergo. Maior patet. Quia secunda intentio, sicut sumit entitatem à prima, ità & communitatem accipere debet ab ea. Minor probatur. Quia quod est in singulari, est singulare; siquidem omne receptum, est in recipiente per modum recipientis, ex Commentat. tertio de anima, comm. quinto. Et Boetio, primo de Consolat. Philosophiæ; sed accidens commune, est in singulari; ergo recipitur ad modum singularis; & sic est singulare, & non vniuersale. Minor probatur, ex Porphyr. tractat. 2. cap. primo. Et Aristotele, 5. Methaph. cap. de eodem; vbi ponentes differentiam inter accidens proprium, & commune, dicunt, accidens proprium prius inesse naturæ specificæ, accidens verò commune, prius singularibus; ergo &c.

Respondetur, accidens commune, vt puta album, posse tripliciter considerari. Primo modo, secundum esse materiale, seù vt supponit personaliter; & sic sibi conuenit esse in singularibus. Secundo modo, secundum esse quiditatiuum; & sic sibi competunt prædicata quiditatiua, scilicet esse coloratum, figuratum, & esse quale. Tertio modo, secundum esse cognitum; & tũc sibi conueniũt intẽtiones secundæ. Modò accidens pro secunda intẽtione, non est in accidẽte pro prima intẽtione cõsiderato, primo vel secũdo modo, sed tãtũ hoc tertio modo.

Formaliter ad argumentum, nego minorem. Ad probationẽ dico, minorem, & eius probationẽ habere veritatem de accidente com-

communi, secundum esse materiale accepto, non tamen secundum esse quiditatiuum, vel secundum esse cognitum considerato; quia sic abstrahit à singularibus.

Obijcies secundo. Quodlibet vniuersale est res secundæ intentionis; sed accidens non est huiusmodi; ergo accidens non est vniuersale. Maior patet. Quia secunda intentio est quid superius ad vniuersale. Minor probatur. Quia Aristoteles, quinto Meth t.c.13 diuidit ens in substantiam, & accidens; sed in hac diuisione ly accidens, non est res secundæ intentionis; quia tunc diuisio non esset per opposita; substantia enim, & accidens pro secunda intentione, non sunt opposita; ergo accidens non est res secundæ intentionis, & consequenter nec vniuersale.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, diuisionem illam esse datam de ente reali in substantiam, & accidens reale. Vndè non sequitur, quòd si in eadem diuisione non comprænditur accidens pro secunda intentione, non dari accidens pro secunda intentione; aliter nec substantia pro secunda intentione daretur, quod tamen esse falsum demonstrabimus in prædicamentis.

Obijcies tertio. Nulla secunda intentio prædicatur per se de re primæ intentionis, ex Doctore Subt. sup. q. 12. Sed accidens prædicatur per se de qualitate, quæ est res primæ intentionis, ergo. Minor patet. Quia hæc est per se: qualitas est ens: sed non est substantia vt patet; ergo est per se accidens.

Respondetur, negando minorem de accidente pro secunda intentione accepto, & concedo illam de accidente reali. Ad probationem dico, pro nunc, esse veram de accidente reali, non tamen de accidente rationis; quia tale non prædicatur per se de qualitate, sed tantum per accidens, & denominatiuè.

Obijcies quarto. Nulla species vniuersalis, verè inest rei singulari; istæ enim sunt falsæ: hoc animal est genus; hic homo est species; hoc rationale est differentia, & hoc risibile est proprium; sed accidens verè inest rei singulari; quia hæc est vera; ista albedo est accidens, & non substantia; ergo accidens non est species vniuersalis, & consequenter nec vniuersale prædicatur de illo.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, esse veram de accidente pro prima, non pro secunda intentione, quale non inest huic albedini, sed albedini in communi; prout est cognita ab intellectu comparatiuè.

Vtrum prima Diffinitio Accidentis, scilicet. Accidens est, quod adest, & abest, &c. Sit conuenienter assignata à Porphyrio?

QVÆSTIO II.

NOnnulli putant, Porphyrium per hanc primam diffinitionem demonstrasse tantum accidentia separabilia à suis subiectis, non autem inseparabilia, cuiusmodi sunt albedo cygni, & nigredo corui, vel æthiopis. Similiter non compræhendi sub hac diffinitione accidentia priuatiua, vt sunt morbus læthalis, mors, & similia; quia hæc destruunt subiectum, & nequeunt adesse, & abesse à subiecto, præter subiecti corruptionem.

Alij verò asserunt, per hanc diffinitionem diffiniri solummodò accidens reale, seù pro prima intentione sumptum, non autem accidens intentionale; siquidem adesse, & abesse, sunt termini primæ, & non secundę intentionis.

Cæterùm, Doctor, q.35. Vniuersalium docet, hanc diffinitionem conuenire accidenti pro secunda intentione concretiuè sumpto, & sub ipsa compræhendi omnia accidentia communia, siuè separabilia, siuè inseparabilia, siuè positiua, siuè priuatiua.

Pro cuius declaratione, primo notandũ, ex eodem, loco citato; quod abesse, & adesse, sicut inesse, & non inesse, possunt dupliciter accipi, scilicet realiter, & pro prima intentione; & intentionaliter, seù pro secunda intentione. Adesse, & inesse primo modo, dicunt inhærentiam actualem accidentis ad subiectum, vt verbi gratia albedinis parieti; abesse verò, & non inesse præsefeerunt actualem separationem eiusdem à subiecto. Et secundum hanc acceptionem locutus est Aristoteles, septimo meth. t. c. 2. & 3.

& 3. dum dixit. Accidentis esse, est inesse. Idest actualiter inhærere, seu inesse subiecto. Et 8. Physicorum, t.c. 62. dum ait. Impossibile est, idem simul adesse, & abesse ab eodem subiecto. Hoc est. Implicat, idem accidens numero, simul, & semel inesse, seu actu inhærere, ac separari ab eodem subiecto. Adesse autem, & inesse secundo intentionaliter, significat prędicationem, seu modum prædicandi eorum, quæ sunt extra essentiam, & quiditatem subiecti, & alterius generis à subiecto. Et hoc modo conuenit omnibus accidentibus communibus respectu substantiæ; quia sunt alterius generis à substantia, & non prædicantur essentialiter, sed tantum accidentaliter de ipsa. Et per oppositum, abesse, & non inesse, negant quamlibet prędicationem, siuè essentialem, siuè accidentalem, accidentis de subiecto; vndè sensus diffinitionis erit iste. Accidens est, quod adest, & abest, seu quod inest, & non inest subiecto. Idest, quòd prædicatur, vel non prædicatur accidentaliter, & denominatiuè de subiecto. Præter subiecti corruptionem. Idest, præter destructionem intellectus subiecti; quia subiectum potest intelligi sub oppositis, cum à neutro essentialiter dependeat in esse, imò vtrumquè præcedat secundum esse quiditatiuum, tempore, natura, & diffinitione.

Secundo notandum, ex eodem ibidem; quod cum inesse, & dici de, opponantur; prius enim significat prædicationem accidentalem de subiecto propriè, & posterius essentialem propriè, tot modis dicitur vnū, quot modis dicitur, & reliquum. Dici de autem, accipitur tripliciter, scilicet propriè; & significat prædicationem essentialem superioris de inferiori; vt animalis de homine. Secundo modo communiter; & significat prædicationem superioris de inferiori, siuè quiditatiuam, siue non; vt risibilis de Francisco. Tertio modo communissimè; & significat quamcumquè prædicationem, siuè essentialem, siuè accidentalem, siuè directam, siuè indirectam. Et hoc modo etiam accidentia dicuntur de subiectis, vt albedo de pariete, & ligno. Et per oppositum, etiam inesse tripliciter accipitur. Primo modo propriè; & significat prædicationem accidentalem superioris de inferiori; vt albi de pariete, & ligno &c. Secundo modo communiter; & significat prædicationem accidentalem accidentis singularis de subiecto; vt huius albi, vel nigri, de hoc, vel illo pariete. Tertio modo communissimè; & sic significat quamcumquè prædicationem siuè essentialem, siuè accidentalem prædicati de subiecto in qualibet propositione: vt homo est rationalis; Petrus est albus: prædicatum enim dicitur inesse subiecto, cum affirmatur de illo; vel non inesse, cum negatur de illo; accipiendo inesse, & non inesse pro secunda, non pro prima intentione.

Tertio notandum, ex eodem ibidem; cum adesse, & inesse, similiter abesse, & non inesse sumantur secundo intentionaliter in hac diffinitione prima, & secunda accidentis; quod per ly adesse, & inesse, intelligitur prædicatum, & modus prædicandi accidentis, scilicet prædicari in quale accidentale de subiectis; per ly autem abesse, & non inesse, denotatur Differentia, per quam accidens à proprio secernitur, scilicet non conuertibilitas, & transmutabilitas. Ex quibus elicitur sensus diffinitionis sic. Accidens est vniuersale, quod prædicatur de pluribus in quale accidentale, non conuertibiliter, sed transmutabiliter. Vt album, prædicatur de lapide, ligno, niue, lacte, &c. quæ sunt plura subiecta; in quale accidentale: quia non est de eorum essentia, & quiditate: non conuertibiliter: quia non valet dicere; omne quod est paries, lignum &c. est album, & omne album est paries, lignū, lapis &c. sed transmutabiliter; quia lapis, lignum &c. vt existunt sub albedine, possunt intelligi sub opposito eius, idest sub nigredine. Et hac ratione, accidens dicitur adesse, & abesse, inesse, & non inesse subiectis.

Ex his, fit prima Conclusio. Diffinitio accidentis hoc modo explicata, est bona, & conuenienter assignata ab Auctore in textu. Probatur primo auctoritate Aristotelis, primo Topic. c. 4. & Porphyrij hic dicentium, per hanc diffinitionem esse rectè diffinitum accidens; ergo diffinitio est bona. Secundo ratione. Quia hæc diffinitio habet omnes conditiones bonę diffinitionis; ergo est bona. Antecedens probatur. Nam habet primam; quia per ly quod adest, intelligitur genus, scilicet vniuersale prædicabile de pluribus; per ly verò abest, denotatur differentia, per quam differt à proprio, quod nequit

quit abesse a subiecto, cum sit omnino inseparabile, & subiectum non possit intelligi sub opposito proprij. Secundam habet, & tertiam. Quia competit omni, & soli accidenti communi, siuè separabili, siuè inseparabili; cum subiecta possint intelligi sub illo, & sub eius opposito, vt dictum est in expositione textus, & in tertio notabili; ergo hæc diffinitio est bona, & conuenienter assignata.

Secunda Conclusio. Hic diffinitur accidens commune pro secunda intentione acceptum, & non pro prima, nisi per accidens. Probatur. Quia illud accidens hic diffinitur; quod potest adesse, & abesse, inesse, & non inesse subiecto, præter eius corruptionem, vt patet; sed non omne accidens reale, seù pro prima intentione potest sic adesse, & abesse, inesse, & non inesse, quin destruatur subiectum; ergo non diffinitur hic accidens commune reale, sed intentionale. Minor probatur de albedine cygni, de nigredine corui, & æthiopis; de morbo læthali; de morte, & similibus, quæ sunt accidentia communia realia, & tamen separari nequeunt à subiectis, quæ afficiunt, absquè eorum destructione, vt experientia constat; benè tamen subiecta possunt intelligi sub oppositis accidentibus, absquè falsificatione prædicationis accidentalis illorum accidentium de subiectis; ergo non omne accidens reale, sed benè omne accidens commune, secundo intentionaliter acceptum, potest adesse, & abesse, inesse, & non inesse, præter subiecti corruptionem; ac proindè hoc, & non illud diffinitur. Secundo probatur. Per hanc diffinitionem diffinitur accidens, vt est quintum vniuersale ab alijs distinctum; sed vt sic, accidens est secunda intentio, quæ est species vniuersalis logici; ergo. Maior patet. Tum quia accidens est vnum vniuersale ab alijs distinctum, vt probatum est in præcedenti quæstione; sed distinguitur per hanc diffinitionem; siquidem diffinitio, cum sit explicatiua quiditatis, & essentiæ alicuius, distinguit ipsum quiditatiuè à quocumque non est illud; ergo. Tùm etiam, quia hæc diffinitio, modo explicato in notabilibus, datur de accidente in ratione vniuersalis, aliter Porphyrius fuisset diminutus, cum nullam aliam dederit in ratione vniuersalis; ergo dicendum est, per hanc diffinitionem diffiniri accidens commune pro secunda, & non pro prima intentione acceptum.

Dices. Accidentia enumerata in probatione minoris primi syllogismi, vel non esse accidentia communia; vt albedo cygni, & nigredo corui; cum contineantur sub accidente proprio, quod est inseparabile; vel non esse simpliciter accidentia, sed entia priuatiua substantialia, vt mors, combustio, & huiusmodi; ac propterea minor illa est absolutè falsa; & consequenter conclusio, quæ per ipsam probatur.

Contra. Tum quia albedo cygni, & nigredo corui, & cætera huiusmodi accidentia naturaliter inseparabilia, collocantur sub diuisione accidentis communis à Porphyrio, vt patet in textu; ergo malè negatur, esse accidentia communia. Tùm etiam, quia mors, combustio, & cætera huiusmodi, dicuntur mutationes priuatiuæ de esse ad non esse; sed mutatio est accidens, quæ fit in subiecto communi vtriquè termino oppositorum, vt docet Arist. primo, & quinto lib. Physicorum; ergo. Tùm tamdem, quia subiectum mortis, & vitæ, seù esse, & non esse vltimatum, in quo fiunt mutationes, non est mixtum, sed materia prima; si quidem resolutio eius vltimatè fit vsque ad materiam primam; atqui hæc non est subiecta corruptioni; ergo mors, combustio, & cætera huiusmodi, sunt veræ mutationes accidentales, & dicuntur substantiales tantum terminatiuè, quatenus termini à quo, & ad quem, vt puta homo, & domus, sunt substantiæ; ergo cum huiusmodi accidentia nequeant adesse subiectis absque eorum corruptione secundum esse reale, dicendum, posse vtiquè adesse, & abesse secundum intellectum; quia possunt subiecta earum intelligi sub oppositis, absque falsificatione prædicationis accidentalis; siquidem, homo mortuus, vel viuus, in ratione hominis, præcedit essentialiter, & mortem, & vitam; quemadmodum substantia præcedit omne accidens, tempore, natura, & diffinitione, ex septimo Methaph. t. c. 4. quia quiditas substantiæ est omninò independens à quiditate accidentis.

Obijcies primo. Res secundæ intentionis, nequeunt diffiniri per rem primæ intentionis; sed in diffinitione accidentis ponuntur

res

res primæ intentionis; ergo accidens non potest diffiniri hac diffinitione. Maior patet. Quia diffinitio est de essentia diffiniti; sed res primę intentionis non sunt de essentia secundæ intentionis;ergo Minor probatur: Quia in hac diffinitione ponuntur ly adesse, & abesse, quæ sunt res extra animam; siquidem adesse, & abesse sunt, quorum est esse; sed esse, est rei extra animam; ergo,& adesse,& abesse.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico,esse veram si ly adesse,& abesse sumantur pro prima intentione, & non pro secunda;modò in diffinitione accidentis ly adesse,non sumitur pro prædicato non essentiali, sed accidentali; & ly abesse pro differentia,per quam accidens commune differt a proprio, quæ sunt res secundæ intentionis.

Obijcies secundo. Quod inest necessariò alicui,non contingit inesse, & non inesse; sed accidens pro secunda intentione inest necessariò cui inest; ergo non contingit inesse,& non inesse.Maior patet. Quia oppositum prædicati, infert oppositum subiecti. Minor probatur. Tùm quia, quod inest alicui necessariò, & impermutabili, necessariò inest; sed accidens pro secunda intentione, inest accidenti, prout habet esse cognitum, quod est impermutabile,& necessarium; ergo. Tùm etiam probatur inductiuè. Quia homo necessariò est species; rationale necessariò est differentia; risibile necessariò est proprium; ergo & accidens pro prima intentione, vt putà album cognitum, necessariò est accidens.

Respondetur, quod ly necessariò, positum in minori propositione, potest determinare inhærens, vel inhærentiam. Si determinat inhærentiam, facit hunc sensum. Accidens necessariò inest,&c. ideft inesse,est de intrinseca ratione accidentis; & sic minor est vera. Si verò determinat inhærens, facit hunc sensum. Accidens necessariò inest. Idest, accidens inest subiectò necessariò, & per se secundo modo,scilicet conuertibiliter, & intransmutabiliter, sicut proprium; & sic minor est falsa.

Formaliter ergo ad argumentum dico, maiorem esse veram si ly necessariò, determinat inhærens, non tamen si determinat inhærentiam; modò in proposito, in minori determinat inhærentiam, & non inhærens. Ad probationem primam dico, maiorem esse veram,si ly necessariò determinat inhærentiam, non tamen si inhærens. Ad secundam, negatur antecedens; nam secunda intentio non prædicatur per se de re primæ intentionis;& sic non necessariò,sed per accidens, & denominatiuè, vt supra dictum est.

Obijcies tertio.Illa diffinitio non est bona,quæ non competit cuilibet contento sub diffinito; sed hæc diffinitio non competit cuilibet accidenti communi; ergo non est bona.Minor probatur. Quia accidens inseparabile, vt caliditas in igne, nigredo in coruo,& similia,non possunt abesse à subiecto, præter subiecti corruptionem, & tamen sunt accidentia communia, vt dicit Porphyrius in textu, cap. 6. ergo non competit cuilibet accidenti communi.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, esse veram accipiendo ly adesse, & abesse secundum rem, non tamen secundum considerationem intellectus;quia sic omne accidens potest separari a suo subiecto; potest enim intellectus intelligere coruum, & æthiopem album, & cygnum nigrum,& ignem frigidum; & sic quodlibet subiectum sub opposito illius accidentis, quod inest; quia neutrum est de quiditate subiecti,sed vtrumquè accidit illi.

Contra. Quia tunc nulla esset differentia inter accidens commune,& proprium; quia etiam subiectum potest intelligi sine accidente proprio, idest homo sine risibilitate,cum non sit de eius essentia:ac proindè accidens proprium esset separabile per intellectum,sicut commune; quod est contra Porphyrium,& ea,quæ superius conclusimus de proprio.

Respondetur, negando consequentiam. Imò est maximà differentia inter accidens proprium, & commune. Quia licet subiectum proprij possit intelligi sine eo,non tamen potest intelligi sub opposito eius; hoc est;quamuis potest intelligi homo sine risibilitate,idest non intelligendo risibilitatem, non tamen potest intelligi sub irrisibilitate; at subiectum accidentis, nedum sine accidente intelligi valet, sed etiam sub opposito eius,quod habet.

Contra. Intellectus nequit intelligere

rem aliter quam sit; alioquin falleretur, cum veritas sit adæquatio rei ad intellectum; vt colligitur ex Aristotele, 9. Metaph. t. c. 21. sed in re non est verum, accidens inseparabile, à subiecto separari; ergo intellectus nequit intelligere subiectum sub opposito eius; aliter intelligeret, duo opposita esse simul in eodem subiecto.

Respondetur, quod intelligere vnum sine alio, potest dupliciter contingere; vno modo præcisiuè; alio modo diuisiuè. Tunc cognoscitur vnum sine alio præcisiuè, quando ly sine, vel non cadit inter cognitionem, & cognitionem; vt cum intelligo hominem, non intelligendo risibilitatem. Tunc verò intelligitur vnum siuè alio diuisiuè, cum ly sine, vel non cadit inter esse, & esse duorum obiectorum; vt cum dico, intelligo hominem non esse album. Ad propositum: intellectus noster intelligendo rem aliter, quam sit primo modo, non fallitur; quia inquit Philosophus, secundo phys. t c. 20. quod abstrahentium non est mendacium; hoc est, circa ea, in quibus intellectus præscindit vnum ab alio, non contingit errare. Fallitur tamen, rem aliter, quàm sit intelligendo diuisiuè; quia diuidit componibilia, & componit diuisibilia.

Respondetur formaliter ad argumentum, maiorem esse veram diuisiuè, non tamen præcisiuè; modo cum intellectus intelligit, vnum accidens separari à suo subiecto, non intelligit, subiectum esse sine accidente, supple inseparabili; sed intelligit subiectum non intelligendo accidens; & hoc potest verè facere; quia nec accidens separabile, nec inseparabile, est de essentia subiecti.

Obijcies quatto. Si accidens posset abesse à subiecto, præter subiecti corruptionē, sequeretur, quod subiectum esset, etiam remoto accidente; sed hoc est falsum; ergo. Maioris sequela patet. Minor probatur. Quia relatiua, posita se ponunt, & perempta se perimunt, ex Aristotele in prædicamentis, cap. de Ad aliquid; sed subiectum, & accidens sunt opposita relatiua; ergo.

Respondetur, subiectum posse dupliciter considerari; vno modo formaliter, alio modo fundamentaliter. Primo modo, dicit relationem substentificantis ad substentificatum. Et hoc modo, accidens nequit abesse à subiecto, absque deperditione eiusdem relationis; quandoquidem realiter nequit cōseruari sine fundamento, & termino. Secundo modo, importat aliquod absolutum substractum illi relationi; vt puta parietem. Et hoc modo cum non dicat relationem ad accidens, non est necesse corrumpi ad remotionem accidentis. Vndè ad argumētum in forma dico, minorem esse veram de subiecto pro formali, non tamen pro fundamento, vt expositum fuit. Vltimum argumentum Doctoris omittitur; quia partim est solutum in præcedenti quęstione secunda de Proprio, respondendo ad quintam obiectionem; & partim in præsenti, expendendo hanc diffinitionem, notab. primo, & tertio.

Vtrum Proprium, & Accidens, possint dici de aliquo eodem?

QVÆSTIO III.

Circa hanc quæstionem, quam pertractat Doctor, q. 36. & vltima suorum Vniuersalium, extant duę oppositæ sententiæ; quarum prior asserit, quod licet proprium, & accidens respectu eiusdem, nequeant dici de eodem, hoc tamen præstare possunt respectu diuersorum; vt patet de caliditate ignis, quæ respectu eiusdem dicitur proprium, respectu verò mixti, vt ligni, vel lapidis, est accidens ab eis separabile.

Posterior tamen, cui assentit Scotus, & cum ipso omnes Scotistę, oppositum docet; nimirùm repugnare rationibus proprij, & accidentis, vt de eodem aliquo modo dicantur.

Pro cuius declaratione, ac fundamento, primo notandum, ex Doctore, loco citato; hic non agitari quæstionem de proprio, & accidente reali, seù pro prima intentione; quia certum est posse dici, seù prædicari de eodem; homo enim est risibilis; & potest dici albus, vel rubeus. Sed quæritur de proprio, & accidente pro secunda intentione, vt sit sensus. An intentiones proprij, & accidentis possint applicari rei, quæ respectu vnius dicatur proprium, & respectu alterius sit accidens? Vel, quę respectu vnius insit necessariò, & conuertibiliter, & alteri non necessariò conuertibiliter, sed transmutabiliter.

Se-

Secundò notandum, ex dictis superiùs de proprio, & accidente; quod ad hoc, vt aliquid dicatur proprium, primo requiritur, quod insit necessariò suo subiecto; itaut non possit non inesse, nec per potentiam diuinam. Secundo, quod egrediatur à principijs specificis, seù quidditatiuis subiecti. Tertio, quod sit realiter identificatum, vt per nullam potentiam possit separari; vt patet de risibili respectu hominis. Et proprio habenti has conditiones, potest duntaxat applicari intentio secunda proprij. Similiter etiam, vt accidenti possit applicari secunda intentio accidentis, primo requiritur, vt insit suo subiecto contingenter, itaut possit non inesse. Secundo, vt insit ab intrinseco, vel ratione quantitatis, vel qualitatis, vel saltem ab extrinseco tribuatur subiecto, vt dictum fuit superius, q. 3. de proprio. Tertio, quod sit separabile à suo subiecto, vel actualiter, vel aptitudinaliter, vel secundum rem, vel secundum considerationem intellectus. Ex quibus infertur, quod cum secundæ intentiones applicentur rebus cognitis sub aliqua proprietate, & non sint eædem proprietates in eo, quod dicitur proprium, & denominatur accidens, siuè respectu eiusdem, siuè in ordine ad diuersa, non possint intentiones proprij, &c. accidentis dici de eodem subiecto, siuè respectu eiusdem, siuè respectu diuersorum.

Ex his, fit prima Conclusio. Proprium, & Accidens pro secunda intentione, nequeunt applicari eidem respectu eiusdem. Hæc conclusio est communis vtrique sententiæ. Probatur. Quod implicat contradictionem, est impossibile fieri; sed proprium, & accidens, vt sic accepta pro secunda intentione, vt possint eidem applicari, implicat contradictionem; ergo nequeunt dici de eodem respectu eiusdem. Maior patet. Minor probatur. Quia inesse necessariò, & conuertibiliter, & inesse non necessariò, nec conuertibiliter; similiter separari à subiecto, & non separari; & tamdem egredi à principijs specificis subiecti. & non sic egredi, sunt contradictionem implicantia; sed id, quod dicitur proprium, necessariò conuertibiliter inest subiecto, & à principijs eiusdem pullulat; id autem, cui applicatur intentio accidentis, inest non necessariò, sed contingenter, non conuertibiliter, & separabiliter subiecto; ergo intentiones proprij, & accidentis, eidem applicari posse implicat contradictionem. Minor est nota, ex secundo notabili; & maior, ex diffinitione contradictoriarum.

Secunda Conclusio. Proprium, & Accidens pro secunda intentione, nequeunt applicari eidem, nec respectu diuersorum. Est Scoti loco citato. Probatur. Quia intentio proprij applicatur illi, quod inest soli, & habet cæteras conditiones positas in secundo notabili; intentio verò accidentis, attribuitur ei, quod non soli, sed pluribus inest speciebus, non necessariò, nec conuertibiliter, verum separabiliter, & transmutabiliter; atqui idem non potest inesse soli, & non soli, & vtriusque rei habere cæteras conditiones, neque respectu diuersorum; ergo. Probatur secundo. Quia idem, non potest esse proprium, & non proprium respectu eiusdem; sed hoc sequeretur, data veritate oppositæ sententiæ; ergo. Maior patet. Quia implicat contradictionem. Minor probatur. Quia de ratione proprij est, quod insit omni, soli, & semper; sed data hypothesi, non inesset soli, sed etiam alteri, respectu cuius esset accidens; ergo esset proprium, & non proprium, quod est oppositum primi principij.

Obijcies primo, contra secunda conclusionem. Caliditas respectu ignis, est proprium, sed respectu mixti, est accidens; ergo idem potest dici proprium, & accidens. Maior probatur. Quia accidens, quod inest ab intrinseco, ratione formæ specificæ, est proprium, ex dictis supra; sed caliditas respectu ignis, est huiusmodi; siquidem qualitates elementorum insunt elementis ratione formæ specificæ; ergo. Minor probatur. Quia est separabilis à mixto; vt patet de lapide calido, qui postea euadit frigidus.

Respondetur primo, negando maio-

rem. Ad probationem dico, qualitates elementorum, illis inesse ratione formæ indiuidualis, & non specificæ. Quod vel maximè conijcitur, quia separantur ab eis post introductionem formæ contrariæ; vt patet de frigiditate in aqua, à qua separatur per actionem ignis in ipsam; & è conuerso de caliditate respectu ignis. Cæterum, proprium non separatur, nec separari potest ab eo, cuius est, neque per diuinam potentiam.

Vel dicendum secundo, negando maiorem. Ad probationem dico, esse veram, si conuertatur per se, & vniuersaliter cum subiecto; modo caliditas non conuertitur cum igne per se; quia licet valeat: omnis ignis est calidus (quicquid sit de igne in sua sphæra, de quo dubitat Auerroes, primo Cæli, comm. 91. & quarto cœli, comm. 32. an habeat calorem in actu; & videtur potiùs oppositum asserere) non tamen sequitur, omne calidum est ignis; cum Sol, & mixta sint calida; & tamen non sunt ignis. Restat igitur, quod non sit proprium eius, sed accidens commune, inseparabile tamen, naturaliter loquendo, ab igne; quia de facto diuinitus fuit separatus calor ab igne in fornace Babilonica, vt habetur Danielis tertio. Siquidem Angelus Domini descendit in fornacem cum Azaria, & socijs, & non tetigit eos omninò ignis, neque contristauit.

Obijcies secundo. Lux dicitur vniuocè de corpore luminoso, & de medio, vt puta de Sole, qui est corpus luminosum, & de aere, qui est medium in quo recipitur lux; sed respectu corporis luminosi est proprium, & respectu aeris est accidens; ergo. Maior patet ex diffinitione lucis, secundo de anima, t. c. 69. vbi dicitur. Lux est actus lucidi, seù diaphani, in quantum lucidum, & diaphanum est. Minoris prima pars patet. Quia lux consequitur naturam corporis luminosi. Secunda etiam. Quia lux adest, & abest ab aere; ergo respectu illius est proprium, & respectu huius erit accidens.

Respondetur primo, negando lucem esse proprium corporis luminosi; siquidem proprium debet conuerti cum eo cuius est; at lux non conuertitur cum corpore luminoso; quia ignis est corpus luminosum, & tamen non omnis ignis lucet, vt patet de igne inferni, secundum D. Gregor. lib. 4. Dialogorum qui est sine luce. Similiter, ignis in propria sphæra, est expers lucis, secundum Auerroem citatum.

Vel dicendum secundo, negando maiorem. Nam id, quod dicitur de medio, non est lux, sed species lucis, quæ dicitur lumen; modo species, & id cuius est species, non vniuocantur, cum sint alterius rationis. Hæc responsio, est Doctoris subt. in secundo d. 13. q. vn. art. secundo. Et prior, est eiusdem, quæst. 36. Vniuersalium.

Vtrum inhærentia, sit de quiditate, & essentia Accidentis?

QVÆSTIO IV.

NOn defuerunt ex antiquis Philosophis, qui defenderent, inhærentiam, nedum aptitudinalem, sed etiam actualem accidentis ad subiectum, esse de eiusdem quiditate, ac essentia: dicebant enim repugnare naturæ accidentis, existere absque subiecto. Ita refert Augustinus Niphus, 7. Methaph. disputat. prima, ex Aristotele ibidem, cap. 2. & primo physic. cap. 4. t. c. 39. Cæterum quàm valde à veritate, nedum Philosophica, sed etiam Orthodoxa, deuiauerint, docet fides catholica, oppositum astruendo de accidentibus absolutis (de respectiuis enim non est sermo) ea siquidem in Sacramento Eucharistiæ existunt sine subiecto; quod fieri non posset, si inhærentia actualis ad subiectum, esset de eius quiditate, ac essentia.

Catholici Philosophi, ac Theologi, prætermissa priori sententia, disputant de inhærentia aptitudinali, ac-

accidentis ad subiectum, & secantur in duas classes. Aliqui enim putant, esse huiusmodi inhærentiam de essentia accidentis; imò esse completiuum eius. Ita D. Thom. 3. p. q. 27. art. primo, ad secundum. Et in quarto sent. d. 12. q. 1. art. primo, ac alibi. Capreolus ibidem, d. 12. q. 1. ad primum contra quintam, & sextam conclusionem. Et in primo dist. 42. q. 1. art. 3. Hærueus, quol. 4. q. 9. Iauell. 7. Meth. q. 1. Ægidius ibidem q. 2. Caiet. de Ente, & essentia, cap. 7. q. 15. Suarez in Meth. to. 2. disp. 37. sect. 2. numero 7. & 9. Ruuius in logicam, cap. de Accid. q. 5. & alij non pauci, tùm ex Antiquis, tùm ex Modernis.

Alij verò, indagantes verius accidentis naturam, aiunt, inhærentiam aptitudinalem esse quidem proprium, seu passionem identificatam realiter accidenti, non tamen de quiditate, & essentia eiusdem. Ità Doctor Subt. in quarto, d. 12. quæst. 1. Et septimo Methaph. q. 1. Antonius Andreas ibidem. Soncinas, q. 1. Flandria, q. 2. Zimara, theo. 3. qui secum trahit Coment. 4. Methaph. com. 2. Parisienses, primo Physicorum, tractatu 2. q. 1. partiali, corol. 4. vbi communiter Scotistæ omnes, & alij ex modernis multi.

Pro huius sententiæ declaratione, ac fundamento, notandum est primo, ex Doctor. Subtili in citatis locis. Accidens esse duplex, scilicet absolutum, cuius esse est ad se, & non refertur ad aliud, vt ad terminum; vt sunt quantitates, & qualitates; & respectiuum, cuius esse est ad aliud se habere, vt ad suum terminum. Et hoc compræhendit sub sè septem vltima prædicamenta, scilicet relationem, actionem, passionem, vbi, situm, habitum, & quando. Quæstio potissimum intelligitur de accidente absoluto, cum hoc ordinetur ad subiectum; tamen soluenda est de vtroque.

Secundo notandum, ex eodem ibidem; inhærentiam nimirum accidentis ad subiectum esse duplicem, actualem, & aptitudinalem. Prior importat vnionem accidentis cum subiecto; & hæc dicit relationem actualem fundatam in accidente, verbi gratia, in albedine, & terminatam ad subiectum, idest ad parietem. Posterior verò dicit relationem aptitudinalem, seù inclinationem naturalem accidentis ad subiectum, quia sine illo naturaliter existere non potest. Differunt autem ab inuicem hæc, & illa. Nam prior, cum consequatur accidentis existentiam, excluditur à demonstratione, quæ abstrahit ab existentia. Posterior verò, cum abstrahat ab existentia, demonstratur de subiecto, mediante diffinitione eiusdem subiecti; vt dicitur in libris Posteriorum.

Tertio notandum est, ex eodem ibidem; aliud esse de essentia alicuius, & aliud esse idem essentialiter alicui. Nàm prius dicit esse de diffinitione quiditatiua, vel tamquam genus, vel vt differentia. Ex quo concluditur identitas formalis inter illa; diffinitio enim tota, est eadem formaliter diffinito, licet distinguantur ex natura rei, vt alibi dicturi sumus. Posterius verò, tantum dicit identitatem realem duorum ad inuicem; itàut per nullam potentiam possint separari. Ità se habent subiectum, & propria passio; vt homo, & risibile. Ex his sequitur, quod omne illud, quod est de quiditate alicuius, est etiam idem realiter illi, non tamen è conuersò; quia risibilitas est eadem realiter homini, non verò de essentia; quia non ingreditur diffinitionem quiditatiuam hominis. Ad rem applicando; cum inhærentia aptitudinalis nequeat separari ab accidente, & tamen non ingrediatur eius diffinitionem quiditatiuam, vt dictum est superius, exponendo diffinitionem datam à Porphyrio; hinc sequitur, quod non sit de essentia accidentis, sed tantum eadem realiter illi.

Ex his, sit prima Conclusio. Inhærentia, siuè actualis, siuè aptitudinalis, non est de essentia accidentis tam absoluti, quam respectiui. Prima pars probatur de accidente absoluto. Quia nullus respectus est de essentia entis absoluti; sed inhærentia, tam actualis, quam aptitudinalis, sunt respectus; ergo non sunt de essentia accidentis absoluti. Maior patet.

Tum quia prædicamenta sunt impermixta, saltem formaliter; quia vnum non est de ratione formali alterius, ex Philosopho pluribus in locis, sed præcipuè quinto Meth. Tum quia habent diuersas rationes formales, ex Aristotele in prædicamentis, cap. de substantia, & de ad aliquid. Minor est manifesta ex dictis notab. secundo. Secunda pars de accidéte respectiuo probatur. Quia fundamentum respectus, est aliquid præter respectum, ex D. August. septimo de Trinitate, cap. primo, vel sexto, dicente. Omne, quod relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiuo. Sed inhærentia accidentis fundatur in ipso, tamquam respectus in suo fundamento, vt notauimus suprà in secundo notabili; ergo accidens est aliquid, præter talem inhærentiam.

Secunda Conclusio. Inhærentia aptitudinalis, est eadem realiter accidenti. Probatur. Quia nulla aptitudo, seù inclinatio naturalis distinguitur realiter à suo fundamento, cum sequatur naturam eiusdem ab intrinseco, ratione formæ specificæ, eo modo, quo accidentia consequuntur subiecta; sed inhærentia aptitudinalis importat aptitudinem, seù naturalem inclinationem accidentis ad esse in subiecto, ex dictis secundo notabili; ergo est eadem realiter accidenti.

Tertia Conclusio. Inhærentia actualis, est distincta realiter ab accidente. Probatur. Quia illa, quæ ab inuicem separari possunt, distinguuntur realiter; sed inhærentia actualis potest, & de facto separatur ab accidente, ergo. Minor patet. Quia fides docet, accidentia in Sacramento Altaris, esse ibi sine subiecto; ergo. Consequentia probatur. Quia inhærentia actualis, est vnio accidentis ad subiectum; sed talia accidentia non sunt actu vnita subiecto; ergo &c.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Sicut se habet modus per se existendi respectu substantiæ, ità modus existendi in alio respectu accidentis; sed modus per se existendi aptitudinalis, est de essentia substantiæ; ergo & modus essendi aptitudinaliter in alio, est de essentia accidentis. Maior patet. Quia ens diuiditur sufficienter per hos duos modos intrinsecos, scilicet per esse in se, & in alio. Minor probatur. Quia substantia constituitur in esse per hoc esse aptum natum per se existere; ergo & accidens habet constitui per esse in alio; sed principium constitutiuum est de essentia constituti, vt patet de diffinitione; ergo &c.

Respondetur, negando minorem. Nam modus per se existendi, non est de essentia substantiæ; quia cum non dicat realitatem, aut formalitatem, vel potentialem, vel actualem, nequit habere rationem constitutiui, vt docet Scotus, in primo d. 5. q. 1. & Magister Formalitatum eiusdem Scoti, arr. de identitate, & distinctione ex natura rei; siquidem modus intrinsecus, non variat formaliter rem cuius est modus; igitur nec modus essendi in alio habebit constituere essentiam, & quiditatem accidentis.

Obijcies secundo Aristotelem, septimo Meth. t. c. 2. dicentem. Accidentia esse entia, eo quod sunt taliter entis; hoc est, quia inhærent substantiæ: & t. c. 3 subiungit. Nihil enim ipsorum est, nec secundum se aptū natum, nec separari possibile a substantia; siquidem vadens, sedens, & sanans, apparent magis entia; quia est aliquid subiectū ipsis determinatum, scilicet substantia. Deindè subdit. Palā ergo, quia propter eam, & illorum singula sunt. Ex quibus verbis manifestè colligitur de mente Aristotelis, esse accidentia in tantum entia, in quantum inhærent substantiæ; & consequenter inhærentiam esse de quiditate, & essentia accidentium.

Respondetur, quod ly eo quod, positum in prima auctoritate Aristotelis, secundum doctrinam eiusdem, quinto Meth. t. c. 23. dicitur quatuor modis, iuxtà quatuor causas, scilicet efficientem, finalem, materialem, & formalem. Si enim accipiatur, vt denotat causam efficientem, facit sensum, quod accidentia pendent à substantia, vt à causa efficiente. Si verò indicet causam finalem, sensus est, quod accidentium finis su substantia. Si materialem, denotat, accidentia pendere à substantia in ratione substentificationis, seu subsistentiæ à parte rei. Si tandem formalem, indicat, accidentia habere suum esse formale à substantia. Accipiendo ly eò quod, tribus modis prioribus, propositio est vera: quia reuera accidentia pendent à substantia in ratione causæ efficientis, finalis, & materialis. Nec per hoc sequitur, re-

respectum eorumdem ad substantiam in aliquo horum genere, esse de illorum essentia; alioquin non posset inueniri aliquod ens formaliter absolutum, cum omne tale dicat respectum transcendentalem ad aliud, saltem in genere causæ efficientis, & finalis, quod nemo facilè concesserit. Si verò accipiatur vltimo modo, est falsa propositio, cum nullus respectus sit de essentia, seù de ratione formali constitutiua absoluti. Auctoritas Philosophi intelligitur tribus modis prioribus tantum.

Ad aliam auctoritatem, quæ videtur efficacior pro sententia opposita, dico, ibi Philosophum tantum velle, quod accidentia pendeant à substantia in genere causæ efficientis, finalis, & materialis, non autem in genere causæ formalis; & quod in aptitudine nequeant separari à substantia, quod & nos fatemur; secus in actu, cum fides catholica oppositum nos doceat de accidentibus in Sacramento Eucharistiæ.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionem. Si inhærentia actualis non est eadē accidenti, vt puta albedini, cum tamen inhæreat sibi, sequitur inhærere per aliam inhærentiam; sed hoc non est admittendum; ergo. Sequela maioris probatur. Quia inter aliud, & idem, non est medium; ergo si inhæret albedini, & non est idem sibi; ergo per aliam inherentiam inheret. Minor probatur. Quia quærò de illa inhærentia secunda, per quam inhæret prima, si est eadem realiter, vel distincta? Si dicis eadem; ergo & prima erit eadem, cum non sit maior ratio de vna, quam de alia: si autem est distincta, cum, & ipsa inhæreat, sequitur inhærere per aliam, & illa per aliam; & sic vel dabitur processus in infinitum, vel concedendum, quod prima inhærentia sit eadem accidenti.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico cum Scoto loco citato sub lit. I. inhærentiam secundam, esse eamdem realiter cum prima inhærentia, & ibi dari statum; & rationem reddit Doctor, in secundo, d. prima q. 5. lit. M. nimirum, quod illa relatio, cuius fundamentum nequit esse sine termino, est eadem realiter fundamento; vt patet de relatione creaturæ ad Deum; quia creatura nequit esse sine dependentia ad Deum; ideò talis relatio dependentiæ identificatur sibi. Ità in proposito. Cum prima inhærentia nequeat esse sine secunda, per ipsam enim dicitur inhærere albedini; & tàm sine prima, quàm sine secunda queat esse accidens absolutum, nempè albedo; ideò secunda inhærentia identificatur primæ realiter, & neutra albedini.

Obijcies quarto. Si iste respectus inhærētiæ esset distinctus realiter ab accidente; ergo esset posterior ipso; siquidem respectus semper esse debet posterior fundamento; sed hoc nequit admitti in proposito; ergo. Minor probatur. Quia tunc non necessariò penderet accidens à subiecto; sed hoc est contra Philosophum, 7. Meth t. c. 12. ergo. Maior probatur. Quia nullum prius dependet essentialiter, & necessariò à suo posteriori; sed per te accidens est prius illo respectu; ergo non pendet necessariò ab illo; ergo nec à subiecto: quod probatur. Quia accidens non requirit illud subiectum, nisi propter istum respectum; ergo si non necessariò dependet à respectu, nec à subiecto necessariò habebit dependere.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, negatur maior. Ad cuius probationem, concedo, accidens non dependere ab illo respectu, cum sit prius eo; sed nego, quod infertur; quod non dependeat à subiecto; quia potest aliquid dependere à termino respectus, sine dependentia à respectu; vt patet de substantia lapidis, quæ dependet à Deo, vt à causa efficiente, non tamen à relatione dependentiæ, terminata ad Deum. Ad improbationem dico, maiorem esse veram, si ly propter, dicat consecutionem respectu accidentis, non tamen si prioritatem; hoc est dictu; accidens non dependet à subiecto propter ipsum respectum, vt propter causam dependentię, sed vt propter consecutionem; quia ad dependentiam accidentis ad subiectum, sequitur iste respectus inhærentiæ accidentis ad subiectum.

(∴)

TRACTATVS SECVNDVS.

Prædicabilium Porphyrij.

POstquàm enim Porphyrius egit in præcedenti Tractatu de Vniuersalibus, seù Prædicabilibus in particulari, tradendo illorum diffinitiones, diuisiones, ac discrimina inter se, in præsenti, quasi recapitulando prædicta, agit de eisdem comparatiuè ad se inuicem, & ad vniuersale in communi. Et diuiditur in duodecima capita. In quorum primo demonstrat conuenientiam quinque vniuersalium in vniuersali, in eo quod omnia participant eiusdem diffinitionem, scilicet prædicari de pluribus, dùm dicit. Commune quidem omnibus, de pluribus prædicari, quemadmodum dictum est. Ex quibus innotescit nobis ratio, seù diffinitio Vniuersalis in communi, & consequenter ipsum vniuersale; siquidem diffinitio ordinatur relatiuè ad suum diffinitum. Cæterùm, quia non omnia æqualiter participant naturam vniuersalis, seù prædicabilis in communi, subiungit differentiam, dùm dicit; genus, & differentiam æqualiter prædicari de pluribus speciebus, ac earumdem indiuiduis: animal enim dicitur de homine, leone, & equo, & de indiuiduis eorum, scilicet hoc homine, hoc leone, & hoc equo: similiter irrationale, quod est differentia, de leone, & equo, & eorum indiuiduis prædicatur. Species verò, tantum de indiuiduis; vt homo de Petro, & Paulo, ac cæteris. Proprium autem, de specie, & de eius indiuiduis; vt hinnibile de equo, hoc, & illo equo; & tamdem accidens, de pluribus speciebus, & earum indiuiduis; nigrum enim de coruo, & æthiope, hoc coruo, & hoc æthiope; similiter moueri, & quiescere, de homine, leone, ac eorumdem indiuiduis; cùm hac tamen differentia, quod accidentia prius de indiuiduis, & postea de speciebus prædicantur; proprium verò, prius de specie, & posteà de indiuiduis dicitur.

In secundo capite, comparat genus cum differentia, & proponit ea in quibus conueniunt, & per quæ differunt. Siquidem conueniunt, quia differentia continet easdem species potestate, quæ sub genere continentur. Nàm cum differentiæ diuidant adæquatè genus, vt sit bona diuisio, nihil debet contineri sub genere, quin contineatur etiam sub differentijs, & è conuersò. Differunt verò multipliciter; quia genus continet differentias potestate: nam animal, vel est rationale, vel irrationale; at differentia non continet genus; hæ siquidem sunt falsæ formaliter: rationale est animal, irrationale est animal: licet identicè admittantur, propter identitatem realem differentiarum cum suo genere, quod diuidunt. Secundò. Quia genus est prius differentijs saltem natura; nam si interimantur rationale, & irrationale per intellectum, non propterea interimitur animal, cum remaneat substantia animata sensibilis. Tertio differunt. Quia genus in quid, differentia verò in quale quid prædicatur. Quarto tamdem differunt. Quia genus assimilatur materiæ, cum sit in potentia ad species; differentia verò formæ, quia constituit simul cum genere speciem, vt alibi dictum est.

In tertio Capitulo, ponit conuenientiam, & generis, & speciei inter se se. Et primo conueniunt, quia ambo prædicantur de pluribus in quid; & sunt priora ijs, de quibus prædicantur. Quia intellectus potest præscindere genus à suis speciebus, & quamlibet speciem à suis indiuiduis. Ex quo sequitur tertia conuenientia, quod ambo dicantur tota vniuersalia, & potentialia respectu suorum inferiorum; & hæc dicuntur partes subiectiuæ, seù tota actualia; quia continent actu superiora. Differunt

ve-

verò primo, quia genus de pluribus speciebus, & in indiuiduis etiam prædicatur; species verò tantum de indiuiduis. Secundo. Quia genus simul cum differentia, est prius natura specie; siquidem ad positionem hominis, necessariò ponitur animal, & rationale, sed non è conuersò; quia animal potest præscindere à quacumque specie. Tertio. Quia genus vniuocè prædicatur de speciebus, vt animal de homine; & leone, at non è conuerso; valet enim dicere: homo est animal, & substantia sensibilis; sed non è contra; substantia animata sensibilis, seù animal est homo; quia potest esse leo, à quo etiam participatur. Quarto. Quia genus dicitur abundare à specie per continentiam plurium specierum; species verò abundant à genere proprijs differentijs, quas actu continet; homo enim continet animal, & insuper rationale actu; animal autem, licet contineat genera superiora, & sensibile, quo constituitur in esse, non tamen continet actualiter rationale, sed tantum potentia. Quinto tamdem; quia sicut genus numquam fiet species specialissima, sic nec species genus generalissimum; siquidem sicut de ratione speciei est habere genus supra se, & generalissimum caret genere supra se, sequitur species non posse fieri genus generalissimum; ità cum de ratione generis sit habere species sub se, & species specialissima careat speciebus, infertur necessariò, genus non posse euadere speciem specialissimam.

In quarto, recenset communitates, & differentias inter genus, & proprium. Et primo conueniunt; quia sicut ad positionem speciei, ponitur genus necessariò; ita ad positionem speciei, ponitur necessariò proprium; siquidem sicut valet; homo est; ergo animal est; ità sequitur, si homo est; ergo risibile est. Secundo conueniunt; quia sicut genus prædicatur de specie, & eius indiuiduis, ità & proprium; animal enim prædicatur de homine, & eius indiuiduis, quæ sub ipso sunt; ità pariter risibile de illis dicitur. Differunt autem primo. Quia genus est prius proprio; siquidem animal diuiditur prius per rationale, & irrationale, & posteà per risibile, & hinnibile. Secundo. Quia genus de pluribus speciebus prædicatur; proprium verò de vna sola specie dicitur; animal enim est commune ad hominem, & leonem; risibile verò tantum ad homines. Tertio. Quia proprium conuertibiliter prædicatur de specie cuius est, non autem genus de specie; valet enim. Omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo; non autem sic de animali; quia hæc est falsa. Omne animal est homo, vel equus. Quarto. Quia proprium inest omni, soli, & semper; at genus licet insit omni speciei, & semper, cum sit in illis, non tamen vni soli speciei. Quinto. Quia ad negationem generis, remouentur species, & earum propria; quia genera dicunt partem essentiæ specierum, non tamen è conuersò; quia remoto risibili ab homine, non necessariò tollitur animal; quia conseruatur in leone, & equo.

In quinto, comparat genus ad accidens, ponendo conuenientiam, & differentiam eorumdem. Primo ponit conuenientiam. Quia sicut genus prædicatur de pluribus speciebus, vt animal de leone, asino, & boue, ità accidens dicitur de pluribus subiectis specie differentibus; vt nigrum, de specie coruorum, æthiopum, & carbonum; vel moueri, de specie hominis, & leonis. Differunt autem. Quia genus est prius speciebus, de quibus prædicatur; accidentia verò posteriora, siuè sint separabilia, siuè inseparabilia, vt patet. Quia accidentia consequuntur formam, si prouenіant ab intrinseco ratione quantitatis, vel qualitatis. At certum est, causam præcedere effectum. Si verò sint in subiectis ab extrinseco, cum possint ab eis separari, semper sunt posteriora. Secundo differunt. Quia genus participatur æqualiter à speciebus; nam homo, non est magis animal, quam asinus; accidentia verò inæqualiter; quia vnum subiectum est magis album, vel nigrum alio; siquidem accidentia susci-

scipiunt magis, & minus, vel saltem maius, & minus, vt videbimus in sequenti libro Prædicamentorum. Tertio. Quia accidentia prius insunt indiuiduis, & posteà speciebus, & generibus; genus verò prius dicitur de speciebus, & his mediantibus, de indiuiduis. Quarto. Quia genus prædicatur in quid de suis inferioribus; accidens in quale aliquid est; idest accidentaliter: interroganti enim quid est homo? respondetur, animal: at quærenti, qualis est coruus, vel æthiops? respondetur niger: igitur sicut illud prædicatur in quid de homine, ità hoc prædicatur in quale accidentale de coruo, & æthiope.

In sexto, enumerat differentias, quibus vnumquodque Vniuersalium differat ab alterutro. Et quamuis aliqui possent dicere, esse viginti differentias; quia sicut genus differt ab alijs quatuor, & fiunt quatuor comparationes, seù differentiæ, cum vnumquodque possit habere easdem comparationes ad reliqua, dicendum erit, fore viginti; quia quater quinque, faciunt viginti; nihilominus, secundum veritatem, concludendum est, esse tantum decem; quandoquidem comparatio semper fit ad posterius. Cum igitur genus comparetur ad quatuor vniuersalia, scilicet differentiam, speciem, proprium, & accidens, & sint quatuor; differentia autem ad tria; species ad duo; proprium ad vnum; & ad nullum accidens, sequitur esse tantum decem comparationes, tres differentiæ, duas speciei, & vnam proprij, quæ sunt sex; quibus si coniungantur aliæ quatuor generis, completur numerus denarius, secundum quem erunt tantum decem comparationes, seù differentiæ inter omnia, & non amplius.

In septimo, enumerat conuenientias, & differentias, quas habet differentia cum specie, dicens: conuenire in eo, quod æqualiter ambæ participantur ab indiuiduis, de quibus prædicantur; siquidem Petrus est æqualiter homo, & rationalis cum Paulo; quia vnus non est magis homo, aut rationalis altero. Deindè huiusmodi participatio, est sempiterna, ac necessaria; quandoquidem species, & differentia, dicunt totum esse indiuiduorum, & nullum consistere potest sine sua essentia. Differunt autem quadrupliciter. Et primo, quia differentia prædicatur in quale; species verò in quid de indiuiduis. Secundo. Quia differentia sæpè reperitur in pluribus indiuiduis diuersarum specierum; vt quadrupes in leonibus, & equis; species verò, in indiuiduis vnius speciei tantum; vt rationale in hominibus. Tertio. Quia differentia est prior specie per ipsam constituta; quandoquidem ablato homine, non aufertur rationale; quia remanet in Deo, qui & ipse est rationalis, sicut homo. Quarto tandem. Quia vna differentia componitur cum alia differentia ad constituendam vnam, & eamdem speciem; species autem nequit comparari cum alia, vt gignatur tertia species: & probat. Quia mortale, componitur cum rationali ad constituendum hominem; equa autem, vt sic, nequit coniungi cum asino, vt sic, ad gignendam speciem tertiam muli. Et licet talis coniunctio possit reperiri in aliquo indiuiduo, vt in quadam equa cum aliquo asino; negatur tamen coniunctio duarum specierum ad tertiam procreandam.

In octauo capite, comparat differentiam cum proprio, recensendo conuenientias, & differentias inter se. Et primo indicat conuenire; quia ambo æqualiter, & semper participantur à suis inferioribus, de quibus prædicantur, sicut dictum est de specie, ac differentia; siquidem cum proprium sit identificatum realiter speciei; vt risibile homini, & differentia sit eadem formaliter cum specie; vt rationale cum homine, sequitur ambò æqualiter dici, de quibus dicitur homo, & sẽper, ratione identitatis realis ad inuicem, & cum specie. Differunt autem. Quia differentia prædicatur de pluribus differentibus specie; vt rationale de hominibus, & Dijs; proprium verò de vna sola specie, ac eius indiuiduis dicitur; vt risibile de homine, & particularibus sub ipso contentis.

In nono capitulo, comparat differentiam cum accidente. Et primo conueniunt; quia ambo de pluribus prædicantur; vt rationale de hominibus, & Dijs; & nigrum de coruis, æthiope, & carbone. Insuper, differentia

tia semper inest illis, de quibus prædicatur; quia homines semper sunt rationales; ità accidens inseparabile, vt nigrum, inest semper coruis, & æthiopi, ac carboni. Differunt autem tripliciter. Primo. Quia differentia, vt puta rationale, continet hominem, & non continetur ab eo; hoc est potentialiter, tamquam constitutiuum, suum constitutum; quia rationale, constituit hominem, & non constituitur ab eo: accidens verò continet; quia habet plura sub se subiecta, de quibus dicatur: & aliquo modo continetur; quia eiusdem accidentis, possunt esse plura susceptiua, vt plures homines albi, vel rubei. Secundo. Quia differentia non suscipit magis, & minus in illis, de quibus dicitur; non enim Petrus est magis rationalis, quam Paulus: accidens verò suscipit magis, & minus; quia vnum dicitur magis, vel minus calidum, altero. Tertio. Quia in differentijs, non reperitur contrarietas propriè dicta, licet sint oppositæ disparatè; nam rationale, de irrationali prædicari nequit, & è contra; accidentia verò, sunt contraria; vt calidum frigido; humidum sicco; nigrum albo &c.

In decimo capitulo, recenset conuenientias, ac differentias speciei, ac proprij ad inuicem. Primo quidem conueniunt. Quia conuertibiliter de se inuicem prædicantur; nã, omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo. Secundo. Quia æqualiter participantur ab indiuiduis; quia risibile prædicatur de omnibus illis, de quibus prædicatur homo propter identitatem realem, & inseparabilitatem, quam habet cum homine. Differunt autem quadrupliciter. Quia species potest esse species, & genus aliorum; at proprium vnius, impossibile est, vt sit proprium alterius speciei; patet. Quia animal, est species viuentis, & genus hominis, ac leonis; at risibile, quod est proprium hominis nequit esse proprium leonis. Secundo. Quia species, est prior proprio; vt homo, est prior risibili; siquidem causa, est prior effectu: & Petrus non prius est risibilis, quam sit homo. Tertio. Quia species semper actu est in indiuiduis, quia dat illis esse; at proprium non est semper in actu; quia Socrates non semper actu ridet, quamuis sit aptus ridere. Quarto. Quia species prædicatur de pluribus differentibus numero in quid; proprium verò de eisdem, sed in quale conuertibiliter, & inseparabiliter.


In cap. vndecimo, comparat speciem ad accidens. Et primo inquit conuenire ad inuicem. Quia ambo de pluribus prædicantur; vt homo de hominibus; & calidum de diuersis mixtis, scilicet de ligno, lapide, & ferro. Differunt verò quadrupliciter. Primo. Quia species prædicatur in quid de indiuiduis; vt homo de hominibus; accidens verò in quale accidentale de subiectis. Secundo. Quia vnicum indiuiduum, est vnius speciei tantum; vt Petrus est vnius speciei humanæ: at vnum subiectum potest esse plurium accidentium. Tertio. Quia species, cum sit subiectum accidentium etiam inseparabilium, præintelligitur illis; accidentia verò, semper sunt posteriora. Quarto. Species non suscipit magis, & minus in indiuiduis; quia æqualiter participatur ab eis; accidens verò, etiam inseparabile, suscipit magis, & minus in subiectis; nam vnus æthiops, potest esse nigrior altero.

In duodecimo, & vltimo capitulo, comparat proprium ad accidens. Et primo ait, ad inuicem conuenire; quia sicut proprium est inseparabile à suo subiecto, vt risibile ab homine, ità accidens inseparabile, vt albedo à cygno, & nigredo à coruo. Secundo. Quia sicut proprium inest semper, & omni contento sub specie, ità accidens inseparabile inest omni, & semper, contento sub subiecto. Differunt autem tripliciter. Quia proprium inest soli speciei, vt risibile homini; accidens verò inseparabile, pluribus speciebus; vt nigrum coruo, æthiopi, carboni, &c. Secundo. Quia proprium conuertitur cum eo cuius est proprium, & æqualiter participatur ab indiuiduis; vt risibile conuertitur cum homine, & omnes homines sunt æquè risibiles; accidens

dens verò, nec conuertitur cum subiecto, nec æqualiter participatur ab illis de quibus dicitur; non enim valet dicere, Omne nigrum est coruus, vel æthiops, aut carbo: nec similiter participatur à subiectis; quia coruus est nigrior æthiope, & vnus æthiopos nigrior altero. Et hæc de secundo tractatu, & de toto libro Vniuersalium Porphyrij dixisse sufficiat. Possent moueri quæstiones exorientes super diuersis textibus, & maximè. An differentia contineat genus formaliter; & differentia inferior, superiorem; similiter. An genus, & differentia constituant speciem; & quomodo genus habeat rationem materiæ, & differentia formæ. Cæterum, quia partim soluuntur ex dictis, & partim habent pertractari in sequenti libro Prædicamentorum; ideò ad præsens consultò omittuntur, ad alia properantes.

FINIS.

COM-



COMMENTARIA
VNA CVM QVÆSTIONIBVS
Super Aristotelis Cathegorias, seù Prædicamentorum Librum.

Expedito libro Vniuersalium Porphyrij, Aristotelis liber Cathegoriarum, seù Prædicamentorum occurrit explicandus. Quandoquidem, cùm prædicamentum nihil aliud sit, quàm dispositio prædicatorum essentialium, superiorum, atque inferiorum, sub vno quodam genere contentorum, secundum subiectionem, & prædicationem, fas est, vt post tractatum Prædicabilium, horum dispositionem ad inuicem statim subiungamus. Qui, iuxtà omnium Peripateticorum sententiam, diuiditur in tres partes; quarum prima de Antepradicamentis, secunda de Prædicamentis; & tertia de Postprædicamentis inscribitur. Antequam tamen textus expositionem aggrediamur, quasdam quæstiones præambulares, Prædicamentorum doctrinam concernentes expediemus; quibus peractis, facilior erit aditus ad difficiliora tractanda.

De Auctore, Fine, & Intentione huius libri.

QVÆSTIO I.

NOn defuerunt ex Antiquis, vt referunt Conimbricenses in Proemio huius libri, asserentes, hoc opus Cathegoriarum, seù Prædicamentorum, inuentum fuisse ab Archita Tarentino Philosopho, tunc temporis clarissimo, vt facilius rerum omnium posset inuestigare cognitionem. Communiter Scholastici, ipsum Aristoteli adscribunt. Tùm quia in ordine, & stylo scribendi, consonat eiusdem ceteris operibus. Tum etiam, quia, vt refert Miran. dula, lib.4. de Examine veritatis; inquit se vidisse opus Architæ, illudque valdè esse ab hoc diuersum fatetur. Vnde cessante dubitatione Iamblici, quod non sit Architæ, approbatur communis opinio, illud esse Aristotelis; quippèqui videns difficultatem omnium rerum inuestigandi cognitionem, si tales per se, indiscriminatimque considerentur; siquidem sunt ferè infinitæ, eaque de causa impenetrabiles cognitione, ad decem ordines, quas Cathegorias nominauit, eas reduxit, ordinando illas secundum subiectionem, & prædicationem; vt ex conuenientibus veritas; ex repugnantibus, vel saltem disconuenientibus,

tibus, falsitas manifestaretur propositionum, seù enunciationum. Ex quo patet, finem huius operis ordinantis prædicabilia secundum sub, & supra, in eo situm esse, vt quiuis sciat talia ad inuicem componere in propositionibus, & ijs medijs concludere in demonstrationibus. Enim verò, cum iste liber sit de terminis simplicibus, ex quibus conficiuntur propositiones, & ex his syllogismi, opus erat tandem, & ipsos terminos in syllogismos ordinare. His paucis habitis, necessarijs tamen, ad meliorem intelligentiam dicendorum, discutiendæ sunt duæ aliæ quæstiones, totam hanc scientiam in communi concernentes; & primo.

Vtrum Prædicamentum, seù Generalissimum in communi, sit subiectum huius libri?

QVÆSTIO II.

Circa hanc quæstionem, sunt variæ opiniones, vt referunt Doctores, & præcipuè noster Scotus, quæst. 1. 2. & 3. Prædicamentorum. Toletus, & Collegium Conimbricense, in Proemio huius operis.

Prima opinio est Nominalium; qui secuti Alexandrum, Simplicium, & alios Antiquos, dixerunt, voces, de quibus præcipuè hic agit Aristoteles, esse huius libri subiectum.

Secunda, quæ habet pro se Eustratium, Auerrorem, & alios, oppositum omninò asserit, nimirum res, & non voces, esse hic subiectum. Vtrique citant pro se Aristotelem, cap. secundo huius operis.

Tertia verò sententia est Ammonij, Boetij, Toleti, Conimbricensium, Ruuij, & ferè omnium Modernorum in Proemio libri Prædicamentorum, qui putant fas esse mediare inter primam, & secundam opinionem, dicendo, nec voces tantum, nec res solùm, sed res. vt per voces exprimuntur, esse hic subiectum.

Quarta tandem, & vltima, considerans hanc scientiam esse logicalem, & non realem, relictis prioribus, vt à veritate aberrantibus, asseruit, aliquod intentionale esse subiectum. Ita Porphyrius, Scotus, Tataretus, & communiter Scotistæ loco citato. In assignando autem quid sit istud intentionale, non conueniunt; quandoquidem Tataretus, quæstione Præambulari, secundo sciendum &c. putat, tale esse debere vniuersale intentionale, cui competit ista passio, scilicet ordinabilitas in genere secundum sub, & supra; taleque non habere aliud nomen impositum. Doctor autem cum reliquis loco citato docet, huiusmodi intentionale, esse prædicamentum; seù generalissimum pro secunda intentione, ab omnibus abstractum; cui & nos libenter subscribimus.

Pro cuius clariori intelligentia, ac fundamento. Primò notandum est, ex eodem Doctore subtili, q. 2. §. Ad quæstionem &c. quod Prædicamentum, seù Cathegoria, dupliciter accipi potest, scilicet pro prima & pro secunda intentione. Prædicamentum primo modo, adhuc dupliciter consideratur. Vno modo pro quolibet supræmo in vno ordine, quo nil superius datur limitatum; & sic substantia, quantitas, qualitas, &c. dicuntur prædicamenta. Alio modo pro coordinatione, seu dispositione omniũ rerum, quæ ponuntur in vno ordine, vt verbi gratia pro ordinatione omniũ generum, specierum, differentiarum, & passionum, quæ ponuntur in prædicamento substantiæ, vel quantitatis, aut qualitatis. Et sic, prædicamentum est respectus, seu relatio ordinis generum ad species; specierum ad indiuidua, & è conuerso. Prædicamentum secundo modo, scilicet pro secunda intentione, etiam dupliciter sumi potest; vno modo pro generalissimo, attributo cuilibet prædicamento pro prima intentione. Et sic, tot sunt prædicamenta pro secunda intentione, quot sunt pro prima. Alio modo pro generalissimo communi illis decem, ab eisque abstracto per intellectus operationem; & tale dicitur esse hic subiectum.

Secundo notandum, triplex esse subiectum, scilicet prædicationis; vt ens reale in methaphysica; ens rationis in logica; principalitatis; vt substantia in methaphysica, & demonstratio in logica: ac attributionis; vt corpus naturale in physica, & syllogismus in logica. Hic est sermo de subiecto attributionis Ad quod, requiruntur tres conditiones, vt habet Aristoteles, primo Post. & Sco-

& Scotus q. 3. Vniuers. prima quod de ipso præsupponatur quid est,& quia est. Secunda, quod habeat passiones: & tertia quod omnia considerata in scientia, ad ipsum reducantur, vel tamquam principia, vel tamquam partes, vel vt passiones. Si primam conditionem spectemus, prædicamentum, seù generalissimum, est subiectum attributionis huius libri, cum de ipso præsupponatur diffinitio tradita à Porphyrio, tract. primo, cap. 2. & primo Perihermenias, cap. 5. & consequenter quia est, seù existentia suo modo; quia non entis non est diffinitio, neque scientia. Si verò secundã consideremus, etiam ipsa sibi competit; quandoquidem, non habere genus supra, diuidi in species, habere multas species subalternas &c. demonstrantur veluti passiones de quolibet prædicamento, in quantum est generalissimum; quarè primo, & per se competũt generalissimo, seù prædicamento in communi. Si tandem tertiam perspexerimus, manifestum est, generalissimum esse subiectum, cum omnia considerata in hac scientia, habeant attributionem ad ipsum, vel vt genera, vel vt species, vel vt differentiæ, vel vt passiones propriæ, vel suorum inferiorum, vt clariùs patebit ex infra dicendis.

Tertiò notandum est, voces, & res prædicamentales posse dupliciter spectari. Vno modo, in quantum cognoscuntur ab intellectu actu recto, vel reflexo; & sic sunt entia realia, & spectant ad methaphysicam. Alio modo, prout cognoscuntur actu comparatiuo; & sic sunt secundæ intentiones attributæ rebus, vel vocibus cognitis actu recto, vel reflexo. Et sic considerantur à logico; & possunt esse subiectum, non in quantum sunt plures, sed in quantum reducuntur ad vnum commune, saltem per attributionem; quod prædicamentum, seù generalissimum appellatur.

Ex his, sit prima Conclusio. Nequè res, nequè voces, siuè diuisim, siuè coniunctim sumptę, possunt esse subiectum huius scientiæ. Est contra tres priores sententias. Probatur. Quia quodlibet subiectum debet esse vnum, ex Aristotele, primo Post. cap. 23. atqui voces, seù res non sunt vnum; ergo nequeunt esse subiectum. Minor probatur. Quia substantia, quantitas, qualitas, &c. sunt res per easdem voces expressæ; sed tales sunt plures, vt patet; ergo.

Dices. Res, & voces non esse subiectum, si diuisim sumantur; esse tamen, vt vniuntur in vna voce, & in vna re, in communi accepta.

Contra. Quia ens reale nequit esse subiectum scientiæ rationalis, vt patet; sed res, & voces quomodocumque sumantur, vel diuisim, vel coniunctim, sunt entia realia, habentia esse pręter opus intellectus, & ista scientia est rationalis, vt demonstrabitur in sequenti; ergo nullo modo possunt esse hic subiectum.

Secunda Conclusio. Vniuersale ordinabile in genere secundum sub, & supra, non est hic subiectum, sed tantum prædicamentum, seù generalissimum in communi, pro secunda intentione acceptum. Probatur prima pars, contra Tataretum. Quia per vniuersale ordinabile in genere, vel intelligitur aliquod communius, vel minus commune, vel æquè commune cum prædicamento; sed nullum istorum est dicendum; ergo vniuersale ordinabile in genere, non est subiectum. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur. Non potest dici primum, vel secundum; quia subiectum debet esse adæquatum scientiæ, ex tertia conditione; sed quod est communius, vel minus commune prædicamento, non est adæquatum; quia excederet, vel excederetur ab ipsa scientia pręd icamẽtorum; ergo. Siquidem hæc scientia, est tantum scientia prædicamentorum, seù de prædicamentis, vt etiam fatetur ipse Tataretus; ergo si ordinabile in genere, esset communius, vel minus commune prædicamento, excederet, & excederetur; & sic non esset adæquatum huic scientiæ. Nec est dicendum tertium. Quia cum vniuersale ordinabile in genere, esset æque commune cum prædicamento, tunc non esset aliud ab ipso. Vndè sequitur, malè excludi prædicamentum à Tatareto, ab esse subiecti huius scientiæ. Secunda Pars probatur. Quia prædicamentum, seù generalissimum, pro secunda intentione sumptum, habet omnes conditiones requisitas ad esse subiecti, vt probatum est notab. secundo; ergo est hic subiectum. Consequentia patet. Quia nil aliud desiderari potest, quam vt habeat omnes

nes conditiones requisitas ad esse subiecti:

Obijcies primo, pro prima sententia, contra hanc conclusionem. Quia Aristoteles dicit, hunc librum esse de vocibus; ergo voces sunt subiectum. Antecedens probatur. Quia, cap. 2. huius operis dicit. Eorum quæ dicuntur, quędam dicuntur cum complexione, quædam sine complexione. Deinde ibidem enumerando prædicamenta dicit. Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, singulum, aut significat substantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid &c. sed significare cum complexione, aut sine complexione; vel significare substantiam, quantitatem, qualitatem &c. tantum vocibus competit; ergo Aristoteles hic præcipuè agit de vocibus.

Respondetur, Aristotelem hic agere de vocibus, posse dupliciter intelligi. Vno modo per se, & principaliter; alio modo per accidens, & minus principaliter, quatenus videlicet agit de quibusdam, quæ sine vocibus exterius nequeunt demonstrari. Primo modo, non agit hic de vocibus, sed tantum secundo modo; siquidem agit de secundo intellectis, applicatis rebus cognitis actu recto, vel reflexo; quæ cum nequeant exteriùs ostendi sine vocibus, ideò & de illis agit per accidens, & minus principaliter.

Obijcies secundo. In hoc libro agitur de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis; sed talia sunt differentiæ vocis; siquidem vocum, alia est æquiuoca, alia vniuoca, & alia denominatiua, ergo.

Respondetur ex Doctore hic, q. prima Vniuoca, & denominatiua per se primo importare conceptus mentis; ac propterea esse per se differentias conceptuum, per accidens verò, & secundariò dicuntur differentiæ vocum, quæ necessariò requiruntur, vt exprimantur conceptus in mente latentes, vt docet Aristoteles, primo Perihermenias, cap. primo. De Vniuocis, & denominatiuis primo modo consideratis, agitur hic per se, & primariò; secundariò verò, & per accidens pertractatur etiam de vocibus. Vnde non sequitur, voces, & non conceptus esse hic subiectum. Æquiuoca verò sunt per se differentiæ vocis, at de his non agitur per se, sed tantum quatenus opponuntur vniuocis; eiusdem enim facultatis est considerare opposita, vt docet Philosophus, in lib. Topicorum. Ex quo infertur, quod sicut æquiuoca, quæ per se sunt differentiæ vocis, tamen hic per accidens considerantur, itá, & voces expressiuæ conceptuum vniuocorum, & denominatiuorum, habent tantum per accidens considerari in libro prædicamentorum.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram diuersimodè; hoc est, de æquiuocis per accidens; & de vniuocis, & denominatiuis, vt dicunt conceptus mentis per se. Et tunc nego minorem de vniuocis, & denominatiuis, & concedo de æquiuocis. Modo cum talia hic tantum per accidens considerentur, sequitur etiam voces tantum per accidens considerari.

Obijcies tertio. Omne subiectum debet esse scibile; sed prædicamentum non est scibile; ergo nequit esse subiectum. Minor probatur. Omne quod scitur, vel per demonstrationē, vel per diffinitionē scitur, ex Aristotele, primo, & secundo lib. Posteriorum; sed prædicamentum non habet diffinitionē, ergo non est scibile. Minor probatur. Quia diffinitio constat ex genere, & differentia, ex Aristotele, 7. Meth. t. c. 43. sed prædicamentum, cum sit generalissimum, non habet genus, & differentiam, per Porphyrium, cap. de genere, dicentem non posse esse speciem; quod non esset verum, si haberet aliud genus supra se.

Respondetur, negando minorem, quocumque modo sumatur prædicamentum, siuè pro prima, siuè pro secunda intentione. Ad probationem, nego iterum minorē; imò prædicamentum diffinitur, per ens finitum, & modum intrinsecum. Et huiusmodi diffinitio est sufficiēs ad demonstrandas passiones de prædicamento primo intentionaliter accepto; & consequenter ad habendam scientiam de illo. Prædicamentum verò pro secunda intentione, habet diffinitionem propriè dictam, quæ constat ex genere, & differentia; siquidem vniuersale pro secunda intentione est genus; & ly de pluribus differentibus specie, tàm subalterna, quam specialissima, & etiam numero, de quibus dicitur prædicatione signata, est differentia contrahens vniuer-

uersale ad genus generalissimum. Secus est, si sumatur in actu exercito; quia tunc prædicatur de decem generalissimis, vt species specialissima, tamquam de differentibus numero tantum.

Obijcies quarto. Subiectum debet conuenire omni contento in scientia, cuius est subiectum; sed prædicamentum, seu generalissimum, non est huiusmodi; ergo. Maior patet. Quia alioquin non esset adæquatum scientiæ, sed excederetur ab ea. Minor probatur. Quia in hac scientia consideratur indiuiduum, species, genus, differentiæ, passiones specierum; sed falsum est dicere, indiuiduum est generalissimum; species est generalissimum, & sic de cæteris; ergo non conuenit omni contento sub hac scientia.

Respondetur, maiorem esse veram de subiecto prædicationis, non attributionis; quia tale non debet competere cuilibet in scientia considerato, sed sufficit, quod omnia ad ipsum aliquo modo reducantur; modo prędicamentum est subiectum attributionis huius libri prædicamentorum, non verò prædicationis.

Vtrum Scientia Prædicamentorum, pertineat ad Logicam, vel Methaphysicam?

QVÆSTIO III.

QVi dixerunt in præcedenti quæstione, hic Philosophum pręcipuè pertractare de rebus, vt de materia, eius considerationi subiecta, habent pariter dicere in præsenti, considerationem huius scientiæ nullatenus ad logicum pertinere, sed ad Methaphysicum, cuius est considerare res reales. Ità nonnulli ex Recentioribus, præter citatos in præcedenti.

Cæterum, cum visum, & conclusum sit in præcedenti, hic per se non fieri mentionem de rebus, sed de secundis intentionibus ipsis applicatis, consequenter dicendum est, considerationem huius scientiæ, per se spectare ad logicum; per accidens tantum ad Methaphysicum. Hanc communiter tradunt Doctores, quamuis diuersis innitantur fundamentis.

Pro huius intelligentia, ac fundamento. Notandum est, scientiarum alias esse reales, rationales alias. Quæ diuisio intelligenda est de scientia in ordine ad obiecta; quandoquidem, teste Auerroe, tertio de Anima, com. 48 secantur scientiæ, quemadmodum, & res. Quarè illa scientia dicitur hoc modo realis, quæ est de subiecto reali; & illa dicitur rationalis, quæ est de subiecto, quod ens rationis existit. Cùm igitur hæc scientia consideret prædicamenta pro secunda intentione, quarum consideratio ad logicũ spectat; dicendum est, hanc scientiam esse rationalem, non vtique à Methaphysico, sed à logico duntaxat, per se considerandam.

Secundo notandum est. Prædicamentum, siuè pro prima, siuè pro secunda intentione acceptum, posse dupliciter considerari, scilicet per se, & per accidens. Tunc considerantur prædicamenta per se, cum considerantur secundum propriam entitatem naturalem; illa videlicet, prout sunt entia realia; hæc verò, vt sunt entia rationis. Tunc verò considerantur per accidens, quando hæc considerantur propter illa, & è conuerso. Primo modo, ad methaphysicum spectat considerare per se prædicamenta realia, seu pro prima intentione; & ad logicum illa eadem pro secunda intentione; quandoquidem illa circa ens reale, hæc verò circa ens rationis, tamquàm circa propria obiecta, versantur. At secundo modo, prædicamenta pro secunda intentione possunt considerari à Methaphysico, qui considerat quiditates rerum, quatenus, & ipsa habent proprias quiditates, & essentias: & hæc pro prima intentione possunt considerari à logico, quatenus sunt fundamenta generum, specierum, differentiarum, & indiuiduorum, ex quibus coalescunt, & ordinantur secundum subiectionem, & prædicationem. Vndè sequitur, idem posse ad diuersos scientificos spectare, iuxtà diuersam considerationem, vel per se, vel per accidens factam ab intellectu. Quod non obscurè innuitur à Philosopho, quarto Meth. t. c. 5. dum dixit, circa idem laborare Methaphysicum, Dialecticum, ac Sophystam.

Ex his, sit prima conclusio. Si prædicamenta spectentur pro prima intentio-

tione, pertinent per se ad Methaphysicum. Probatur. Quia ad methaphysicum spectat considerare omnia entia realia per se; cum ens reale, vt sic, sit subiectum methaphysicæ; sed prædicamenta pro prima intentione sunt realia, saltem vt reale distinguitur contra ens rationis collatiuum intellectus; ergo eorum consideratio spectat ad Methaphysicum.

Secunda Conclusio. Si verò attendantur pro secunda intentione, eorum consideratio spectat ad logicum. Probatur. Quia ad logicam attinet considerare per se secundas intentiones, virtute sui primi obiecti, ad quod ordinantur; sed prædicamenta, vt sic, sunt secundæ intentiones, cum sint genera generalissima; ergo eorum consideratio, & scientia pertinet ad logicum. Maior est Boetij dicentis, logicam esse de secundis intentionibus applicatis primis.

Obijcies primo, contra secundam conclusionem. Sola methaphysica considerat ens, vt proportionatum obiectum; ergo etiam diuisionem entis; sed talis diuisio est in decem prædicamenta; ergo Methaphysica habet considerare decem prædicamenta.

Respondetur, totum argumentum concludere de ente reali, & de prædicamentis pro prima intentione acceptis; non tamen de ente rationis, & de prædicamentis pro secunda intentione sumptis; quia talia non à methaphysico, sed à logico per se considerantur.

Obijcies secundo. Modi prædicandi, cuiusmodi sunt prædicamenta pro secunda in tentione, summuntur à modis essendi prædicamentorum pro prima intentione; sed modi essendi prædicamentorum pro prima intentione pertinent ad methaphysicum, non ad logicum; ergo & modi prædicandi, seu prædicamenta pro secunda intentione, spectabunt ad Methaphysicum.

Respondetur, minorem esse veram per se, quoad Methaphysicum, per accidēs quo ad logicum; & è conuerso; modi prædicandi per se, pertinent ad logicum, per accidens verò ad methaphysicum; circa idem enim versantur Dialecticus, Methaphysicus, & Sophista; vt habet Phylosophus, quarto Meth. t.c.5.

Obijcies tertio, contra vtramque conclusionem simul. Nulla scientia datur, quæ omnium genera consideret; sed prædicamenta continent res omnium generum; ergo predicamentorum consideratio, ad nullam scientiam determinatam spectat, sed ad quamlibet indifferenter. Maior patet. Alioqin frustra darentur tot diuisiones scientiarum, cum vna sufficeret. Minor etiam. Quia saltem omnia entia creata, finita, & limitata, continentur in prædicamentis.

Respondetur, res, quæ ponuntur in prædicamentis, posse considerari pro prima, & pro secunda intentione. Si considerentur secundo modo, clarum est ex dictis, earum considerationem pertinere ad logicam. Si verò attendantur primo modo, possunt adhuc dupliciter considerari. Vno modo secundum propriam cuiuslibet naturam, & quiditatem: vt substantia, prout substanria; quantitas in ratione quantitatis, & sic de cæteris; & sic, earum consideratio ad nullam scientiam determinatam pertinet, sed ad omnes indistinctè. Alio modo sub ratione entis realis, vt entia sunt; & sic de illis est methaphysica, cuius est considerare omnia realia, vt entia sunt.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram secundum propriam omnium rerum naturam; falsam si spectentur, vt entia sunt, vel realia, vel rationis. Quia priora ad methaphysicam, posteriora ad logicam pertinent, vt dictum est.

DE ANTEPRAEDICAMENTIS. PARS. I.

Ista est prima pars huius libri, in qua Philosopus agit de Antepredicamentis. Quæ sunt quædam documenta necessaria ad cognitionem prædicamentorum habendam à priori. Et sunt tria in generali, scilicet Diffinitio, Diuisio, & Regula; & septem in speciali, scilicet tres diffinitiones, duæ diuisiones, & totidem regulæ: quæ omnia comprehenduntur in primis tribus capitibus.

De

De Aequiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis.

CAPVT I.

HOc primum Caput, in quo Philosophus agit de primo Antepraedicamento, diuiditur in tres partes. In quarum prima tractat de Aequiuocis; & incipit ibi. *Aequiuoca dicuntur &c.* In secunda ponit diffinitionem Vniuocorum; & incipit ibi. *Vniuoca verò dicuntur &c.* In tertia tamdem subinfert diffinitionem Denominatiuorum; & incipit ibi. *Denominatiua verò dicuntur, &c.*

Quoad primam partem, diffinit aequiuoca dicens. *Aequiuoca dicuntur, quorum nomen solum commune est; secundum nomen verò, substantiae ratio diuersa.* Quae diffinitio competit tantum aequiuocis aequiuocatis, & non aequiuocis aequiuocantibus. Quia aequiuoca aequiuocantia, vt diximus in Sumulis, tract. 1. sect. 3. & supra, c. 1. Porphyrij, disp. 2. q. 7. sunt quaedam voces pluribus communes, secundum diuersas significationes. Vt canis, diuersimodè significat animal latrabile, piscem marinum, & sydus caeleste, quae dicuntur canes. Aequiuoca verò aequiuocata, sunt res ipsae diuersimodè per eamdem vocem significatae. Vt sunt canis latrabilis, marinus, & caelestis, quatenus per eamdem vocem importantur.

Aduertendum tamen, quod per rationem substantiae, positam in diffinitione aequiuocorum, & vniuocorum, etiam intelligitur diffinitio quiditatiua, vel conceptus quiditatiuus. Quod additur, propter illa, quae non habent genus, & differentiam, ex quibus coalescit diffinitio quiditatiua. Vt sunt decem praedicamenta pro prima intentione, & ens reale; quae licet non habeant propriè diffinitionē; quandoquidem carent genere, & differentia; habent tamen conceptum quiditatiuum, per quem sufficienter demonstrantur de eis passiones. Ex quibus autem constet iste conceptus quiditatiuus, dicam inferius.

Ex his, habetur clara intelligentia diffinitionis aequiuocorum. Aequiuoca aequiuocata dicuntur illa, quorum solum nomen est commune. Idest, quę habent eamdem vocem communem sibi. Ratio verò substantiae. Idest diffinitio, vel conceptus quiditatiuus, sumptus ab illa voce communi, non est idem, sed omninò diuersus in illis. Vt animal viuum, & animal pictum, dicuntur aequiuoca aequiuocata; siquidem conueniunt in eadem voce animalis; diffinitio tamen animalis, non est eadem in illis. Quia animal viuum, est substantia animata sensibilis; & animal pictum figura quaedam, delineamentis, & coloribus adumbrata; quae sunt valdè diuersa.

Quo ad secundam partem, diffinit Vniuoca dicens. *Vniuoca dicuntur, quorum, & nomen commune est, & secundum nomen, eadem substantiae ratio.* Quę diffinitio conuenit solum Vniuocis vniuocatis, non verò vniuocantibus. Sūt autem Vniuoca Vniuocantia, res quaedam communes pluribus, secundum idem nomen, & eamdem diffinitionem. Vt animal, respectu hominis, & leonis; & quilibet horum, respectu suorum inferiorum. Vniuocata verò, sunt res ipsae importatę ab Vniuocis vniuocantibus, secundum idem nomen, & eamdem diffinitionem. Vt homo, leo, & equus respectu animalis.

Vndè diffinitio Vniuocorum sic est intelligenda. Vniuoca, suple vniuocata, dicuntur illa, quae habent eamdem vocem, & diffinitionem, vel conceptum quiditatiuum, ab illa voce sumptum communem. Vt homo, leo, bos &c. vniuocantur in animali, cum omnia vocentur animalia, & substantiae animatae sensibiles.

Quo ad tertiam partem, ponit diffinitionē denominatiuorum dicens. *Denominatiua verò dicuntur, quaecumque ab aliquo differentia casu secundum nomen habent appellationem; vt à grammatica grammaticus, a fortitudine fortis.*

Vt autem intelligatur de quibus denominatiuis Aristoteles loquatur, aduertendum est, triplicia esse Denominatiua, scilicet secundum vocem, secundum rem, & secundū vocem, & rem simul; de quibus fusius egimus in Summul. tractatu primo, sect. 3. Diffinitio ista intelligitur de denominatiuis se-

eundum vocem, & rem simul, quæ alio nomine dicuntur etiam concreta; quia important formam accidentalem cum concernentia ad subiectum; vt album, dulce, amarum &c.

Secundo sciendum est, in qualibet denominatione tria reperiri, scilicet denominatiuum, denominans, & denominatum; vt in hac denominatione. Petrus est albedine albus. Ly Petrus, est denominatum; albus denominatiuum; & albedo forma, secundum quam fit denominatio, seu denominans. Ex quo sequitur, quod album, & albedo, in duobus conueniunt, & in duobus differunt. Conueniunt primo in significato principali; quia tàm album, quam albedo, significant eamdem formam, quæ dicitur albedo. Secundo conueniunt in principio dictionum. Differunt autem primo, in modo significandi; quia album significat illam formam, quæ est albedo, cum concernentia ad Petrum, vt ad subiectum; albedo verò, eamdem, vt abstrahit à Petro. Secundo differunt in fine dictionis; quia albus terminatur in vs, & albedo, seu ab albedine, in o, vel e. Et hoc est, quod dicit Aristoteles in textu; differre solo differentia casu. Idest sola cadentia, seu terminatione finali.

Ex his, diffinitio sic intelligitur. Denominatiua, idest, concreta, suple secundum rem, & vocem simul; dicuntur illa, quæ conueniunt cum suis denominantibus, scilicet abstractis, in significato principali, & in principio dictionis, seu vocis; & differunt in fine vocis, & in modo significandi: vt à fortitudine fortis; & ab albedine albus denominatur. Et hæc de textu dicta sufficiant; plura enim dedimus in Summulis, loco citato.

DISPVTATIO I.

Vtrum Diffinitiones Aequiuocorum, Vniuocorum, & Denominatiuorum, sint sufficienter assignatæ?

QVÆSTIO I.

PRimo notandum est, duplex esse æquiuocum, & vniuocum, scilicet æquiuocum æquiuocans, & æquiuocum æquiuocatum; & vniuocum vniuocans, ac vniuocum vniuocatum; vt dictum est in textu: vtraque tamẽ dupliciter accipi, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Æquiuocata pro prima intẽtione, sunt res importatæ per eamdem vocem communem, quæ dicitur æquiuocum æquiuocans, diuersis conceptibus. Vt canis lattabilis, marinus, & cælestis, significati ab hac voce canis, secundum diuersas diffinitiones, sumptas ab eadem. Pro secunda intentione verò, sunt diuersi respectus rationis, causati ab intellectu comparante illa tria significata ad eamdem vocem canis, secundum diuersos conceptus. Æquiuocans vero hoc modo, dicit respectum rationis causatum ab opere collatiuo intellectus, comparãtis illam vocem canis, ad illa tria significata, quatenus illa importat diuersis conceptibus. Vniuocum vniuocans, est terminus communis pro prima intentione sumptus, plura importans, secundum idem nomen, & eamdem diffinitionẽ, seu conceptum quiditatiuum; & illa sic importata, dicuntur vniuoca vniuocata pro prima intentione. Vniuocum vniuocans pro secunda intentione, est respectus rationis causatus per opus collatiuum intellectus, comparantis terminũ communem, vt puta animal cognitum, in ordine ad hominem, leonem, & bouem, quatenus illos importat secundum idem nomen, & eamdem diffinitionem animalis. Vniuocata vero hoc modo sumpta, sunt diuersi respectus rationis, causati per opus collatiuum intellectus comparantis, v.g. hominem, leonem, & cætera animalia, quatenus sunt importata ab eadem voce, & diffinitione animalis, s. substantia animata sensibilis. Diffinitiones datæ in textu ab Aristotele, intelliguntur de æquiuocis æquiuocatis; & Vniuocis vniuocatis, pro secunda, & non

non pro prima intentione. Siquidem logicus considerat secundas intentiones applicabiles primis; igitur, & diffinitiones habet tradere pro secunda, & non pro prima intentione.

Secundo notandum est, quod Denominatiua, vt tactum est in expositione textus, sunt triplicia, scilicet secundum nomen tantum; secundum rem, seu significationem tantum; & secundum nomen, & rem, seu significationem simul. Denominatiua secundum vocem, seu nomen tantum, sunt quæ conueniunt in principio vocis, & differunt in fine, diuersa tamen significant; vt studiosus, & studium; quandoquidem studiosus, significat hominem deditum literis; studium verò, exercitium, & laborem in studendo. Denominatiua secundum rem tantum, sũt quę conueniunt in significato principali cũ suis formis denominantibus, non tamen in voce, seu nomine; vt studiosus, & virtus; nã studiosus importat eamdem formam, quã virtus; ille tamen cum inhærentia ad subiectum; hæc vero abstrahendo ab eodem. Denominatiua tandem secundum vocem, & significationem, seu rem simul, sunt illa, quę conueniunt in principio vocis, & in significato principali, & differunt in fine vocis, ac in modo significandi: vt album, & albedo; grammaticus, & grammatica. Et de his solum debet intelligi diffinitio data ab Aristotele in textu, vt ibi notauimus. Hæc autem dupliciter accipiuntur, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Denominatiua primo modo sunt illa, de quibus exemplificauimus. Denominatiua vero secundo modo, sunt respectus rationis causati per opus collatiuum nostri intellectus, denominatiua, seu concreta ad suas formas, siue abstracta comparantis; quatenus conueniunt in principio vocis; & in significato principali, & differunt in fine, ac in modo significandi; vt respectus albi ad albedinem; fortis ad fortitudinem. Et sic debet intelligi diffinitio iam assignata, in quantum denominatiua considerantur a logico.

Tertio notandum, seu potiùs ad memoriam reuocandum, quod cuiuslibet bonæ diffinitionis, assignantur tres conditiones. Prima, quod constet ex genere, & differentia. Secunda, quod competat soli diffinito. Et tertia, quod competat omni contento sub diffinito. Ex quibus licebit mensurare diffinitiones supradictas, an sint bonæ, ac conuenienter assignatæ, vel potius reijciendæ, tamquam insufficientes, ac diminutæ. Omnes igitur habent primam conditionem, cum ibi diffiniantur æquiuoca, vniuoca, & denominatiua pro secunda intentione. Genus in eisdem, est secunda intentio, seu respectus rationis. Differentiæ verò in æquiuocis explicantur per habere eamdem vocem communem, & conceptus diuersos. In vniuocis, conuenire in vnica voce, & conceptu eodem quidditatiuo. In denominatiuis tamdem, per conuenire in significato principali, & in principio dictionis, ac differre in modo significandi, & in fine dictionis. Habent secundam, & tertiam. Quia per easdem diffinitiones diffiniuntur omnia, & sola æquiuoca æquiuocata, vniuoca vniuocata, & denominatiua secundum vocem, & significationem simul pro secunda intentione accepta; vt melius patebit soluendo argumenta in oppositum.

Ex his, sit prima conclusio. Ab Aristotele in textu diffiniuntur æquiuoca æquiuocata, vniuoca vniuocata, & denominatiua secundum vocem, & significationem, pro secunda intentione sumpta dumtaxat. Probatur prima pars de æquiuocis, & vniuocis simul. Quia ibi diffiniuntur illa æquiuoca, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ diuersa; & illa vniuoca, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ eadem; sed talia sunt æquiuocata, & vniuocata respectiuè accepta; ergo. Minor probatur. Quia æquiuoca æquiuocantia, & vniuoca vniuocantia, in quantum talia sunt, non habent aliquid commune, sed ipsa sunt alijs communia; ergo illa, quæ habent, & nomen, & diffinitionem communem, sunt æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata. De denominatiuis probatur eadem prima pars. Quia ibi diffiniuntur denominatiua propriè sumpta; alioquin insufficienter tractasset de denominatiuis; sed talia sunt denominatiua secundum vocem, & significationem simul; quia huiusmodi distinguuntur ab æquiuocis, & vniuocis, vt proba-

bitur inferius; ergo. Secunda pars probatur. Quia taliter diffiniuntur, qualiter considerantur à logico; sed talia considerantur à logico tantum pro secunda intentione per se; siquidem logica, vt sæpiùs diximus cum Boetio, est de secundis intentionibus applicatis primis. Maior patet. Quia modus diffiniendi, sumitur à modo considerandi, ex sexto Meth. t. c. 2. ergo taliter diffiniuntur, qualiter à logico considerantur.

Secunda Conclusio. Diffinitiones supradictæ, sunt conuenienter assignatæ ab Aristotele in textu. Probatur. Quia habent omnes conditiones requisitas ad bonam diffinitionem; ergo sunt conuenienter assignatæ. Minor patet ex not. tertio: habent enim genus, & differentiam; quia diffinita, sunt respectus rationis causati ab opere collatiuo intellectus, comparantis æquiuoca, ad eamdem vocem, & diuersos conceptus; vniuoca, ad eamdem vocem, & eamdem rationem, seu conceptum quiditatiuum; & denominatiua, ad vnitatem vocis in principio, & differentiarum in fine, & ad vnitatem significationis, & diuersitatem in modo significandi. Similiter conueniunt omnibus vniuocis vniuocatis, æquiuocis æquiuocatis, & denominatiuis secundum rem, & vocem simul; & solis illis, vt patebit ex solutione argumentorum; ergo cum habeant omnes conditiones requisitas ad bonas diffinitiones, dicendum est, esse bonas, & conuenienter assignatas ab Aristotele.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Diffinitio est vnius, & non non plurium; sed æquiuoca æquiuocata sunt plura; ergo non benè diffiniuntur.

Respondetur, res diffinibiles esse in duplici differentia; quædam enim sunt absolutæ, vt substantiæ, quantitates, & qualitates; aliæ verò sunt relatiuæ: & hæc sunt adhuc in duplici differentia; quia aliæ dicuntur æquiparantiæ, quæ eodem nomine nominantur; vt simile, dissimile, æquale, inæquale; aliæ verò disquiparātiæ, quæ diuerso nomine nominātur; & hęc sunt duplices. s. suppositionis; vt seruus respectu Domini; filius respectum patris; & superpositionis; vt pater respectu filij, & Dominus respectu serui. Res absolutæ, & relatiuæ disquiparantiæ, cum conueniant in vnica ratione communi, benè possunt diffiniri in ratione vnius, & non possunt diffiniri in plurali; at res relatiuæ æquiparantiæ, cum conueniant solummodo in vnitate vocis, & inter se habeant diuersos conceptus, quorum vnus ordinatur ad alium, & non omnes ad vnum communem, habent notificari in numero plurali, vt docet Aristotel. 5. Meth. t. non habente commentum. Modò, cum æquiuoca æquiuocata, sint relatiua ęquiparantiæ, quia omnia, diuersis conceptibus, æquè vocantur sub vna voce; ideò benè possunt diffiniri in plurali.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram de absolutis, & relatiuis disquiparantiæ; falsam de relatiuis æquiparantiæ; quia talia possunt diffiniri in plurali. Modò, æquiuocata, sunt relatiua æquiparantiæ; & ideò non inconuenit ea diffiniri in plurali numero.

Obijcies secundo. Voces non diffiniuntur; sed ęquiuoca sūt voces; quia dicitur in textu: æquiuoca dicuntur &c. sed dici, competit vocibus; ergo æquiuoca sunt voces; & consequenter non possunt diffiniri.

Respōdetur, negando minorē; siuè sit sermo de æquiuocis æquiuocatis pro prima, siuè pro secunda intētione. Quia hæc, sunt conceptus mentis, fabricati per opus collatiuum intellectus; illa verò sunt conceptus reales, & vtraque rectè diffiniuntur, vt dictum est. Ad probationem dico, quod per ly dicuntur, non intelligitur significantur, quod est proprium vocis, sed concipiuntur, seu sunt; quę optimè competunt rebus, & intentionibus.

Obijcies tertio. Entia per accidēs non diffiniuntur, ex Ph. 6. Meth. sed denominatiua, sunt entia per accidēs, si quidem sunt concreta ex subiecto, & accidēte; ergo; &c.

Respōdetur, minorem, & probationē esse veram, si denominatiua sumantur pro aggregato; quia sic aggregant in se res diuersorum generum, scilicet substantiæ, & accidentium; falsam verò si accipiantur pro formali; quia sic significant formam cum concernentia ad subiectum; album enim significat albedinem, quæ est vnum per se, cum concernentia tamen ad subiectum, quod denominatur album. Primò modo non diffiniuntur, sed benè. Secundò modo, nempè à methaph. pro

primæ

prima intentione, & pro secunda à logico.

Obijcies quartò. Si diffinitio vniuocorum esset bona, sequeretur, omnia æquiuoca fore vniuoca; sed hoc est falsum, quia opponuntur inter se saltem disparatè; ergo. Sequela maioris probatur. Quia omnia æquiuoca vniuocantur in nomine, & diffinitione æquiuocantur; valet .n. dicere: hoc æquiuocum est æquiuocum; istud æquiuocum est æquiuocum; & ambo sunt respectus, seù secundæ intentiones, attributæ æquiuocatis pro prima intentione, cognitis in ordine ad vnam, & eamdem vocem communem; ergo æquiuoca forent vniuoca, quod est omninò falsum.

Respondetur, negando sequelã maioris. Ad probationem dico, hanc propositioné: æquiuocata, sunt vniuocata: posse habere duplicem sensum, scilicet vt quid; & sic est falsa; quia alia est diffinitio æquiuocorum, & alia vniuocorum, vt patet; & alium, vt modus; & sic est vera; quia æquiuoca æquiuocata induunt modum vniuocatorum respectu istius intentionis communis, scilicet æquiuocum, in qua conueniunt. Nec propter hoc tollitur veritas vtriusque diffinitionis; quia vtraque sumitur, vt quid, non vt modus.

Obijcies quintò, contra diffinitioné denominatiuorum. Si talis diffinitio esset bona, sequeretur, quod homo, & animal essēt denominatiua; sed hoc non est dicendum, ergo. Sequela maioris probatur. Quia conueniunt cum suis abstractis in significato principali, & in principio vocis, & differunt in fine, ac in modo significandi; homo enim dicitur ab humanitate, & animal ab animalitate. Minor probatur. Quia denominatiua non sunt vniuoca; sed homo, & animal, sunt vniuoca, ex Phylosopho in textu; ergo. Maior patet. Quia sunt disparata &c.

Respondetur, sequelam maioris esse verã de denominatiuis impropriè dictis, quæ non important formam realiter distinctam à re denominata; falsam de denominatiuis propriè dictis, quæ vltra conuenientiam in significato principali, & in principio vocis, necessariò requirunt formam denominantem, realiter distinctam à re denominata; modo homo, & humanitas cum non distinguantur realiter inter se, nec humanitas ab hoc, vel illo homine denominato, non sunt propriè denominatiua, sicut album, & albedo. Ad minorem dico, denominatiua impropriè dicta, posse esse vniuoca, non verò illa, quæ sunt propriè denominatiua. Modò diffinitio intelligitur de denominatiuis propriè dictis; & sic distinguitur à diffinitione vniuocorum.

Vtrum Analogum mediet inter Aequiuocum, & Vniuocum; vel stet cum vtroque simul?

QVÆSTIO II.

Analogum mediare inter vniuocum, & æquiuocum, sustinet communis opinio, cum D. Tho. prima par. q. 13. art. 6. Auerroe, 4. Meth. com. 2. Alberto Magno, ac alijs antiquis. Ita Caiet. Opusc. de Analogia Nomin. c. 1. 2. & 3. Toletus hic, q. 1. Conimbric ibidem, q. 1. art. 1. & 2. Suarius in Meth. diuersis in locis. Fonseca, 4. Meth. cap. 2. q. 12. sectione prima. Ruuius, Tract. de Analogia, quam libro Prædicamentorum inseruit, cap primo, & cæteri Thomistarum, Albertist. & Auerroistarum.

Oppositum tamen defendit Scotus, in 1. d. 3. q. 3. & dist. 8. q. 3. F. in Vniuersal. q. 7. Et q. 8. Elench. vbi analogiam, partim ad æquiuocationem, & partim ad vniuocationem reducit; sicque asserit, Analogiam non mediare inter vniuocum, & æquiuocum, tamquam membrum ab illis distinctum, sed modò cum vno, interdum cum altero cohærere. Ipsum sequuntur omnes Scotistæ, vt Ant. Andreas, 4. Meth. q. p. Antonius Tromb. ibidem, & cæteri omnes.

Pro intelligentia, & resolutione totius Controuersiæ, primo notandum est; quod præfati Doctores pro prima sententia, ità describunt Analogum, videlicet. Analogum est, quod importat nomen commune analogatis, & conceptum ex parte eundem, & ex parte diuersum ab illis. Itàut analogata conueniant cum æquiuocis, & vniuocis, prout habent idem nomen commune; diuersificentur vero ab vniuocis, quatenus habent conceptum

communem in parte diuersum; ab æquiuocis verò, in quantum ille conceptus non est omninò diuersus ab illis, sed aliquo modo vnus, vel idem. Et sic dicunt, sanum esse analogum animali, vrinæ, dietæ, seù medicinæ; quandoquidem omnia conueniunt in illa voce, sanum; conceptus verò sanitatis, est simpliciter diuersus in illis; quia, vt dicitur de animali, dicitur vt de subiecto sanitatis; de vrina, vt de signo sanitatis; & de dieta, seù medicina, vt de causa ejusdem sanitatis effertur. Cum hac tamen diuersitate stat, talem conceptum esse aliquo modo vnum, scilicet per attributionem vrinæ, & medicinæ ad animal, vt ad illud, quod formaliter participat conceptum sanitatis, & est ratio quare vrina, & medicina eumdem participent. Vndè, talis conceptus sanitatis, dicitur esse vnus, & idem in illis, in quantum omnia participant de illo, licet diuersimodè; quia in animali propriè, & formaliter; in illis verò tantum prout habent attributionem ad animal. Et secundum hoc, distinguunt tres species, seù gradus Analogiæ, scilicet inæqualitatis, attributionis, & proportionis, seù proportionalitatis. Analogia inæqualitatis, reperitur in omnibus generibus respectu suarum specierum, quatenus vna species, ratione perfectioris differentiæ, perfectiùs participat naturam generis; homo enim gratia rationalitatis perfectiori modo participat de animali, quàm leo, & equus. Et hæc analogia vocatur ab illis impropria, cum non distinguatur ab vniuocatione. Analogia verò attributionis, est in illis, quorum est idem commune nomen, eademque ratio, seu conceptus; in vno tamen primariò, & principaliter; in ceteris verò per attributionem ad ipsum. Et hoc modo, sanum, est analogum respectum animalis, vrinæ, & medicinæ, vt dictum est. Analogia tamdem proportionis reperitur in illis, quæ conueniunt in aliqua similitudine, siuè habeant conceptum communem intrinsecè, siuè extrinsecè. Et sic risus, est analogum ad risum hominis verum, & ad florere, seu floriditatem prati; quia conueniunt in similitudine quadam communi, importante conceptum communem, scili. et hilaritatem. Quia, sicut se habet risus hominis ad hilaritatem, ità florere prati; vtrumque enim indicat hilaritatem, & lætitiam in videntibus, ordine tamen quodam; quia ridere, ex se, & formaliter; florere verò, ex assimilatione, quam habet cum ridere, lætitiam, ac hilaritatem significat. Ex his tribus Analogijs, demptis prima, & tertia, tamquam impropriè sumptis; quandoquidem prima cum vniuocatione, tertia verò cum æquiuocatione cohæret; secundā tantum approbant pro vera analogia, & hanc dicunt mediare inter vniuocationem, & æquiuocationem.

Secundo notandum est, pro declaratione nostræ sententiæ, duplex esse æquiuocum, scilicet à casu, & à consilio; seu purum, & analogum. Equiuocum à casu, est vox plura importans æqualiter secundum idem nomen, & diuersam rationem: vt canis, respectu canis latrabilis, marini, & cælestis. Et dicitur tale æquiuocum purum, idest nulla analogia admixtum; quia æquiuocata æqualiter cadunt ab illa voce, canis. Equiuocum verò à consilio, seù analogum, est duplex, scilicet ex impositione primaria, & ex similitudine, seù methaphora. Equiuocum ex impositione primaria, est vox plura importans, vnum tamen per prius, & reliquum per posterius, diuersis conceptibus: vt sanum, respectu animalis, vrinæ, & medicinæ. Nam per prius de animali, & posterius de medicina, & tamdem de vrina dicitur. Et hoc æquiuocum, est analogum attributionis. Æquiuocum verò ex similitudine, seù methaphora, est vox plura importans secundum idem nomen, & diuersam significationem; vnum ex impositione primaria, aliud vero ex similitudine, seù methaphora in illo reperta cum primo. Et sic risus, seu ridere, æquiuocatur cum florere, propter similitudinem, quam habet cum illo. Nàm, sicut ridere indicat lætitiam, ac hilaritatem cordis in ridente, ita florere in vidente. Et hoc æquiuocum, est idem cum analogo proportionis, seù proportionalitatis. Ex quo sequitur, quod, cum analogum attributionis stet cum æquiuoco à consilio, ex impositione primaria, & analogum proportionis cum æquiuoco ex similitudine, seù methaphora, nullo modo posset dici ipsum mediare inter vniuocum, & æquiuocum.

Ter-

Tertio notandum est, ex Doct. Subt. in Prologo sent. q. 4. lit. G. & in primo sent. d. 3. q. 3. lit. Q. Vniuocationis methaphysicæ quatuor esse gradus. Primus reperitur in eo, quod est in inferioribus, secundum eamdem diffinitionem, seu conceptum quiditatiuum, secundum essendi modum, scilicet finitum, vel infinitum; limitatum, vel illimitatum; & secundum eumdem ordinem essentialem; ità quod non per prius in vno, & per posterius in alio; & tamdem secundum eumdem perfectionis gradum, itaut, non sit perfectius in vno, quam in alio. Et hoc modo, vel gradu, sola species specialissima est vniuoca; quandoquidem homo importat eamdem diffinitionem cōmunem omnibus hominibus, modo finito, ac limitato, non per prius vni, quam alteri; neque secundum ipsam, perfectiori modo est in vno indiuiduo, quam in alio. Secundus gradus reperitur in omni eo, quod habet quidem eamdem rationem communem, eumdem essendi modum, & eumdem ordinem essentialem in suis inferioribus, non tamen obtinet vnitatem gradus perfectionis, cum ratione alicuius adiuncti, perfectius reperiatur in vno, quam in alio. Et secundum istum gradum, quodlibet genus est vniuocum ad suas species; vt animal ad hominem, leonem, bouem &c. Nam diffinitio animalis, reperitur in omnibus modo finito, non per prius in vno quam in alio; cæterum, ratione vnius differentiæ, scilicet rationalis, quo descendit in hominem, dicitur perfectius esse in illo, quam in alijs; quia virtute rationalis, homo dicitur perfectissimus omnium animalium. Et hic gradus, est idem cum analogia inæqualitatis. Tertius reperitur in omni eo, quod habet vnitatem diffinitionis, modū essendi, non tamen ordinis essentialis, nec gradus perfectionis; per prius enim descendit in vnum, quàm in aliud, & perfectiori modo reperitur in illo, quam in isto, ratione alicuius adiuncti. Quo gradu dicimus, numerum esse vniuocum binario, ternario, quaternario, & cæteris; cum secundum eamdem diffinitionem, & modum essendi finitum, reperiatur in illis; tamen per prius, est in binario, quam internario; sed in hoc, perfectiori modo, ratione illius tertiæ vnitatis adiunctæ. Quartus tamdem gradus, reperitur in eo dumtaxat, quod habet eamdem diffinitionem communem suis inferioribus, non tamen eumdem modum essendi, nec eumdem ordinem essentialem, gradumuè perfectionis eumdem. Et sic ens reale, vt sic, est vniuocum Deo, & creaturis, substantiæ, & accidentibus. Quia quàmuis importet eumdem conceptum communem illis, non tamen eumdem modum essendi; quia in Deo est modo infinito, in creaturis finito, & dependenter à Deo; similiter in substantia, est ens per se, in accidente verò ens in alio: & in Deo prius est, perfectiorique modo, quàm in creaturis; non ex se, sed ratione infinitatis, per quam in ipsum descendit. Ex his colligitur, quod vniuocatio vera, saluatur in quolibet gradu, non tamen perfectio eiusdem; quandoquidem in quarto, saluatur tantum gradus, seù ratio vniuocationis; in secundo, & tertio additur sibi ratio perfectionis, & ordinis essentialis; in primo verò, reperitur perfectissima ratio vniuocationis; quia continet vnitatem conceptus, modi essendi, ordinis essentialis, & gradus perfectionis.

Quarto notandum est, inter vniuocum, & æquiuocum non dari medium. Quandoquidem nihil mediat inter contradictoria, vt docet Aristoteles, in Elenchis, cap. de fallacia syllogismi Elenchi. Et quarto Methaph. cap. 4. atqui æquiuocum, & vniuocum, sunt contradictoria; tum quia vnum, & multa sunt contradictoria; tum etiam, quia idem, & diuersum contradicunt; sed vniuocatio dicit vnitatem, & identitatem conceptus; æquiuocatio verò multiplicitatem, & diuersitatem conceptus, vt colligitur expresse ex suis diffinitionibus; igitur dicendum est, nihil mediarè inter illa. Quarè analoga, à Recentioribus ditata nimis; aut cum equiuocis, si plura significauerint sub vno nomine, ac diuersis conceptibus; aut cum vniuocis, si plura importauerint secundum idem nomen, & eumdem conceptum, licet vnum per prius, & reliquum per posterius, aut vnum perfectiori modo, quàm reliquum; hærere possunt, absque hoc, quod multiplicetur tertium membrum absque necessitate.

Ex

Ex his, sit prima conclusio. Analoga inæqualitatis, non distinguuntur ab vniuocis in secundo gradu. Est Scoti, in primo, d. 3. quæst. 3. Q. Probatur primò. Quia analoga inæqualitatis, important plura secundum idem nomen, eumdē conceptum, participatum tam perfectiori modo ab vno, quam ab alio; sed taliter se habent etiam vniuoca in secundo gradu vniuocationis, vt patet ex Not. 3. ergo &c. Maior patet ex descriptione analogiæ inæqualitatis, posita primo Not. Secūdo probatur. Quia si talia analoga essent distincta ab vniuocis, nullum genus esset vniuocum ad suas species; sed hoc est falsum, & contra Aristotelem, 7. Phisicorum, t. 24. & 10. meth. t. 2. & sequentibus, in quibus locis ponit ordinem essentialem, & comparationem inter species eiusdem generis; atqui omnis comparatio fit in vniuoco, ex eodem Aristotele loco primo citato; ergo. Sequela maioris probatur. Quia in specie cuiuslibet generis, est inæqualitas in gradu perfectionis, ratione alicuius adiuncti; quandoquidem homo ratione suę differentiæ, est perfectior Leone, equo, asino &c. quæ sunt irrationalia.

Secunda conclusio. Analoga attributionis, aliquando cum vniuocis in quarto gradu, aliquando cum æquiuocis à consilio ex impositione vocis cohærere possunt. Prima pars est Scoti, in 1. d. 8. q. 3. F. & dist. 3. q. 2. & 3. Q. Secunda pars est eiusdem, primo loco citato; vbi vult, quod licet cum vnitate vniuocationis possit stare vnitas attributionis, non tamen hæc arguit illam. Ex quo habetur, quod possit reperiri distincta ab vnitate vniuocationis; & sic consequenter iuncta æquiuocationi. Probatur prima pars. Quia ad vniuoca in quarto gradu, sufficit vnitas conceptus in suis inferioribus, licet varietur modus essendi, ordo essentialis, & gradus perfectionis, vt dictum est not. 3. Sed talia requiruntur etiam ad analoga attributionis, vt patet ex diffinitione tradita primo Not. de mente aduersariorum; ergo &c. Secundò probatur. Attributio non tollit vniuocationem, in quarto gradu saltem; ergo analoga attributionis possunt stare cum vniuocis in quarto gradu. Antecedens probatur. Tùm quia Aristoteles, 10. Meth. t. c. 2. ponit ordinem essentialem inter species eiusdem generis, quod etiam secundum aduersarios est vniuocum. Tum etiam, quia de ratione vniuocationis est vnitas nominis, & conceptus ab illo nomine sumpti, ex Aristotele in Antepredicamentis, cap. primo; sed in attributione saluatur idem nomen, & conceptus obiectiuus, etiam secundum Doctores oppositæ sententiæ; ergo attributio non tollit vniuocationem. Cōsequentia patet. Quia nihil aliud obstat, quo minus possint analoga cohærere vniuocis, saltem in quarto gradu. Secunda pars probatur. Quia æquiuoca à consilio ex impositione sunt, quæ important plura secundum idem nomen, & diuersum conceptum, non æquè primo, sed vnum per prius, & reliquum per posterius; at quædam analoga attributionis sunt huiusmodi; ergo. Minor probatur. Quia sanum dicitur analogicè de animali, vrina, & medicina per attributionem duorum posteriorum ad primum, ex sententia aduersariorum; sed sanum dicitur de illis secundum idem nomen, & diuersos conceptus; ergo etiam æquiuocè. Minor probatur. De animali dicitur, vt de subiecto sanitatis; de vrina, vt de signo; & de medicina, vt de causa eiusdem sanitatis; sed clarum est, hos esse conceptus diuersos; ergo. Secundo probatur. Quæcunque cadunt sub eadem diffinitione, non distinguntur; sed analoga attributionis cadunt sub diffinitione æquiuocorum à consilio ex impositione vocis; ergo non differunt, sed reducuntur ad illa. Minor est Boetij, in prima editione super prædicamenta, cap. primo dicentis: analoga attributionis, & secundum similitudinem, cadere sub diffinitione ęquiuocorum à consilio; ergo &c.

Tertia conclusio. Analoga secundum proportionem, seù proportionalitatem, reducuntur ad æquiuoca secundum similitudinem. Ita Aristoteles, primo Elenchorum, cap. 2. Boetius loco proximè citato. Doctor subt. q. 15. in lib. Elench. & etiam multi ex aduersarijs. Probatur primo ex Ph. loco citato, qui numerans duos modos æquiuocationis, dicit. Primum esse, quando idem terminus principaliter plura significat: & exemplificat de hac voce, discere, quæ est communis ęquiuocè ad doctrinam dare, & recipere. Secundum

dum verò esse, quādo idem terminus principaliter vnum significat, & aliud per similitudinem, seù methaphoram: & ponit exemplum de ridere, quod principaliter significat risum ab ore emittere, & per trāslationem, seù metaphoram, importat florere pratis. Sed æquiuocatio secūdo modo, est eadem omninò, quod analogia proportionis, seù proportionalitatis, vt patet ex sua diffinitione posita in notab. primo; ergo. Confirmatur. Quia analoga proportionis conueniunt in diffinitione cum æquiuocis à consilio, secundum similitudinem, seù methaphoram, teste Boetio in citato loco; ergo ab illis non differunt. Consequentia patet per locum à diffinitione ad diffinitum. Tum quia, diffinitio explicat quiditatem rei; sed quæ habent eamdem diffinitionem, habent eamdem quiditatem; ergo cum analoga, & æquiuoca hoc modo accepta, habeant eamdem diffinitionem, habebunt eamdem quiditatem, & consequenter nec formaliter differunt inter se.

Quarta Conclusio. Analoga quæcumquè, non mediant inter vniuoca, & æquiuoca. Hæc conclusio est directè resolutiua quæstionis; & defenditur à Doctore subtili, & Boetio in citatis locis. Et quāmuis satis probata sit ex præcedentibus, tamen adhuc probatur directè, & primo sic. Quia inter contradictoria non datur medium, ex Aristotele, primo Poster. t.c. 5. & quarto Meth. cap. 2. 3. & 4. Sed & æquiuoca, & vniuoca sunt contradictoria; ergo. Minor probatur. Quia significare eamdem rationem communem pluribus, & non eamdem, sed diuersam, sunt contradictoria; sed vniuoca significant eamdem rationem communem pluribus, & æquiuoca diuersam rationem communem pluribus, ex diffinitionibus eorumdem; ergo. Confirmatur. Quia inter vnum, & multa; idem, & diuersum non cadit medium, cum sint contradictoria; sed vniuoca dicunt vnitatem, & identitatem conceptus ad plura, æquiuoca verò multiplicitatem, & diuersitatem conceptus, ex Aristotele hic, cap. primo; ergo inter illa non mediant analoga. Sed si habeant rationem communem analogatis, sunt vniuoca; sin autem diuersam, erunt æquiuoca; & sic nullo pacto dicuntur mediare inter illa, tamquam tertium membrum ab ipsis distinctum.

Obijcies primo, contra secundam conclusionem. Sola attributio tollit vniuocationem; sed attributio facit nomen analogum; ergo analogum attributionis non stat cum vniuocatione. Maior probatur. Quia vniuoca dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ omninò eadem. Sed attributio facit, vt non sit omninò eadem, nec æqualiter participetur ab omnibus inferioribus, imò prius ab vno, & posteà ab alijs, cum dependentia ad illud primum; ergo sola attributio tollit vniuocationem.

Respondetur primo, maiorem esse veram de vniuocatione in primo gradu, quæ excludit quemcumquè ordinem essentialem inter vniuocata; non tamen de vniuocatione in tertio, & quarto gradu. Quia talis reperitur etiam in essentialiter ordinatis, & vbi est attributio vnius ad aliud. Ad probationem dico, in diffinitione vniuocorum non poni illam dictionem, omninò, sed tantum habetur. Ratio substantiæ est eadem. Ad denotandum, quòd illa diffinitio, non tantum comprǣhendit vniuoca in primo gradu, sed etiam in secundo, & tertio, in quibus reperitur eadem substantiæ ratio, licet diuersimodè, vt iam dictum est notab. tertio. Ex quo patet, maioris probationem esse falsam, cum attributio non semper tollat vniuocationem, seù eamdem rationem communem inferioribus, sed tantum eumdem ordinem essentialem, & eumdem gradum perfectionis, quæ non impediunt vniuocationem in tertio, & quarto gradu; hoc est, methaphysicam; sed tantum in primo gradu, & physicam.

Vel dicendum secundò, negando maiorem. Ad probationem dico, minorem esse veram de attributione plurium ad vnum tertium, vt est attributio vrinæ, & medicinæ ad animal sanum; qnia talis, cum importet diuersos conceptus, licet ordinatos ad inuicem secundum attributionem, opponitur vniuocationi, & stat cum æquiuocatione à consilio; non tamen loquendo de attributione vnius ad aliud, vt posterioris ad prius; sicut est attributio creaturæ ad Deum, & accidentis ad substantiam; quandoquidem, cum à talibus abstrahatur vnus conceptus communis, attributio in illis non

non tollit vniuocationem methaphysicam, sed stat cum illa, vt sepiùs dictum est.

Obijcies secundo. Quod importat diuersos conceptus, & non æquiuocè, mediat inter æquiuoca, & vniuoca; sed analogum est huiusmodi; ergo. Maior patet. Quia vniuocum importat vnum conceptum communem pluribus, & æquiuocum diuersos conceptus; ergo si datur aliquod, quod imporret diuersos conceptus, & non æquiuocè, necesse est huiusmodi mediare inter vniuocum, & æquiuocum. Minor probatur. Nam Phylosophus, quarto Meth. t. c. 2. volens ostendere modum prædicandi entis de omnibus entibus, dicit. Ens multipliciter dicitur, & non equiuocè, sed attribuitur vni naturæ; hoc est dicere. Ens est analogum; igitur si analogum, ex sententia Pphylosophi, importat diuersos conceptus, & non æquiuocè, nec vniuocè; alioquin non diuersos, sed vnum conceptum diceret; sequitur non esse aliquod illorum, sed medium inter vtrumque.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico cum Doctore subtili super eodem textu Aristotelis, 4. Methaphysicæ. Ens dici multipliciter multiplicitate suppositorum ordinatorum ad inuicem secundum attributionem posterioris ad prius; quæ compatitur secum vniuocationem methaphysicam, seu in quarto gradu; non tamen multiplicitate significatorum, seu conceptuum formalium; quia talis opponitur vniuocationi, & analogiæ, secundum attributionem posterioris ad prius, & stat cum æquiuocatione quacumque; alioquin ens diceretur æquiuocè, quod esset contra intentionem Aristotelis ibidem. Hanc autem esse mentem Aristotelis, clariùs demonstrabimus in sequenti quæstione, in qua de vniuocatione Entis erit sermo.

Vtrum Ens reale sit Vniuocum Deo, & Creaturæ, & omnibus decem Prædicamentis?

QVÆSTIO III.

Circa hanc celeberrimam Controuersiam, quam ferè omnes Antiqui pertractant, in 4. Methaphysicæ, occurrit triplex sententia; quandoquidem aliqui dicunt, ens reale esse æquiuocum ad Deum, & Creaturas, & decem Prædicamenta. Ita Porphyrius in Prædicab. cap. 3. de specie. Aureolus, in primo sent. d. 2. q. 1. & alij pauci.

Alij verò asserunt, ens reale nullo modo esse æquiuocum, vel vniuocum, sed analogum. Fundanturque in diuersis auctoritatibus Aristotelis, & præcipuè in quarto Methaphysicæ t. c. 2. citato in præcedenti, vbi inquit. Ens multipliciter dici, & non æquiuocè, sed ad vnum. Vbi satis liquet, per ly multipliciter, excludere vniuocationem; & æquiuocationem per ly non æquiuocè; per ly autem ad vnum, affirmare esse analogum. Ità Auerroes, quarto Methaphysicæ, com. 2. Quem secuti sunt Alexander, & D. Tho. ibidem, Albert. & Ammonius in cap. de specie: aut in Prædicam. cap. primo cæteri Antiqui. Ex Recentioribus verò Suarius, tomo primo in Methaph. disput. 2. sect. 1. & 2. & Tomo secundo pluribus in locis. Ruuius, Tractat. de Analogia. Fonseca, 4. Methaphysicæ, cap. q. 1. sect. 5. Conimbr. hic, q. 1. art. primo, & secundo, & alij multi.

Alij verò, rem subtiliùs indagantes, dicunt vtique ens esse analogum; at cum hoc etiam asserunt esse vniuocum Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidentibus, cum ab illis abstrahi possit vnicus conceptus prædicabilis de illis vniuocè. Ita Auicennas, lib. primo suæ Methaphysicæ, cap. 2. & quinto. Scotus, in primo, dist. 3. q. 2. B. Et q. 3. F. & dist. 8. q. 3. §. contra istam positionem. Et q. 21. de Anima. Vbi, & Doctiss. Pater Hugo Cauellus Magister meus, annot. 2. Quamuis, quarto meth. q. 1. videatur tenere oppositum, cum soluat rationes Auicennæ pro vniuocatione factas. Cæterum, quia in solutione tertij argumenti hæret in dubijs, impugnando responsionē à se datā, quam, & insolutam reliquit, concludendum est potius vniuocationi, quam analogiæ fauere velit. Doctorem Subtilem sequuntur omnes eius discipuli, tùm Antiqui, tum moderni; vt Antonius Andreas, & Trombeta, quarto Meth q. prima, & secunda. Tatar. in lib. Prædicab. cap. de specie, q. vn. Faber in Philosoph. Naturali, Theor. 88. 95. & 96. Et 4. Methaphysicæ, disput. 1. & alij plurimi, quos citat, & sequitur Mastrius,

ſtrius, tomo primo in Methaph. diſput. 2. q. 5. art. primo, numero 112. non tantum ex Scotiſtis, ſed etiam ex exteris, & potiſſimum Soc. Ieſù.

Pro reſolutione totius quæſtionis, præter ea, quæ diximus in præcedenti primo notabili, memoriæ recolendum id, quod diximus in Tract. ſecund. Intentionum, ſect. prima, c. primo, nimirum. Ens tranſcendentiſſimè ſumptum diuidi communiter in ens reale, & ens rationis, tamquam æquiuocum in ſua æquiuocata. Ens verò reale, vt ad præſens attinet, diuiditur in finitum, & infinitum. Ens finitum, vt creaturæ omnes, tùm ſpirituales, tum corporeæ, & cætera quæ in decem Prædicamentis continentur. Infinitum, vt Deus, & cætera, quæ de Deo dicuntur formaliter, ſcilicet Eſſentia, Exiſtentia, Trinitas perſonarũ. Attributa diuina, ſcilicet Bonitas, Miſericordia, Iuſtitia, Potẽtia, Sapiẽtia, &c. Ens finitum ſubdiuiditur, in abſolutum, & reſpectiuum. Abſolutum, continet ſub ſe omnes ſubſtantias corporeas, & incorporeas, omnes quantitates continuas, & diſcretas, & omnes qualitates naturales, & ſupernaturales, tàm ſpirituales, quàm corporales. Reſpectiuum verò, compræhendit omnes relationes prædicamentales, tùm intrinſecus, tum extrinſecus aduenientes; de quibus omnibus, ſuis in locis dicturi ſumus. Et hæc diuiſio, eſt vniuoci analogi in ſua vniuocata analogata; ſiquidem hæc omnia importat ſecundum eumdem conceptum entitatis, non æqualiter, ſed vnum per priùs, & reliquum per poſterius; prius enim deſcendit in Deum, & poſteà in creaturas: ſimiliter priùs in ſubſtantias, quam in accidentia, vt diximus in præcedenti not. tertio.

Secundo notandum eſt, quod ſicut genus deſcendit in ſpecies per differentias conſtitutiuas earum; vt animal per rationale in hominem, & per irrationale in brutum; ità ens deſcendit in omnia entia per quædam contrahentia, quæ appellantur modi intrinſeci, gerentes vicem in hoc differentiarum; ſiquidem per infinitum deſcendit in Deum, & in omnia, quæ formaliter dicuntur de Deo: & per finitum, in omnes creaturas, tum ſpirituales, tum corporeas. Similiter ens finitum, deſcendit in abſolutum per eſſe ad ſe, & in reſpectiuum per eſſe ad aliud, tamquam per ſuos modos intrinſecos. Vel meliùs poteſt dici, nè multiplicentur tot diuiſiones ſine neceſſitate; ens finitum immediatè deſcendere in decem prædicamenta per ſuos modos intrinſecos nobis innominatos; qui tamen ſupplentur per hos duos, ſcilicet in ſe, & in alio; nam in ſe, contrahit ens ad ſubſtantiam; & in alio, ad reliqua nouem prædicamenta. Ex quibus ſequitur primo, quod ſicut in habentibus genus, & differentiam, conceptus illorum conſtant ex genere, & differentia; ita in non habentibus, coaleſcunt ex ente, & modo intrinſeco: vt conceptus Dei, ex ente, & infinitate; creaturæ, ex eodem ente, & finitate; ſubſtantiæ, ex ente, & eſſe in ſe; & accidentis, ex ente, & eſſe in alio. Secundo ſequitur, quod ſicut in habentibus genus, & differentiam, demonſtrantur paſſiones de ſubiectis per eorum diffinitiones, ità in non habentibus, oſtenduntur per conceptus quiditatiuos, ſupplentes vices diffinitionum, paſſiones, ſeù quaſi paſſiones eorum; nam per ens infinitum, demonſtrantur aliquo modo attributa diuina, quæ ſunt, quaſi paſſiones Dei; & per ens finitum, demonſtrantur paſſiones de creatura; per eſſe in ſe, de ſubſtantia; & per eſſe in alio, de accidentibus.

Tertio notandum eſt, duplex eſſe vniuocum, ſcilicet eſſentiale, & denominatiuum, ſeu quiditatiuum, & identicum. Vniuocum eſſentiale, & quiditatiuum eſt illud, quod plura importat ſecundum vnum, & eumdem conceptum in illis incluſum; vt eſt animal reſpectu omnium animalium. Vniuocum verò denominatiuum, ſeù identicum eſt, quod importat plura ſecundum vnum, & eumdem conceptum, non tamen incluſum in ſuis vniuocatis. Et ſic album, & quodlibet denominatiuum, dicitur vniuocum reſpectu ſuorum denominatorum, cum dicatur de illis ſecundum eumdem conceptum albedinis, non tamen incluſum in illis. Si ſumatur vniuocum primo modo, ens reale eſt vniuocum ad Deum, eius attributa, & ad decẽ prędicamenta, ſ. ad genera, ſpecies, indiuidua; ad differentias eſsẽtia-

les

les non vltimas, & ad materiam, & formam; quia prædicatur de omnibus his secundum vnitatem conceptus inclusi essentialiter, & quidditatiuè in illis. Si verò accipiatur vniuocum secundo modo, est vniuocum etiam ad suas passiones, & passiones suorum inferiorum; ad vltimas differentias, modos intrinsecos, & ad differentias indiuiduales; quia non prædicatur de illis quidditatiuè, sed tantum denominatiuè, vel identicè, pro quanto identificantur realiter cum illis entibus, in quibus essentialiter includitur.

Quarto notandum est, vniuocationem, & æquiuocationem esse duplicem, scilicet logicam, & methaphysicam. Illud est vniuocum logicè, quod prædicatur de pluribus secundum vnitatem conceptus, sub ratione tamen alicuius quinque vniuersalium, scilicet generis, speciei, differentiæ, proprij, & accidentis. Et sic ens non est vniuocum, sed æquiuocum; quia cum sit illimitatum ad omnia, non prædicatur de illis sub ratione alicuius quinque vniuersalium. Illud verò est vniuocum methaphysicè, quod prædicatur de pluribus secundum vnitatem conceptus, non tamen sub ratione alicuius quinque vniuersalium; & per oppositum, æquiuocum methaphysicum, quod plura importat secundum diuersos conceptus. Et hoc modo, ens reale est vniuocum; quia importat omnia entia secundum vnitatem conceptus, vel essentialiter, vel identicè, aut denominatiuè, vt dictum est in præcedenti notabili.

Ex his, sit prima conclusio. Ens reale non est æquiuocum methaphysicè, sed benè logicè. Prima pars probabitur in sequenti conclusione. Secunda pars in præsenti probatur. Quia id, quod prædicatur de pluribus & non sub ratione alicuius vniuersalis, est æquiuocum logicè, sed ens est huiusmodi, ergo. Maior patet ex quarto not. Minor similiter. Quia nec sub ratione generis, vel speciei, aut differentię, aut proprij, vel accidentis, cum talia sint limitata, ens verò illimitatum ad omnia entia.

Secunda Conclusio. Ens est vniuocum methaphysicè respectu Dei, & creaturæ, substantiæ & accidentis. Probatur primo sic à Doctore. Omnis intellectus certus de vno, & dubius de duobus, habet conceptum de quo est certus, distinctus à conceptibus de quibus est dubius; sed intellectus viatoris, est certus de aliquo, quod sit ens, dubitans an sit Deus, vel creatura, substantia, aut accidens; ergo habet conceptum entis, præcisum à conceptibus Dei, & creaturæ, substantiæ & accidentis; & consequenter vniuocum; alioquin non esset præcisus; siquidem æquiuocum, & analogum non dicunt conceptum præcisum ab æquiuocatis, & analogatis, sed in illis confusum. Maior probatur. Quia implicat, eumdem conceptum esse certum, & dubium; ergo si intellectus est certus de aliquo, quod sit ens, & dubius an sit substantia, vel accidens, sequitur necessariò illum conceptum, de quo est certus, esse præcisum, ac distinctum à conceptibus de quibus est dubius. Minor probatur. Quia Antiqui Phylosophi discordabant ab inuicem, quodnam ex entibus esset primum principium; quandoquidem alij ponebant ignem, alij aquam, alij terram, &c. vt obseruat Aristoteles, primo Physicorum; sed quilibet istorum erat certus, quod primum principium esset ens, aliter insulsè quæsiuissent, quodnam ex entibus esset primum; & tamen dubitabant, an illud esset ignis, vel aqua &c. ergo etiam aliquis viator posset esse certus de aliquo, quod sit ens, & dubius, an sit finitum, vel infinitum, Deus, vel creatura, substantia, vel accidens. Confirmatur. Quia inter vniuocum, & æquiuocum methaphysicum, non datur medium, vt probatum est in præcedenti conclusione quarta; sed ens non est æquiuocum methaphysicè, ex Aristotele, quarto Methaph. t. 2. vbi dicit: ens dici multipliciter, non æquiuocè, sed ad vnum: hoc est, æquiuocè analogicè; ergo ens est vniuocum ad Deum, & creaturas, substantiam, & accidens.

Tertia Conclusio. Ens est analogum Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti: nec tamen per hoc tollitur, quin sit vniuocum, saltem in quarto gradu. Est conclusio Doctoris, in locis citatis. Probatur prima pars. Id est analogum, quod importat plura, non seruata æqualitate modi essendi, nec ordine essentiali, aut gradu perfectionis; sed ens est huiusmodi ad omnia entia; ergo est analogum. Maior patet ex diffinitione analogorum. Minor probatur. Quia prius dicitur de Deo, quam de creatura; similiter prius de substantia, quam de accidente, cum

sit

sit prior ipso, natura, diffinitione, & tempore, ex Philosopho 7. Meth. t. 4. Secunda pars probatur. Quia, vt probatum est in præcedenti quæstione, analogum non mediat inter vniuocum, & æquiuocum, sed modò vni, interdum alteri cohæret; ergo etiam si ens sit analogum, non tollitur quin possit esse vniuocum. Secundo probatur. Quia sola analogia per attributionem plurium ad vnum, non tamen vnius ad vnum, tollit vniuocationem; sed ens non est analogum priori modo, sed posteriori, ex Aristotele, quarto Meth. t. c 2. ergo quamuis sit analogum, non tollitur quin etiam sit vniuocũ. Confirmatur. Quia in eodem textu secundo dicitur, ens multipliciter dici, non tamen æquiuocè, sed ad vnum: vbi per illam exclusiuam; non tamen æquiuocè; datur intelligi, quod quamuis ens sit analogum per attributionem ad vnum, non est per attributionem plurium ad vnum (alioquin esset æquiuocum) sed tantum vnius ad vnum, quod compatitur secum vniuocationem.

Quarta Conclusio. Ens est vniuocum essentiale tantum respectu Dei, omnium generum, specierum, indiuiduorum, & differentiarum genericarum, ac specificarum, saltem subalternarum. Est Scoti, in primo d. 3. q. 3 F. & ferè communis omnium Scholasticorum. Probatur. Quia importat conceptum essentialiter inclusum in entibus iam enumeratis; quia Deus essentialiter est ens; sic substantia, sic accidens, sic genus, species, & differentia, ac indiuiduum, cum diffiniantur per ens, & modum intrinsecum proprium vniuscuiusque; ergo ens est vniuocum essentiale. Dicitur notanter ens esse vniuocum essentiale ad differentias non vltimas, cuiusmodi sunt genericæ, & specificæ subalternæ; quia de specificis vltimis, est controuersia inter Scotistas, an includant ens quiditatiuè, & essentialiter; quandoquidem Scotus, in primo, d. 3. q. 3. I. docet, omnes partes essentiales generum, includere ens quiditatiuè, ac essentialiter, ac proindè esse vniuocum, etiam ad vltimas differentias specificas, cum & ipsæ sint partes essentiales diuisiuæ generum; vt patet de rationali, ac irrationali, diuidentibus animal, quod est genus ad hominem, & brutum. Cæterum, in secundo, d. 3. q. 6. sub H. oppositum insinuat, dum apertè dicit, differentias specificas vltimas, esse primò diuersas, ac per hoc non posse includere ens quiditatiuè, sed tantum denominatiuè, seu identicè. Ita Rada, prima parte, contr. 21. art. secundo, concl. prima. Cauellus in commentarijs super q. 21. de Anima Doct. Subtilis, annot. 2. numer. 1. 3. & alij. Omissis tamen omnibus his, & alijs rationibus, quæ pro vtraque parte possent afferri. Dicendum est, iuxtà ea, quæ habet idem Doctor, in secundo loco citatus, ac distinguendum de differentia specifica. Quia vel sumitur à tota forma specifica, vt rationalitas à tota anima rationali; vel ab vltima realitate formæ, scilicet eiusdem animæ, scilicet ab intellectualitate. Si primo modo sumatur, differentia specifica includit ens quiditatiuè, sicut & ipsa anima rationalis. Sin autem secundò modo, tantum denominatiuè, ac identicè ipsum includit; quia sic sunt primò diuersæ, & in nullo conuenientes essentialiter, vt infrà probabitur. Iuxtà primum sensum loquitur Scotus in primo loco; & iuxtà secundum, in secundo loco citatus: atque adeò nulla erit contradictio in eius verbis, nec controuersia vlla inter Scotistas.

Quinta Conclusio. Ens non est vniuocum essentiale, sed tantum denominatiuum, & identicum respectu suarum passionum, vel passionum suorum inferiorum: Item, respectu modorum intrinsecorum, & differentiarum vltimarum. Ita Doct. Subt. loco primo citatus, sub F. G. & H. & Scotistæ omnes. Contra Caiet. de Ente, & essentia, q. 3. Soncinatem, 4. meth q. 19. Iauell. ibidem, q. 5. Suarium in Meth. tom. primo, disput. 2. sect. 5 & 6. ac alios Thomistas. Probatur prima pars de passionibus: Quia quod ingreditur diffinitionem alicuius tamquam additum, non est de essentia illius, vt patet ex differentia diffinitionis quiditatiuæ à non purè quiditatiua; siquidem in illa omnia pertinent ad quiditatem diffiniti, non item in ista. Sed est huiusmodi ens respectu passionum suarum, ac suorum inferiorum; ergo. Minor probatur. Quia subiectum cadit in diffinitione suarum passionum, tamquam additum, ex Aristotele, primo Post. t. 35. Sed ens est subiectum suarum passionum, sicut quodlibet ens suarum; ergo non sunt de illarum essentia, & quiditate. Confirmatur. Quia prædicatio es-

essentialis, est per se primo modo, ex Philosopho, primo Post. loco citato; sed ex eodem ibidem, prædicatio subiecti de passione, & è conuersò, non est per se primo, sed tantum secundo modo, ergo non est essentialis, sed tantum denominatiua, ac identica. Probatur secunda, & tertia pars, de modis intrinsecis, ac vltimis differentijs. Quia de primo diuersis nihil prædicatur in quid, seù vniuocè; sed modi intrinseci, et vltimæ differentiæ sunt primo diuersa; ergo ens non prædicatur de illis in quid, seu vniuocè essentialiter. Maior probatur. Quia id, quod prædicatur in quid de aliquibus, contrahitur ad illa per quædam contrahentia, siuè sint modi intrinseci, siuè differentiæ, ex Philosopho, quinto, & 10. Methaph. t. c. 12. sed primo diuersa non habent contrahentia, quæ sint modi intrinseci, & vltimæ differentiæ, quibus contrahatur superius ad ipsa; ergo &c. Minor probatur ex Philosopho loco citato; vbi ponens differentiam inter ea, quæ sunt differentia, & diuersa, dicit, quod differentia in aliqua conueniunt quiditatiuè, & per aliqua differunt; diuersa verò, nec conueniunt, nec per aliqua differunt; alioquin non essent diuersa, sed differentia. Minor primi syllogismi probatur. Quia si modi intrinseci, & vltimæ differentiæ non essent primo diuersa, daretur processus in infinitum in illis; sed hoc non est dicendum; ergo sunt primo diuersa. Sequela maioris probatur. Quia si non sunt primo diuersa; ergo in aliquo conueniunt, & per aliqua differunt; de quibus quæram, an sint primo diuersa, vel non; si dicas esse primo diuersa; ergo & priores modi, & differentiæ vltimæ erunt primo diuersæ, quia non est maior ratio de his, ac de illis. Si verò dicas non esse primo diuersa; igitur in aliquo conuenient, & per alios modos, & differentias different: de quibus quæram sicut prius; & sic vel dabitur processus in infinitum in modis intrinsecis, & vltimis differentijs, vel sistendum in aliquibus primo diuersis, quæ non includant essentialiter ens. Vltima pars probatur, scilicet quod dicat conceptum illis communem denominatiuè, & identicè. Quia ens dicit conceptum vniuocum illis, vt probatum est in præcedenti secunda conclusione; sed non dicit conceptum essentialem, vt pariter demonstratum est in quarta; ergo super est, vt dicat conceptum denominatiuum; cum inter essentialem, & denominatiuum, seù identicum, non detur medium.

Obijcies primo, contra primam conclusionem, Porphyrium, cap. de specie dicentem. Si quis omnia entia vocet, æquiuocè nuncupabit; ergo omnia entia æquiuocantur in ente.

Respondetur, Porphyrium locutum fuisse de vniuocatione logica, & æquiuocatione sibi correspondente; quia cum ens non sit genus, non potest esse vniuocum logicè, sed æquiuocum; cum hoc tamen stat, vt sit vniuocum methaphysicè, vt probatum est. Si verò quis dicat, locutum fuisse de vniuocatione, & æquiuocatione methaphysica, in hoc non est tenendus, cum contradicat Aristoteli, dicenti quarto methaphysicæ, ens non esse æquiuocum, sed analogum, & vniuocum simul; vt probatum est supra, conclusione tertia de mente eiusdem.

Obijcies secundo. Doctorem Subt. q. 4. Prædicamentorum dicentem, ens non esse vniuocum, neque analogum, sed æquiuocum; ergo malè conclusimus de mente eius non esse æquiuocum.

Respondetur, negando consequentiam. Quia nos locuti sumus de vniuocatione, & æquiuocatione methaphysica, Scotus autem in Prædicamentis loco citato §. Propter hoc dicendum, loquitur de æquiuocatione logica, non methaphysica; quia sic, & ipse dicit esse analogum, cum Aristotele, quarto Methaphysicæ, t. 12. Quia dicis vnum conceptum ad substantiam, & accidens secundum ordinem; sed apud logicum est simpliciter æquiuocum; quia in quantum substantia, & accidens, significantur per vocem entis, æquè primo significantur; quod est proprium æquiuocæ vocis.

Obijcies tertiò. Sicut se habet sanum ad animal, vrinam, & medicinam, ità se habet ens ad Deum, & creaturas, substantiam, & accidens, ex Philosopho, quarto meth. t. c. 2 sed sanum, est æquiuocum, ad animal, vrinam, & medicinam; ergo, & ens ad Deum, & creaturas, substantiam, & accidens.

Respondetur ad maiorem, quod sanum com-

comparatum ad omnia ſana, & ens ad omnia entia, conueniunt, & differunt: conueniunt quidem; quia ſicut ſanum non dicitur de ſanis æqualiter, ſed quodam ordine eſſentiali per prius de animali, quam de vrina, & medicina, ita ens prius dicitur de Deo, quàm de creatura; & priùs de ſubſtantia, quam de accidente: differunt verò; quia ſanum dicitur de illis ſecundum diuerſos conceptus, ens vero de entibus ſecundum vnum, & eundem conceptum; & conſequenter iſtud vniuocè, & illud æquiuocè.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem eſſe veram quo ad ordinem tantum, non tamen quoad ſignificationem; quia ſanum ſignificat æquiuocè analogicè, ens verò vniuocè analogicè.

Obijcies quarto, contra ſecundam concluſionem. Si ens reale eſſet vniuocum ad Deū, & creaturas, ſequeretur eſſe prius natura ipſo Deo; ſed hoc eſt falſum: tum quia Deus non eſſet primum ens: tum etiam, quia non eſſet primum ſubſiſtens, quod catholicè dici nequit; ergo dicendum eſt potiùs non eſſe vniuocum ad Deum, & creaturas. Sequela maioris probatur. Quia ille conceptus entis eſſet prior natura ipſo Deo, & eſſet aliquid reale; ergo ens reale prius natura Deo. Maior probatur. Quia valet dicere. Deus eſt; ergo ens eſt; non tamen, ens eſt; ergo Deus eſt. Quia etiam lapis eſt ens, & tamen non eſt Deus; ergo ens eſſet prius natura ipſo Deo. Conſequentia patet ex diffinitione prioritatis naturæ, quam tradit Philoſophus in Poſtprædicamentis, capit. de Priori.

Reſpondetur, maiorem, & eius probationem eſſe veram ſecundum conceptum abſtractum, non tamen ſecundum ſubſiſtentiam, ſeu exiſtentiam à parte rei. Quia ſic Deus dicitur primum ens, à quo cætera habent eſſe exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ, & non ens reale commune ad omnia entia; nec hoc eſt inconueniens; quia cum ens prædicetur quiditatiuè, debet eſſe aliquo modo prius ipſo Deo, hoc eſt, ſecundum naturam eius abſtractam ab omnibus entibus, non tamen ſecundum exiſtentiam; quia ſic nil eſt priùs Deo.

Obijcies quinto. Quia Ariſtoteles, quarto Meth. t. c. 2. dicit, ens dici multipliciter, non æquiuocè, ſed ad vnum; ſed hoc eſt dicere, ens eſſe analogum, & non vniuocum, nec æquiuocum; ergo. Minor probatur. Quia per hoc, quod dicit, dicitur ens multipliciter, non æquiuocè; excludit æquiuocationem; ex eo autem, quod ſubiungit, ſed ad vnum, & multipliciter; excludit vniuocationem, & includit analogiam, quæ dicit vnitatem conceptus in multis, quorum vnum attribuatur ad aliud; ergo.

Reſpondetur, negando minorem. Ad probationem dico, quod per ly multipliciter, non excluditur vniuocatio; quia non loquitur de multiplicitate ſignificatorum, ſed ſuppoſitorum, non conceptuum, ſed inferiorum, de quibus prædicatur ſecundum idem nomen, & eumdem conceptum quiditatiuum. Vnde licet ens dicatur ad vnum, & ſit analogum, non ſequitur, vt non ſit etiam vniuocum; quia vniuocatio in quarto gradu compatitur ſecum analogiam attributionis, cuiuſmodi eſt hæc entis ad omnia entia.

Obijcies ſexto, contra quintam concluſionem. Illud, quod eſt ens reale, eſt quiditatiuè ens; ſed paſſiones, modi intrinſeci, & vltimæ differentiæ, ſunt entia realia; ergo quiditatiuè ſunt talia.

Reſpondetur, negando maiorem. Nam quod eſt album, & riſibile, non eſt quiditatiuè album, & riſibile; quia album, & riſibile, non ſunt de eſſentia ſuorum ſubiectorum. Et licet paſſiones, modi intrinſeci, & vltimæ differentiæ conſtituant entia realia, non ob hoc dicuntur quiditatiuè talia, ſed duntaxat virtualiter, & realiter entia; quinimmò ſequitur oppoſitum in bona Philoſophia; quia albedo conſtituit aliquod ſubiectum album, non tamen ipſa eſt alba formaliter, ſed tantum virtualiter, pro quanto formaliter cauſat eſſe album in aliquo ſubiecto.

Ex quo sequitur, Suarium in Methaph. disput. 2. sect. 5. & 6. Soncinatem, 4. Metaph. quæst. 19. & Iauellum ibidem, quæst. 5. malè impugnasse Doctorem Subtilem; quandoquidem ipse non negat, passiones, modos intrinsecos, & vltimas differentias esse aliquo modo entia realia, vt sibi imposuerunt, sed tantum dicit non esse entia realia quiditatiuè; cum quo tamen subsistit, vt sint vera entia realiter, vel virtualiter; vel pro quanto sunt identificata realiter, vel vt constituunt entia, quæ recipiunt prædicationem essentialem ab ente in communi: & per hoc corruunt eorum fundamenta, & soluuntur argumenta facta contra Doctorem.

Multa alia argumenta contra hanc conclusionem congerit Mastrius ex Aduersarijs, loco cit. quæst. 7. artic. primo. Sed omnia ex dictis facillimo soluuntur negotio; & ideò nè prolixam nimis faciamus quæstionem, consultò omittuntur.

De Diuisione eorum, quæ dicuntur, & quæ sunt.

CAPVT II.

IN hoc secundo capite, intendit Aristoteles explicare secundum Anteprædicamentum, quod consistit in diuisione eorum incomplexorum, quę de alijs enunciantur, & quæ sunt. Primum præstat dicens. Eorum, quæ dicuntur, alia quidem &c. Secundum verò insinuat, dùm ait. Eorum, quæ sunt, alia de subiecto aliquo &c.

Quo ad primum, diuidit complexa ab incomplexis, dùm dicit. Eorum, quæ dicuntur. Idest prædicantur, seù de aliquo enunciantur. Quædam dicuntur cum complexione; vt homo currit, homo vincit; quædam verò sine complexione, vt homo, leo, currit, vincit &c.

Complexa autem sunt duplicia, scilicet distantia, & indistantia. Distantia, sunt propositiones, inter quarum extrema cadit medium, scilicet copula, siuè explicita. Vt homo est animal; siuè implicita. Vt homo currit. Quæ resoluitur dicendo. Homo est currens. Indistantia verò sunt, inter quorum extrema nullum intercedit medium, siuè implicitè, siuè explicitè, sed se habent vt determinatio, & determinabile. Vt homo albus. Nam ly albus, determinat hominem ad standum pro hominibus albis, cæteris exclusis.

Quoad secundum inquit. Eorum, quæ sunt. Idest rerum, quæ habent esse. Alia de subiecto aliquo dicuntur, in subiecto verò nullo sunt. Vt homo, leo, bos &c. Vndè dici de subiecto, est superiùs prædicari de inferiori. Et hoc conuenit omnibus rebus, siue substantialibus, vt sunt homo, leo, equus &c. quæ habent inferiora sub se; siuè accidentalibus, vt color, albedo, superficies &c. Nam, homo de hominibus; equus de equis; & color de coloribus prædicantur. Esse autem in subiecto, est esse in aliquo, tamquam accidens in subiecto inhæsionis. Et hoc conuenit tantùm accidentibus; quia licet aliqua alia substantialia sint in aliquo, vt pes, manus in corpore, non sunt in illo, vt in subiecto inhæsionis, sed sicut partes integrales in suo toto.

Hoc supposito, Diuisio sic intelligitur. Eorum, quæ habent esse, quædam dicuntur de subiecto. Idest enunciantur de suis inferioribus; quia sunt superiora, siue substantiæ, siuè accidentium. In subiecto verò nullo sunt. Suple inhæsionis; quia non sunt accidentia; vt homo, bos, equus, & cætera superiora prædicamenti substantiæ.

Alia verò in subiecto quidem sunt, de subiecto autem nullo dicuntur. Vt quædam grammatica est in subiecto, scilicet in anima, quia est accidens spirituale; non tamen dicitur de subiecto; quia non habet inferiora de quibus possit prædicari,

ri, cum sit quoddam indiuiduum grammaticæ.

Alia verò de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt. Vt scientia, in subiecto quidem est, scilicet in anima, cum sit accidens eius; de subiecto verò dicitur, scilicet de Logica, Philosophia, & cæteris, tamquam superius de inferioribus.

Alia tandem, nequè in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur. Vt quidam homo, quidam equus &c. Non sunt in subiecto; cum non sint accidentia; nec dicuntur de subiecto; quia sunt indiuidua.

Ex his sequitur, quod illa, quæ dicuntur de subiecto, & non sunt in subiecto, sunt omnia genera, & species prædicamenti substantiæ. Illa verò, quæ sunt in subiecto, & de subiecto nullo dicuntur, sunt omnia indiuidua accidentium. Illa autem, quæ dicuntur de subiecto, & sunt in subiecto, sunt genera, & species prædicamentorum accidentium. Illa tandem, quæ nec dicuntur de subiecto, nec sunt in subiecto, sunt omnia indiuidua prædicamenti substantiæ.

De Regulis Prædicatorum Essentialium.

CAPVT III. & IV.

INtentum Aristotelis in duobus his Capitulis, est declarare tertium Antepræducamentum, quod continet duas regulas, quarum prior ponitur in tertio capite; & incepit ibi. Quando alterum de altero &c. posterior autem infertur in quarto capite; & incipit ibi. Diuersorum generum, & non subalternatim &c.

Prima Regula. Quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, quæcumque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur. Quæ sic explicatur. Quando alterum, idest superius prædicatum de altero prædicatur; vt de subiecto, idest enunciatur de aliquo sibi inferiori; quæcumque enunciantur de illo superiori, dicuntur etiam de illo inferiori. Vt homo dicitur de Petro, vt superius de suo inferiori quiditatiuè; & animal dicitur de homine. Ex quo fit, vt animal dicatur etiam de Petro.

Ex hac regula habetur modus arguendi in quarta figura, in qua medium prædicatur in maiori, & subijcitur in minori. Vt homo est animal; sed animal est corpus animatum; ergo homo est corpus animatum. Vt vidimus in Summulis, tract. tertio, sect. prima, cap. vltimo. Et probauimus, dari quartam figuram, etiam de mente Aristotelis.

Secunda Regula. Diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species, & differentiæ. Subalternorum verò generum, nihil prohibet esse easdem species, & differentias; superiora enim de ijs, quæ sub ipsis sunt generibus, prædicantur &c. Pro cuius declaratione aduertendum est, genera posse dici diuersa tripliciter. Primo, Quia sunt diuersorum prædicamentorum. Vt animal, & scientia; quia prius ad substantiam, posterius verò ad qualitatem ordinatur. Secundo. Quia sunt eiusdem prædicamenti, & vnum ponitur sub altero in recta linea prædicamentali; vt animal, & corpus animatum. Tertio. Quia sunt eiusdem prædicamenti, non tamen vnum ponitur sub alio, sed ambo sub vno tertio; vt animal, & planta sub corpore animato. Similiter illa genera dicuntur subalterna, quæ pertinent ad idem prædicamentum, vel vnum ponitur sub alio, vel ambo sub vno tertio. Exemplum primi: vt animal, & corpus animatum; secundi: vt animal, & planta sub corpore animato. Et per oppositum, illa genera non dicuntur subalternatim posita, vel quorum vnum non ponitur sub alio, vel, quæ non ponuntur sub vno tertio. Vndè sequitur, talia genera non subalternatim posita pertinere ad diuersa prædicamenta; quia talia solummodo non habent easdem species, & differentias; vt patet de

animali, & scientia. Quia differentiæ animalis sunt, gressibile, bipes, volatile, & aquatile; quæ nullo modo conueniunt scientiæ. Similiter differentiæ scientiæ sunt, naturalis, diuina, moralis, & rationalis, quæ nullo modo animali competunt.

Ex his, habetur clara intelligentia huius regulæ. Diuersorum generum. Idest spectantium ad diuersa prædicamenta. Et non subalternatim positorum. Idest, quorum vnum non est sub alio, nec ambo sub vno tertio. Diuersæ sunt species, & differentiæ; vt exemplificatum est de animali, & scientia.

Subalternorum verò generum, idest quæ pertinent ad idem prædicamentum, & vnũ ponitur sub alio, vel ambo sub vno tertio, nihil prohibet esse easdem species, & differentias. Et probat Aristoteles ratione desumpta ex regula præcedenti. Quia omnia superiora includuntur in suis inferioribus; sed genera subalterna se habent vt superiora, & inferiora; ergo differentiæ, quæ competunt superioribus, & inferioribus competere debent. Probari potest etiam exemplo. Nam corpus animatum, & animal, sunt genera subalterna primo modo; & animatum, quod est differentia constitutiua corporis animati, seù viuentis, ac sensibile, quod est differentia diuisiua viuentis, & constitutiua animalis, includuntur in animali, cum sit animatum sensibile. Item animal, & planta, quæ sunt duo genera subalterna secundo modo, habent animatum, & corporeum pro differentijs communibus; quandoquidem tàm animal, quam planta sunt corporea, & animata; igitur generum subalternorum, nihil prohibet esse easdem differentias, & species communes.

Ad quid valeant ista Antepradicamenta?

DVBIVM VNICVM.

ANtepredicamentum esse quoddam documentum, valens immediatè, & à priori ad cognitionem prædicamẽtorum habendã, docent cõmuniter omnes logici; quippe qui videntes non ita faciliter posse percipi Prædicamentorum doctrinam, nisi aliqua alia præirent, & alia sequerentur documenta; illa declaratiua à priori quorumdam necessariorũ, sine quibus intelligi non poterant prædicamenta, nec ipsorum principia; hæc à posteriori in cognitionem completam conducentia, quasi quodam conficto vocabulo, priora Antepradicamenta, posteriora verò, Postpradicamenta appellauerunt.

Vt autem horum munus, & natura percipi possit, singulas diffinitionis particulas explanare necessarium duximus. Dicitur primo, Antepradicamentum esse quoddam documentum. In quo, & Postpradicamenta conueniunt: vt intelligatur fuisse præcipuam intentionem Aristotelis declarare naturam prædicamentorum; postremum verò, quomodo Antepradicamenta iuuant à priori, Postpradicamenta autem à posteriori, veluti quædam accessoria documenta huic libro inserere. Dicitur secundo. Valens immediatè &c. ad differentiam libri Pradicabilium Porphyrij, quæ pariter iuuant ad assequendam Prædicamentorum doctrinam, vt ipse fatetur in suo proemio dicens. Cum sit necessarium, Chrysaori, & ad eam, quæ est apud Aristotelem prædicamentorum doctrinam, nosse quid sit genus, quid species, quid differentia, quid proprium, quid accidens &c. tum quia, sicut diximus in prima quæstione præambulari, cum prædicamentum sit dispositio generum, specierum, differentiarũ, propriorum, & accidentium secundum sub, & supra, necesse fuit quid sit genus, quid species &c. prius præmittere: sed mediatè tamen, idest medijs hisce Antepradicamentis. Dicitur tertio, à priori. Ad differentiam Postpradicamentorũ, quæ tantũ à posteriori,

idest

Idest ad completam notitiam valent prædicamentorum habendam. Antepredicamenta autem à priori iuuant; quia nisi hæc præcederent, non possemus perfectè assequi, quid sit prædicamentum.

Antepredicamenta autem sunt tria in generali, scilicet Diffinitio, Diuisio, & Regula: septem verò in speciali, scilicet tres diffinitiones, nempè Aequiuocorum, Vniuocorum, & Denominatiuorum: duæ diuisiones, scilicet eorum, quæ dicuntur, & eorum quæ sunt; & tamdem duæ regulæ, quarum prior est de prædicatis essentialibus, posterior verò de ordine, ac diuersitate eorum, quæ ponuntur in eodem, ac diuersis prædicamentis.

Ad intelligendum tamen, quomodo ista antepredicamenta, siuè generaliter, siuè specialiter accepta, iuuent ad cognitionem Prędicamentorum; supponendum est, in quolibet prædicamēto tria reperiri, & hæc attendenda. Primum, est modus prædicandi. Secundum, substantia eius. Tertium, ordo ipsius prædicamenti. Ad primum cognoscendum, valet diffinitio: ad secundum diuisio: & ad tertium regula. Modus namque prædicandi, consistit in prædicari vniuocè, vel æquiuocè, aut denominatiuè; & ideò ad cognitionem eius, necesse fuit permittere, quę sint æquiuoca, vniuoca, & denominatiua. Substantia autem in eo sita est, vt ea, quæ ponuntur in prædicamento, sint incomplexa, & non complexa; substantiæ, vel accidentia; genera, species, & indiuidua. Idcircò oportuit tradere diuisionem incomplexorum à cōplexis; substantiarum ab accidētibus; generum, & specierum ab indiuiduis; quæ omnia præstantur in secundo Antepredicamento. Ordo tamdem prædicamenti, consistit in dispositione prædicatorum, & eorum, quæ ponuntur in eodem, & diuersis prædicamentis; vt nimirū prius ponantur genera, deindè species, hinc indè differentiæ laterales, & demum indiuidua; similiter, vt genera, species, differentiæ, & indiuidua vnius prædicamenti non permisceātur generibus, speciebus, differētijs, ac indiuiduis alterius prædicamenti; quę omnia innotescunt per tertium Antepredicamētū.

Ex his, sequuntur tria corollaria, seù tres conclusiones. Prima est. Primum Antepredicamentum sufficienter demonstrat modū prædicandi cuiuslibet prædicamenti, nedum respectu suorum inferiorum, verum etiam aliorum nouem prædicamentorum de substantia, ad quam ordinantur. Declaratur sic. Quia primum Antepredicamentum continet tres diffinitiones, scilicet æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum; modus autem prædicandi attenditur, vel per ordinem ad sua inferiora, vel per ordinē ad primam substantiam; atqui prior est modus prędicandi in quid, & vniuocè; quia quodlibet in suo genere est quid; posterior est modus prædicandi in quale, & denominatiuè; siquidem omne accidens prædicatur denominatiuè de substantia, tamquam de subiecto vltimato; igitur primum Antepredicamentum sufficienter demonstrat modum prædicandi in quolibet prædicamento.

Secunda Conclusio. Antepredicamentum secundum, est sufficiens ratio cognoscendi substantiam cuiuslibet prędicamenti. Declaratur autem sic. Quia secundum Antepredicamentum continet diuisionem complexorū, & incomplexorum; insuper, diuisionem substantię ab accidentibus per hoc, quod illa dicitur de subiecto, & nullo modo est in subiecto: generum, & specierū ab indiuiduis; quia illa semper dicuntur de subiecto, hæc verò numquam: similiter indiuiduorum substātiæ ab indiuiduis accidentium; quia illa numquā sunt in subiecto, hæc verò semper; atqui substātia vniuscuiusq; prædicamenti consistit in eo, vt illa, quæ ponuntur in prædicamentis sint incomplexa, & non complexa: in prædicamento substantię ponantur genera, & species, ac indiuidua rerum substantialium; in prædicamentis vero accidentium, ponantur accidentia, & non substantiæ; igitur secundū Antepredicamentum sufficienter iuuat ad cognoscendam substantiam cuiuslibet prædicamenti.

Tertia Conclusio. Antepredicamentū tertium, sufficienter notificat ordinē cuiuslibet prædicamenti. Declaratur sic. Quia ordo cuiuslibet prædicamenti consistit in dispositione prędicatorum essentialium secundū subiectio-

ctionem, & prædicationem; insuper, quod res vnius prædicamẽti, ità afficiāt tale prædicamentũ, vt nullo pacto enunciari valeant per se primo, vel secundo modo, hoc est vniuocè, de rebus alterius prędicamenti; sed primum, præstatur per priorem regulam, & per posteriorem habetur secundum, in quibus situm est tertium Antepradicamentum; ergo tertium Antepradicamentum sufficienter notificat ordinem cuiuslibet prædicamenti. Et hæc de Dubio dicta sint satis.

De Diuisione decem Prædicamentorum.

CAPVT V.

IN hoc quinto Capite, quod est vltimum huius primæ Partis, Aristoteles duo facit. Primo diuidit incomplexa in decem Prædicamenta, dicens. Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur &c. Secundo probat, in huiusmodi incomplexis, si per se sumantur, non cadere affirmationem, & negationem, dùm dicit. Singula igitur eorum, quæ dicta sunt, &c.

Quo ad primum, enumerando decem prædicamenta ex diuisione incomplexorum dicit. Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodque aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. Quæ diuisio, sic est intelligenda. Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur. Idest rerum, quæ per voces incomplexas exprimuntur. Vnumquodque, aut substantiam significat. Idest alia est substantia, alia est quantitas, aliqua qualitas, alia ad aliquid, alia vbi, alia quando, alia situs, alia habere, alia actio, & alia passio. Exemplificatque de omnibus dicens. Substantia, vt homo, æquus, leo: quantitas, vt bicubitum, tricubitum: qualitas, vt albedo, gramatica: ad aliquid, vt duplum dimidium: situs, vt iacere, stare: vbi, vt in foro, in lyceo: quando, vt heri cras: habitus, vt calceatum esse, armatum esse: actio, vt sectio, vstio, seù agere; idest secare, & vrere: passio, vt secari, & vri, percuti &c.

Quod autem hæc interprætatio sit vera, & de mente Aristotelis, manifestum est ex eo, quod hic non diuidit voces incomplexas, quibus conuenit significare, sed ipsas res, vt per voces expressas, & significatas; dicit enim; alia est substantia, & alia est quantitas. Et exemplificat de rebus, & non de vocibus.

Vel si mauis dicere, hic fieri mentionem de vocibus; dicendum est, Aristotelem diuidere vocem incomplexam in decem voces incomplexas totidem res significantes; & erit sensus. Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur. Idest vocum incomplexarum. Alia significat substantiam. Idest importat rem, quæ substantia appellatur; alia quantitatem, alia qualitatem &c. Sed hęc expositio videtur esse aliena à mente Philosophi; siquidem enumeratis decem prædicamentis, de singulis exemplificat dicens. Est autem substantia quidem, vt homo, equus: quantum, vt bicubitum. Et non dicit; significat autem substantia hominem, vel equum: quantum, bicubitum, & tricubitum &c. quo loquendi modo per verbum est, & non per verbum significat, innuitur fuisse eius principalem intentum diuidere res expressas per voces, & non voces explicantes res.

Quoad secundum, demonstrat ex talibus complexis, si per se considerentur, non esse affirmationem, aut negationem; quandoquidem affirmatio, vel negatio consistit in complexione prædicati cum subiecto, mediante copula verbali; & probat sic. Quia omnis affirmatio, vel negatio, est vera, vel falsa; sed in incomplexis non est veritas, neque falsitas; igitur in incomplexis non est affirmatio, aut negatio. Minor autem potest sic probari. Nam qui dicit substantiam tantum; vel quantitatem, aut qualitatem tantum, non dicit verum, aut falsum. Si verò his aliquod verbum coniungatur dicendo; homo est animal, corpus est graue, albedo non est quantitas, Petrus non currit &c. & veritatem, & falsitatem dicit, cum talis consistat in complexione duorum incomplexorum per copulam verbalem; vel affirmatiuam, si nul-

nulla ei præponatur negatio negans; vel negatiuam, si eidem præponatur, vt dictum est in Summulis, tract. secundo de propositionibus.

De Prædicamentis in Generali.

DISPVTATIO II.

Vtrum Prædicamenta sint tantum decem, vt nec plura sint, nec pauciora?

QVÆSTIO I.

QVàmuis inter Philosophos, qui secuti sunt Aristotelem Peripateticorum Principem, nullum videatur reperiri dissidium de numero Prædicamentorum, tamen inter Antiquos non defuerunt, qui plura, & qui pauciora decem esse dixerunt Si quidem Plato in Sophysta, seu Parmenide, dicit, esse tantum vnum prædicamentum vniuersalissimum Entis realis, sub quo omnium rerum genera collocantur. Zenocrates, & Andronicus, quorum meminit Simplicius hic, duo posuerunt prædicamenta, scilicet substantiam, & accidens. Et nè deesset, qui ternarium numerum, veluti omnium perfectissimum assereret, repertus est Valla, qui tantum tria prædicamenta dari asserit, scilicet substantiam, qualitatem, & actionem. Stoici tamdem, vt refert Plotinus, lib. primo Enead. 6. cap. 29. enumerant quatuor, scilicet substantiam, qualitatem, modum rei, & relationem. Hunc numerum prædicamentorum, & ipse approbauit, & quintum addidit.

Alij plura, quam decem, posuerunt prædicamenta; quandoquidem Pithagorici, vt refert Philosophus, primo Methaphysicæ c. 5. dixerunt esse viginti. Alij triginta; decem nimirum generum, & specierum, ac indiuiduorum, & viginti differentiarum. Alij vndecim tantum, nam illis decem ab Aristotele enumeratis, vndecimum entis rationis addiderunt: quod, an sit ponendum nec nè, dicam inferiùs in hac eadem Disputatione. Alij tamdem plura; vel pauciora posuerunt; non veritatem rei, sed vel phantasiam, vel vim argumentorum, secuti.

Vera tamen sententia est, quam post Archytam Tarentinum, docuit Aristoteles, decem nimirum, & non plura, aut pauciora esse prædicamenta, esseque illa, quę enumerauit in textu. Hanc, præter Peripateticos, secutus est etiam Auicenas, lib. 3. suæ Methaphysicæ; cuius meminit Doct. Subt. in quarto sent. d. 13. q. 1. art. primo C. his verbis. Si ergo debet saluari illa diuisio famosa prædicamentorum; quia secundum Auicenam, tertio Methaphysicæ, cogimur obseruare illam diuisionem prædicamentorum famosam, qua dicuntur esse decem genera generalissima, cogimur, inquam, propter Philosophorum antiquam auctoritatem, cui non debet facilè contradici, necesse est dicere, quod respectus habeat sufficientes rationes formales ad distinctionem generum, &c. Cæterum clarum est, Scotum loqui de prædicamentis realibus tantum, & non rationis, cum ipse, in quarto, d. prima, q. 4. addat vndecimum, quod vocat generalissimum entis rationis, de quo inferius erit sermo.

Pro intelligentia, & resolutione quęstionis, Notandum est primo, prædicamenta realia, (de quibus loquimur) dupliciter posse distingui, scilicet à priori, & à posteriori. Primo modo distinguuntur per suos modos intrinsecos, quibus in esse constituuntur; hi autem, cum sint nobis innominati, supplentur per hos duos, nempè per se, & in alio; nàm per priorem constituitur substantia in esse, & per posteriorem, reliqua nouem prædicamenta. Secundo modo distinguuntur per diuersos modos prædicandi de prima substantia; modus namque substantiæ, est prædicari in quid; modus quantitatis, in quantum, vel quotum; qualitatis, in quale, vel qualiter; relationis, seù ad aliquid, in ad aliud se habere, vt ad terminum; actionis, in quod, vel quid agit; passionis, à quo, seù quid patitur; vbi, in quo, vel in qua, vel vbi, aut vndè; quando, est prædicari in quando; situs, quomodo, vel qualiter prima substantia est situata; modus tamdem habere, est prædicari de prima substantia, qualiter est habituata; si lorica, vel clypeo, aut alia veste &c. Et hi

modi, dicuntur à posteriori distinguere prædicamenta; quia ex modo se habendi erga primam substantiam, ad quam omnia ordinantur, huiusmodi esse distincta manifestant. Cum ergo decem his modis omnia ordinentur ad primam substantiam, & non pluribus, vel paucioribus, sequitur, decem esse prædicamenta, & non plura, aut pauciora.

Secundo notandum, ex dictis in Vniuersalibus, cap. primo, disp. 2. q. 9. quod ly tantum, cum sit dictio exponibilis, potest exponi gratia alietatis, infinitatis, & pluralitatis. Primo modo est sensus. Decem sunt prædicamenta, & alia à decem non sunt prædicamenta. Et hic sensus est falsus; quia substantia, & quantitas sunt alia à decem, cum sint duo, & tamen sunt prædicamenta. Secundo modo est sensus. Prædicamenta sunt decem, & non decem non sunt prædicamenta. Et hic pariter est falsus; quia qualitas, & relatio sunt non decem, quia tantum duo, & tamen sunt prædicamenta. Tertio modo sic exponitur. Tantum decem sunt prædicamenta. Idest prædicamenta sunt decem, & non plura, aut pauciora. Et hic sensus est verus, & sic capitur in proposito.

Tertio notandum est; ex dictis cap. de specie, disp. 4. q. 2. concretum, & abstractum non distingui realiter, cum conueniant in significato principali, sed tantum differre in modo significandi; vt patet de albo, & albedine, quæ re conueniunt, cum ambo importent eamdem qualitatis formam; differunt nihilominus in modo; quia album illam importat cum concernentia ad subiectum, albedo verò vt ab eo abstractam. Ex quo sequitur, quod concretum, & abstractum, cum sint idem realiter, & tantum ratione differant, spectant ambo ad vnum, & idem prædicamentum, neque diuersa constituunt. Siquidem substantia in abstracto, & in concreto; similiter quantitas, & qualitas, in abstracto, & in concreto acceptæ, collocentur in eodem prædicamento sibi proprio. Ex quo fit, vt non sint viginti prædicamenta, scilicet decem concretorum, & decem abstractorum; sed tantum decem.

Quarto notandum est, quod licet in quolibet prædicamento dentur tres coordinationes, scilicet duæ differentiarum, quæ laterales appellantur; & tertia directa generum, & specierum, non ob hoc sunt multiplicanda triginta prædicamenta; siquidem differentiæ, cum sint vna res realiter cum suis generibus, & speciebus, non habent constituere diuersa prædicamenta à prædicamentis generum, & specierum; quemadmodum nec concretum, & abstractum constituunt, propter eorum identitatem realem; nam ad multiplicationem prædicamentorum, requiritur & distinctio realis, & diuersus modus prædicandi de prima substantia. Cum ergo differentiæ non distinguantur realiter à genere, nec formaliter à specie, & non habeant diuersos modos prædicandi de prima substantia; siquidem vel dicuntur essentialiter, sicut differentiæ substantiarum; vel tantum denominatiuè, vt sunt aliæ nouem prædicamentorum, sequitur vt faciant vnum, & idem prædicamentum, cum suis generibus, & speciebus, ac indiuiduis.

Ex his, fit prima Conclusio. Omnes Philosophi ponentes pauciora, vel plura prædicamenta realia, quàm decem, aberrarunt à veritate. Probatur primo. Quia Plato posuit vnum prædicamentum tantum, putans ens esse genus generalissimum; atqui errauit in hoc; quia genus debet esse finitum, ac limitatum, & ens est illimitatum, & infinitum saltem potentialiter, cum percurrat omnia entia, tùm finita, tum infinita, vt dictum fuit in quæstione de Vniuocatione ergo. Vide Philosophum, 3. meth. t. 10. ens non esse genus. Secundo. Errauerunt Zenocrates, & Andronicus dicentes, prædicamenta esse tantum duo, scilicet substantiã, & accidens. Nam accidens, vt compræhendit omnia accidentia, tàm absoluta, quam respectiua, est æquiuocum, vt probabimus inferiùs; sed de ratione generis est, vt sit vniuocum, vt probauimus supra de Genere, q. 1. ergo. Tertio. Valla, maiorem omnibus commisit errorem, quippè videns substantiam maiorari, & minorari secundum quãtitatem, & expertus fuerit corpus, dolorũ, ac morborum cruciamentis torqueri, nihilominus omisit quantitatem, & passionem, tantum tribus alijs enumeratis. Quarto. Eumdem fermè errorem admiserunt Stoici, cum Plotino, negando quantitatem; cum experientia constet admittendam fore. Quinto. Pithagorici admittentes viginti,

-ti, scilicet decem concretorum, & decem abstractorum; ac alij enumerantes triginta, scilicet viginti differentiarum, & decem generum, & specierum, pariter decepti sunt. Siquidem, abstracta à concretis non distinguuntur plusquam ratione; similiter differentiæ, sunt eædem realiter generibus, & formaliter speciebus, quas constituunt; qua ratione, nequeunt facere prædicamenta distincta; quia ad multiplicationem prædicamentorum, requiritur distinctio realis, vt infra demonstrabimus; & diuersus modus prædicandi de prima substantia, vt supra notauimus, & docet Aristoteles, quarto Topicorum, & secundo, cap. 2. ergo. Sexto denique decepti sunt, qui posuerunt prędicamentum rationis in numero prædicamentorum realium; quandoquidem cum in ipso collocentur omnia entia rationis, vt inferiùs probabimus, est seorsim ponendum à realibus: nam quæ ponuntur in numerum debent esse eiusdem rationis, vt docuit Aristoteles in Prædicam. c. de quantitate, & tertio Physicorum.

Secunda Conclusio. Prædicamenta realia, sunt tantum decem, nec plura, nec pauciora. Est communis omnium Peripateticorum; quamuis in assignanda ratione sufficientiæ, inter se differant. Enim verò alij deducunt eorum sufficientiam ex diuerso modo inhærentiæ accidentium primæ substantiæ, ad quam ordinantur. Alij verò ex diuersis effectibus, & muneribus, quæ exercent accidentia circa primam substantiam. Cæterum his omnibus prætermissis, quia non videntur concludere, cum multa implicent contra mentem Doctoris Subtilis, conclusio probatur. Primo auctoritate Aristotelis hic, cap. 5. Et quinto Metaphys. cap. 7. t. c. 14. Auerrois ibidem, & Auicenn. tertio suæ metaphysicæ dicentium, prædicamenta esse tantum decem, nec plura, nec pauciora. Secundo probatur ratione. Quia cum ens finitum descendat in prędicamenta, descendit prius in substantiam, & accidens, ex communi diuisione, quam approbat Boetius super Prędicam. cap. 5. & sic habetur primum prædicamentum substantię. Accidens autem, vel est absolutum, vel respectiuum, vt communiter docent omnes Philosophi; si absolutum, tunc habentur alia duo prædicamenta, scilicet quantitas, & qualitas: si respectiuum, aut intrinsecùs adueniens, aut extrinsecus adueniens. Si detur primum, habetur quartum prædicamentum, scilicet Ad aliquid, seu relatio. Si secundum, hoc potest esse tripliciter: aut. n. dicit respectum causalitatis, aut mensuræ extrinsecæ, aut ordinis: si dicit respectum causalitatis in prima substātia, aut dicit respectum causalitatis actiuæ; & sic est quintum prædicamentum actionis; aut passiuæ, & sic habetur sextum prędicamentum passionis. Si verò dicit respectum mensuræ, hoc potest esse dupliciter: aut dicit respectum mensuræ permanentis; & sic datur septimum prędicamentum Vbi: aut mensurę successiuæ; & sic datur octauum prædicamentum Quando. Si denique dicit respectū ordinis; aut dicit respectum ordinis partiū totius locati ad partes loci; & sic habetur nonum prædicamentum Situs: aut dicit ordinem totius ad totum; & sic habetur decimum prædicamentum Habitus. Atqui nō potest excogitari alius modus diuidēdi ens finitum in ea de quibus dicitur, præter decē enumerata prædicamenta; igitur tantum sunt decem prædicamenta. Tertio. Numerus prædicamētorum colligitur etiā à priori ex numero modorum intrinsecorum, seu modorum essendi, per quos descendit ens finitum in prædicamenta; sed tales modi sunt tantum decē, idest nec plures, nec pauciores; ergo & prædicamenta sunt tantum decem, nec plura, nec pauciora. Maior patet. Quia eadem sunt principia essēdi, & distinguendi. Minor probatur. Tùm quia Aristoteles, & communiter Philosophi dicunt, esse decem. Tùm etiam, quia modi prædicandi prædicamentorum de prima substantia ad quam ordinantur, sunt tantum decem, vt probatum est notabil. primo; ergo, & modi essendi eorumdem, sunt tantum decem, & non plura, nec pauciora.

Obijcies primo, contra primam conclusionem, probando esse tantum vnum prædicamentum, vt dicebat Plato. Quia quod super abundantiam dicitur, vni soli conuenit, ex Philosopho, quinto Topic. cap. 15. sed prædicamentum, seu generalissimum super abundantiam dicitur, cum sit superlatiuum, quo nihil maius datur; ergo vni soli conuenit, & sic prædicamentum est tantum vnum.

Respondetur, ex Doct. Subt. 5. Methaph. quæ-

c.5. ad tertium principale, quod generalissimum potest exponi positiuè, & negatiuè. Primo modo dicitur generalissimum, quod excedit omnia entia: & hoc modo datur vnum tantum generalissimum in tota latitudine entium, scilicet Deus, qui in infinitum excedit omnia. Secundo modo dicitur generalissimum, quod à nullo exceditur in suo genere: & sic plura sunt generalissima, quia decem; siquidem vnumquodque illorum in propria coordinatione à nullo exceditur.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram de eo, quod dicit superabundantiam positiuè, non negatiuè; modo generalissima dicunt superabundantiam negatiuè; & sic non inconuenit, esse decem.

Obijcies secundo, ex Mastrio in Meth. disp.2.q.6.art.2. Quia ens finitum contrahitur ad substantiam, & accidens per differentias constitutiuas, quæ sunt per se, & in alio; ergo est vnum genus generalissimum commune ad omnia entia finita; & substantia, & accidens sunt duo genera subalterna. Consequentia patet Quia illud, quod contrahitur per differentias, est genus; ergo cum ens finitum non aliud genus habeat supra se, erit generalissimum. Antecedens probatur. Quia substantia, & accidens diuersificantur essentialiter; sed non possent sic diuersificari per modos intrinsecos; quia secundum Doctorem Subt. in primo d.8.q.4.§ Ad quæstionem, modus intrinsecus non variat rationem formalem cuius est modus; ergo dicendum est ly per se, & in alio, esse differentias essentiales constitutiuas. Maior patet. Quia substantia, & accidens habent diuersas diffinitiones, seù conceptus quiditatiuos, quibus essentialiter diuersificantur.

Respondetur, negando antecedens: imò contrahitur ens finitum ad decem genera per modos intrinsecos, qui sunt ly per se, & in alio. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem ex Doctore Subtili dico, modum intrinsecum non variare quidem rationem formalem; quia non est formalitas per se conceptibilis, cuiusmodi est differentia essentialis, & constitutiua; benè tamen variat rationem quiditatiuam, & essentialem; nam cùm ex ente, & modo intrinseco constituatur conceptus quiditatiuus, gerens vicem diffinitionis quiditatiuæ, (siquidem potest esse medium in demonstratione potissima, ad demonstrandas passiones de ente, & de decem generibus) sequitur, vt faciat differre rem cui additur, essentialiter à quacumque non est ipsa.

Contra. Quia modus intrinsecus non est de quiditate rei, cui additur, licet non distinguatur ab ipsa formaliter, ex Magistro Formalitatum Scoti, art. 2. de identitate, ac distinctione ex natura rei; ergo non potest facere differre illam quiditatiuè, quippè nemo dat, quod non habet.

Respondetur, antecedens esse verum sumendo quiditatem pro ratione formali; quia cum modus intrinsecus non dicat realitatem formalem, consequenter nequit dici esse de quiditate formali alicuius; falsum tamen est antecedens, accipiendo quiditatem pro conceptu quidditatiuo adæquatè sumpto; quia huiusmodi quiditas non excludit, imò includit etiam modum intrinsecum; nam conceptus entis, vt præscindit à modo intrinseco, non est adęquatus; sicut si concipiatur cum finitate, vel infinitate; atquis neget essentiam diuinam esse diuersam quiditatem ab essentia creaturæ per infinitatem?

Obijcies tertio ex eodem. Omnis conceptus, inferior conceptu entis transcendentis, & superior decem generibus, dictus in quid de ipsis, est conceptus genericus, ex Doct. Subt.7. Meth.q.1. sed talis est conceptus entis finiti respectu substantiæ, & accidentis; est enim inferior conceptu entis transcendentis, cum diuidat ipsum; & superior decem generibus; quia diuiditur in illis, & est dictus in quid de illis, cum includatur essentialiter in eisdem; ergo conceptus entis finiti est genericus; & sic generalissimum ad substantiam, & accidens. Confirmatur hæc ratio Quia ideò Doctor, in primo, d.8 q.3.N. excludit rationem generis ab ente transcendenti, quia non est conceptus limitatus, sed indifferens ad infinitum, & finitum; cum ergo conceptus entis finiti sit limitatus, nihil ei deficit, quominus sit genus. Confirmatur secundo. Quia, ex eodem loco citato, quæcumque conueniunt enti, vt est indifferens ad finitum, & infinitum, vel vt est proprium enti iuxi-

infinito,conueniunt sibi, non vt determinatur ad genus, sed vt prius; & per consequens, vt est transcendens, & extra omne genus;ergo infert Mastrius,eo ipso,quod est contractum ens ad finitum,statim determinatur ad genus,quod est ipsum ens finitum; inquit enim tunc determinari ad genus, non ad genera.

Respondetur,negando maiorem absolutè. Quia non est propositio Scoti, vt malè affertur à Mastrio; imò oppositum deducitur ex verbis Doctoris; siquidem volens ostendere inhærentiam non esse de quiditate accidentis,sic arguit. Inhærentia videtur eiusdem rationis in quantitate, & qualitate;ergo si est de essentia vtriusque,potest ab vtroque abstrahi conceptus dictus in quid de ipsis,inferior conceptu entis, & superior eis; & ità non erunt generalissima. Ex quibus verbis non potest inferri; ergo quicumque conceptus inferior conceptu entis transcendentis,& superior decem generibus, dictus in quid de ipsis, est genericus. Quia Scotus non loquitur de ente transcendenti, sed de ente finito, quod est commune ad decem genera; vt docet etiam in primo,d.8.q.3 N.neque de conceptu entis finiti, sed de conceptu, qui posset abstrahi à qualitate,& quantitate, qui esset conceptus accidentis inferior ente finito, vt concedit etiam ipse Mastrius; ergo cum talis esset inferior conceptu entis, & superior quantitate, & qualitate, sicut concludit fore genus generalissimum, excludit ità à ratione generis generalissimi conceptum entis finiti, vtpotè superioris ad illum conceptum genericum.

Ad primam confirmationem,nego consequentiam. Siquidem ens finitum, licet possit dici limitatum respectu entis transcendentis,quod est illimitatum ad omnia, simpliciter tamen est illimitatum ad omnia entia creata, quæ reponuntur in diuersis prædicamentis;& ob hanc rationem excludendum a ratione generis; quia genus limitatur per duas differentias oppositas, quibus caret ens finitum, vt supra dictum est ad secundam obiectionem.

Ad secundam confirmationem, nego in consequentie,illa finita determinata ad genus aliquod,determinati ad ens finitum, vt ad genus; cum re vera tale non sit, imò est quoddam commune illimitatum ad decem genera, vt dicit Doctor loco citato; siquidem volens probare,sapientiam,bonitatem &c. non esse determinati generis, sed transcendentia,dicit illa competere enti transcendenti,vt est indifferens ad finitum, & infinitum; ac propterea non esse determinata ad genus aliquod.Non indè tamen sequitur; ergo quæcumque sunt contracta ad finitatem, esse genus finiti, quod sit ens finitum, commune ad decem genera; sed sufficit, vt sint necessariò determinata ad aliquod genus; quia re vera omnia entia finita, sunt determinata ad illa decem genera. Et hic est sensus germanus illius loci, malè intellecti à Mastrio.

Obijcies quarto, contra secundam conclusionem. Quot modis dicitur vnum oppositorum,tot modis dicitur, & reliquum, ex Aristotele,primo Topic.cap.13. sed substantia,& accidens opponuntur; ergo sicut tantum est vnum prædicamentum substantiæ, ità erit tantum alterum accidentium; & sic tantum duo: vel sicut ex accidente constituuntur nouem prædicamenta, ità pariter nouem sint ex substantia; & sic erunt decem, & octo, & non tantum decem. Minor probatur. Quia esse per se, & in alio, opponuntur; sed substantia est ens per se, & accidens ens in alio, scilicet in subiecto; ergo opponuntur.

Respondetur,opposita esse in duplici differentia; quædam enim opponuntur tantum secundum se,vt ens reale, & rationis; quia habent oppositas diffinitiones: quædam verò opponuntur secundum se, & etiam secundum sua significata, vt sanum, & ægrum; quia sicut sanum dicitur de tribus,scilicet de subiecto,de signo,& de causa sanitatis;ità pariter ægrum dicitur de illis tribus. Auctoritas Aristotelis intelligitur de oppositis secundo, non primo modo; & ideo non concludit argumentum; quia substantia, & accidens opponuntur tantum secundum se,& non secundum sua significata.

Vel dicendum secundo, substantiam, & accidens non esse opposita, nec disparatè si in communi sumantur. Quia substantia est quid vniuocum ad omnes substantias;accidens

dens verò est æquiuocum ad omnia accidentia absoluta, & respectiua, vt docet Doct. in quarto dist. 12. q. 1 sub A. & sequentibus. Et 7. methaph. q. 1. ac alibi; modò oppositio sit in conceptibus, non in vocibus.

Obijcies quinto. Prædicamentum est coordinatio prædicatorum secundum sub, & supra, ex dictis supra in quæstione Proemiali secunda. Sed coordinationes sunt plures, quam decem; ergo. Minor probatur. Quia in priuationibus reperitur talis coordinatio, sicut in positiuis; vt in prędicamento substantiæ, priuatio substantiæ est superior ad priuationem corporis; priuatio corporis ad priuationem corporis animati, &c. & istæ se includunt, sicut earum positiua; ergo sicut decem sunt coordinationes positiuorum, decem pariter erunt priuationum; & sic viginti prædicamenta.

Respondetur, Prædicamentum esse coordinationem vtique, non quamcumque, sed entium realium positiuorum, vt dicam inferius, enumerando conditiones eorum, quæ sunt ponenda in prædicamentis: modò quamuis priuationes ordinari possint secundum sub, & supra, & vna inferat aliam, cùm non sint entia positiua, non faciunt prædicamenta distincta ab illis positiuorum, sed reducuntur ad illa.

Vtrum Prædicamenta distinguantur realiter, vel tantum ratione?

QVÆSTIO II.

Circa hanc quæstionem tres inueniuntur discordes opiniones; quarum prima est D. Th. lib. 11. Meth. lect. 9. q 2. ad 18. Soti, cap. de Quant. q. 5. Toleti hic, q 3. ex communibus. Ruuij in Anteprædicamentis, cap. 4. q. 3. & multorum aliorum, asserentium, prædicamenta non necessariò realiter, vel ex natura rei distingui, sed satis esse vi rationis distinguantur.

Secunda huic opposita docet ponendam esse inter prędicamenta distinctionem realem. Ità Paulus Venetus, lib. 3. suæ Methaphysicæ c. 31. Suessan. 4. Meth. q. 4. & lib. 5. q. 12. Caiet. q. 28. art. primo, & alij, tùm ex Thomistis, tum ex Scotistis, quos refert, & sequitur Mastrius hic, disput. 6. quæst. 2. in principio.

Tertia. Tandem mediat inter vtramque. Tùm quia negat, omnia distingui realiter, contra secundam & non sufficere distinctionem rationis, vt dicit prima. Tum quia asserit, aliqua prædicamenta distingui realiter, omniaque formaliter ex natura rei. Ità Io. de Iandnno relatus a Fonseca, cap. 7. q. 6. qui licet aduersari sibi videatur, dum illum impugnat; tamen in fine sect. 3. in eamdem (ignarus forsam) reincidit sententiam, cum asserat, distinctionem prædicamentorum ponendam esse ante operationem intellectus; quod idem est, ac dicere, distingui ex natura rei formaliter.

Quid autem sentiat Doct. Subtilis, non est adeò clarum, vt in alterutram possit referri sententiam; quandoquidem, lib. 5. Methaph. in Exposit. t. 14. Supponit cum communi, prædicamenta distingui realiter; & ibidem postea, q. 6. subtiliter probat eamdē distinctionem realem, comparando omnia prædicamenta ad inuicem. Cæterum, lib. 8. Methaphysicę q. 1. videtur dicere, quòd tantum formaliter distinguantur. Et in secundo sent. d. p. q. 5. ad secundum princip. videtur manere in ancipiti, loquendo de relatione creaturæ ad Deum, si tantum realiter, vel formaliter distinguantur. Ideò quibusdam notatis, & suam, & nostram pro viribus aperiemus opinionem.

Pro habenda perfecta notitia totius Cōtrouersiæ, notandum est primo, ex Auctore Formalit. Scoti, septem esse identitatum genera, & totidem distinctionum, scilicet rationis, ex natura rei, formalis, essentialis, realis, se totis subiectiuè, & se totis obiectiuè. Primo igitur illa dicuntur esse eadem ratione, quæ habent eumdem conceptum omninò indistinctum à parte rei, & ex parte intellectus; vt homo est idem sibi Et per oppositum, illa distinguuntur ratione, quæ concipiuntur ab intellectu sub diuersis secundis intentionibus, siuè logicalibus, siuè grammaticalibus. Et sic homo à parte subiecti, & à parte prædicati in hac propositione: homo est homo; distinguitur à seipso, quia concipitur sub intentionibus subiecti, & prædicati, quæ sunt diuersæ. Similiter album, & albedo distinguuntur ratione; quia concipiuntur sub diuersis modis significandi grammaticalibus, scilicet con-

crec-

creti, & abstracti.

Secundo. Illa sunt eadem ex natura rei, de quibus, secluso opere intellectus collatiuo, nequeunt verificari duo prædicata contradictoria. Et hoc modo, homo à parte subiecti est idem sibi ex natura rei posito à parte prædicati; quia secluso opere intellectus, de ipso nequeunt verificari duo prædicata contradictoria. Et per oppositum; illa distinguuntur ex natura rei, de quibus, secluso opere intellectus collatiuo, verificari possunt duo prædicata contradictoria. Et sic diffinitio, & diffinitum distinguuntur; quia nullo considerante intellectu, diffinitio est constitutiua diffiniti, & non constituta per ipsum; & diffinitum est constitutum, & non constitutiuum diffinitionis. Similiter substantia, & accidens distinguuntur ex natura rei; quia substantia est ens per se, & non in alio, accidens verò est ens in alio, & non per se; quæ omnia sunt contradictoria.

Tertio. Illa sunt idem formaliter, quorum vnum est de quiditate alterius. Et sic homo est idem formaliter animali; quia includit ipsum in sua ratione formali: similiter diffinitio, & diffinitum, sunt idem formaliter; quia ad inuicem se includunt formaliter; valet enim, omne animal rationale est homo, & omnis homo est animal rationale. Et per oppositum, illa distinguuntur formaliter, quæ dicunt diuersas formalitates, quarum vna non est de essentia, & quiditate alterius. Et sic risibile, & homo, formaliter distinguuntur; quia risibile non est de quiditate hominis, nec è conuerso.

Quarto. Illa sunt eadem realiter, quæ sic se habent, quod vni repugnat esse sine alio; & quæ non se habent, vt causa, & effectus, nec vt producens, & productum, nec sunt in rebus realiter distinctis. Et hæ conditiones debent accipi collectiuè, seu coniunctim, vt vna non sufficiat sine alia; & sic homo, & risibile, sunt idem realiter; quia implicat risibile separari posse ab homine: similiter homo, non est eius propria causa physica, nec verè risibile producitur, sed tantum pullulat, seu emanat ab ipso; nec sunt in rebus realiter distinctis. Hoc modo etiam differentia, est eadem realiter generi, & modi intrinseci suis subiectis, superius inferiori; vt substantia corpori; corpus corpori animato, &c. quia implicat contradictionem, ab inuicem separari; nec vnum verè causatur, aut producitur ab alio, nec sunt in rebus realiter distinctis. Et per oppositum, illa distinguuntur realiter, quæ sic se habent, quod vnum potest ab alio separari, vel quæ se habent, vt causa, & effectus physicus, vel vt producens, & productum; vel quæ sunt in rebus realiter distinctis. Et hæ conditiones sumuntur disiunctiuè; quia vnaquæquè sufficit per se ad distinctionem realem. Et sic, ratione primæ conditionis, albedo distinguitur realiter à pariete, cum possit separari ab eo. Ratione secundæ, totum physicum distinguitur realiter à suis partibus; quia verè causatur ab eis. Ratione tertiæ. Pater distinguitur realiter à Filio in diuinis; quia verè producit illum. Ratione quartæ, albedo Francisci, & albedo Petri distinguuntur realiter; quia sunt in subiectis realiter distinctis.

Quinto. Illa sunt idem essentialiter, quæ identificantur realiter vni essentiæ, vel naturæ singulari; vel quæ sunt de intrinseca essentia alienius. Ratione primæ conditionis, tres personæ diuinæ sunt idem essentialiter; quia sunt idem realiter vni essentiæ diuinæ, quæ est singularissima. Ratione secundæ, animal, & rationale, sunt idem essentialiter homini; quia constituunt eius essentiam. Et per oppositum, illa distinguuntur essentialiter, vel quæ habent diuersas essentias, & naturas, vel quæ non concurrunt ad constituendam alicuius essentiam. Iuxtà primam conditionem, homo, & asinus distinguuntur essentialiter; quia habent diuersas naturas: similiter, decem prædicamenta distinguuntur essentialiter, cum natura, & essentia vnius, non sit natura, & essentia alterius. Iuxtà secundam conditionem, risibilitas distinguitur essentialiter ab homine; quia non est de eius essentia, & quiditate.

Sexto. Illa sunt eadem se totis subiectiuè, quæ conueniunt in aliqua realitate, quæ sit genus ad illa. Et hoc modo omnia indiuidua, & species vnius predicamēti, sūt eadē; quia conueniunt in illa realitate generis ge-

generalissimi, communi ad illa. Et per oppositum, illa distinguuntur se totis subiectiuè, quæ non conueniunt in aliqua realitate communi, quæ sit genus ad illa. Et sic, decem prædicamenta dicuntur distingui; quia etiam si conueniant in ente finito, non est tamen genus ad illa, cum sit illimitatum ad omnia entia creata, nec descendat in illa per differentias, sed tantum per modos intrinsecos, vt diximus in præcedenti quæstione. Et in hoc sensu locutus est Philosophus, lib. 10. Methaphys. t. c. 6. dum dixit, prædicamenta esse primo diuersa; hoc est; quia non conueniunt in aliquo genere, cum ipsa sint generalissima.

Septimo. Illa tamdem distinguuntur se totis obiectiuè, quæ non conueniunt in aliquo conceptu vniuoco, dicto de illis in quid. Et sic ens reale, & ens rationis, vt communiter dicitur, distinguuntur; quia in nullo conueniunt vniuocè. Similiter passiones entis, & differentiæ vltimæ, hoc modo distinguuntur; quia licet conueniant in conceptu entis; non tamen prædicatur de illis in quid. Et per oppositum, illa sunt eadem se totis obiectiuè, quæ conueniunt in aliquo conceptu obiectiuo, vniuoco, & quiditatiuo; siuè talis conceptus sit limitatus, siuè illimitatus. Et hoc modo Deus, & creatura, sunt idem; quia conueniunt quiditatiuè in conceptu vniuoco entis transcendentis. Similiter decem prædicamenta, sunt eadem se totis; quia conueniunt in conceptu vniuoco entis finiti, qui de illis prædicatur quiditatiuè.

Ad propositum, applicando hanc doctrinam, quæ complectitur totum Tractatum Formalitatum Doctoris Subtilis. Prima sententia habet dicere, nullam dari distinctionem ex natura rei actualem ante operationem intellectus inter prædicamenta, sed tantum distingui per diuersos modos prædicandi de prima substantia; quia substantia in communi prædicatur in quid de prima: quantitas, in quantum, vel in quotum: qualitas in quale &c. qui modi, sunt secundæ intentiones dependentes ab opere collatiuo intellectus. Secunda verò conatur dicere, prædicamenta ità esse distincta realiter, vt se habeant veluti diuersæ res, quarum vna possit esse sine alia. Tertia tamdem, habet ponere distinctionem inter prædicamenta ante quamcumque operationem intellectus, contra primam; non tamen quod se habeant, vt res, & res, vniuersaliter loquendo de omnibus prædicamentis, sed sicut realitates, & realitates, de quibus possint verificari duo prædicata contradictoria, contra secundam opinionem.

Secundo notandum est, ex Doctore diuersis in locis, & ex eodem Auctore Formalitatum, distinctionem realem dupliciter sumi posse; vno modo, vt contradistinguitur à distinctione rationis. Et sic compræhendit sub se quamcumque distinctionem ante operationem intellectus. Vnde hoc modo etiam distinctio formalis, & ex natura rei, cum reliquis quatuor, dicuntur distinctiones reales; quia habent esse independenter ab opere collatiuo intellectus. Alio modo sumitur, vt distinguitur contra distinctionem ex natura rei, & formalem. Et sic, est vnum genus distinctionis cadens inter rem, & rem; sicut distinctiones ex natura rei & formales, ex opposito, cadūt inter realitates, & formalitates. An autem de mente Scoti, prædicamenta distinguantur realiter primo, vel secundo modo tantum, vel aliqua secundo modo, & omnia primo modo; dissidium est inter Scotistas, ortum ex diuerso modo loquendi eiusdem. Siquidem aliqui tenent, vniuersaliter non distingui realiter strictè omnia prædicamenta, quia dantur aliquæ relationes realiter idētificatæ suis fundamentis, quæ tamen spectant ad aliquod prædicamentum relatiuorum, cuiusmodi sunt relatio creaturæ ad Deum, & relatio similitudinis inter duas similitudines, vel inhærentiæ inter duas inhærentias, & aliæ. Alij verò contendunt, vniuersaliter distingui realiter strictè; quia omnia prædicamenta sunt secundum se tota realiter ad inuicem impermixta, & possunt ad inuicem separari, vt subtiliter probat Scotus, lib. 5. Methaphys. quæst. 6 & in secundo d. 3. q. 4. D. & E. Quid autem sit tenendum, dicam in sequentibus conclusionibus.

Ex his ergo sit prima conclusio, contra Thomistas, & sequaces. Prædicamenta non distinguuntur tantum ratione, siuè ratiocinante, siuè ratiocinata; hoc est, per distinctos modos prædicandi de prima substantia,

tia, sed etiam ex natura rei actualiter; idest per diuersos modos essendi, quibus constituuntur in esse. Est communis omnium Scotistarum, & multorum aliorum, etiam ex Thomistis, quos refert Mastrius, disp. 6. log. q. 2. Probatur prima Pars. Quia illa, quæ distinguuntur, seclusa operatione intellectus, non distinguuntur tantū ratione; sed prædicamenta sunt huiusmodi; ergo. Maior patet ex primo notabili. Minor probatur. Quia modi intrinseci essendi prædicamentorum distinguunt propriè prædicamenta, ex Aristotele 5. Meth. t. c. 14. Tum quia eadem sunt principia essendi, & distinguendi; sed tales habent esse præter operationem intellectus; quia siue intellectus consideret substantiam, siuè non, similiter quantitatem, & qualitatem, substantia est ens per se; quantitas, & qualitas sunt entia in alio, idest in subiecto; ergo. Confirmatur hæc ratio. Quia sicut se habent principia, & principiata taliter se habent, ex Aristotele, primo Methaphysicæ, t. c. 43. Sed modi essendi prædicamentorum, quibus prædicamenta constituuntur in esse, sicut à principijs, distinguuntur ex natura rei; siquidem nullo considerante intellectu, modus per se, seu in se, non est modus in alio; ergo. Secundo probatur conclusio. Quia entia rationis distinguere nequeunt entia realia, sed solum eadem denominare sic distincta; sed modi prædicandi sunt entia rationis, cum sint secundæ intentiones fabricatæ per opus collatiuum intellectus, & prædicamenta sunt entia realia; ergo nequeunt illa distinguere. Maior patet. Quia entia rationis fundantur super entibus realibus, suppositis quibusdam proprietatibus in illis repertis; ergo nequeunt illa distinguere, sed tantum illa sic distincta denominare. Secunda Pars probatur. Quia modi constitutiui prædicamentorum, sunt actualiter in illis; ergo prædicamenta per huiusmodi modos, non tantum distinguuntur virtualiter, sed etiam actualiter. Antecedens patet. Quia actu substantia constituitur per esse in se, & quantitas per esse in alio; ergo requirunt principia constitutiua actualia. Consequentia est manifesta. Quia eadem sunt principia constitutiua, & distinctiua; ergo si actu constituunt, etiam actu habent distinguere constituta ad inuicem.

Secunda Conclusio. Omnia Prædicamenta, vniuersaliter loquendo, distinguuntur se totis subiectiuè, non verò se totis obiectiuè. Probatur. Quia illa, quæ non conueniunt in aliqua realitate potentiali, contrahibili ad illa per differentias oppositas, distinguuntur se totis subiectiuè, vt patet ex diffinitione tradita not. primo; sed prædicamenta omnia sunt huiusmodi; ergo. Minor probatur. Quia omnia prædicamenta conueniunt in ente finito, quod diuiditur in illis; sed ens finitum non dicit realitatem potentialem, contrahibilem ad illa per differentias oppositas, cum non sit genus, vt probatum est in præcedenti cum Philosopho, & Doctore subtili; ergo. Tum quia prædicamenta sunt primo diuersa, ex Aristotele, 3. Meth. cap. 2. t 10. & 11. Sed diuersa sunt, quæ in nulla realitate prædicabili de eis conueniunt, ex eodem, quinto Meth. cap. de eodem, diuerso, & differenti, ac simili, t. c. 16. ergo Secunda Pars probatur. Quia illa sunt eadem se totis obiectiuè, quæ conueniunt in aliquo conceptu vniuoco, qui dicatur de illis in quid, ex diffinitione posita in primo Not. sed omnia prædicamenta conueniunt vniuocè, & quiditatiuè in conceptu entis, vt probatum est superius, dispur. prima, q. 3. ergo non distinguuntur, sed sunt eadem se totis obiectiuè.

Tertia Conclusio. Omnia prædicamenta distinguuntur inter se realiter, non tantum largè, hoc est, ex natura rei formaliter, sed etiam strictè, tamquam res à rebus. Est Scoti clarissimè, quinto Meth. q. 6. Et colligitur ex secundo, d. 1. q. 5. ad secundum princip. in secunda responsione. Et dist. 3. q. 4. sub lit. D. & E. Probatur primo. Quia omnia prædicamenta secundum se tota, sunt primo diuersa, itaut prædicata, & subiecta vnius, non sint prædicata, & subiecta alterius, secundum Phylosophum, primo Poster. t. 34. ergo realiter distinguuntur inter se. Consequentia patet. Quia oppositum prædicati, infert oppositum subiecti; si enim non essent sic impermixta, vnum posset esse, vel pars prædicati, vel pars subiecti alterius. Secundo. Nulla res potest esse in duobus prædicamentis; aliter haberet duas essentias, cum contineretur sub aliqua specie, & vna species dicit totam essentiam indiuiduorum; ergo res diuersorum prædicamen-

camentorum sunt realiter impermixtæ. Tertiò. Diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species, & differentiæ, & consequenter indiuidua, ex Philosopho, in Antepraedicamentis, Regula secunda. Sed omnia prædicamenta sunt diuersa genera, non subalternatim posita; tùm quia vnum non ponitur sub alio, nec sub vno tertio genere omnia; quia sunt primo diuersa subiectiuè, vt probatum est in secunda Conclusione; ergo habent diuersas species, & differentias, & indiuidua; atque adeò distinguuntur realiter. Quarto. Quæ possunt ab inuicem separari, distinguuntur realiter, ex prima conditione distinctionis realis: sed omnia prædicamenta possunt ab inuicem separari; ergo. Minor probatur. Quia substantia est prior omni accidente, tam absoluto, quam respectiuo, natura, tempore, & diffinitione, ex Aristotile, 7. Meth. cap. primo, t. c. 4. quantitas, qualitate; & hæc omnia sunt priora relationibus, cum sint illarum fundamenta, & termini; ergo saltem per Dei potentiam possunt ab inuicem separari.

Dices. Multas relationes identificari suis fundamentis, vt patet de relatione alietatis, similitudinis, proportionis, & inhærentiæ; vt subtiliter probat Doctor, in secundo, dist. prima, q. 4. & 5. In quarto, d. 12. q. 1. Et dist. 13. q. 1. In 3. d. 8. q. vn. Et quol. 3. & quinto, ac alibi; igitur saltem prædicamentum relationis, non erit realiter distinctum ab alijs.

Contra. Quia estò sit verum, quod dicit Doctor, dari nimirum multas relationes, tum intrinsecus, tùm extrinsecus aduenientes, quæ nequeant separari à suis fundamentis, non propterea inferendum est, prædicamentum, seu prædicamenta relationum, non esse realiter distincta à suis fundamentis; siquidem huiusmodi relationes identificatæ realiter, non sunt prædicamentales, sed transcendentales; quod probatur. Quia, quæ conueniunt enti antequā diuidatur in decem genera, non sunt prædicamentalia, sed transcendentalia; sed tales relationes enumeratæ, sunt huiusmodi; ergo. Maior patet. Minor probatur. Quæ conueniunt vniuersaliter rebus omnium generum, conueniunt enti, vt est indifferens ad illa. Patet à simili. Quæ conueniunt omnibus animalibus indifferenter, conueniunt illis ratione animalis, vt est indifferens ad omnia animalia; ergo, quæ conueniunt rebus omnium generum, conueniunt enti, vt est indifferens; & sic transcendenter; sed huiusmodi relationes conueniunt rebus omnium prædicamentorum: patet. Quia duæ substantiæ dicuntur similes, aliæ, proportionales; similiter quantitates, qualitates; similiter omnia accidentia dicuntur inhærentia subiectis; similiter dicendum est de relationibus identitatis, & distinctionis; ergo cum competant rebus omnium generum, non sunt prædicamentales, sed transcendentales; ac proindè inferendum, omnia prædicamenta relationum, posse separari à suis fundamentis. Doctor probat conclusionem inductiuè, discurrendo comparatiuè per singula prædicamenta, lib. 5. Methaph. quæst. 6. & 7. Quarè si non placent probationes iam factæ, desumptæ tamen ab eodem, in secundo, d. 3. q. 4. §. ex tertia via, lit. D. videantur aliæ loco citato in Methaphysica.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Vbi sufficit distinctio per intellectum, non est ponenda distinctio ex natura rei; quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ex Philosopho, primo Phys. t. c. 51. sed inter prædicamenta sufficit distinctio per intellectum; ergo sufficit distinctio rationis; & superfluit illa ex natura rei. Minor probatur. Quia actio, & passio, sunt duo prædicamenta; sed inter illa non est distinctio ex natura rei; ergo sufficit illa per intellectum. Minor probatur. Tum quia, secundum Aristotelem, tertio Physic. t. c. 19. sunt vnus motus realiter. Tum quia distinctio ex natura rei nequit reperiri, vbi non est compositio; sed actio, & passio reperiuntur in eodem motu sine compositione; ergo ad distinguendum illa duo prædicamenta, erit sufficiens distinctio rationis ratiocinatæ cum fundamento in re; quatenus nimirum concipit intellectus motum, vt procedentem ab agente, & sic dicitur actio; & prout recipitur in passo, dicetur passio.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, nego iterum minorem, imò inter illa cadit distinctio, non tantum realis largè, seu ex natura rei, sed etiam realis strictè. Quia sūt in rebus realiter distinctis;

actio

actio enim est in agente, & passio in passo, quæ ab ipsis denominantur intrinsecè, vt probabimus, tertio physicorum. Ad primam probationem dico, veram esse auctoritatem Philosophi concomitanter, non tamen formaliter; quia sic actio, & passio formaliter sumptæ, cum sint relationes, distinguuntur realiter inter se, & à motu, qui est de genere quantitatis. Ad secundam probationem, nego maiorem absolutè; quia reperitur in diuinis, & tamen ibi nulla est compositio, nec physica, nec methaphysica, vt patet.

Obijcies secundo. Quia inter gradus essentiales eiusdem rei, non est necessariò ponenda distinctio ex natura rei, sed sufficit per intellectum; at prædicamenta possunt in eadem entitate conuenire, & eorum rationes non distinguantur per diuersos gradus essentiales, sed solum per diuersos modos essendi, vt substantia ab accidentibus per modum per se; & accidentiam inter se per diuersos modos inhærendi; ergo non est necessarium illa distingui ex natura rei, sed sufficit per intellectum. Consequentia probatur. Quia minus differunt modi, quam gradus essentiales.

Respondetur, Prędicamenta distingui ab inuicem, & per gradus essentiales disparatos, essentialiter, & per modos diuersos essendi se totis subiectiuè; & consequenter realiter; quia hæc distinctio, cum sit maior reali, infert realem, vt dicunt Formalizantes Scotistæ. Et ideò negatur consequentia. Ad cuius probationem dico, magis distingui prædicamenta per diuersos modos essendi, quam per gradus essentialiter diuersos; quia modi essendi sunt constitutiui, & distinctiui se totis subiectiuè, & realiter; gradus autem essentiales disparati, tantum formaliter, & essentialiter.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionem. Quia Doctor Subt. 8. Methaphysicæ, q. 1. ad secundum pro opinione dicit, idem potentiale commune ad substantiam, posse esse in diuerso prædicamento, vt est commune ad accidentia; ergo idem realiter, & distinctum formaliter potest esse diuersorum prædicamentorum. Deinde, in secundo, d. 1 q. 5. ad secundum principale, putat probabile, relationem creaturæ ad Deum, quæ est identificata realiter creaturæ, posse esse in prædicamento relationis; & si creatura spectet ad aliud prædicamentum; ergo prædicamenta, secundum Scotum, saltem aliqua, sunt tantum diuersa formaliter, & non necessariò realiter.

Respondetur primo cum P. Cauello doctissimo meo Magistro in Scholijs ad citata loca Doctoris, Scotum fuisse problematicum in hac materia; siquidem in locis adductis, est contentus diuersitate formali, seù ex natura rei, inter prędicamenta diuersa; at lib. 5. Methaphysicæ, q. 6. & in secundo d. 3. q. 4. D. & E. probat subtiliter, prædicamenta distingui realiter, tamquam res à rebus. Ex quibus manifestè conuincitur eius varietas; ac propterea non potest adduci nec pro, nec contra conclusionem.

Vel dicendum secundo, negando vtramque consequentiam Imò firmiter tenēdum est cum Scoto, omnia prædicamenta esse diuersa realiter, & non tantum formaliter. Nec loca adducta quidquam facessunt negotij, vt propterea cogamur à priori sententia discedere; quippè qui, ideò dixit in 8. Methaphysicæ, q. 1. idem potentiale, seu perfectibile in ordine ad formam substantialem, & accidentalem, esse posse in diuersis prædicamentis, quia putauit illud esse vniuocum, secundum communem sententiam; atqui cum hoc esse falsum conuincatur ex eo, quod enti substantiali, & accidentali, secundum ipsum, nihil detur commune vniuocum limitatum, consequenter dicendum est, non idem potentiale, & perfectibile, sed diuersa realiter, spectare ad diuersa prædicamenta.

Ad secundum locum de secundo sent. d. prima, q. 5. facilior est responsio. Quia non asserendo, sed referendo, dixit de mente aliorum, vt possent saluare, relationem creaturæ ad Deum esse prædicamentalem, prædicamenta esse diuersa tantum formaliter: at loquēdo de mente propria, cum alias probauerit huiusmodi relationes, identificatas suis fundamentis realiter, esse transcendentales, & non prædicamentales, confirmauit tacitè propriam sententiam, quam lib. 5 Meth. q. 6. acriter probauerat, nimirum prædicamenta distinguit inter se realiter.

Obijcies quarto, Mobilitas, risibilitas, & huiusmodi relationes aptitudinales substātiarum, sūt illis realiter identificatæ, secūdū

nostram sententiam, ac proindè in prædicamento substantiæ reductiuè collocandæ; atqui adhuc sunt in prædicamento relationis, cum sint intrinsecus aduenientes; ergo res vnius prædicamenti non distinguitur realiter, sed tantum formaliter à re alterius prædicamenti. Confirmatur. Quia passio est in prædicamento qualitatis; sed talis identificatur realiter cum subiecto, quod est in alio prædicamento; ergo eadem res realiter, & distincta formaliter, spectabit ad diuersa prædicamenta.

Respondetur, concessa maiori, negando minorem. Siquidem huiusmodi relationes aptitudinales, cum sint identificatæ realiter suis subiectis, sunt reductiuè in prædicamentis suorum subiectorum, & non in prędicamento relationis; quia sunt transcendentales, & non prædicamentales. Ad probationem dico, non esse propriè relationes intrinsecus aduenientes; quia non resultant, positis fundamento, & termino, cum careant terminis in actu; aliter non dicerentur aptitudinales; sed pro tanto possunt dici intrinsecus aduenire, quia emanant à principijs intrinsecis subiecti, vel fundamenti; & sibi identificantur realiter.

Ad confirmationem dico, maiorem esse veram, sumendo passionem pro qualitate inferente passionem in sensibus; sed nego posteà, hanc esse identificatam realiter suis subiectis, imò realiter separatur ab eis; falsam verò si sumatur passio pro inclinatione naturali, seu proprietate intrinseca; quia hæc cum sit identificata realiter suo subiecto, est reductiuè in illo prædicamento, in quo eius subiectum, collocatur.

Obijcies quinto, ex Doctore Subtili. Quia figura est in genere quantitatis, dum per se consideratur à Geometra, cuius est agere per se de quantitatibus; sed etiam est in prædicamento qualitatis, per Aristotelem, cap. de qualitate; ergo idem realiter spectabit ad duo prædicamenta.

Respondetur, ex eodem ibidem, figuram esse vocem æquiuocam; siquidem significat superficiem terminatam lineis; & sic est in genere quantitatis; & vt sic, consideratur à Geometra; alio modo significat ipsam clausionem linearum, siuè earumdem terminationem; & sic est in genere qualitatis. Vnde non sequitur, idem, sed diuersa realiter, spectare ad diuersa prædicamenta.

Obijcies sexto. Scientia est in genere qualitatis; quia spectat ad primam speciem, seu modum qualitatis; sed scientia est per se relatiuum, ex Philosopho, cap. de Ad aliquid: & quinto Methaph. t. c. 20. ergo idem realiter spectat ad diuersa prædicamenta; & sic non distinguuntur realiter, sed formaliter.

Respondetur, ex Doctore loco citato, ad tertium principale, quod scientia est nomen æquiuocum; aut enim significat habitum mentis, aggregatum ex frequentatis actibus sciendi, & sic est qualitas; aut dicit relationem ad obiectum scibile; & sic est relatiuum pertinens ad tertium modum relatiuorum. Ex quo non sequitur, vnum, & idem realiter, & diuersum formaliter, spectare ad diuersa genera, sed potiùs diuersa realiter, collocari in distinctis prædicamentis realiter. Plura alia affert Doctor contra hanc conclusione; sed quia soluuntur ex dictis, & dicendis, ideò modo omittuntur.

Vtrum omnia entia realia, reponantur in Prædicamentis?

QVÆSTIO III.

IN hac quęstione, cum sit sermo de omnibus entibus realibus, siue finitis, siue infinitis, siue limitatis, siue illimitatis, siue completis, siuè incompletis, siuè tandem sint communia siuè particularia, est multiplex opinio.

Prima sententia est eorum, qui collocant omnia entia in prædicamentis; nec ab ipsis excludunt Deum, & ea, quæ dicuntur de Deo. Ità Gregorius Arimin. Gabriel Biel, cum cæteris Nominalibus, in primo, d. 8. q. 3. Holchoth ibidem, q. 6. & Io. Bachonis, dist. 9. q. 1. ac alij pauci.

Secunda sententia est D. Th. lib. 1. contra Gentes, c. 24. & 25. Ferrariensis ibidem. Caiet. in primam par. D. Th. q. 3. art. 5. Alensis, 1. p. q. 48. membro 5. art. 2. & 3. Scoti, in primo, d. 8. q. 3. Ricardi, Durandi, & Ægidij ibidem; & ferè omnium, tùm Theologorum, tum Philosophorum, asserentium, nec Deum, nec aliquid dictum de Deo fore collocandum in prædicamentis; siquidem

ens,

ens, quod diuiditur in decem Genera, non ens transcendens est, sed contractum per finitatem, sub quo non collocatur Deus, cum sit infinitus.

Alij verò loquentes de rebus finitis, ac limitatis, dicunt partes, tum physicas, tum methaphysicas, per se pertinere ad prædicamentum. Ita Louanienses, & Villapandus, secuti ex Antiquis, Ammonium, cap. de substantia.

Oppositum tamen communiter docemur sustinere, cum D. Th. prima par. q. 29. art. 4. Scoto hic, q. 15 Caiet. & Soto, cap. de substantia. Toleto ibidem, q. 5. Ruuio de incomplexis, cap. 4. q. 1. part. 2. nimirum partes, tam physicas, quam methaphysicas reponendas esse in prædicamento, tantum indirectè, ac reductiuè.

Alij insuper dicunt, indiuiduum non spectare per se, sed tantum ratione speciei, quam participat, ad prædicamentum. Ità Iauellus in logica, tract. 5. cap. 1. fundatus in Porphyrio, c. de specie, vbi inquit. Descendendo à supremo genere, vsque ad speciem infimam, in eadem iubebat Plato quiescere.

Oppositum tamen communiter tenetur ab Expositoribus, & præcipuè à Doctore Subtili, in secundo dist. tertia, q. 4. sub D. & E. quem secuti sunt Ruuius loco citato, & Fonseca, 5. Meth. cap. 7. q. 7. sect. 2. & q. 8. sect. 3.

Alij denique, loquendo de accidentibus, excludunt concreta, & dumtaxat abstracta reponunt in prædicamentis. Ita D. Thom. de Ente, & essentia, cap. 7. in fine. Auicen. 3. Methaphys. cap. 3. Paulus Venetus in Antepraedicamentis, cap. 4. & nonnulli, alij Thomistarum, quos recenset Mastrius, disp. 6. q. 3. n. 18.

Cæterum Toletus, q. 2. Prædicamentorum ex communibus, Niphus, 5. Methaphys. quæst. 4. & 7. excludunt ex opposito abstracta, & reponunt tantum concreta in prædicamentis. Alij tandem dicunt, res ponendas esse in prædicamento vtroque modo. Ità Auersa hic, quæst. 16. sect. 5. Ruuius cit. quæst. 2. & alij Recentiores.

An verò Doctor Subt. sequatur hanc, vel illam opinionem, non est ità manifestum; quandoquidem, quæst. 5. hic, in responsione ad illud de concretis &c. dicit, concreta non esse per se in prædicamento, sed tantum reductiuè, ratione suorum abstractorum. Ex quo videtur mediare inter duas priores sententias, dum affirmat contra primam, etiam concreta esse in genere; & dum negat contra secundam, esse in genere diuerso ab illo abstractorum.

Pro resolutione huius multiplicis quæstionis plura sunt notanda; & primo, quod res poni in prædicamento, est ipsas ordinari secundum sub, & supra; vt patet in Prædicamento substantiæ, in quo corpus ordinatur sub substantia; corpus animatum sub corpore; animal sub corpore animato, &c. Hæc autem ordinatio dupliciter potest fieri; & in propositione vocali, & in mentali. Primo modo ordinantur voces exprimentes res, sic dicendo. Petrus est homo; homo est animal; animal est corpus animatum; corpus animatum est corpus; & corpus est substantia. Secundo modo ordinantur res, vtpotè concipiendo vnam in ratione inferioris in ordine ad aliam in rationem superioris, ascendendo vsque ad suprçmum prædicatum, quod est substantia. Ex quo sequitur, tàm voces, quàm res esse posiias in prædicamento, sed diuersimodè; nam res ponuntur principaliter; voces verò minus principaliter, pro quanto videlicet sunt expressiuæ rerum in propositionibus vocalibus.

Secundo notandum, ex dictis supra, disp. prima q. 3. & ex Doctore, in primo sent. d. 8. q. 4. N. ens reale transcendens, comprehendere sub se ens infinitum, quod est Deus, & omnia, quæ sunt in Deo formaliter. Vt essentia Diuina, Trinitas Personarum, Potentia, Sapientia, Bonitas, Iustitia, Misericordia, Intellectus, Voluntas, & alia; ac finitum, quod immediate diuiditur in decem prædicamenta, & sub se continet omnes substantias, siuè corporeas, siuè incorporeas; omnes quantitates, tam continuas, quam discretas; omnes qualitates, tam corporales, quam spirituales; & omnes relationes, siue intrinsecus, siue extrinsecus aduenientes. Ex quo patet, ens diuisum in decem prædicamenta, non esse superius ad Deum, nec quo ad existentiam, nec quo ad conceptum obiectiuum prædicabilem de eo; sed esse ens finitum, excludens ipsum

Deum,& omnia,quæ dicuntur de ipso formaliter, vel identicè. Et quia non quodlibet ens finitum est reponibile in prædicamento; ideò.

Tertio notandum est,quod octo sunt cōditiones, quæ requiruntur, vt aliquid sit in aliquo decem prædicamentorum. Prima conditio est, quod sit ens. Et per hanc excluduntur non entia, vt sunt negationes, priuationes,& chimeræ. Secunda, quod sit ens reale. Et ideò ab his decem prædicamentis excluduntur entia rationis, cuiusmodi sunt secundæ intentiones, siuæ logicales,siuè grammaticales; quia de eis datur proprium prædicamentum, vt videbimus in sequenti. Tertia, quod sit finitum. Et per hanc excluduntur entia infinita, quæ non sunt in prædicamentis, sed transcendentia. Quarta, quod sit limitatum. Et per hoc excluduntur entia finita illimitata; vt bonum, verum, res, aliquid, & huiusmodi, quatenus conueniunt enti finito. Quinta,quod sit incomplexum. Et ideò complexa, vt sunt propositiones, non sunt in genere. Sexta, quod sit vniuocum. Et per hoc excluduntur voces æquiuocæ; vt canis, sanum &c. Septima, quod sit significatum principaliter.Et ideò excluditur subiectum in accidentibus concretiuè sumptis; quia est minus principaliter significatum ab illis. Octaua, quod non sit actu existens, sed habeat esse cognitum. Quod dicitur præcipuè propter indiuidua; siquidem talia non ponuntur in prædicamento secundum actualem existentiam, quam habent extra suas causas, sed vt cognoscuntur ab intellectu actu recto, & secundum rationem communem ab illis abstractam.

Quarto notandum est,quod illa, quæ reponuntur in prædicamento, tripliciter ordinari possunt,scilicet directè,indirectè, & reductiuè.Illa,quæ ponuntur directè sunt, quæ ordinantur in recta linea; & sunt genera,species,& indiuidua.Illa verò ponuntur indirectè, quæ ordinantur à latere hinc indè generum, & specierum; & sunt differentiæ genericæ,specificæ,& indiuiduales, vt patet in arbore Porphyriana. Illa denique reductiuè ponuntur, quæ neutro horum modorum ordinantur, sed tantum aliquo modo attribuuntur ad genera, species, & indiuidua. Et hæc sunt in quadruplici differentia; siquidem quædam reducuntur, vt passiones ad sua subiecta cum quibus identificantur; vt risibile ratione hominis; hinnibile causa æqui, &c. Alia tamquam partes, siuè essentiales; vt materia, & forma ad corpus; anima, & corpus ad animal, seù ad viuens; siuè integrales; vt caput, brachia, &c. sunt in eo prædicamento, in quo ponuntur eorum tota, tùm essentialia, tùm integralia. Alia reducuntur quasi per accidens, vtpotè, quia habent modum principij, vel termini alicuius, quod per se reponitur in aliquo genere; vt punctum in linea; mutatum esse in motu; & instans in tempore; quæ reponuntur in prædicamento quantitatis, in quo sunt linea, motus, & tempus. Alia tamdem per accidens reducuntur; vt sunt priuationes, & negationes, quæ sunt in illis prædicamentis, in quibus sunt earumdem positiua, vel habitus; vt negatio hominis, per accidens ponitur in prædicamento substantiæ; cæcitas, & surditas, in prædicamento visus,& auditus. Ex quibus patet, quod omnia entia creata, finita, & limitata aliquo horum modorum disponuntur in prædicamentis ab Aristotele enumeratis.

Quinto notandum est, partes alicuius totius esse in duplici differentia; aliæ enim dicuntur physicæ, & aliæ methaphysicæ. Physicæ adhuc duplices, scilicet essentiales, quæ componunt totum essentiale; vt materia, & forma respectu compositi; anima, & corpus respectu viuentis; & integrales; vt caput, brachia, manus, pedes respectu corporis, quod est totum integrale. Methaphysicæ sunt, quæ componunt totum methaphysicum, scilicet speciem; vt sunt genus, & differentia, scilicet animal, & rationale, in ordine ad hominem. Partes omnes, siuè physicæ, siuè methaphysicæ, siue essentiales, siuè integrales, reponuntur tantum indirectè in prædicamentis; siquidem de illis nequeunt prædicari directè earum tota, nec supræmum illius coordinationis; illæ enim sunt falsæ. Materia est compositum, & substantia: forma est compositum, & substantia;

tia : caput ; & brachia sunt corpus, & substantia. Licet benè indirectè, & in obliquo; quia hæ sunt veræ. Materia, & forma sunt aliquid compositi, & substantiæ: caput, & brachia sunt aliquid corporis, & aliquid substantiæ. Similiter in Methaphysicis hæ sunt falsæ. Rationale est substantia: animal, quatenus pars hominis, est substantia. Quod dicitur notanter; quia & si animal, vt est quodam totum compositum ex corpore animato, & sensibili, ponatur directè in prædicamento, & recipiat prædicationem in recto à substantia in communi, tamen vt est pars hominis, nec directè ponitur in prædicamento substantiæ, nec in recto recipit prædicationem à supræmo genere, sed tantum in obliquo, scilicet animal est aliquid substantiæ.

Sexto notandum est, partes integrales esse adhuc duplices, scilicet homogeneæ, & etherogeneæ. Partes homogeneæ sunt, quæ sunt eiusdem rationis cum suo toto; vt partes aquæ, terræ, ignis, & huiusmodi; quia recipiunt prædicationem in recto ab ipsis: quælibet pars aquæ, est aqua: quælibet pars terræ, est terra: & quælibet pars ignis, dicitur ignis. Partes verò Etherogeneæ sunt, quæ sunt alterius rationis à suis totis, & inter se, vt manus, pedes, brachia, caput &c. Omnes autem possunt adhuc dupliciter accipi; vno modo vt considerantur per se, seiunctæ à toto, & à se inuicem; & sic induunt rationem totius; quia sic vna pars aquæ dicitur tota aqua composita ex alijs partibus; & caput dicitur quoddam totum compositum, nedum essentiale, quia constat ex materia, & forma, sed etiam integrale, quia componitur ex partibus habentibus quantitatem. Alio modo vt sunt, & considerantur vnitæ suis totis; & sic nequeunt habere rationem totius; sed tantum partium; siquidem totum integrale constat ex omnibus partibus integralibus. Partes omnes, siuè homogeneæ, siue etherogeneæ, vt sunt vnitæ suis totis, sunt tantum indirectè, seù reductiuè in illis prædicamentis, vbi directè ponuntur earum tota; quia, vt sic, nequeunt recipere prædicationem in rectò à supræmo illius coordinationis. Si verò considerentur seiunctæ, cum induant rationem totius, quælibet directè ponitur in prædicamento; quia tunc sunt entia completa, contenta sub genere corporis; & consequenter substantiæ in communi, quæ prędicatur in recto de omnibus corporibus.

Ex his, sit prima Conclusio. Nullum ens infinitum ponitur in aliquo decem prædicamentorum. Et sic Deus, eius essentia, existentia, Trinitas personarum, attributa diuina, scilicet Bonitas, Iustitia, Misericordia, Sapientia, Omnipotentia, Intellectus, & Voluntas diuina, ac cætera huiusmodi, excluduntur à prædicamentis. Est D Thom. & Scoti in præcitatis locis. Probatur primo Auctoritate Sanctorum Patrum Augustini, lib. de Cognitione veræ Vitæ, cap. 3. Anselmi in Monologio, cap. 26. Boetij, lib. primo de Trinit. c. 6. Insuper Philosophorum, scilicet Auicenæ, 8. Methaphys. cap. 4. Auerrois, disputat. 7. & aliorum multorum dicentium, Deum, vel aliquid dictum de Deo non esse in genere; alioquin daretur in ipso imperfectio aliqua, & compositio, saltem ex genere, & differentia; quæ repugnant Diuinæ simplicitati. Secundo Probatur ratione. Quia illud ens ponendum est in aliquo prædicamento, quod continetur sub ente, quod immediatè diuiditur in decem genera, seù prædicamenta; sed sub tali non continetur Deus, nec aliquod dictum formaliter in quid de Deo; ergo. Maior patet. Quia ad hoc, vt diuisio sit bona, diuisum, & membra diuidentia debent esse adæquata, & diuisum descendat in membra diuidentia; ergo illud est ponendum in aliquo decem prædicamentorum, quod continetur sub ente diuiso in decem prædicamenta. Minor probatur. Quia ens, quod diuiditur in decem prædicamenta non est ens commune transcendens ad finitum, & infinitum; alioquin prædicamenta essent simul finita, & infinita, quod implicat contradictionem; ergo vel est finitum, vel infinitum; atqui non est infinitum; ergo restat, vt ens diuisum, sit ens finitum, vt contradistinguitur ab infinito. Assumptum probatur. Quia infinitum nequit claudi certis limitibus; aliter esset finitum; sed ens diuisum in decem genera clauditur decem terminis, seù limitibus, quæ sunt genera generalissima,

ergo diuisum in decem prædicamenta, non est ens infinitum. Restat ergo, vt sit ens finitum, sub quo non continetur Deus, nec aliquid dictum de Deo, quia quodlibet est infinitum, saltem realiter. Tertio probatur. Quia quod ponitur in genere, est compositum methaphysicè ex genere, & differentia; sed nullum infinitum est sic compositum, cum sit summè simplex, ex Philosopho, 12. Methaph. t. c. 37. & 38. ergo nullum infinitum ponitur in genere. Maior patet. Quia genus habet rationem potentiæ, & differentia rationem actus, ex eodem Philosopho, 8. Methaph. t. c. 9. & Auerroe, disp. 7. Contra Algazelem; ergo quod ponitur in genere, est compositum ex genere, & differentia.

Secunda Conclusio. Partes Methaphysicæ, vt partes sunt, scilicet genus, & differentia, vt sunt partes speciei indirectè tantum; partes verò essentiales, & integrales physicæ, vt partes sunt, & vnitæ toti, reductiuè dumtaxat ponuntur in prædicamento, non autem directè. Est Scoti, q. 14. & 15. in Prædicamentorum librum. D. Thomæ, & aliorum, quos citauimus in oppositum tertiæ sententiæ. Probatur prima pars de Partibus Methaphysicis. Quia illa ponuntur indirectè in aliquo prædicamento, quæ non ponuntur in recta linea, sed in lateralibus; atqui partes Methaphysicę sunt huiusmodi; ergo. Maior patet. Minor probatur. Quia differentiæ cum sint diuisiuæ generum, & constitutiuæ specierum, ponuntur à latere; Genus verò licet vt est generalissimum, vel vt species subalterna, disponatur in recta linea, tamen vt est pars speciei, debet reperiri in ordine laterali, sicut, & differentia. Secunda pars, de partibus physicis probatur. Quia illa, quæ ponuntur in prædicamento ratione alicuius, quod per se, & directè ponitur in genere, ponuntur tantum reductiuè in prædicamento; vt patet ex notab. quarto; sed partes physicæ, siuè essentiales, siuè integrales, ponuntur in prædicamento ratione suorum totorum, quæ per se, & directè ponuntur in prædicamento, cum sint entia completa, contenta sub corpore, seu sub substantia corporea; ergo tantum reductiuè ponuntur in prædicamento. Tertia pars, quod non sint directè in genere probatur simul de omnibus. Quia de illo quod est per se directè in prædicamento, prædicatur in recto supræmum illius prædicamenti; sed de partibus, siuè physicis, siuè methaphysicis, non prædicatur in recto, sed tantum in obliquo supręmum illius prædicamenti; ergo non sunt per se, & directè in prædicamento. Maior patet. Quia prædicamentum est coordinatio prędicatorum essentialium secundum sub, & supra, idest secundum subiectionem & pręDicationem, ex Philosopho in Anteprædicamentis, cap. 3. regula prima, dicente. Quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, quæcumque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia de subiecto dicuntur. Quæ secundum omnes expositores, manifestat ordinem eorum, quæ ponenda sunt directè in aliquo prædicamento; vtpotè quod superius debeat prædicari in recto de quolibet inferiori in quid, & vniuocè. Minor etiam est clara. Quia hæc sunt falsa prædicata. Materia est substantia; forma est substãtia; manus pes, brachium sunt substãtiæ: similiter hæc est falsa. Rationale est substantia; animal, vt est pars essentialis hominis, est substantia; licet sit vera; vt animal, est quoddam totum compositum ex corpore animato, & sensibili; prædicatur tamen de illis substantia in obliquo; quia hæ sunt veræ. Materia, & forma sunt aliquid substantiæ; manus, pedes &c. sunt aliquid substantiæ; ergo non directè, sed tantum indirectè, & reductiuè ponuntur in prædicamento substantiæ.

Tertia Conclusio. Indiuiduum, secundum esse cognitum ab intellectu, & vt abstrahit ab actuali existentia, est directè in prædicamento. Est Scoti in secundo, d 3, q. 4. & communiter defenditur. Contra Iauellum, tract. quinto logicæ, cap. 1. dicentem, tantum vniuersalia esse directè in prædicamento; particularia verò, ratione ipsorum. Probatur. Quia ens completum, quod per se recipit prædicationem à supremo alicuius coordinationis, est directè in tali coordinatione, ex præcedenti conclusione; sed indiuiduum est huiusmodi; ergo. Minor probatur. Quia indiuidua sunt composita ex natura specifica, & differentia indiuiduali, vt patet; & recipiunt prædicationem immediatè à specie; deindè a genere subalterno; & tandem à generalissimo per illã Regulam Anteprædicamentalem. Quando alterum de altero prædicatur &c. valet enim.

enim ista prædicatio. Petrus est homo, animal, corpus animatum, corpus, & substantia; ergo supræmum coordinationis substantialis prædicatur in recto de indiuiduis; ac proindè sunt directè in prædicamentis.

Quarta Conclusio. Concreta, & abstracta reponuntur in eodem prædicamento; hæc per se, illa verò ratione identitatis in significato principali. Est Scoti, q. XI. Prædic. §. Ad illud de concretis &c. in Elench. q. 16. & q. vltima Vniuersalium, ac 9. Metaphysicæ, q. 3. & 4. Probatur à Ruuio citato, q. 2. n. 27. Prædicamentum fit ex entibus per se, & completis; sed cōcretum est vnum per se, & completum; ergo concretum est per se in prædicamento. Minor probatur. Quia sicut ex potentia, & actu substantiali fit vnum per se substantiale, ex Aristotele, secundo de Anima t. c. 2. ità ex natura accidentali, scilicet ex abstracto, & modo proprio accidentali actualis inhærentiæ accidentis ad subiectum per se componitur concretum. Cæterum hæc probatio nihil valet. Quia fundatur in falso fundamento, nimirum accidens concretum esse compositum ex natura accidentis, vt ex potentia materiali, & inhærentia actuali ad subiectum, sicut ex actu, seu forma. Tum quia accidens non est compositum ex materia, & forma physica, ex Aristotele. 8. Metaphys. t. 13. & 14. Tum etiam, quia ex absoluto, & respectiuo, non potest fieri vnum per se; sed natura accidentis, vt puta albedo, est quid absolutum, & inhærentia actualis eiusdem ad subiectum est respectus, vt probauimus, q. vltima de Accidente; ergo concretum coalescens ex tali natura, & inhærentia actuali, non potest esse vnum per se. Maior patet. Quia data hipothesi, in eodem essent incompossibilia per se vnita, & contradictoria; siquidem esset ad se, & non ad se; ad aliud, & non ad aliud; quod implicat in eodem simul, & semel.

Ideò aliter probatur prima pars de mente Doctoris. Concretum, & abstractum conueniunt in significato principali, & differunt tantum in modo significandi gramaticaliter, scilicet per operationem intellectus; ergo qua ratione abstractum est in vno prædicamento, eadem ratione, & concretum ibi erit. Consequentia patet. Quia in tantum remouetur concretum à prædicamento sui abstracti, in quantum habet significatum diuersum realiter, & non tantum per operationem intellectus; igitur si concretum, & abstractum conueniunt realiter, & formaliter in eodem significato, & tantum differunt ratione, spectabunt ambo ad idem prædicamentum. Secunda pars probatur. Quia quod habet esse per se, & completum, & de ipso prædicatur in recto supræmum illius prædicamenti, per se ponitur in prædicamento; sed abstractum est huiusmodi; ergo. Maior patet ex dictis in notabilibus. Minor probatur. Quia abractū importat naturam accidentis per modum per se stantis. Tum etiam, quia hæc est vera; albedo est qualitas; superficies est quantitas, & sic de ceteris; non tamen album est qualitas, sed quale; igitur &c. Tertia pars probatur. Quia de concretis non prædicatur per se, & directè supræmum prædicamenti, sed tantum in quantum conueniunt cum abstractis in significato principali realiter, & formaliter; ergo concreta non ponuntur per se in prædicamentis, sed tantum per attributionem ad abstracta. Consequentia patet. Antecedens probatur. Quia hæc est falsa: album est qualitas; album est color; licet in obliquo hæc sit vera: album est ex qualitate, scilicet ex albedine; ergo sicut per attributionem ad abstracta, concreta recipiunt prædicationem supræmi alicuius prædicamenti, ità per attributionem ad abstracta ponuntur in prædicamentis.

Quinta Conclusio, qua directè respondetur titulo quæstionis. Non omnia entia reponuntur in prædicamentis, sed tantum entia realia, finita, & limitata, incomplexa, vniuoca, significata principaliter, secundum esse cognitum ab intellectu, sub ratione subiectionis, & prædicationis. Conclusio remanet probata ex dictis, tum in Notab. tùm etiam in præcedentibus conclusionibus. Potest nihilominus declarari etiam sic. Quia illa, quæ ponuntur in prædicamētis, aut ponuntur directè; & sic genera, species, & indiuidua sunt in prædicamento: aut indirectè; & sic sunt differentiæ genericæ, specificæ, & indiuiduales; aut tandem reductiuè; & sic ponuntur passiones, partes essentiales, & integrales, principium, & terminus alicuius quantitatis; atqui omnia talia sunt entia, realia, finita, limitata, in-

complexa, significata principaliter, vniuoca, & secundum esse cognitum possunt considerari ab intellectu in ratione subiectionis, & prædicationis; ergo ea, quę reponuntur in prædicamentis, sunt entia realia, &c. Maior, & minor sunt manifestæ ex dictis.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Quod continetur sub aliquo prædicabili de pluribus differentibus specie in quid, ponitur in genere; sed Deus, & ea, quæ de ipso dicuntur, sunt huiusmodi; ergo Deus est in genere; sed quod est in genere, est in prædicamento; ergo Deus est in prædicamento. Maior patet. Minor probatur. Quia spiritus prædicatur de Deo, & de Angelis, qui differunt specie.

Respondetur primo, maiorem esse veram, si tale sit finitum, & limitatum, non tamen si sit transcendens, & illimitatum; modo spiritus est quid transcendens, & illimitatum; quia cum conueniat non tantum Angelis, & animabus, sed etiam Deo, competit enti transcendenti, vt est commune ad finitum, & infinitum.

Vel dicendum secundo, negando minorem. Ad probationem dico, spiritum non esse genus ad Deum, & Angelos, ac animas rationales, cum non sit vniuocum, sed æquiuocum; quandoquidem spiritus dicitur de pluribus secundum diuersos conceptus, nimirum de Deo, vt est substantia infinita expers corporis; de Angelis, & Animabus, prout sunt substantiæ finitæ; & tandem de quibusdam partibus corporeis, quæ ob earum subtilitatem, ab Aristotele, & cæteris Philosophis, spiritus vitales nuncupantur.

Obijcies secundo. Aristotelem, quarto Topic. c. 2. dicentem, Deum esse in genere animalis; sed animal est in prædicamento substantiæ; ergo Deus est in prædicamento substantiæ. Maior patet ibidem, vbi dicit, Deum conuenire nobiscum in quantum est animal; differre tamen, quatenus immortalis; vnde Porphyrius, cap. de differentia inquit. Rationales sumus nos, & Dij, sed mortale additum nobis, separat nos ab illis.

Respondetur, quod tàm Aristoteles, quam Porphyrius locuti sunt de Deo, vel Dijs more Ethnico; putabant enim, Deos esse quædam animalia composita ex corporibus subtilissimis, nullatenus corruptionis consortia, & consequenter immortalitate donata, per quam a nobis mortalibus distinguerentur; & tales vtique Dij, si darentur, essent vtique in genere, quia forent entia finita, ac limitata, non autem verus Deus; qui cum sit infinitæ perfectionis, sibi repugnat claudi in aliquo genere, imperfectionem præseferente, vt potentiali, & perfectibili per differentiam.

Obijcies tertio D. Damascenum in Elementario, cap. 8. dicentem, Deum esse in genere. Et Boetius, lib. primo de Trinit. cap. 6. videtur dicere, in Diuinis manere duo prædicamenta, scilicet substantiæ, & relationis; alia verò mutari cum transferuntur ad Diuina; sed hi loquuntur de vero Deo; ergo. Deus est in genere.

Respondetur, D. Damascenum locutum fuisse de genere abusiuè, pro eo nimirum, quod prædicatur de pluribus ad modum specierum differentibus, & in quid; qua ratione, etiam ens transcendens, commune Deo, & creaturæ, potest appellari genus; cum prædicetur de illis ad modum generis; non tamen de natura generis, propriè, & quidditatiuè accepta; quia sic ens non est genus, cum non dicat realitatem quasi potentialem contrahibilem per differentias oppositas, sed solum conceptum vniuocum communem Deo, & creaturis.

Ad aliam Auctoritatem Boetij, breuiter dico cum Doct. Subtili, in primo sent. d. 8. q. 3. V. non fuisse intentum Boetij ponere in Deo prædicamenta substantiæ, & relationis, quæ sunt duo genera, alioquin imperfectionem posuisset in ipso; sed tantum modum prædicandi substantię, scilicet in quid, & essentialiter; & modum prædicandi relationis, scilicet in ad aliud se habere.

Vel dicendum, posse in Deo reperiri substantiam, & relationem transcendentaliter, nimirum prout substantia dicit ens per se, & relatio ens ad aliud, ab-

abstrahendo à substantia, & relatione creata, & increata. Et hoc modo possunt explicari omnes, & similes auctoritates, quæ viderentur dicere, Deum, vel aliquid dictum de Deo, esse in genere.

Obijcies quarto, contra secundam conclusionem. Substantia completa, per se, & essentialiter componitur ex materia, & forma, & substantialiter integraliter ex partibus integralibus; ergo implicat, complectam substantiam, cuiusmodi est totum per se, poni directè in prædicamento, quin, & partes similiter ponantur.

Respondetur, negando consequentiam. Siquidem distinctio realis inter totum completum, & partes incompletas obstat, quin partes valeanr reponi directè in eodem prædicamento, in quo totum reponitur; sufficit enim, vt ad ipsum aliquo modo reducantur.

Obijcies quinto, de partibus Methaphysicis. Quia aut differentiæ excluduntur per se, & directò à prædicamento, quia sunt conceptus simplices, aut quia sunt conceptus incompleti; sed neutrum est dicendum; ergo, & ipsæ erunt directè in prædicamento. Minor probatur. Quia etiam genus, vt genus, dicit conceptum simplicem, & incompletum, cum sit pars potentialis speciei; igitur si hæc non obstant, quominus possit poni directè in genere, etiam ijs non obstantibus, & differentia poterit poni directè in prædicamento.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, genus posse dupliciter considerari, vel in ratione partis potentialis constitutiuæ speciei, vel in ratione totius potentialis continentis sub se species, & differentias per identitatem. Primo modo non habet reponi in prædicamento directè, sed tantum reductiuè ratione speciei, cuius est pars. At secundo modo, cum dicat esse completum, licet potentiale, poterit benè reponi directè in prædicamento.

Dices. Igitur genus, cum habeat rationem partis, & totius, erit simul directè, & indirectè in prædicamento; quod videtur inconueniens.

Respondetur primo, negando consequentiam. Quia cum ratio totius præualeat in perfectione rationi partis, imò per identitatem, & potentialitatem imbibat in se eamdem rationem partis; ideò tantum directè habet reponi in prædicamento; & differentia, cum habeat tantum rationem partis, & nullo modo totius, tantum indirectè ponenda erit.

Vel dicendum secundo, concedendo consequentiam; nec indè vllum sequitur inconueniens; siquidem res cum ponantur in prædicamento secundum esse cognitum ab intellectu, & intellectus concipiat in genere vtramque formalitatem totius, & partis, inter se formaliter distinctas, poterit vtiquè secundum formalitatem totius directè, & secundum formalitatem partis indirectè, poni in eodem prædicamento.

Obijcies sexto, contra tertiam conclusionem. Indiuiduum non clauditur infra limites prædicamenti; ergo non poterit poni directè in prædicamento. Consequentia patet. Antecedens probatur, per Porphyriũ, cap. de specie, dicentem; quod descendendo à generalissimo vsque ad speciem infimam in ea quiescendum est; ergo prædicamentum clauditur generalissimo in ascensu, & in descensu specie specialissima; cum igitur indiuiduum sit sub specie specialissima, erit extra seriem prædicamenti.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, ibi non disponi seriem prædicamenti completiuè sumpti, quod consistit in quacumque prædicatione, & subiectione possibili, & limitata, sed tantum enumerari prædicabilia essentialia de pluribus; & ideò cum infimum prædicabile de pluribus in quid, sit species specialissima, iure conclusit, in ea quiescendum. Nec propterea excludit indiuiduum à seriæ prædicamentali, siquidem cum subijciatur immediatè speciei, & recipiat prædicationem ab ipsa, spectabit ad eamdem seriem.

Obijcies septimo, contra quartam conclusionem. Aristoteles tertio Topicorum, capit. primo, & tertio inquit, iustitiam vtique esse in genere, non tamen iustum; sed iustitia est abstractum, & iustum concretum; ergo tantum abstra-

stracta erunt in prædicamento. Item, septimo Methaphys.t.25. docet expresse album, & musicum, quæ sunt concreta, non habere vnam essentiam determinatam, & per se, sed significare res diuersorum prædicamentorum; ergo concreta nequeunt reponi in aliquo prædicamento, aliter idem posset esse in diuersis prædicamentis, quod est contra dicta superiùs.

Respondetur ad primam auctoritatem, Aristotelem locutum fuisse de genere virtutis, non de logico, seù prædicamentali, de quo loquimur in præsenti: in priori reponit iustitiam; quia cum tale sit idem, quod virtus, & iustitia sit virtus moralis, consequenter dicitur esse in genere virtutis moralis; non excludit tamen iustum, vt potè concretum, à genere logico, seu prædicamentali; quod manifestè patet ex verbis, quæ subdit. Deindè quod ipsum quod est, eo quod non in genere, vt iustitia iusto; nàm illa quidem in genere bono, hoc autem non: illa idipsum, quod est, bonum est, hoc autem non. Quę verba, iuxtà expositionem Niphi hoc in loco, intelliguntur de genere virtutis, non de prædicamentali, seù logico.

Ad secundam auctoritatem de septimo Methaph. dicendum est, album, & musicum dupliciter considerari, & pro aggregato, & pro formali; primo modo important aggregationem ex subiecto, & accidente, & sic rectè dicit Aristoteles non dicere determinatam essentiam; siquidem quoad substantiam, sunt in genere substantiæ, & quoad accidens, in genere qualitatis. Secundo modo album significat albedinem, & musicum facultatem musicam cum concernentia ad subiectum; & sic dicunt determinatam essentiam, scilicet albedinem, & scientiam musicæ, quæ per se sunt in genere qualitatis.

Obijcies octauo. Concreta magis manifestant naturam accidentis, quam abstracta; ergo magis sunt in prædicamento, quam abstracta. Antecedens probatur. Quia natura accidentis est esse in alio, ex Philosopho, septimo methaph. cap. 1. & secundo. Sed concreta magis manifestant esse in alio, quam abstracta, quia dicunt ordinem ad subiecta, abstracta verò non; ergo &c.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico esse veram de esse in alio aptitudinaliter, quod spectat ad naturam accidentis, vt diximus in quæstione vltima Vniuersalium; cæterum æquè benè per abstractum manifestatur, ac per concretum, cum importent eamdem formam accidentalem de principali significato; siquidem vtrumque formaliter consideratum, dicit aptitudinem ad esse in subiecto. At si loquamur de esse in alio actualiter, quod accidit naturæ accidentali, verum est magis manifestari per concreta, cum dicant actualem inhærentiam ad subiectum; sed concreta hoc modo considerata non sunt in prædicamento, quia dicunt ens per accidens aggregatum ex accidente absoluto, & respectiuo; siquidem actualis inhærentia dicit formaliter relationem accidentis ad subiectum, vt probauimus in citata quæstione vltima Vniuersalium.

Vtrum sit ponendum aliquod Prædicamentum intentionale, in quo reponantur secundæ Intentiones?

QVÆSTIO IV.

Negatiuam partem huius quæstionis defendunt ferè omnes Scholastici, tùm ex Recentioribus, tùm ex Antiquis, præter Scotistas, hac freti ratione nimirum, quia entia rationis sunt quædam denominationes extrinsecæ, attributæ ab intellectu entibus realibus, quæ non nisi in illis habere esse valent; vndè, & reduci habent ad illa prædicamenta realia, quæ denominant, ac propreterà fictitium esse assignare illis peculiare prædicamentum, ac si inter illas daretur coordinatio prædicatorum essentialium secundum sub, & supra, quod tamen est inconueniens. Ita Collegium Conimbric. cap 4. q. prima art. 3. Tolet. q. 1. Prædicam. de Communibus, concl. secunda Niphus, sexto Methaphysicæ, disp. 7. & alij, non pauci, quos breuitatis causa recensere omitto.

Affirmatiuam verò sententiam, quæ, & verior nobis probatur, insinuat Scotus, in 4. d. prima q. 2. sub I. quam postea Scotistæ communiter tutati sunt. Ita Vallonius in Formal. in Diuisione entis in substantiam & Accidēs, vbi Aretinus pariter cum alijs. Tatar. quæst. Praamb. in Prædicam. Dubitab.

tab. Secundo Sarnanus, & Brasauol. Tract. de secundis Intentionibus; quibus adhæret Ruuius de Natura Entis rationis, sect. vltima in fine, & Niger in suo Clypeo Thomistarum, q. 6. & alij.

Pro declaratione, ac fundamento Scoticæ sententiæ, primo notandum est, quod ens rationis est triplex, scilicet obiectiuum, subiectiuum, & habens esse in consi lerato, vt consideraro. Ens rationis obiectiuum dicitur illud, quod est obiectum intellectus, vt homo, animal, & sic de cæteris. Ens rationis subiectiuum est, quod habet esse subiectiuè in intellectu, vt scientiæ, species intelligibiles, & cætera huiusmodi. Ens tamdem rationis habens esse inconsiderato, vt considerato, est illud, quod in esse, & conseruari pendet ab opere intellectus; vt homo cognitus, leo cognitus, animal cognitum. Et hoc propriè vocatur ens rationis, prout distinguitur ab ente reali; siquidem entia rationis subiectiua, & obiectiua, sunt vera entia realia, cum habeant esse præter operationem intellectus, & in tantum dicuntur entia rationis, in quantum vel sunt subiectiuè, vel obiectiuè in intellectu, qui dicitur potentia rationalis Ens rationis autem tertio modo adhuc est, duplex absolutum, scilicet, & respectiuum. Absolutum dicitur esse illud, cuius esse est ad se, & non refertur ad aliud, vt ad terminum; vt homo cognitus actu recto, non comparando ipsum, nec ad superiora, nec ad inferiora. Et hoc ens rationis dicitur prima intentio, cum derelinquatur ab actu primo intellectus, qui est actus rectus, vel reflexus in obiecto cognito. Respectiuum est illud, cuius esse est ad aliud se habere, vt ad terminum; vt homo cognitus actu comparatiuo in ordine ad animal, vel ad indiuidua. Et tale dicitur secunda intentio, quia derelinquitur in obiecto cognito ab actu secundo intellectus, qui est actus comparatiuus. Hic est sermo de entibus rationis respectiuis, idest de secundis intentionibus, non de absolutis, vt sunt primæ intentiones; quia tales reponuntur per se in prædicamentis realibus. Entia verò rationis sunt triplicia, scilicet grammaticalia, logicalia, & moralia. Entia rationis grammaticalia, sunt quidam modi significandi ab intellectu attributi vocibus significatiuis ad placitum, non excludendo tamen proprietates illarum vocum; vt sunt modi significandi nominum, verborum, & aduerbiorum &c. de quibus Doct. Subtilis in sua grammatica speculatiua. Logicalia sunt modi intelligendi ab operatione intellectus collactiua derelicti in obiecto cognito in ordine ad aliud; vt sunt genus, species, differentia, vniuersale: particulare, subiectum, prædictum &c. Moralia tamdem, sunt quædam intentiones voluntatis derelictæ in obiectis volitis actu comparatiuo in ordine ad aliud, quibus dignoscitur quid voluntas eligat, vel respuat, seu ex duobus obiectis propositis, quodnam magis, aut minus affectet. Prima dicuntur intentiones grammaticales, quia circa illas versatur Gramaticus. Secunda dicuntur intentiones logicales, quia spectant ad logicum. Tertia tamdem dicuntur morales intentiones, quæ spectant ad moralem philosophiam. His tamen, & primis omissis, quia non pertinent ad quæsitum, quàmuis, & ipsæ possint ordinari in quadam serie ad modum prædicamenti; de logicalibus dumtaxat erit sermo.

Secundo norandum est, quod intentiones logicales sunt in duplici differentia, quia alię sunt illimitatę, & transcendentes, & aliæ, limitatæ. Intentiones secundæ illimitatæ sunt illæ, quæ ab intellectu cognoscente actu comparatiuo aliquod illimitatum in ordine ad aliud, in eisdem obiectis sic cognitis derelinquuntur; vt vniuersale, & particulare attributum enti reali cognito in ordine ad particularia, vel enti particulari cognito in ordine ad ens reale cognitum in tota sua communitate. Similiter Intentio proprij attributa passionibus entis, & similes. Intentiones verò limitatæ sunt illæ, quæ attribuuntur rebus limitatis, actu recto cognitis ab intellectu, & posteà ad inuicem comparatis sub aliqua proprietate; cuiusmodi sunt genus, species, differentiæ, & similes, attributæ rebus cognitis reponibilibus in aliquo decem prędicamētorum. Et de his tantum loquimur in proposito; quia sicut res illimitatę excluduntur à prædicamentis realibus, ita intentiones illimitatæ à prædicamento entis rationis. Harum autem intentionum series posset sic disponi, diuidendo secundam intentionem supręmam in inferiores: vt videlicet, intentionum alia dicitur vniuersale, & alia particu-

ticulare. Vniuersale diuiditur in quinque; scilicet genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. Genus subdiuitur in generalissimum, & subalternum. Generalissimum est decuplex, iuxtà decem prædicamenta. Subalternum pariter est multiplex, vt patet de genere attributo corpori, corpori animato, & animali. Species etiam est duplex, scilicet specialissima, & subalterna. Et vtraque est multiplex, scilicet hæc attributa homini, ista attributa leoni, illa attributa equo &c. scilicet subalterna attributa animali, corpori animato, & corpori &c. Eodem modo possunt diuidi proprium, differentia, & accidens. Ex quibus sequitur, quod cum intentiones secundæ ordinari valeant adinuicem secundum sub, & supra, vel secundum prædicationem signatam, vel exercitam, peroptimè potest ex illis constitui prædicamentum intentionale, in quo omnes reponantur.

Tertio notandum est, quamlibet intentionem limitatam posse tripliciter considerari, scilicet pro fundamento, pro formali, & pro aggregato; vt putà genus; primo modo importat fundamentum, scilicet primã intentionẽ, scilicet animal cognitum. Secundo, dicit illam secundam intentionem, quæ est prædicari de pluribus differentibus specie in quid, concernentem, exempli gratia, animal cognitum in ordine ad sua inferiora. Tertio modo importat aggregatum quoddam ex prima, & secunda intentione, scilicet ex animali, & intentione generis. Intentio secunda pro formali adhuc potest dupliciter sumi, scilicet in concreto, & in abstracto, vt sæpiùs diximus supra in tractatu secundarum Intentionum, & in Vniuersalibus Doctoris. Applicando ad propositum dicendum est, intentionem pro aggregato, cum sit ens per accidens constans ex entibus absolutis, & respectiuis, non posse reponi in aliquo prædicamẽto. Intentio verò pro fundamento, cum præseferat obiectum cognitum actu recto, vel reflexo, reponenda est in aliquo decem prædicamentorum. Intentio denique pro formali, cum dicat meram intentionem, secundam, seù respectum rationis, siuè in abstracto, siuè in concreto, quoad significatum principale considerata, nequit per se reponi in aliquo decem prædicamentorum, cum ibi tantum reponantur res reales, sed in aliqua serie prædicamentali, quæ dicatur prædicamentum rationis per se ordinanda est.

Quarto notandum est, quod sicut adhoc, vt res valeant reponi in aliquo decem prædicamentorum, multæ conditiones erant necessariæ, ita pariter aliæ obseruari debent, vt secundæ intentiones sint reponibiles in prædicamento rationis. Et primo requiritur quod sit ens rationis. Et per hoc excluduntur omnia entia realia. Secundo; quod tale ens rationis sit intentio secunda. Et per hoc excluduntur primę intentiones. Tertio, quod sit intentio logicalis. Ideò excluduntur intentiones grammaticales, & morales. Quarto, quod sit limitata. Et per hac excluduntur intentiones transcendentes. Quinto, quod sit incomplexa. Quare intentiones complexæ, cuiusmodi sunt propositiones, & syllogismi, non sunt in prædicamento. Sexto, quod sit vniuoca. Et per hoc excluduntur intentiones æquiuocæ, vt intentiones attributæ his vocibus canis, & sanum, quæ sunt æquiuocæ. Septimo, quod sit principaliter significata, & pro formali. Per quam conditionem includuntur intentiones fundamentales, & pro aggregato sumptæ, quæ minus principaliter significãtur. Octauo tandem requiritur, quod sit cognita in ratione superioris, & inferioris, siquidem prædicamentum est ordinatio prædicatorum secundum sub, & supra.

Ex his, fit prima Conclusio. Secundæ intentiones logicales, limitatæ, finitæ, incomplexæ, vniuocæ, pro formali acceptæ, per se reponuntur in aliquo prædicamento ex ipsis cõstituto. Est Doctoris loco citato. Probatur. Quia entia per se, ordinabilia secundum sub, & supra, sunt per se reponibilia in prædicamento; sed intentiones logicales limitatæ, finitæ, incomplexè, vniuocę, & pro formali, sunt huiusmodi; ergo. Maior patet, quia prædicamentũ est coordinatio prædicatorum secundum sub, & supra. Minor probatur. Quia istæ intentiones, scilicet secunda intentio, vniuersale, genus, generalissimum, subalternum, species specialissima, subalterna, indiuiduum, ordinantur secundum sub, & supra in prædicatione signata, vt patet; ergo. Secunda pars minoris, quod sint entia per se probatur. Id, de quo habetur scientia, est ens per se, ex Aristo-

stotele septimo Methaph.t.18.19. Siquidem entis per accidens non est scientia, neque diffinitio, ex eodem ibidem; sed de intentionibus secundis habetur sciētia logicalis, vt probatum est in Præamb. q. 3. etiam de mente Aristotelis; ergo sunt entia per se.

Secunda Conclusio. Datur Prædicamentum secundarum Intentionum logicalium, distinctum ab alijs decem enumeratis ab Aristotele. Est Scoti in quarto, d.1. q. secunda lit. I. Vallonis, & Aretini in Formalit. Scoti. Sarnani, & Brasauoli in Tract. secundarum Intentionum, & aliorum Scotistarum communiter. Petrus Niger in suo Clypeo Thomist. q.6 super prædicamentis, asserit quidem dari prædicamentum entis rationis logicalis, sed reuera non meretur nomen prædicamenti logicalis, cum in ipso recenseat, nedum entia rationis logicalia, sed etiam grammaticalia, non tantum limitata, verum etiam illimitata, non solum incomplexa, sed etiam complexa, quod est contra naturam, & quiditatem prædicamenti, vt supra probauimus. Ideò probatur nostra conclusio de secundis intentionibus logicalibus, finitis, limitatis, & incomplexis tantum. Quia in quibuscumque entibus limitatis, per se, incomplexis, & vniuocis, reperitur ordinatio secundum sub, & supra, in talibus datur prædicamentum; sed in secundis Intentionibus logicalibus finitis, limitatis, incomplexis, & vniuocis, reperitur, huiusmodi ordinatio; ergo. Maior patet ex diffinitione prædicamenti. Minor probatur ex Not. quarto. Siquidem in primis ponitur secunda intentio logicalis finita, & limitata, tamquam genus generalissimum, sub qua ponitur vniuersale limitatum, & sub ipso, secundum aliquos, ponuntur duo genera subalterna, scilicet predicabile in quid, & prædicabile in quale. Primum comprehendit genus, & speciem. Secundum differentiam, proprium, & accidens; nihilominus dicerem; ergo prædicari in quid, & in quale non esse duo genera, vel species, sed duos modos prædicandi, per quos contrahitur vniuersale limitatum ad quinque vniuersalia, sicque immediate diuiderem vniuersale in quinque vniuersalia; quod innuere videtur Doctor Subt. q. 12. Vniuersalium, & alibi sæpè in eodem libro. Sub genere verò ponuntur genus generalissimum, & subalternum; & sub vtroque hoc, & illud genus generalissimum, hoc & illud genus subalternum. Item sub specie, ordinatur species subalterna, & specialissima, & sub vtraque hæc, & illa species; ergo in secundis intentionibus logicalibus, finitis, & limitatis, incomplexis, ac vniuocis datur ordo essentialis secundum sub, & supra, & per consequens prædicamentum. Secundo probatur. Si quid obstaret, quo minus nostrum assertum esset verum, maximè foret, quia videtur contradicere Philosopho, quinto Methaph.t.2. & in Prædicamentis, cap.5. vbi docet, prædicamenta esse tantum decem, inter quę nullum ponitur prædicamentum intentionale; sed hoc nihil officit, vt inferius demonstrabitur soluendo argumenta in oppositum; ergo datur prædicamentum intentionale, in quo omnes secundæ intentiones logicales, incomplexę per se reponantur. Secunda pars quod sit ab alijs decem distinctum, tùm inductione patet. Quia non est substantia, nec quantitas, nec qualitas, &c. Tum etiam quia illa sunt prædicamenta realia, hoc verò est intentionale, seu rationis; igitur distinguitur ab illis decem.

Obijcies primo, contra cōclusiones. Quia Aristoteles in locis proximè citatis, & quinto Meth.t.14. determinans numerum prædicamentorum, docet esse tantum decem, nec plura, nec pauciora; ergo non est admittendum vndecimum, ab alijs distinctum.

Respondetur, Aristotelem locutum fuisse de prædicamētis realibus, quorū diuersitatē, cū non posset reducere ad plura, vel pauciora decem, ideò statuit numerū denariū prædicamentorum; at cū nos loquamur de secundis intentionibus, quæ non sunt adeò diuersæ inter se, vt tot coordinationes multiplicare debeamus, idcircò non cogimur ponere decem, sed tantum vnum prædicamentum intentionale, in quo omnes reponantur. Nec propterea dici potest, Aristotelem fuisse diminutum, siquidem non omnia explicitè tradidit, sed aliqua implicite, explicanda tantum secundum regulas generales eorū, quæ explicitè docuit, quod ita fecisse de hoc prædicamento intentionali dicendum est; quandoquidem tradidit prædicata essentialia in secundis intentionibus, & reliquit, vt ab alijs ordinentur

se,

secundum sub, & supra, iuxta regulas prædicatorum essentialium in entibus realibus.

Obijcies secundo. Maioris entitatis sunt entia rationis priuatiua, & negatiua, quam secundæ intentiones, sed talia non ponuntur in aliquo prædicamento per se; ergo nec secundæ intentiones. Maior patet. Quia illa habent esse præter operationem intellectus, sicut, & positiua, quæ priuantur, vel negantur. Minor patet etiam. Quia illa reducuntur ad prædicamenta suorum positiuorum, vt diximus supra in præcedenti quæstione, not. tertio.

Respondetur, negando maiorem absolutè. Imo secundæ intentiones, cum sint entia positiua, sunt maioris entitatis, quàm priuationes, & negationes. Ad probationē dico talia entia priuatiua, vel negatiua habere quidem esse præter opus intellectus priuatiuum, vel negatiuum, nec propterea inferendum, esse magis ordinabilia per se, quàm secundæ intentiones; quia illa, quæ sic ordinantur, debent esse entia positiua, cuiusmodi sunt secundæ intentiones, & non priuationes, ac negationes entium realium.

Obijcies tertio. Si daretur tale prædicamentum intentionale, sequeretur posse dari generalissimum, subalternum, species, differentias, ac indiuidua in secundis intentionibus; sed hoc est falsum; ergo, & id, ex quo sequitur. Sequela maioris patet. Quia prædicamentum est coordinatio generum, specierum, differentiarum, ac indiuiduorum secundum sub, & supra. Minor probatur. Quia si ita esset, tunc secunda intentio esset genus generalissimum; vniuersale subalternum; quinque vniuersalia species specialissimæ &c. Sed hoc non est dicendum; ergo. Minor probatur. Quia nullum inferius potest denominare suum superius; sed genus generalissimum est inferius ad secundam intentionem, & subalternum ad vniuersale, & species ad genus, vt patet in dispositione secundarum intentionum supra posita; ergo. Maior patet. Quia hæc est falsa; omne animal est homo; sed homo est quoddam inferius ad animal; ergo inferius nequit vniuersaliter denominare suum superius.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, nego iterum minorem. Ad cuius probationem dico, maiorem esse veram in entibus realibus, & intentionalibus, etiam si ambo sumantur, vt quid; falsam tamen, si vnum vt quid, & alterum, vt modus accipiatur, vt est in proposito; quia genus generalissimum, quod est inferiùs, vt quid, ad secundam intentionem, fit superius ad ipsam, vt modus, in quantum intentio secunda generalissimi fundatur super secunda intentione in communi, vt quid considerata; hoc enim priuilegio fruuntur secundæ intentiones, vt vna fundari possit super aliam, & illam modaliter denominare, vt dictum est, in Tractatu nostro secundarum Intentionum, cap. vltimo. Idem dicendum est de intentione generis subalterni respectu vniuersalis, & speciei respectu generis; siquidem vna potest fundari super alia, & illam denominare modaliter, vt dictum est de generalissimo in ordine ad supremam secundam intentionem.

DE PRAEDICAMENTIS IN PARTICVLARI

Pars Secunda.

EXpedita prima parte huius libri, aggrediendum nobis est secunda, in qua Aristoteles agit de principali intento, hoc est, de decem prædicamentis in particulari. Et diuiditur in quinque capita; in quorum primo agit de substantia; in secundo de quantitate; in tertio de Ad aliquid, seu Relatiuis; in quarto de qualitate; in quinto de reliquis sex prædicamentis simul.

DE

De substantia, & eius Proprietatibus.

CAPVT I.

HOc Primum caput, in quo intendit Philosophus naturam, & proprietates substantiæ, diuiditur communiter in tres partes principales. In quarum prima, præsupposita diuisione substantiæ in primam, & secundam, ponit earum diffinitiones cum suis declarationibus; & incipit ibi. Substantia est, quæ propriè, & principaliter &c. In secunda, comparat primam substantiam cum secundis substantijs, & has ad inuicem; incipitque ibi. Secundarum substantiarum verò, magis substantia est species &c. In tertia tandem, ponit sex proprietates substantiæ; & habetur ibi. Commune autem omni substantiæ est &c.

Quoad primam partem, diffinit primo substantiam primam dicens. Substantia autem est, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est: vt quidam homo, quidam equus. Circa quam diffinitionem, dicunt quidam, & meo videri benè, ac rectè, illas tres particulas, scilicet propriè, & principaliter, & maxime, teneri se ex parte diffiniti, & non diffinitionis; vt sit sensus. Substantia autem, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur substantia, est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est.

Vt autem hoc melius percipiatur; aduertendum est, substantiam quadrupliciter posse sumi. Primo modo pro essentia alicuius rei, quomodo accipitur in diffinitione Vniuocorum, & æquiuocorum, dum dicitur. Et ratio substantiæ, hoc est essentia, &c. Secundo modo, prout distinguitur contra accidens. Et sic, omne illud, quod non est accidens, substantia est. Et in hoc sensu dixit Philosophus, 1. Phys. cap. 6. differentias substantiarum, & materiam, ac formam esse substantias. Tertio modo, pro substantia completa; idest pro omni eo, quod ponitur directè in prædicamento substantiæ. Et sic genera, species, & indiuidua prædicamenti substantiæ, dicuntur substantiæ. Quarto modo sumitur pro prima substantia; Idest pro omnibus indiuiduis prædicamenti substantiæ. Et in hoc sensu negauit Aristoteles, 7. Meth. cap. 13. genera, & species prædicamenti substantiæ, esse substantias: & substantia hoc modo accepta, diffinitur hic, & est sensus. Substantia autem, quæ propriè, principaliter, & maximè. Idest non accepta pro essentia, nec pro substantia incompleta; quia talis non est principaliter substantia; nec pro omni substantia completa; quia talis non maximè substat; sed prima substantia, hoc est, indiuiduum substantiæ, quod proprissimè dicitur substantia. Est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur. Idest non prædicatur de aliquo inferiori, neque in subiecto aliquo est, veluti accidens in subiecto, aut sicut pars in toto: vt quidam homo, quidam equus, Socrates, Plato &c.

Secundo Notificat secundas substantias in plurali dicens. Secundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus eæ, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt; & hæ quidem harum specierum genera. Quæ diffinitio sic intelligitur. Secundæ substantiæ sunt genera, & species prædicamenti substantiæ, in quibus potentialiter continentur primæ substantiæ, idest indiuidua: vt animal, in quo continetur quoddam animal; & homo, in quo est hic homo; & leo, in quo est hic leo; & sic de cæteris. Ex quo sequitur, quod aliter dicuntur primæ substantiæ esse in secundis, & secundæ in primis. Nam primæ, sunt in secundis potentialiter, tamquam inferiora in suis superioribus; secundæ verò, sunt in primis actualiter, veluti superiora in suis inferioribus, de quibus prædicantur essentialiter, & quiditatiuè.

Tertio declarat diffinitionem primæ substantiæ dum subdit. Manifestum est autem ex his, quæ dicta sunt, scilicet in diffinitione Vniuocorum, & in diuisione eorum, quæ sunt, & eorum quæ dicuntur; quod illa, quæ

quæ dicuntur de subiecto, Idest de inferiori, necesse est nomen, & rationem prædicari, idest vniuocè: vt animal de animalibus; homo de hominibus. Ea verò, quæ sunt in subiecto, aliqua prædicantur nomine, numquam tamen ratione. Idest æquiuocè dicuntur de subiectis, & non vniuocè; vt album de homine, & ligno. Alia verò, nec nomine, nec ratione. Idest nec vniuocè, nec æquiuocè dicuntur de subiecto; vt albedo; hæc enim est falsa: paries est albedo, lignum est nigredo, &c. Ex quibus probat diffinitionem primæ substantiæ. Illa de quibus omnia alia dicuntur, & in quibus omnia alia sunt, neque dicuntur de subiecto, nec sunt in subiecto; sed primæ substantiæ sunt huiusmodi; ergo primæ substantiæ sunt, quæ nec dicuntur de subiecto, nec sunt in subiecto. Maior patet. Minorem probat exemplis. Quia animal dicitur de homine; ergo de aliquo homine; sed aliquis homo est prima substantia, & animal secunda substantia, quæ dicitur de subiecto; ergo primæ substantiæ sunt illæ, de quibus omnia alia dicuntur. Secundam partem minoris probat alio exemplo. Quia valet dicere; color est in corpore; ergo in aliquo corpore: sapor est in gustu; ergo in aliquo gustu; & sic de alijs; sed color, sapor, & cætera huiusmodi sunt in subiecto; aliquid corpus, & aliquis gustus sunt primæ substantiæ; ergo primæ substantiæ sunt illæ, in quibus omnia alia sunt, vt in subiecto.

Ex hac probatione infert quoddam corrollarium; quod non existentibus primis substantijs, impossibile est aliquid eorum remanere; & probat. Quia omnia alia à primis substantijs, vel dicuntur, vel sunt in illis; ergo illis destructis, impossibile est aliquid eorum remanere.

Quo ad secundam partem, comparat secundas substantias inter se, & ad primas, dicens. Secundarum substantiarum, magis substantia est species, quam genus. Et probat dupliciter. Quod est propinquius magis substantiæ, est magis substantia, quàm quod est remotius; sed species est propinquior magis substantiæ quam genus; ergo species est magis substantia, quam genus. Maior patet. Quia perfectio attenditur per remotionem ab vno extremo, & approximationem ad aliud extremum; sed quod est remotius a magis substantia, est minus substantia; ergo quod est propinquius magis substantiæ, est magis substantia. Minor patet. Quia species est propinquior indiuiduis, quam genus; tum quia immediatè diuiditur in indiuidua, genus verò mediante specie; tùm etiam, quia si quis quærat, quid est indiuiduum, conuenientius respondetur per speciem quam per genus; vt patet de Petro, & homine; sed indiuidua sunt primæ substantiæ; ergo species est propinquior primæ substantiæ. Secundo probat talem comparationem. Quod pluribus substat, est magis substantia, quam quod paucioribus; sed species pluribus substat, quam genus; ergo species est magis substantia, quam genus. Maior patet. Quia ideò primæ substantiæ dicuntur magis substantiæ, quia omnibus substant, quæ dicuntur de ipsis, & quæ sunt in ipsis; ergo id, quod substat pluribus substantijs, est magis substantia, quam illud, quod minus substat. Minorem probat. Quia species substat omnibus, quibus substat genus, & cum hoc, ipsi generi; genus autem non substat speciei: vt homo, substat omnibus, quibus substat animal, & vltrà substat etiam ipsi animali, quod tamen non substat ei; ergo species pluribus substat, quam genus, & consequenter est magis substantia.

Secundo comparat secundas substantias, quæ sunt species specialissimæ, inter se, ponendo talem conclusionem. Specierum specialissimarum, vna non est magis substantia, quam alia. Probat. Quia eodem modo sunt propinquæ primis substantijs, & eodem modo pluribus substant; ergo æqualiter sunt substantiæ. Antecedens probatur. Quia sicut homo est propinquus cuidam homini, & substat omnibus superioribus, ita equus est propinquus cuidam equo, & substat animali, & sibi superioribus, cum sint species æqualiter contentæ sub animali.

Tertio, comparat primas substantias ad se-

secundas dicens. Primæ substantiæ sunt perfectiores secundis, & sunt propriissime substantiæ. Probat. Quia illa dicitur perfectior substantia, quæ perfectiori modo substat; sed primæ substantiæ sunt huiusmodi; ergo sunt substantiæ perfectiores secundis. Maior patet. Quia perfectio substantiæ consistit in eo, quod alijs substet; ergo illa, quæ perfectiori modo substat, est perfectior substantia. Minorem probat. Quia primæ substantiæ substant virtute propria, secundæ verò tantum quia sunt in primis. Secundo probat secundam partem, quod sint propriissime substantiæ. Quia substant omnibus modis substandi; siquidem Petrus, non tantum substat homini, animali, corpori animato, corpori, & substantiæ supremæ, sed etiam accidentibus, scilicet albo, nigro, gramatico: imò etiam secundæ substantiæ substant accidentibus, primis mediantibus; non enim dicitur homo gramaticus, nisi quia Petrus, vel Paulus est gramaticus, albus; ergo primę substantię sunt perfectissimę, & propriissimæ substantiæ.

Quoad tertiam partem enumerat sex proprietates substantię, quarum prima est. Commune est omni substantiæ non esse in subiecto: & probat. Quia esse in subiecto, conuenit solum accidentibus; sed tam prima, quam secunda substantia non sunt accidentia, &c.

Secunda Proprietas. Secundis substantijs, ac differentijs earum, conuenit vniuocè prædicari de primis. Probat. Quia illud prædicatur vniuocè, quod prædicatur nomine, & ratione; sed secundæ substantiæ, & earum differentiæ prædicantur nomine, & ratione de primis; quia Petrus est homo, & animal rationale; Ioannes est homo, & animal rationale, & sic de cæteris; ergo secundæ substantiæ, & earum differentiæ prædicantur de primis vniuocè.

Tertia Proprietas. Prima substantia significat hoc aliquid, secunda verò quale quid. Probat. Quia esse hoc aliquid, est esse incommunicabile; & esse quale quid, est esse pluribus communicabile; sed prima substantia, cum sit indiuiduum, & incommunicabilis pluribus; secunda verò, cum sit genus, vel species, est communicabilis pluribus; ergo prima substantia significat hoc aliquid, & secunda quale quid.

Quarta Proprietas. Substantiæ nihil est contrarium. Quia contrarietas propriè est in qualitatibus; sed substantia non est qualitas; ergo &c. Inquit posteà, hanc proprietatem non esse propriam substantiæ quarto modo, cum conueniat etiam quantitati, & relationi.

Quinta Proprietas. Substantia non suscipit magis, & minus, sed benè maius, & minus. Probat primam partem. Quia homo, in quantum homo, non est magis, vel minus homo; sicut album, dicitur magis, vel minus album altero. Probat secundam partem sicut prius. Quia prima substantia dicitur maior substantia, quam secunda; & inter secundas, species maior substantia dicitur, quam genus; quia pluribus modis substandi substat.

Sexta Proprietas. Substantia vna, & eadem numero manens, est susceptiua contrariorum; supplè successiuè, non simul. Et hæc proprietas conuenit tantum primæ substantiæ; quia illa solum est vna numero, & indiuidua. Probat. Quia vnus, & idem homo, exempli gratia Petrus, aliquando est calidus, aliquando frigidus, aliquando prauus, & aliquando studiosus; sed calidum, & frigidum; similiter prauum, & studiosum, sunt contraria; ergo substantia, vna, & eadem numero, susceptiua est contrariorum. Et subdit, hanc proprietatem esse propriam substantiæ in quarto modo; quia nullo modo potest alijs conuenire; non enim idem color aliquando est albus, & aliquando niger; neque eadem actio est aliquando praua, & aliquando studiosa; sed suscipere contraria, tantum conuenit substantiæ.

Vltimo tamdem obijcit contra hanc proprietatem, probando, quod conueniat alijs a substantia. Quia eadem numero ora-

oratio vera potest fieri falsa, & è conuerso; sed oratio non est substantia, vt patet; ergo suscipere contraria non tantum competit substantiæ. Maior patet. Quia si me sedente, hæc est vera, Liuius sedet; me postea surgente erit falsa; ergo vna, & eadem oratio, est susceptiua contrariorum.

Respondetur, orationem posse fieri de vera falsam, posse dupliciter intelligi; vno modo loquendo de oratione formaliter, itaut connexio prædicati cum subiecto in hac propositione; Liuius sedet; recipiat in se veritatem, & falsitatem; alio modo ratione mutationis subiecti de vno modo se habendi in alium oppositum. Primo modo, in vna, & eadem oratione, nequit esse veritas, & falsitas; quia manet eadem connexio prædicati cum subiecto eodem. At secundo modo potest esse veritas, & falsitas; sed tunc non sequitur posse, contraria esse in oratione, sed in substantia dumtaxat; quæ cum sit subiectum istius prædicati sedere, mutatur in modo se habendi, dum surgit. Vndè patet, quod propriè proprium est substantiæ secundum sui mutationem, cum sit vna, & eadem numero, esse susceptiuum contrariorum.

De Substantiæ Prædicamento.

DISPVTATIO III.

Vtrum Prædicamentum substantiæ habeat Genus, & in quo consistat eius essentia?

QVÆSTIO I.

Circa primam partem huius quæstionis, nulla est controuersia; omnes enim asserunt, dari supræmum genus in coordinatione substantiarum. At circa secundam, est diffidium inter Doctores; nam aliqui statuunt pro supremo genere huius prædicamenti substantiam communem creatæ, & increatæ; & ideò reponunt in hac coordinatione, nedum entia finita, & limitata, sed etiam infinita, & transcendentia. Ità Io. Maior, dist. 8. q. 2. Marsilius, dist. 9. q. 12. Gregorius Ariminensis, Gabriel Biel, Bacconus, & cæteri Nominales, quos retulimus in præcedenti Disputatione, q. 3.

Alij vero dicunt, huius prædicamenti genus supræmum, esse substantiam corruptibilem, & corpoream; & ideo negant illam diuisionem substantiæ in corpoream, & incorpoream, loquendo de substantia prædicamentali. Ità Auerroes super Porphyr. cap. de specie: & 10. Meth. cap. vlt. c. 26. Iandunus ibidem, q. 22 Niphus, disput. 9. Mercat. to. primo, Dillucid. prima. Zimara theor. 62. Albert. Magn. hic, cap. 2. Ægid. quol. 1. q. 8. Durand. in 2. dist. 3. q. 1. Marsi. ibidem, q. 2. qui omnes excludunt ab hoc prædicamento Angelos, seu Intelligentias.

Alij tamdem media incedentes via, nec asserunt cum primis, supræmum genus esse substantiam communem finitæ, & infinitæ, nec substantiam corpoream, ac corruptibilem cum secundis; sed dicunt esse substantiam completam, finitam, & limitatam; vt hac ratione excludant Deum, & cætera transcendentia ab hoc prædicamento; & includant Angelos, & Intelligentias cum cæteris substantijs limitatis, & per se existentibus. Ità Alensis, 5. Methaph. ad textum 33. D. Tho. lib. 10. Meth. lect. 12. & Opusc. 42 cap. 6. & 7. Doct. Subt. in primo d. 8. q. 3. N. Conimbric. hic, q. 1. artic. 2. Ruuius, q. 3. Tolet. q. 2. & ferè omnes Scholastici, tum Antiqui, tum Recentiores.

Pro declaratione vtriusque partis quæstionis, aliqua sunt prænotanda. Et primo, ex Philosopho hic, cap. de substantia: quinto Meth. cap. 8 t. 15. septimo Methap. cap. 2. & tertio. Et 12 Meth. cap. 2 & tertio: substantiã multis modis dici; tamen, vt ad propositum spectat, quatuor modis accipi posse. Primo modo pro essentia, & quiditate, vt sumitur in diffinitione vniuocorum. Secũdo modo, pro qualibet re per se existente, prout per se existere, distinguitur contra esse in alio, tamquam accidens in subiecto. Et sic compræ-

prehendit, nedùm substantias completas, sed etiam incompletas; vt sunt partes physicæ, & methaphysicæ; sicque distinguitur ab accidente. Tertio modo, pro ente per se existente, vt distinguitur contra esse in alio, etiam tamquam pars in suo toto. Et sic substantia restringitur ad ea, quæ ponuntur tantum directè in prædicamento substantiæ; vt sunt genera, species, & indiuidua, & excludit partes, tum methaphysicas, tum physicas, non solum essentiales, sed etiam integrales, quæ non sunt propriè substantiæ, sed aliquid substantiæ. Quarto modo, dicitur substantia omne illud, quod substat accidentibus, & prædicatis superioribus. Et sic tantum indiuidua substantiæ, vt hic homo, hic leo, hic equus, dicuntur substantiæ, vt dictum est etiam in expositione textus. Ex his acceptionibus sequitur, quod substantia primo modo, non potest esse genus prædicamenti substantiæ, cum reperiatur etiam in accidentibus respectu suorum inferiorum. Nec secundo modo; quia tunc etiam partes substantiales, siue physicæ, siue methaphysicæ possent esse genus, vel saltem esse directè in prædicamento; quod superius reiectum est. Nec quarto modo; quia sic substantia est indiuiduum, super quo nequit fundari secunda intentio generis supræmi. Restat igitur à sufficienti diuisione, vt substantia tertio modo, quæ est communis ad omnes substantias completas, sit supræmum genus in coordinatione substantiæ.

Secundo notandum, substantiam completam esse duplicem, scilicet increatam, & creatam. Substantia increata est illa, quæ est à se, in se, & per se existens. Et sic solus Deus est substantia; siquidem est à se; quia non dependet ab alio in esse, sicut creatura ab ipso: est in se, tamquam totum; quia non ordinatur ad constitutionem alterius, vti pars; vel essentialis, cuiusmodi est materia, & forma; vel integralis, vt caput, brachia &c.: & tandem per se existens, hoc est, in alio non existens; vt accidens in subiecto. Et substantia hoc modo accepta, in nullo prædicamento ponitur, cum sit infinita, & transcendens. Substantia autem creata est illa, cui conuenit vtique esse in se, & per se, non tamen à se; cum ratione creationis habeat esse à Deo, à quo, & in conseruari dependet. Et sic, substantia completa sufficienter diuiditur per corpoream, & incorpoream; vt docet Aristoteles, 5. Methaphys. cap. 8. in principio. Et septimo Methaphys. cap. tertio, in fine. Sub corporea, compræhenduntur omnes substantiæ corporeæ, tàm cælestes, quam sublunares; vt sunt corpora corruptibilia, siue sint animata, siue inanimata; vt animalia, plantæ, lapides, mineralia, elementa; vt ignis, aer, aqua, & terra. Sub incorporea verò continentur Angeli boni, & mali, intelligentiæ motrices cælorum, animæ rationales. Ex his manifestè apparet, substantiam completam, quæ est supræmum genus in prædicamento substantię, non esse substantiam increatam, nec communem creatæ, & increatæ; quia prior est infinita, posterior transcendens; sed esse substantiam creatam, communem ad omnes substantias, finitas, & limitatas, tam corporeas, quam incorporeas, & spirituales; quia solum huiusmodi reponuntur in prædicamento.

Tertio notandum est, quod quamuis aliqui, etiam magnæ entitatis Doctores, dixerint Angelos, & animas esse corporeas, & consequenter constare ex materia, & forma, per quas reponuntur sub genere substantiæ corporeæ; tamen communiter Scholastici hisce nostris temporibus, quoad animas, secuti determinationem Concilij Lateranensis, relati cap. Firmiter de Summ. Trinit. & Fide Cath quoad Angelos verò, multorum Sanctorum Patrum auctoritates docent, Angelos, & animas rationales esse substantias simplices, physicè loquendo; compositas verò methaphysicè ex genere; & differentia. Quocirca, si vellent diffinire Angelum, vel Animam, haberent dicere esse substantias incorporeas, intellectuales. In qua diffinitione, ly substantia incorporea, est genus ad omnes substantias spirituales, & materiæ expertes; & ly intellectualis, gerit vicem differentiæ propriæ nobis incognitæ; per quam, substantia incorporea descendit in Angelos, & Animas. Ex qua diffinitione manifestum est, Angelos, & Animas contineri sub aliquo genere subalterno substantiæ, & consequenter reponi in prædicamento substantiæ. Ratio autem, quarè Angeli, & Animæ sint in prædicamento, colligitur ab Aristotele, quinto methaphysicæ, t. 14. vbi docet, omne ens finitum per se, & limitatum, repo-

nendum esse in aliquo decem generum à se positorum. Cum igitur Angeli, & Animæ sint entia finita, per se, creata, & limitata, & non sint accidentia, sed substantiæ, ex eodem Philosopho ibidem, cap. 8. dicendum est, illos esse in prædicamento substantiæ.

Ex his, sit prima Conclusio. Datur supręmum genus prædicamenti substantię, quod est substantia completa, per se, finita, & limitata, sub se continens omnes substantias completas, finitas, & limitatas, tam corporeas, quam incorporeas. Est cōtra primam, & secundam sententiam: & probatur sic. Illud est ponendum pro supræmo genere huius prędicamenti, quod continet sub se omnia genera, species, & indiuidua substantiæ completæ, & ipsum à nullo contineatur genere; sed tale non potest esse aliud, quam substantia completa, per se, finita, ac limitata, communis tamen ad substantias corporeas, & incorporeas; ergo &c. Maior patet. Quia de ratione generis generalissimi, est non habere aliud genus supra se, & continere omnia contenta in sua coordinatione. Minor probatur. Quia in prædicamento substantiæ reponuntur, nedum substantiæ corporeæ, sed etiam incorporeæ, finitæ tamen, & limitatæ; atqui tales nequeunt compræhendi sub alia substantia creata, quam sub completa, finita, & limitata; ergo talis est supræmum genus huius prædicamenti. Maior patet ex Philosopho, quinto Meth. t. 15. dicente: quod in prædicamento substantiæ reponuntur corpora, nedum simplicia, vt sunt terra, aqua, aer, & ignis; sed etiam mixta ex corporibus simplicibus, siue sint animata, siue inanimata, & vltra hæc, etiam dæmonia; at corpora sunt substantiæ corporeæ; & dęmonia, cum sint Angeli, sunt substantiæ incorporeæ, vt dictum est not. 3. ergo in prædicamento substantiæ reponuntur substantiæ corporeæ, & incorporeæ. Minor etiam patet ex Not. secundo, vbi satis demonstrauimus, substantiam completam, per se, finitam, & limitatam, sufficienter diuidi per corpoream, & incorpoream.

Secunda Conclusio. Angeli, & Intelligentiæ motrices Cælorum, per se spectant ad prædicamentum substantiæ. Hæc conclusio sequitur ex priori, & est directè contra Auerroem, Ægidium, & alios supra relatos in secunda sententia. Probatur primo auctoritate Aristotelis, 5. Meth. t. 15. enumerantis dæmonia inter substantias prædicamētales; atqui dæmones sunt Angeli. Item, 12. Meth. t. 5. diuidit substātia in sensibilem, & insensibilem; sensibilem verò, incorruptibilem, & æternam, vt sunt cæli; & ibi loquitur de substantia prædicamentali, vt patet t. 2. sed substantiæ insensibiles sunt Angeli, & Intelligētiæ, ex eodem ibidem, t. 41. ergo Angeli, & Intelligentiæ, de mente Aristotelis, sunt in prædicamento. Secundo probatur ratione. Quia omne ens finitum, per se, completum, & limitatū, ponitur in aliquo prædicamento, primo Physicorum, t. 13. & 5. meth. t. 14. Sed clarum est, Angelos, & Intelligentias esse entia per se, finita, & limitata, quia a Deo creati, vt est de fide; ergo sunt in prædicamento. Tertio probatur. Quia quod constat ex genere, & differentia, est in prædicamento per se; sed Angeli, vt dictum est not. 3. constant ex genere, & differentia; ergo sunt per se in prædicamento.

Obijcies primo, contra prima conclusionem. Si substātia completa esset supræmum genus prædicamenti substantiæ; ergo & accidens completū esset supræmū genus prædicamenti accidentium; sed hoc esse falsum vidimus supra; aliter essent tātum duo prædicamenta, & non decem; ergo & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur. Quia sicut substantia completa, abstracta ab omnibus substantijs completis, importat vnum conceptum, ità, & accidens abstractum ab omnibus accidentibus; ergo si substantia, vt sic, constituitur supræmum genus, & accidens pariter, vt sic, erit supræmum genus accidentium.

Respondetur, negando sequelam maioris. Siquidem ad rationem generis requiritur vnitas conceptus respectu suorum inferiorum, quæ nequit reperiri in accidente respectu omnium accidentium, cum sit æquiuocum ad accidens absolutum, & respectiuum, vt supra dictum est, disputat. 2. q. prima; at substantia completa importat eumdem conceptum vniuocum ad omnes substantias completas, tùm corporeas, tùm incorporeas; quia omnes per se, & in se existunt; ideò hæc potest esse genus supremum in vno prædicamento, & non illud.

Obijcies secundo. Corruptibile, & incorru-

ruptibile differunt genere; sed substantia corporea est corruptibilis, & incorporea incorruptibilis; ergo differunt genere; & consequenter substantia completa finita, & limitata, non erit genus ad illas. Maior est Aristotelis, 10. Meth. t. 26. Minor probatur. Quia omne compositum ex materia, & forma, est corruptibile; & quod caret materia, est incorruptibile, ex Philosopho, primo physicorum, cap. 65. & 81. Et 9. Methaph. t. 17. sed substantia corporea est corruptibile ex materia, & forma; & incorporea illis caret; igitur substantia corporea est corruptibilis, & incorporea incorruptibilis.

Respondetur primo ad hoc argumẽtum, quod est basis, & fundamentum Auerroistarum, distinguendo de genere logico, & physico. Genus autem physicum, est qualitas sensibilis, & corporalis, habens sub se plures species; vt color, sapor, odor, & huiusmodi. Vnde sequitur, quod illa sunt eiusdem generis physici, quæ sunt in potentia passiua ad illas qualitates; & sic homo, & paries, sunt eiusdem generis physici; quia sunt in potentia passiua ad recipiendum eumdem colorem. Et per oppositum, illa dicuntur differre genere physico, quæ non sunt in potentia passiua ad eamdem qualitatem sensibilem, & corporalem. Et hoc modo verum est, corruptibile, & incorruptibile differre genere; siquidem corruptibile, vt animal, est in potentia ad caliditatẽ, vel frigiditatem, ad quas non est in potentia incorruptibile, vt puta cælum, secundum Philosophum, vel Angelus, secundum veritatem. Genus verò logicum est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. Et sic homo, & leo sunt eiusdem generis; quia continentur sub animali, quod prædicatur de illis, vt de differentibus specie in quid. Et per oppositum, illa differunt genere logico, quæ non conueniunt in aliquo prædicabili de differentibus specie in quid. Et sic corruptibile, & incorruptibile non differunt genere, cum contineantur sub substantia completa in communi, tamquam sub suo genere de illis prædicabili in quid.

Formaliter ad argumentum dico, auctoritatem Philosophi esse veram de genere physico, non logico. Modo substantia completa, non ponitur genus physicum, sed logicum ad substantias corporeas, & incorporeas.

Contra hanc responsionem arguit Iandunus, 10. methaph. q. 22. Quia si auctoritas Aristotelis intelligeretur de genere physico, & non logico, sequeretur, argumentum eius factum contra Platonem non concludere; sed hoc non est admittendum; ergo nec id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur. Quia Plato dicebat, ideam hominis, & hominem singularem, esse eiusdem speciei logicæ; quia conueniebant in eadem diffinitione essentiali; vndè patet, quod Plato non ponebat ideam hominis, & hunc hominem esse eiusdem generis physici; quia hunc hominem ponebat cum materia, & corruptibilem; ideam verò sine materia, & incorruptibilem: modo Aristoteles, vt probaret non esse eiusdem speciei logicæ, sic arguebat. Quæ differunt genere, differunt, & specie; sed ideam hominis, & homo differunt genere; ergo etiam differunt specie. Probabat Minorem sic. Corruptibile, & incorruptibile differunt genere; sed idea hominis est incorruptibilis, & hic homo corruptibilis; ergo differunt genere; atqui ad differre genere physico, non sequitur differre specie logica; ergo si Aristoteles intellexit, quod corruptibile, & incorruptibile differant tantum genere physico, ad quod non sequitur necessariò differre specie logica, argumentum eius non concludit contra Platonem.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem, negatur minor; imò ad differre genere physico, sequitur differre specie logica, & maximè quando differentiæ sunt essentiales, & non accidentales, vt sunt corruptibile, & incorruptibile: siquidem corruptibilitas, & incorruptibilitas sunt passiones necessariò inexistentes substantiæ; quarè non possunt facere differentiam differentiæ, nisi secundum substantiam. Ex quo patet, quod si idea hominis erat incorruptibilis, & hic homo corruptibilis, non poterant esse eiusdem speciei secundum substantiam; cum corruptibile, & incorruptibile diuersificent substantiam in specie.

Vel dicendum secundo, ad effugiendum cauillum Auerroistarum, cum quibusdam Modernis, quod in illa propositione:

corruptibile,& incorruptibile differunt genere: ibi non accipi genus propriè, sed pro specie; vt sit sensus: corruptibile,& incorruptibile differunt genere, idest specie essentiali,& quidditatiua. Et quod hæc expositio sit mens Aristotelis, ostenditur ex fine, quem intendebat; siquidem cum vellet refellere opinionem Platonis dicentis, ideam hominis, & hunc hominem esse eiusdem speciei, quamuis illa fuerit incorruptibilis, & hic homo corruptibilis; ideò per illud axioma intendebat Aristoteles contrarium, scilicet corruptibilem hominem differre specie ab incorruptibili idea.

Confirmatur hęc expositio, ex argumento Philosophi contra Platonem, quod est tale. Contraria differunt specie; sed corruptibile,& incorruptibile sunt contraria; igitur. (Concludit) corruptibile, & incorruptibile differunt genere. Cæterum si ly genere, accipiatur pro genere,& non pro specie, manifestum est, quod argumentum non concludit, sed est in quatuor terminis: quandoquidem in prima figura, maior extremitas debet prædicari de minori in conclusione; in argumento autem ponitur pro prædicato conclusionis, ly genere, quod non posuit pro maiori extremitate, sed eius loco posuit ly specie; igitur, vt argumentum sit validum, dicendum est necessariò, pro ly genere, intelligendum esse ly specie.

Obijcies tertio, contra secundam conclusionem. Si Angeli essent in prędicamento, essent saltem compositi ex genere, & differentia; sed hoc est contra Aristotelem, 8. Meth. t. 8. dicentem, Angelos, seu Intelligentias, esse puros actus; ergo Angeli non sunt in prædicamento.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, Angelos esse puros actus physicè, quia carent materia, & compositione physica; non tamen metaphysicè; quia sic constant ex genere, & differentia, vt dictum est notabili tertio.

Obijcies quarto. Quæ ponuntur in prædicamento substantiæ, substant accidentibus; sed Angeli non substant accidentibus, per Comment. in meth. comm. 25. quia non sunt substantiæ sensibiles, sed intellectuales; ergo.

Respondetur, maiorem esse veram, vel de accidentibus corruptiuis, vel perfectiuis; modò Angeli non substant accidentibus corruptiuis; quia talia insunt tantum rebus corporeis, & corruptioni obnoxijs: substant tamen accidentibus perfectiuis; siue sint naturalia, vt scientiæ, intellectiones, species intelligibiles; siue supernaturalia, vt virtutes,& gratiæ, quibus ab Altissimo decorantur.

Vtrum Diuisio substantiæ in primam, & secundam, sit vniuoca, vel æquiuoca?

QVÆSTIO II.

Circa diuisionem substantiæ in primã, & secundã, sunt quinque opiniones diuersę; quarũ prima asserit, nullam fieri diuisionẽ, sed tãtum enumerationem quamdam illarum rerum, quæ ponuntur in prædicamento substantiæ; ac si diceret. Eorum, quæ ponuntur in prædicamento substantię, quædam ponuntur primo loco, vt indiuidua; quædam verò secundo loco, vt sunt genera, & species. Ita Ammonius hic, in cap. de substantia, ad literam.

Secunda opinio, (referentibus Toleto, ac Collegio Conimbricensi) est Louaniensium, asserentium, hanc esse diuisionem accidentis in accidentia; siquidem hi Doctores nolunt diuidi substantiam essentialiter in primã,& secundã; sed quoddam accidens proprium substantiæ, scilicet substare accidentibus, & prædicatis superioribus; vt sit sensus. Eorum, quæ alijs substant; quædam sunt singularia,& dicuntur primæ substantiæ; quædam vniuersalia,& secundę substantiæ appellantur.

Tertia opinio est Burlæi, Soti; in cap. de substantia; & Doct. Subtilis, in Prædicam. q. 12. in fine, dicentium, hanc diuisionem esse subiecti in accidentia rationis, seu in secundas intentiones; sicut si quis diceret; animalium, aliud vniuersale, & aliud particulare. In qua diuisione, vniuersale, & particulare, sunt accidentia animalis, cum sint intentiones secundæ, fundatæ super diuersitate animalium.

Quarta opinio sustinet, esse diuisionem analogi in sua analogata; quandoquidem substantia completa, quæ diuiditur in primam,& secundam, analogicè dicitur de illis.

lis; cum per prius de prima substantia, quæ maximè substantia est, dicatur; & per posterius de secunda, quæ minus substantia est. & per attributionem ad primam. Ita Albertus Magnus hic, tract. primo, cap. 3. Sotus ibi, q. 1. Caiet. in Expositione textus. Rimius, q. 4. Conimbric. quæst. 2. artic. 2. conclus. 3. Iauellus, 5. Methaphys. q. 7. Flander. septimo Meth. q. 8. Tolet. hic q. 1. & communiter Thomistæ.

Quinta tandem opinio putat, hic non diuidi substantiam pro prima, sed pro secunda intentione; & esse diuisionem vniuocam, scilicet generis in species. Ità noster Petrus Tataretus, cap. de substantia, q. 1. not. 3. Vbi tamen subdit; quod si fieret diuisio substantiæ pro prima intentione, tunc non esset diuisio vniuoca, sed æquiuoca, scilicet subiecti in accidentia rationis; & sic approbare videtur tertiam opinionem.

Ex his omnibus opinionibus, approbando tertiam dicentem, hic fieri diuisionem subiecti in accidentia, deduco sextam opinionem ad mentem Doct. nostri in prædicamentis loco citato; & q. 4. Vniuersalium, resp. ad secundum argumentum principale; nimirum talem diuisionem esse substantiæ, primo intentionaliter acceptæ, non per se, sed per accidens primo modo, scilicet subiecti in accidentia intentionali.

Pro cuius intelligentia, ac fundamento, primo est memoriæ reuocandum, diuisionem esse duplicem, scilicet per se, & per accidens; & vtramque multiplicem, vt adnotauimus in Summulis, tract. primo, sect. 3. Anteprædicamento secundo in generali, & in Vniuersal. cap. de Differentia, q. 1. Hic est sermo de vtraque, iuxtà diuersitatem opinionum; siquidem diuidendo substantiam pro secunda intentione, esset diuisio per se, & vniuoca; quia generis supræmi in suas species subalternas. Si verò diuideretur substantia pro prima intentione, foret diuisio per accidens; quia subiecti in accidentia intentionalia; prima enim, & secunda substantia, essent secundæ intentiones attributæ substantiæ communicabili, & incommunicabili pluribus.

Secundo notandum est, ex Doctore Subt. q. 4. Vniuersalium, ad secundum argumentum principale; substantiam, tam primam, quam secundam posse accipi, dupliciter, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Prima substantia pro prima intentione, est omne illud, quod directè ponitur in prædicamento substantiæ, & non est pluribus communicabile: vt Petrus, Paulus, hic leo, hic equus, hic lapis, hoc ferrum &c. at pro secunda intentione, est secunda intentio indiuidui, attributa Petro, Paulo, huic leoni, isti æquo, & sic de cæteris, cognitis in ordine ad sua superiora, quorum naturam participant incommunicabiliter. Secunda substantia pro prima intentione, est quodlibet communicabile pluribus, directè positum in prædicamento substantiæ; vt corpus, corpus animatum, animal, homo, leo, equus, bos, & cætera huiusmodi. Et pro secunda, est intentio secunda vniuersalis, vt puta generis, vel speciei, attributa corpori, corpori animato, animali, homini, leoni &c. ab intellectu cognitis in ordine ad primam substantiam pariter pro prima intentione, de qua vniuocè prædicatur. Ex his sequitur primo, quod etiam substantia, vt sic, potest dupliciter sumi; pro prima, & pro secunda intentione. Pro prima, adhuc dupliciter, scilicet pro supremo coordinationis substantialis, scilicet pro substantia finita, & limitata completa; & pro tota coordinatione substantiali, scilicet substantia, corpore, corpore animato, animali, & homine. Pro secunda intentione verò substantia vt sic, est intentio generis generalissimi, attributa substantiæ completæ, finitæ, ac limitatæ in ordine ad sua inferiora. At secundo modo, est intentio vniuersalis attributa corpori, corpori animato, animali, & homini; & intentio indiuidui attributa Petro, Paulo, ac cæteris, cognitis tamen in ordine ad supræmam substantiam, quam participant. Sequitur secundo, quod tertia opinio, cum dicat, hanc diuisionem esse subiecti in accidentia intentionalia, non debet ponere pro diuiso substantiam, primo intentionaliter acceptam pro supræmo; quia nequit esse subiectum primæ substantiæ, pro secunda intentione sumptæ; hæc enim est falsa: substantia completa, finita, & limitata in communi, est indiuidua: sed habet ponere pro diuiso substantiam pro tota coordinatione acceptā, & pro membris diuidentibus, primam, & secundam substantiam pro secunda intentione, vt sit sensus. Eorum, quæ directè ponuntur in prædicamento substan-

tiæ; quædam sunt vniuersalia, cuiusmodi sunt secundæ substantiæ; & quædam indiuidua, seù singularia, vt sunt primæ substantiæ. Et sic talis diuisio est subiecti in accidentia; siquidem illa, quæ sic directè ordinantur, vel sunt subiecta vniuersalia, & sic denominantur à secundis substantijs; vel particularia, & sic denominantur à primis. Sequitur tertio, quod quinta opinio Tatareti, cum asserat, diuisionem hanc esse generis in species, habet ponere pro diuiso genus generalissimum attributum substantiæ completæ, finitæ, & limitatæ; vt sic, in communi acceptæ; & pro membris diuidentibus vniuersale, quod est secunda substantia, & singulare, seu indiuiduum, quod est prima substantia. Et hæc diuisio habet fieri per prædicationem signatam, non exercitam; nimirum, genus generalissimum substantiæ prædicatur prædicatione signata de vniuersali, & singulari, quæ sunt prima, ac secunda substantia; & posteà habet exerceri in terminis primę intẽtionis, videlicet; Petrus, qui est prima substantia, & animal, quod est secunda substantia, sunt substantiæ finitæ, & limitatæ, completæ. Et sic diuisio substantiæ in primam, & secundam, non est per accidens, sed per se, & vniuoca; cum ibi diuidatur genus generalissimum in suas species, de quibus prædicatur vniuocè, & in quid.

Tertio notandum, ex D. Isidoro, lib primo Ethimolog. cap. 4. & lib. secundo cap. 26. Insuper, ex Aristotele, quinto metaphysic. cap. 8. & Auerroe ibidem, substantiæ vocabulum deriuari à duplici effectu, proueniente ex rebus prædicamenti substantiæ; nimirum a subsistendo, seu in se, & per se existendo; & à substando alijs, scilicet prædicatis superioribus, & accidentibus; quorum prior prærequirit in se, quæ dicitur substantia, quemdam modum intrinsecum, qui subsistentia, seu in se, & per se existentia appellatur; & posterior alium modum, qui substantia, seu substentificatio dicitur. Horum autem modorum datur ordo in eadem re prædicamenti substantiæ, vtpotè in lapide; quia primo concipitur subsistens, hoc est, in se, & per se existens; & secundo substans alijs, idest substentificans prædicata superiora, & accidentia, sibi apta nata inexistere. Vndè habetur, quod cum substantia nequeat concipi sine ratione subsistendi, sed bene sine ratione substandi accidentibus, ratio subsistendi erit sibi intrinseca, & essentialis; ratio verò substandi, extrinseca, & accidentalis, hoc est, extra rationem, & quiditatem substantiæ. Non ob hoc tamen inferas, quod ratio substandi, sit totaliter extrinseca, itàvt queat à substantia seiungi, cum ipsa considerata in aptitudine, sit passio consequens rem de prædicamento substantiæ, & consequenter sibi realiter identificata, sicut risibilitas homini. Ex quo patet, quo sensu diuidat secunda opinio substantiam in primam, & secundam; nam non diuidit substantiam essentialiter, scilicet secundum rationem subsistendi, sed accidentaliter, nimirum secundum rationem substandi: nec talis diuisio erit substantiæ completæ, prout est supremum prædicamenti substantiæ, sed eiusdem, acceptæ pro tota coordinatione substantiali, in quantum quodlibet eorum, quæ reponuntur in prædicamento substantiæ, substare dicitur accidentibus, & prædicatis superioribus. Membra autem diuidentia, sunt primeitas, & secundeitas; si quidem primum, & secundum (vt docet Scotus in Grammatica speculatiua, de Constructione §. Visa natura constructionis.) sunt differentiæ ordinis accidentales; vnde prima substantia dicitur, quæ primo substat accidentibus; Secunda verò, quæ secundo substat. Et sic, talis diuisio est per accidens; quia accidentis in accidentia; dicitur enim substantiarum, supple accidentibus; quædam substant primò, & dicuntur primæ substantiæ; quædam verò substant secundo, & sic secundæ substantiæ appellantur.

Quarto notandum est, ex dictis, cap. de Differentia, q. 1. quod ad bonam diuisionem tres conditiones requiruntur. Prima, quod membra diuidentia sint opposita formaliter; hoc est, vt vnum nequeat prædicari formaliter, & quiditatiuè de reliquo. Secunda, quod diuisum non excedat membra diuidentia. Idest, quod nihil contineatur sub diuiso, de quo non valeant prædicari membra di-

diuidentia, saltem disiunctiuè. Tertia, quod membra diuidentia non excedant diuisum; ita vt nihil reperiri possit sub membris diuidentibus, quin contineatur etiam sub diuiso. Ex his conditionibus manifestè apparet, quæ illarum opinionum sint probabiles, & quæ improbabiles. Quarta est improbabilis; quia deficit sibi prima conditio: quandoquidem prima, & secunda substantia pro prima intentione, non opponuntur; imò secunda essentialiter prædicatur de prima, nedum prædicatione signata, sed etiam exercita; istæ enim sunt essentiales. Petrus est homo; hoc animal, est animal. Tertia, & quinta; sunt probabiles; quia cum accipiant primam, & secundam substantiam pro secunda intentione, saltem in prædicatione exercita, membra diuidentia sunt opposita; hæc enim est falsa. Indiuiduum est vniuersale; vel prima substantia, est secunda substantia. Secunda autem, quo ad hoc, quod membra diuidentia sunt opposita, est cæteris probabilior, cum primeitas, & secundeitas, quæ sunt membra diuidentia, nequeant vllo modo de se inuicem prædicari formaliter, vel in actu signato, vel exercito. Est posteà omnibus improbabilior, quoad diuisionem in se; quandoquidem ibi Aristoteles diuidit substantiam essentialiter secundum rationem subsistendi, non substandi tantum; & membra diuisionis nequeunt esse primeitas; & secundeitas; quia ibi vult Philosophus, quod secundæ substantiæ prædicentur de primis, saltem prædicatione signata, vt patet inspicienti textum; atqui secundeitas nullo modo prædicari potest de primeitate; igitur membra diuidentia sunt substantiæ pro prima, vel secunda intentione, & non primeitas, & secundeitas, quæ sunt differentiæ accidentales ordinis, & omnibus, aliquo modo ordinatis, conuenientes.

Ex his, sit prima Conclusio. Substantia, quæ diuiditur in primam, & secundam substantiam, non est substantia completa, finita, & limitata, prout est supremum genus prædicamenti substantiæ, sed quodlibet contentum in tali coordinatione. Nec prima, & secunda substantia accipiuntur pro prima, sed pro secunda intentione tantum. Probatur prima pars. Quia quodlibet diuisum, debet recipere prædicationem à membris diuidentibus, si sint entia positiua; sed substantia completa, finita, & limitata in communi, nequit recipere prædicationem veram à prima, & secunda substantia, sed bene substantia pro tota coordinatione accepta; ergo substantia completa, finita, & limitata, non diuiditur in primam, & secundam substantiam, sed dumtaxat substantia accepta pro coordinatione prædicamentali substantiarum. Maior patet. Tum quia diuisum, & membra diuidentia debent esse adæquata; igitur debent prædicari de se inuicem; saltem disiunctiuè. Tum etiam, quia rationale, & irrationale diuidunt animal, & prædicantur de illo disiunctiuè, vt patet; igitur &c. Minor probatur. Quia substantia in communi, est semper communicabilis; at prima substantia, maximè pro prima intentione, est incommunicabilis; ergo saltem prima substantia nequit prædicari de substantia completa in communi. Secunda pars minoris, quod prima, & secunda substantia prædicentur de substantia accepta pro coordinatione prædicamentali, probatur. Quia omnis substantia completa, reponibilis in coordinatione prædicamentali, vel est prima substantia, vt sunt indiuidua; vel secunda, vt sunt genera, & species; ergo hæc diuiditur, & non illa in communi. Probatur secunda pars conclusionis. Quia membra diuidentia debent esse opposita, vt patet ex prima conditione requisita ad bonam diuisionem; sed prima, & secunda substantia pro prima intentione, non sunt opposita, licet bene pro secunda; ergo prima, & secunda substantia, non accipiuntur in illa diuisione pro prima, sed pro secunda intentione. Minor probatur. Quia oppositum non prædicatur de opposito formaliter, ex Aristotele, c. de oppositis; sed secunda substantia pro prima intẽtione prędicatur formaliter de prima pro prima intentione; ergo vt sic, non sunt opposita. Minor probatur. Quia Aristoteles in textu dicit, secũdas substantias prædicari nomine, & ratione de pri-

primis, tùm etiam, quia hęc est quiditatiua; hic homo est homo; sed hic homo est prima substantia, & homo secunda, accepta pro prima intentione; ergo. Secunda pars minoris probatur. Quia licet secundæ substantiæ prædicentur nomine, & ratione prædicatione signata de primis, cum genera, & species prædicentur de indiuiduis quiditatiuè eadem prædicatione, tamen prædicatione exercita nequeunt prædicari quiditatiuè de illis; quia hæ sunt falsæ: prima substantia est secunda, vel è conuersò; & indiuiduum est genus, vel genus est indiuiduum; atqui indiuiduum est prima substantia, & genus, & species secunda; ergo secunda substantia nequit prædicare quiditatiuè de prima; vel è conuersò. Additur notanter quiditatiuè; quia denominatiuè nihil prohibet prædicari de se inuicem, nimirum quando vna sumitur, vt quid, & altera vt modus; si quidem indiuiduum est species; quia dicitur de illo, & illo indiuiduo; similiter species est indiuiduum, in quantum videlicet attribuitur homini; leoni, equo &c. tamen species dicitur de indiuiduo, & similiter indiuiduum de specie, tantum modaliter, & denominatiuè, pro quanto fundatur super eadem, vti modus illam denominans, vt alias diximus.

Secunda Conclusio. Hæc diuisio, est subiecti in accidentia intentionalia. Ita Scotus in citatis locis. Probatur. Quia diuisio subiecti in accidentia est illa, in qua diuisum est subiectum, & membra diuidentia sunt accidentia ipsum denominantia; sed substantia, quæ diuiditur in primam, & secundam, est huiusmodi; ergo est diuisio subiecti in accidentia. Maior patet, ex Boetio, lib. de Diuis. cap. primo, & secundo. Minor probatur. Quia substantia, quę hic diuiditur, est substantia accepta pro tota coordinatione prædicamentali; & prima, ac secunda substantia accipiuntur hic pro secunda intentione; sed tales subiectantur in eadem, accepta pro prima intentione; quia secunda substantia est genus, vel species; prima verò est indiuiduum, vel singulare; & hæc subiectantur in prima substantia, accepta pro tota coordinatione; siquidem genus, & species attribuuntur corpori, corpori animato, animali &c. & indiuiduum, huic, vel illi homini, illi, vel illi equo, & sic de cæteris; ergo prima, & secunda substantia, quæ sunt membra huius diuisionis, subiectantur in substantia pro prima intentione, accepta tamen pro tota coordinatione prædicamenti substantiæ.

Tertia Conclusio. Probabile est, hanc diuisionem esse generis in species; & consequenter vniuocam; sumendo tam diuisum, quam membra diuidentia pro secunda intentione. Est conclusio nostri Petri Tatareti, in præcitato loco. Probatur. Quia diuisio generis in species est, cum diuisum est genus, & membra diuidentia sunt species sub ipso contentæ; sed accipiendo substantiam, tam primam, quam secundam, pro secunda intentione, diuisum est genus, & membra diuidentia sunt species; ergo est diuisio generis in species. Maior est Boetij, in præcitato loco. Minor probatur. Quia substantia pro secunda intentione, est genus generalissimum, & secunda est vniuersale; prima verò, indiuiduum, seu singulare, quæ sunt duæ species contentæ sub genere generalissimo, saltem in prædicatione signata; igitur diuisum est genus, & membra diuidentia sunt species eiusdem generis. Secunda pars patet. Quia genus dicitur vniuocè de suis speciebus, vt alibi demonstrauimus.

Quarta Conclusio. Diuisio substantiæ in primam, & secundam, est conuenienter assignata. Probatur. Quia habet omnes conditiones requisitas ad bonam diuisionem; ergo est bona, & conuenienter assignata. Consequentia patet. Quia nihil aliud requiritur. Antecedens probatur. Habet primam conditionem; quia prima, & secunda substantia accipiuntur pro secunda intentione, & vna nequit prædicare quiditatiuè de altera in actu exercito; igitur membra diuidentia sunt opposita. Habet secundam, & tertiam. Siquidem omne, quod continetur directè in prædicamento substantiæ, vel est prima, vel secunda substantia; & omne, quod est prima, aut secunda substantia, continetur directè in prędicamento substantię; qua ratione, diuisum, & membra diuidentia dicuntur adæquari, vt neutrum alterum excedat; ergo habet secundam, & tertiam conditionem. Secundo probatur. Quia hæc diuisio, vel est subiecti in accidentia, vel generis in species, ex secunda, & tertia conclusione; sed vtraque diuisio est bona, ex Boetio, lib. de Diuisionibus; ergo hęc est bona

na diuisio, & consequenter conuenienter assignata.

Obijcitur tamen primo, contra primam conclusionem. Quia eo modo hic accipitur prima, & secunda substantia, quo modo diffiniuntur ab Aristotele; sed vt hic diffiniuntur, sunt primæ intentiones; ergo etiam, vt sunt membra diuisionis, debent esse primæ intentiones. Maior patet. Quia Aristoteles non posuit expresse hanc diuisionem in primam, & secundam substantiam, sed ex eo docemur, illam posuisse, quia vtramque diffiniuit distincta diffinitione; ergo eo modo hic accipiuntur, quo modo diffiniuntur. Minor probatur. Quia diffiniuit primam substantiam per hoc, quod proprie, & principaliter, & maxime substare dicitur; & quod est in subiecto, neque dicitur de subiecto; sed hæc diffinitio nequit conuenire substantiæ primæ, pro secunda intentione acceptæ; tum quia illa non magis substat, quam secunda; tum etiam, quia illa est in subiecto, scilicet in substantia pro prima intentione; & etiam dicitur de subiecto; quia prædicatur de hac, & illa substantia pro prima intentione; ergo diffinitio nequit competere primæ substantię pro secunda intentione.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, iterum nego minorem. Imò diffinitio sic applicatur primæ substantiæ, pro secunda intentione. Substantia autem, quæ propriè, & principaliter, & maximè substantia dicitur, est secunda intentio indiuidualis, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est. Ad probationem minoris dico, magis substare, quam secunda, in quantũ applicatur indiuiduo substantiali pro prima intentione, quod maximè substat accidentibus. Ad aliã probationem dico, primam substantiam pro secunda intentione dupliciter accipi posse, scilicet vt quid, & vt modus. Primo modo, prima substantia indiuidualis non dicitur de subiecto, sed tantum de se ipso. Secundo modo dicitur de subiecto, vt puta de hac, & illa prima substantia; sed tunc non est prima substantia, sed secunda, cum sit species modalis. Similiter, ipsam esse in subiecto potest dupliciter intelligi; vno modo comparando ipsam ad suum subiectum, seu fundamentum, secundum prædicationem signatam; alio modo secundum prædicationem exercitam. Primo modo, non est subiecto, sed tantum de illo dicitur; sicque dicitur prima substantia. Secundo autem modo est in subiecto, vt puta in Francisco, vel Antonio cognitis: at sic non est prima substantia, sed accidens tantum, vt modus; siquidem accidit cuilibet intentioni secundæ esse in, sicut accidentibus realibus dici de; vt dictum est in Vniuersali bus.

Obijcitur secundo. Aristoteles comparans primam, & secundam substantiam ad inuicem inquit, primam esse maximam substantiam, & magis, quam secunda; quia maximè substat; sed substare, est actus realis; ergo prima, & secunda substantia sunt entia realia, & non secundæ intentiones.

Respondetur, quod substare dupliciter accipitur, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Primò modo dicit substentare accidens, & prædicata superiora. Secundo modo dicit esse subiectum in propositione. Vndè, sicut illud, quod plura substentat realiter, dicitur magis substare realiter, quàm quod pauciora, ita id, quod potest esse subiectum plurium prædicatorum secundum prædicationem signatam, dicitur magis substare secundo intentionaliter, quàm id, quod nequit esse tot prædicatorum subiectum. Modò ad formam argumenti dico, minorem esse veram de substare pro prima, non pro secunda intentione. Quare manifestè patet, primam substantiam pro secunda intentione magis substare, quam secunda similiter accepta, cum possit esse subiectum in prædicatione signata plurium prædicatorum, quam secunda esse queat.

Obijcitur tertio, contra tertiam conclusionem. Si hæc diuisio esset generis in species, sequeretur primã non posse esse magis substantiã, quàm secundã; sed hoc est contra Aristotelem in textu; ergo. Sequela maioris probatur. Quia Aristoteles ibidem dicit, vnam speciem non esse magis substantiam altera speciè; quia æqualiter participant, & æquè participantur ab indiuiduis.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, Aristotelem intelligendum esse de speciebus specialissimis, vt patet in exemplis ibidem allatis;

non

non tamen de subalternis. Quia cum in his detur ordo superioris, & inferioris, consequenter inæqualiter participant superiora, & participantur ab inferioribus. Modo genus generalissimum non diuiditur in primam, & secundam substantiam, tamquam in species specialissimas, sed vt in species subalternas; cum secundæ substantiæ possint esse genera, & species; primæ vero, tantum species, vt modus.

Vtrum aliquis homo sit prima substantia?

QVÆSTIO III.

MOuetur hæc difficultas occasione exempli, quod dedit Aristoteles de prima substantia, dicens. Aliquis homo, aliquis bos, quidam equus. Modo quæritur, si exemplum datum de aliquo homine, explicet naturam de prima substantia, necnè. Ratio dubitandi est; quia aliquis homo, videtur prædicari de pluribus, & sic de subiecto; siquidem hæ sunt veræ. Petrus est aliquis homo, Paulus est aliquis homo, Ioannes est aliquis homo, &c. igitur exemplum videtur transcendere diffinitionem primæ substantiæ.

Pro cuius declaratione, primo notandum est; quod istæ sex voces, vnum numero, indiuiduum, singulare, suppositum, & hypostasis, ac persona, aliquo modo conueniunt, & aliquo modo differunt. Primo conueniunt; quia omnes denotant hoc aliquid, & rem incommunicabilem, scilicet Petrum, hunc leonem, hanc albedinem, &c. Secundo differunt; quia vnum numero, singulare, & indiuiduum competunt rebus singularibus cuiuslibet prædicamenti, siuè substantiæ, siue accidentium; at suppositum, hypostasis, & persona reperiuntur dumtaxat in rebus singularibus prædicamenti substantiæ; vt patet ex cuiuslibet propria diffinitione, seu descriptione. Nàm dicitur vnum numero; quia non facit diuersum numerum, sed vnum tantum significat. Dicitur autem singulare; quia sibi repugnat diuidi in plura inferiora. Dicitur denique indiuiduum, quia tantum de vno solo prædicatur, vt ait Porphyrius, cap. de specie, in fine: vel quia de nullo alio a se dicitur; vt inquit Aristoteles in Antepprædicamentis. At manifestum est, has rationes conuenire rebus singularibus cuiuslibet prædicamenti; igitur illa tria sunt communia rebus singularibus cuiuslibet prædicamenti. Reliqua verò tria, & si conueniant, quia omnia reperiuntur in rebus singularibus prædicamenti substantiæ tantum, differunt tamen inter se; quia hypostasis, & suppositum conueniunt omnibus rebus singularibus prædicamenti substantiæ, siue sint res animatæ, siue inanimatæ, siue intellectuales, siue careant intellectu: persona verò tantum in intellectualibus, siue corporeis, siue incorporeis inueniri potest: quod clarius patebit, si vtrumque descripserimus. Suppositum igitur, seu hypostasis, (idem enim sunt; cum hypostasis in græco, suppositionem, seu suppositum significet in latino) est omne illud, quod est incommunicabile, vt quo, & vt quod. Vnde communicari alteri vt quo, est esse natum inhærere, seu informare aliquid, siue sit accidens, siue forma substantialis. Et sic albedo dicitur communicabilis vt quo; quia est nata inhærere parieti; & similiter anima nostra dicitur communicabilis corpori vt quo; quia est nata informare illud. Et per oppositum, illud est incommunicabile, vt quo, quod non potest esse forma, siue accidentalis, siue substantialis alicuius. Et sic tantum indiuidua substantiæ dicuntur esse incommunicabilia. Sed communicabile vt quod, est illud, quod de pluribus prædicari potest; vt homo, animal, albedo, nigredo &c. At incommunicabile vt quod, dicitur illud, quod de pluribus prædicari nequit. Et sic omne indiuiduum est incommunicabile; quia tantum de se solo prædicari potest. Quare coniungendo ambas particulas in vnum, suppositum dicitur esse illud, quod non potest esse forma alicuius, nec de pluribus prædicari valet; atqui cum per primã particulam excludantur omnia indiuidua accidentium, restat, suppositum dumtaxat competere posse rebus singularibus prædicamenti substantiæ. Persona autem, est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia. Ex quo patet, quod per illam particulam, incommunicabilis existentia, denotatur, personæ rationem non competere generibus, & speciebus; quia talia sunt communicabilia vt quod; non indiuiduis accidentium, quia sunt communicabilia vt

vt quo;sed tantum indiuiduis substãtiæ,quæ sunt incommunicabilia vt quo,& vt quod. Per illam verò conditionem, intellectualis naturæ, denotatur nomen personæ conuenire non posse animalibus brutis, sed tantum rationalibus;nec tãtum illis, sed etiam Deo, & Angelis. Ex his omnibus patet, quod non omnia indiuidua, singularia, vel vnum numero, possunt dici primæ substantiæ, sed illa dumtaxat, quę sunt supposita,& personæ;vt sunt omnia indiuidua prædicamenti substantiæ, siue corporea, siue incorporea, finita tamen,& limitata:vt hac ratione excludatur Deus, qui non est in aliquo prædicamento, vt superius probatum est.

Secundo notandum est, quod indiuiduum substantiæ est duplex, scilicet vagum, & signatum. Indiuiduum vagum est, quod est determinatum ad significandum aliquam naturam singularem indeterminatè tamē: vt aliquis homo, quidam equus &c. quandoquidem illud signum particulare aliquis, vel quidam, contrahit hominem, vel equum ad singularem naturam, indeterminate tamen; quia non signatur hoc, vel illud, sed potest esse hoc vel illud,& neutrum illorum. Et indiuiduum hoc modo sumptum, potius meretur nomen speciei, quam indiuidui, cum re vera de pluribus prædicetur, istæ enim sunt veræ. Petrus est aliquis homo. Paulus est aliquis homo &c. Indiuiduum verò signatum est, quod est determinatum ad significandum aliquam naturam singularem determinate; vt Petrus, Paulus, hic leo, iste æquus &c. Ad propositum applicando, stando in rigore logicæ, aliquis homo nequit esse prima substantia; quia de ratione primæ substantiæ est non dici de subiecto, idest de inferioribus; at aliquis homo dicitur de omnibus hominibus: valet enim dicere; omnis homo est aliquis homo, cum omnes particulares eius sint veræ, scilicet; iste homo est aliquis homo,& hic,& ille,& sic de cęteris; igitur omnis homo est aliquis homo:tamen respiciendo intentum Aristotelis, potest concedi, quod aliquis homo sit prima substantia, cum significet naturam hominis particularem, indeterminatè tamen; ità vt prima substantia sit aliquis homo, idest quodlibet, quod est aliquis homo, vel iste homo. Ex quo elici potest talis distinctio, nimirum, aliquem hominem materialiter sumptum, non esse primã substantiã, cum vt sic, prædicetur de subiecto:esse tamen primam substantiã circũlocutiuè, inquantũ per hoc cõplexũ, aliquis homo, denotatur iste homo vel Petrus, qui re vera sunt primæ substãtiæ formaliter. Et hoc modo intelligendus est Aristoteles;alioquin exẽplũ non respõderet diffinitioni primæ substantiæ, sed potius secũdæ,'cũ super aliquo homine fũdari possit intentio speciei, quæ est secunda substantia.

Ex his, sit prima conclusio. Ratio primæ substantię non potest reperiri in indiuiduis, vel singularibus tantũ, sed vltra hoc requiritur, talia esse supposita, vel personas. Ista conclusio est contra Mauritiũ Hybernũ, in expos. quartæ quæstion. Vniuersaliũ Scoti, dub. 3. vbi probabiliter defendit, substantiã primã,& secundã, pro secunda intentionẽ, reperiri posse in omni prædicamento; per anthonomasiam tamẽ attributam esse prędicamento substantię. Probatur. Quia in eo reperitur tantũ ratio primæ substãtiæ, quod est incommunicabile, vt quo,& vt quod; sed tale est tantum indiuiduũ substantiæ, cuiusmodi est suppositũ,& persona; ergo nequit reperiri ratio primæ substãtiæ in indiuiduis accidentiũ. Minor patet ex primo not. Maior probatur. Quia prima substantia est, quæ neque est in subiecto, neque de subiecto dicitur; ergo tantum reperitur in eo, quod est incommunicabile, vt quo,& vt quod. Antecedens est Aristotelis in textu. Cõsequentia probatur. Quia per hoc, quod dicitur, neque est in subiecto; denotatur incõmunicabilitas vt quo, scilicet, vt forma, siue substãtialis, siue accidẽtalis; siquidem quod est in subiecto, est communicabile vt forma accidentalis,& consequenter vt quo; igitur quod non est in subiecto, redditur incõmunicabile, vt quo. Per hoc vero, quod additur in eadẽ diffinitione; neq; de subiecto dicitur; declaratur incõmunicabilitas vt quod; quandoquidem dici de subiecto, est habere inferiora, de quibus prædicetur; & per oppositũ, non dici de subiecto, est nõ prædicari de pluribus; sed hoc est esse incõmunicabile vt quod; ergo ratio primæ substantiæ tantum reperitur in eo, quod est incommunicabile vt quo,& vt quod;& sic tantum in indiuiduis prædicamenti substantiæ,& non accidentium; cum talia sint cõmunicabilia, saltem vt quo, subiectis, vel actualiter, vel aptitudinaliter.

Secũda Cõclusio. Loquendo de rigore logicæ, aliquis homo nõ est prima substantia; hoc est, prima substãtia pro secũda intẽtione

ne-

nequit fundari super aliquo homine. Hæc est contra Toletum hic, q. 5. in resp. ad primum argumentum. Et est Scoti in Prædicam. q. 12. Antonij Andreæ, q. 1. de substantia. Conimbric. ibidem, q. 2. art. 3. ad secundum. Probatur. Quia ratio primæ substantię nequit fundari super illo, quod prædicatur de pluribus; sed aliquis homo prædicatur de pluribus; ergo super aliquo homine nequit fundari prima substantia pro secunda intentione. Maior patet. Quia prima substantia nequit dici de subiecto, ex diffinitione eiusdem; sed quod prædicatur de pluribus dicitur de subiecto, ex Antepredicamentis, cap. 2. ergo prima substantia nequit fundari super illo, quod prædicatur de pluribus. Minor probatur. Quia prędicatur de hoc, & de illo homine determinatis, qui sunt plures.

Dices cum Toleto. Estò aliquis homo dicatur de pluribus, non tamen dicit de subiecto; quia non prædicat naturam superiorem de hoc, vel illo homine, sed tantum seipsum hominem particularem, indeterminatè tamen.

Contra. Quia illud dicitur prædicare naturam superiorem, & communem, quod prædicatur naturam contractam per differentiam communem; sed aliquis homo est huiusmodi; ergo &c. Maior patet ab oppositis. Quia prædicatur naturam inferiorem, & particularem, quod prædicatur naturam contractam per differentiam indiuidualem, & particularem; ergo illud, quod prædicatur naturam contractam per differentiam communem, prædicatur naturam superiorem, & communem. Minor probatur. Quia aliquis homo, dicit naturam hominis cum differentia vaga, & indeterminata ad hunc, vel illum hominem; sed quod est indeterminatum ad hoc vel illud, est commune, & non particulare; ergo aliquis homo prædicatur naturam communem, & superiorem, & non particularem tantum, vt dicit Toletus. Concludendum est igitur de rigore logicæ, primam substantiam non posse fundari super aliquem hominem.

Tertia Conclusio. Circumlocutiuè tamen, aliquis homo potest dici prima substantia. Id est ratio primæ substantiæ, potest attribui alicui homini circumlocutiuè accepto. Est Doct. Subt. loco citato. Et Tataret. hic, q. 1. de substantia, Dub. 2. Probatur. Quia prima substantia est, quæ neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur; sed aliquis homo circumloquitur indiuiduum hominis determinatum, quod neque est in subiecto, nec de subiecto dicitur; ergo aliquis homo circũlocutiuè, est prima substantia. Maior patet ex diffinitione primæ substantiæ. Minor similiter. Quia per aliquem hominem, circumloquimur hũc hominem particularem determinatè, scilicet Petrum, vel Paulum &c. qui neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur; quia est incommunicabilis, vt quo, & vt quod, vt dictum est in primo Notabili; ergo.

Obijcies tamen primo, contra primam conclusionem. Secundæ substantiæ, pro secunda intentione sumptæ, sunt in omni prædicamento; ergo, & primæ. Consequentia patet. Quia ex Aristotele, cap. de substantia, secundæ substantiæ dicuntur de primis; ergo vbicumque reperiuntur secundæ, & primam ibidem esse oportet. Antecedens probatur. Quia Scotus in quarta quæstione Vniuersalium, ad secundum principale dicit, vniuersale esse secundam substantiam, & etiam dici de primis substantijs; atqui vniuersale reperitur in omni prędicamento, cum ibi sint genera, & species; ergo secundæ substantiæ sunt in omni prædicamento.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, vniuersale esse quid cõmune ad genera, & species, quæ sunt secundæ substantiæ, & ad indiuidua, quę sunt primæ substantiæ, & ad cætera, quæ non sunt primæ substantiæ; ideò licet Doct. concedat, vniuersale dici de primis, & secundis substantijs pro secunda intentione, tamquã genus subalternum de suis speciebus, non tamen cõcedit adæquatam propositionem prædicatiuam de illis; itàvt omne, quod est secunda substantia, vel prima, sit vniuersale; & omne vniuersale sit secunda substantia; cum vniuersale sit communius secundis substantijs; comprehendit enim sub se omnia genera, & species, non tantũ attributa rebus cõmunibus prędicamenti substantiæ, qua ratione dicuntur secundæ substantiæ; verum etiam eadem attributa rebus communibus prædicamentorum accidentium; ideò non sequitur reperiri primas aut secundas substantias in prædicamẽtis accidentium, esto in eisdẽ reperiatur vniuersale.

Quia

Obijcies secundo, contra secundam conclusionem. Si aliquis homo non est prima substantia verè, & in rigore; sequitur, quod nullo modo sit substãtia; sed hoc est falsum, quia ponitur directè in prædicamento substantiæ; ergo & id vndè sequitur. Sequela maioris probatur. Quia inter primam, & secundam substantiam non datur medium; sed per te non est prima substantia, nec est secunda, vt probabitur; ergo si non est prima, nullo modo est substantia. Maior patet ex præcedenti quæstione, vbi demonstrauimus, primam, & secundam substãtiam sufficienter diuidere omnem substantiam. Minoris secunda pars probatur. Quia si aliquis homo esset secunda substantia, maximè esset species, cum dicatur de hoc, & illo homine, tamquam de differentibus numero; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Minor probatur per regulas contradictoriarum; si vna est vera, reliqua necessariò est falsa; sed hæc est vera; nullus homo est species; ergo sua contradictoria est falsa; aliquis homo est species.

Respondetur primo, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, inter primam, & secundam substantiam formaliter, & circumlocutiuè simul acceptas, non dari aliquod medium; quia omne, quod est substantia, vel est prima, vel secunda altero è duobus modis, scilicet aut formaliter, aut circumlocutiuè; tamen datur medium inter illas, si formaliter tantum accipiantur, nimirum secunda, vel prima substantia circumlocutiuè: modo, licet aliquis homo non sit prima substantia, vel secunda in rigore, est tamen prima circumlocutiuè.

Vel dicendum secundo, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, aliquẽ hominem esse secundam substantiam, quæ sit species, cum re vera de pluribus prædicatur numero differentibus suppositis. Ad probationem contra, concessa maiori, dico, hanc propositionẽ, aliquis homo est species; non esse contradictoriam huius; nullus homo est species; siquidem cum illud signum, nullus, distribuat hominem pro omnibus hominibus, non distribuit ipsum indeterminatè, sed determinatè; quod patet resoluendo illam in suas particulares, nimirum in has; igitur Petrus non est species, Paulus non est species, hic homo non est species, & sic de ceteris; ergo sua contradictoria debet esse de subiecto determinato, vt ista; hic homo est species, vel Petrus est species, quæ sunt falsæ: modo aliquis homo non est subiectum determinatum, sed vagum, & indifferens ad plura supposita hominis, ideò hæc; aliquis homo est species; non est contradictoria illius; nullus homo est species; & per consequens ad veritatem eiusdem, non sequitur falsitas istius, sed ambæ possunt esse simul veræ.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionem. Quod prædicatur de pluribus in quid, non est prima substantia; sed aliquis homo est huiusmodi: ergo aliquis homo non est prima substantia. Maior patet ex diffinitione primæ substantiæ. Minor probatur. Quia ista est vera; omnis homo est aliquis homo; vt dictum est in secundo Notab. sed omnes homines sunt plures; ergo aliquis homo dicitur de pluribus.

Respondetur primo, ex Doctore in prædicamentis loco citato, negando minorem. Ad probationem dico, esto aliquis homo dicatur de omnibus hominibus, & sic de pluribus, non tamen dicitur de illis in quid, cum sit quoddam ens per accidens compositum ex re primæ, & secundæ intentionis.

Vel dicendum secundo, minorem esse veram sumendo ly aliquis homo, materialiter; quo sensu etiam eius probatio habet veritatem; non tamen si accipiatur circumlocutiuè; quia tunc, cum circumloquatur aliquod indiuiduum hominis determinatum, nequit prædicari de omnibus hominibus; modò aliquis homo est prima substantia, secundo, non primo modo.

De Natura communi, seù Vniuersali Methaphysico.

DISPVTATIO IV.

Scholastici ferè omnes, hanc disentiunt materiam, occasione textus Aristotelis multis in locis; quippequi refellens opinionem Platonis de Vniuersalibus à materia segregatis, docet vniuersale, aut habere esse in

in singularibus tantum, vt dicebant Heraclitus, & Cratillus antiqui Phylosophi; aut si aliquod esse, præter esse singularium, possideat, illud sibi competere beneficio intellectus. Ità in primo de Anima, cap. 1. t. 8. in illis verbis. Vniuersale, aut nihil est, aut posterius est. Quibus per motus Commentator subiunxit, munus intellectus agentis esse facere vniuersalitatem in rebus. Cæterum de loco, & ordine, quem sibi adscribunt in tradenda hac materia, non conueniunt, cum aliqui eam disputent super primo Capite Vniuersalium Porphyrij, agendo de natura vniuersalis in communi. Alij in septimo Methaphys. ad tex. 44. & alij in primo de anima, ad locum citatum remittant. Nos autem occasione verborum Aristotelis in hoc capite de substantia dicentis, secundas substantias esse genera, & species, in quibus sunt primæ substantiæ; insuper, quod omnia alia à primis substantijs, vel dicuntur de illis, vel sunt in illis; vnde sequitur destructio omnium, ad primarum substantiarum destructionem; hic generaliter pertractabimus, extendendo quæsitum, nedum ad vniuersalia substantialia, sed etiam ad accidentalia. An nimirum, habeant esse præter operationem intellectus: & an in singularibus existant, secundum propriam vnitatem, & essentiam.

Vtrum in rebus, ante operationem intellectus, detur vnitas formalis, minor vnitate numerali?

QVÆSTIO I.

D. Thomas opusc. 55. & prima parte q. 86. art. 1. & 2. Albert. Magn. in lib. Prædicab. q. 6. Themistius super Aristotelis proem. de Anima cap. 4. Capreolus, in 2. sent. d. 8. q. 2. Iauel. tract. 4. de Vniuers. Anton. Ruuius in c. 2. Porph. q. 4. & alij ex Recentioribus, sustinent partem negatiuam quæsiti; non dari nimirum ante operationem intellectus vnitatem minorem vnitate numerali, sed omnem vnitatem, præter numeralem, pendere ab opere intellectus.

Cæterum, Doct. Subt. in secundo, d. 3. q. 1. & 7. meth. q. 18. enixè tuetur affirmatiuam. Magistrum sequuntur omnes eius Discipuli; vt Ant. And. 7. meth. q. 16. Tromb. ibi q. 9. Lycheius in secundo ad literam Doct. Io. Menlorius, disp. de Nat. Vniuersali, cap. 5. & 6. & alij, quos breuitatis causa omittimus.

Pro declaratione, & solutione huius quæstionis, primo notandum est, ex Aristotele, 4. meth. t. 5. ex septimo meth. t. 12. & ex 10. Meth. t. 9. quod vnum est passio entis; vndè infertur ibi tot esse species vnius, quot sunt species entis. Vnitas autem, ex Boerio, lib. de Vnit & Vno, est qua vnaquæque res dicitur vna; vel vt communiter describitur. Vnitas est illa, qua vna res dicitur indistincta in se, & distincta à quacumque alia. Vt v.g. vnitas in Petro, facit ipsum indistinctum in se, & distinctum à Paulo, Francisco, & cæteris hominibus. Ex quo sequitur, quod quanto magis aliqua res est indistincta in se, & ab alia distincta, tanto magis est vna: & per oppositum, quanto minus est in se indistincta, & distincta ab alia, tanto minus dicitur vna. Cum autem indiuiduum sit maxime indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio, quia nequit diuidi in sibi inferiora, de quibus dicatur quiditatiuè; ideò est maximè vnum, & eius vnitas indiuidualis, dicitur maxima vnitas: species autem, vt homo; quia est minus indistincta, quam indiuiduum, & magis, quam genus, vt puta animal, cum illa diuidatur in plura differentia numero; hoc verò in plura differentia specie, & etiam numero, dicitur habere minorem vnitatem, quam indiuiduum, & maiorem, quam genus. Quare, vnitas specifica erit minor numerica, seu indiuiduali; maior verò vnitate generica, quæ in hoc dicitur minima vnitas, cum sequatur entitatem vndequaque distinctam.

Secundo notandum, vt colligitur ex Doct. Subt. in secundo, d. 3. q. 1. Et 7. meth. q. 13. & 18. quod diuisio, seu distinctio, & vnitas cum opponantur priuatiuè, quot modis dicitur diuisio, tot modis habet dici, & vnitas, iuxtà placitum Philosophi, primo Topicorum, cap. 12. dicentis, Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dici-

tur

tur,& reliquum. Diuisio autem, in proposito est duplex, scilicet materialis, & formalis. Materialis diuisio dicitur illa, quæ est causata per principia materialia; cuiusmodi sunt principia indiuidualia: & hoc modo Petrus, & Paulus dicuntur ab inuicem diuisi materialiter; quia distinguuntur per differentias indiuiduales, quæ principia materialia appellantur. Formalis verò diuisio, quæ causatur per principia diuidentia formaliter, est duplex; quædam est causata per principia formalia essentialia propria; vt est diuisio hominis à leone per animam rationalem, & sensitiuam: quædam verò est causata per principia formalia, essentialia quidem, sed communia, qualis est inter hominem, & lapidem, per animatum, & inanimatum, quæ sunt principia, seu differentiæ communes; siquidem, nec animatum tantum homini, nec tantum animalibus, nec inanimatum solum lapidibus competit; hæc verò extenditur in eodem, secundum quod principia sunt magis, & minus communia. Vnitas etiam est duplex, scilicet materialis, & formalis. Vnitas materialis, est priuatio diuisionis materialis; & hæc dicitur vnitas numeralis, seù indiuidualis, qua exempli gratia, Petrus dicitur vnus numeraliter, quia non habet in se diuersa principia materialia, quibus distinguatur. Vnitas verò formalis, est priuatio diuisionis formalis. Et sic homo dicitur vnus formaliter; quia caret principijs formalibus, ipsum diuidentibus in plura formaliter; quandoquidem diuiditur per differentias indiuiduales, quæ sunt principia materialia, & non formalia. Hæc est duplex, sicut diuisio sibi opposita; alia enim est priuatio diuisionis causatæ per principia propria formalia; & talis est vnitas specifica; alia verò per principia communia, quæ dicitur generica, est priuatio diuisionis genericæ: & hæc extenditur secundum gradus eo modo, quo principia generica extenduntur secundum maius, & minus. Inter has vnitates constituitur talis ordo, vt illa dicatur maxima vnitas, quæ est priuatio minimæ diuisionis; & illa dicatur minima vnitas, quæ dicit priuationem maximè diuisionis. Prima igitur est vnitas materialis, seù numeralis. Secunda est vnitas generica in vltimo gradu. Cum autem inter has vnitates detur vnitas, quæ non tantum priuat diuisionem materialem, sed etiam formalem, & inter formales, non priuat maximam, sed minimam, vt est diuisio formalis specifica; ideò danda est à parte rei vnitas formalis, minor numerali, & maior generica in quocumque gradu; cuiusmodi est vnitas naturæ communis, prout est in singularibus.

Secundo notandum est, quamlibet vnitatem, siuè numericam, siuè specificam, & genericam, posse dupliciter accipi, scilicet pro prima, & pro secunda intentione. Vnitas numerica pro prima intentione, est priuatio diuisionis numeralis cognita ab intellectu actu recto: & pro secunda intentione, est intentio proprij, attributa tali vnitati sic cognitæ in ordine ad vnitatem minorem, scilicet naturæ communis. Vnitas specifica pro prima intentione, est priuatio diuisionis fiendæ per principia formalia propria, cognita ab intellectu actu recto. Et pro secunda, est intentio secunda proprij, attributa vnitati naturæ specificæ, cognitæ in ordine ad vnitatem numericam, & genericam. Vnitas tandem generica, est priuatio diuisionis fiendæ per principia formalia communia, seu generica, cognita ab intellectu actu recto; at pro secunda intentione, est secunda intentio proprij, attributa tali vnitati genericæ, cognitæ in ordine ad vnitatem specificam, & numericam. Ex quibus sequitur, quod licet vnitates huiusmodi, pro secunda intentione acceptæ, habeant esse per operationem intellectus negotiantis circa vnitates reales; tamen pro prima intentione, omnes habent esse à parte rei, præter operationem intellectus, cum consequantur suas entitates reales, veluti passiones reales, sua subiecta realia, & independenter ab opere intellectus, sicut pariter earum entitates, & subiecta, quorum sunt passiones.

Quarto notandum ex Doctore Subtili, in præcitatis locis; quod cum in vnoquoque indiuiduo, seu singulari contineantur omnia prædicata superiora, siue ge-

generica, siue specifica, in eodem pariter habent contineri, & vnitates consequentes huiusmodi prædicata; quia enim in Petro, exempli gratia, continetur esse hominis, animalis, corporis animati, corporis, substantiæ, & entis finiti, ac limitati; siquidem, Petrus est homo, animal, corpus animatum, corpus, substantia, & ens, in eodem etiam contineri debet vnitas hominis, animalis, corporis animati, corporis, substantiæ, & entis finiti, ac limitati. Ex quo sequitur primo, quod sicut talia prædicata in Petro habent esse reale independenter ab opere intellectus, ita & vnitates eorum debent esse reales. Sequitur secundo, quod sicut talia prædicata in Petro non sunt vnum, & idem, sed distinguuntur ex natura rei formaliter, ità quod nullo considerante intellectu verum est dicere; vnitas numeralis Petri, non est vnitas hominis, seu naturę humanæ in ipso existentis; nec vnitas hominis est vnitas animalis, vel corporis animati; & sic de cæteris vsque ad vltimum prædicatum.

Quinto notandum est, ex Doctor Subt. in secundo, d. 3. q. 6. E. F. quod aliquid esse vnum numero, potest tripliciter intelligi, scilicet per se primo, per se non primo, & per accidens, seù denominatiuè. Id est vnum numero per se primo, quod causat vnitatem numeralem: & sic differentia indiuidualis dicitur vna numero, cum sit causa, quod indiuiduum sit vnum numero. Id verò est vnum numero per se non primo, quod denominatur per se non primo à tali vnitate numerali: & sic indiuiduum dicitur esse vnum numero. Id autem est vnum numero per accidens, quod quantum est de se, non denominatur ab vnitate numerali, sed à minori vnitate, vt potè specifica, vel generica; quia tamen repetitur essentialiter in eo, quod per se est vnum numero, ideò & ipsum vnum numero dicitur. De omnibus potest sumi exemplum in Petro; quandoquidem Petreitas est vna numero per se primo; quia constituit Petrum in vnitate numerali; Petrus verò dicitur esse vnum numero per se non primo; quia non causat, sed denominatur à tali vnitate numerali, veluti à propria passione ipsum consequente. Humanitas verò, quę est in Petro, & qua Petrus est homo, dicitur vna numero tantum per accidens; quia licet sit contracta per differentiam indiuidualem; qua ratione tantum dicitur esse communicata Petro; tamen quia quantum est de se, non sibi repugnat esse in Francisco, Antonio, &c. & consequenter diuidi per plura principia materialia; ideò nequit denominari per se ab vnitate numerali, quæ priuat diuisionem materialem, sed ab vnitate formali, & specifica, quæ priuat diuisionem formalem specificam; & consequenter per se dicitur vna vnitate minori vnitate numerali; & per accidens solum vna numero, pro quãto videlicet est contracta per differentiam indiuidualem Petri, qua prohibetur, nè in plura diuidatur hominis indiuidua.

Ex his, fit prima conclusio. Vnitas numerica, & formalis, siue specifica, siue generica, est in rebus ante operationem intellectus. Prima pars conclusionis conceditur ab omnibus communiter. Secunda de vnitate formali controuertitur. Est tamen Scoti nostri, in præcitatis locis; maximè in secundo, d. 3. quæst. 1. §. Ad quæstionem: sub E. & F. Caietani, de Ente, & Essentia, q. 6. §. Hæc propositio est adeò manifesta, quod nullus sanæ mentis potest eam negare &c. Probatur tamen vtraquè pars simul. Quia quælibet vnitas consequitur suam entitatem; sed datur à parte rei entitas, nedum singularis, sed etiam specifica, & generica; ergo etiam dabitur vnitas specifica, & generica respondens eisdem entitatibus. Maior patet. Quia vnitas est passio entis, ex Aristotele, quarto metaphy. t. 3. ergo hæc, & illa vnitas sunt passiones huius, & illius entis; atqui quælibet passio sequitur suam entitatem; ergo quęlibet vnitas consequitur propriam entitatem. Minor patet. Quia Petrus à parte rei existens, est homo, animal, corpus animatum, corpus, & substantia; sed Petrus, tantum dicit entitatem singularem; homo vero dicit entitatem specificam; & animal, & corpus animatum, & corpus, genericam, ergo à parte rei, ante operationem intellectus datur vnitas singularis, specifica, & generica.

Secunda Conclusio. Tales vnitates, non sunt de essentia illarum entitatum, quarum sunt vnitates, sed eas tantum consequuntur vt propriæ passiones. Est Scoti, in secundo, d. 3. q. 1. G. quoad secundam par-

partem. Et quo ad primam, eiusdem ibidem F. & quæstione 6. lit. C. Probatur primo. Quia quæ includunt se essentialiter, & formaliter, in quocumque signo se includunt; ita quod vnum non est prius reliquo; alioquin non se includerent essentialiter; sed datur aliquod signum, in quo est entitas, & non est vna, nec plures, pariformiter loquendo de qualibet entitate; ergo vnitas non est de essentia suæ entitatis. Minor est Auicennæ, quinto Methaph. cap. 1. dicentis, quod Equinitas est tantum equinitas, nec ex se vna, nec plures; supple pluralitate illi vnitati opposita. Secundo. Passio non est de essentia illius cuius est passio; sed vnitas est passio entitatis; ergo nequit esse de eius essentia. Maior patet. Quia nullum posterius est de essentia prioris; sed passio est posterior eo cuius est passio; ergo passio non est de essentia illius, cuius est passio. Minor similiter. Quia vnitas in communi, est passio entis; ergo & talis vnitas talis entis.

Tertia Conclusio. Datur in rebus ante operationem intellectus, vnitas formalis, minor vnitate numerali. Est Scoti, in secundo, d. 3. quæst. 1. Et septimo Methaphys. quæst. 13. §. Et nota quod non quæritur, quo formaliter natura est singularis, &c. & ibidem, q. 18. in principio; ac omnium eius, Interpretum, & Discipulorum. Probatur conclusio à Doctore pluribus rationibus, sed ad præsens sufficiant tres; quarum prima est huiusmodi. Datur in entibus mensura realis; ergo & vnitas realis; sed talis vnitas non est numeralis; ergo formalis, minor vnitate numerali. Maior est Aristotelis, 10. Methaphys. t. 2. & 5. dicentis; in vnoquoque genere dari vnum, quod est metrum, & mensura cæterorum: vt in genere animalium, homo est mensura aliorum; quia est perfectior cæteris animalibus: in genere colorum, albedo est mensura, cum sit perfectior omnibus coloribus; sed tam homo, quam albedo sunt entia realia; ergo datur in entibus mensura realis. Sequela maioris patet, ex Aristotele ibidem dicente, huiusmodi mensuram fundari super vnitate; sed nequit fundari super vnitate rationis; quia tam mensura, quam mensuratum, sunt entia realia; ergo talis vnitas debet esse realis. Minor probatur. Quia talis vnitas, est alicuius, quatenus est mensura aliorum; sed nihil habens vnitatem numeralem est mensura aliorum; ergo talis vnitas non est numeralis. Minor probatur. Quia inter illa, quæ sunt vnum numero, non datur prius, & posterius in eadem specie, ex Philosopho, tertio Methaph. t. c. 11. sed illud quod est mensura aliorum, est prius perfectione cæteris, ex eodem Philosopho, 10 Methaphys. t. c. 2. ergo nihil habens vnitatem numeralem, est mensura aliorum.

Secunda Ratio Scoti. Quia si non datur talis vnitas formalis, minor numerali, in rebus ante operationem intellectus, sequeretur, omnem vnitatem esse numeralem; sed hoc est falsum; ergo. Sequela maioris probatur. Quia omnis vnitas, vel est materialis, vel formalis. Minor probatur, Quia quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur, & reliquum, ex Aristotele, primo Topicorum, cap. 2. sed vnum, & multa; idem, & diuersum opponuntur, ex eodem, 10. Metaph. t. c. 9. ergo sicut omnis vnitas realis esset numeralis, ita omnis diuersitas realis esset numeralis; sed hoc est falsum; quia tunc omnia essent æqualiter distincta, seu diuersa; cum omnia indiuidua sint æqualia in entitate, ex Philosopho vbi supra; sed hoc non est admittendum; ergo. Hoc assumptum probatur. Quia intellectus non posset concipere maiorem diuersitatem inter Paulum, & albedinem, quam inter Petrum, & Paulum, absque hoc quod falleretur; quod nullus sanæ mentis concederet; igitur necessariò concedenda est maior diuersitas realis, diuersitate numerali; & per consequens minor vnitas realis, quam sit vnitas numeralis.

Tertia ratio desumitur ex primo, & secundo notabili. Quia datur in entibus à parte rei, nullo negotiante intellectu, diuisio formalis, maior diuisione materiali, quæ est numeralis; ergo etiam danda est vnitas formalis à parte rei, minor vnitate materiali, seu numerali. Antecedens patet. Quia homo independenter ab opere intellectus, formaliter diuisus est à leone; cum ille sit irrationalis, & il-

rationalis. Consequentia patet. Quia est priuatio diuisionis, saltem connotatiuè; ergo vbi datur maior diuisio, ibi danda est minor vnitas; cum igitur à parte rei in natura, verbi gratia hominis, existente in Petro, detur diuisio formalis à natura leonis existente pariter in hoc leone, diuersa à diuisione numerali, vt communiter conceditur; necessariò est danda, & concedenda vnitas formalis in vtraque illa natura à parte rei existente, minor vnitate numerali.

Obijcies tamen primo, contra hanc conclusioné tertiam. Quicquid est in vno numero, & singulari, est vnum numero, & singulare; sed quodlibet ens extra operationem intellectus existens, est in singulari, ex Aristotele, cap. de substantia; ergo quodlibet ens extra animam, est vnum numero; & sic nullum datur, quod habeat vnitatem, minorem vnitate numerali. Maior patet a simili. Quicquid est in vno specie, est vnum specie; ergo quicquid est in vno numero, & singulari, est vnum numero, & singulare.

Respondetur, maiorem esse veram de vno numero, vel per se primo, vel per se non primo, vel per accidens. Ad minorem dico, ea, quæ existunt extra operationem intellectus, esse vnum numero aliquo prædictorum modorum; & sic differentia indiuidualis est vna numero per se primo, indiuiduum per se non primo; natura verò communis contracta ad indiuiduum, & singulare, est vna numero per accidens. Cum hoc tamen stat, vt per se sit vna vnitate minori, quam sit vnitas numeralis, & ab ea distincta.

Obijcies secundo. Si daretur talis vnitas formalis in natura, exempli gratia Petri, distincta ab vnitate numerali, sequeretur, entitatem naturæ communis esse distinctam ab entitate Petri; sed hoc non est admittendum; ergo nec illud ex quo sequitur. Sequela maioris probatur. Quia vnitas consequitur entitatem; ergo si vnitas ab vnitate distinguitur, & entitas ab entitate habebit distingui. Minor probatur. Quia aut talis natura est tota in Petro, aut non; sed neutrum est dicendum; ergo. Minor probatur. Non potest dici, quod sit tota natura humana in Petro; quia tunc Paulus non esset homo; siquidem totum, ex Aristotele tertio physicorum est illud, extra quod nihil est. Si autem dicatur, quod non sit tota in Petro, sed tantum pars eius; ergo Petrus non est homo perfectus, quod est falsum; quia indiuidua æqualiter participant naturam speciei.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, totam naturam humanam esse tam in Petro, quam in Paulo, cum sit communis omnibus hominibus, sed inadæquatè, & non præcisè. Ad probationem contra hoc dico, diffinitioné illā totius, esse sic intelligendam. Totum est illud, extra quod nihil est. Idest, cui nihil deficit requisitum ad esse totius. Et sic est verum, totam naturam humanam esse in Petro; quia sibi nihil deficit, quominus dicatur perfectus homo. Cum hoc tamen stat, vt requisita ad esse hominis non sit præcisè in Petro; sed etiam in Paulo, & in cæteris hominibus, ratione vnitatis, minoris vnitate numerali, in tali natura repertæ.

Obijcies tertio, ex Rubio. Diuisio opponitur vnitati, & eam tollit; sed omnis natura à parte rei existens, est diuisa per differentias indiuiduales; ergo nullam habet vnitatem formalem multis communem, seu tantum numeralem. Minor probatur. Quia natura humana, quæ est in Petro, & Paulo, est distincta per differentias indiuiduales Petri, & Pauli; itaut, quicquid habet Petrus, sit hoc aliquid, distinctum ab eo, quod habet Paulus; vt nimirum in Petro sit hæc substantia, hoc corpus, hoc corpus animatum, hoc animal, & hic homo, omninò distincta numero per suam differentiam indiuidualem à substantia Pauli, corpore, corpore animato, animali, & homine eiusdem; ergo nullam naturam, & essentiam habere possunt communem, quæ habeat entitatem minorem, & vnitatem sibi correspondentem, quam sit vnitas numeralis.

Respondetur, diuisionem esse duplicem, scilicet materialem, & formalem: & consequenter duplicem vnitatem sibi oppositam. Diuisio materialis, & numeralis, opponitur vnitati materiali, seu numerali; sicut diuisio formalis, vnitati formali: & vtraque di-

uisio tollit suam vnitatem oppositam tantum; itaquod diuisio numeralis, non tollit vnitatem formalem, sed tantum numeralem, cui directè opponitur. Modo, cum natura à parte rei existens in Petro, & Paulo, non sit diuisa formaliter, sed tantum materialiter per differentias indiuiduales, non habet tollere ab illa natura in illis existente vnitatem formalem, sed tantum numeralem; quod vtique concedimus cum Doctore Subtili. Ex quo patet, quod argumentum Ruuij, quo nititur refellere opinionem Scoti de vnitate formali, est nullius roboris; & magis est ad oppositum, quam ad propositum.

Vtrum talis Vnitas formalis, minor vnitate numerali, à parte rei existens, sit positiua, vel tantum priuatiua?

QVÆSTIO II.

Qvamuis Doctor Subtilis disertis verbis sit locutus in hac materia de vnitate formali naturæ communis, nonnulli nihilominus ex Scotistis, dubitant, si de vnitate priuatiua, vel etiam de positiua intelligi debeat opinio Scoti.

Vnde Aliqui dixerunt, dari tantum in natura communi in singularibus existente, vnitatem priuatiuam, secundum quam actualiter non est vna, cum sit diuisa per differentias indiuiduales diuersas: est tamen vna ad hunc sensum; quia si circumscriberentur omnes differentiæ indiuiduales, natura communis, non in plures diuisa, sed vna à parte rei appareret. Ita intelligitur Doctor Subtilis à Francisco de Marchia, vt refert Canonicus, in primo Physicorum, quæst. 6. art. tertio.

Alij oppositum omninò sentientes, docuerunt, in eadem natura à parte rei in singularibus existente, dari vnitatem positiuam formalem, distinctam à numerali, qua natura dicitur formaliter vna in omnibus indiuiduis; siquidem diuersitas numeralis non opponitur vnitati formali naturæ; sed tantum vnitati numerali indiuidui, seu singularis. Ita Canon. loco citato, in secunda parte tertij articuli, §. Hanc conclusionem de vnitate specifica. &c. Tataretus, lib. Prædicab. cap. 1. quæst. 1. dub. 3. & nonnulli etiam ex alienis.

Alij tamdem conueniunt cum præcedenti, quatenus asserunt, huiusmodi vnitatem esse positiuam, & non priuatiuam; dissentiunt verò, quia ponunt talem vnitatem diuisam in indiuiduis, sicut, & natura in eisdem existens: quandoquidem cum talis natura sit diuisa numeraliter, non potest fieri, quin & vnitas ipsam consequens, diuisa remaneat. Eam sic defendunt præclari Scotistæ, Antonius Trombeta, septimo Methaphys. quæst. 8. art. primo, & Io. Rada, secunda par. Controuers. 3. art. primo, vt magis consonam intentioni Scoti. An autem ita re vera sit, dicam resoluendo quæstionem.

Pro intelligentia tamen cuiuslibet opinionis, primo notandum est. Vnitatem esse duplicem, scilicet priuatiuam, & positiuam. Vnitas priuatiua est illa, secundum quam, aliqualiter non est vnum; tamen est aptum natum esse vnum vnitate sibi conuenienti, qua tamen priuatur per aliqua distinguentia, seu diuidentia. Et sic, materia prima dicitur esse vna in omnibus generabilibus, & corruptibilibus; quandoquidem cum sit diuisa actualiter per diuersas formas, non est vna positiuè; est tamen priuatiuè; quia si destruerentur omnes formæ, in vnam coiret materiam. Et in hoc sensu intelligendus est Philosophus, primo Physicorum, & primo de generatione, & corruptione, dum dicit; materiam esse vnam numero in omnibus compositis. Vnitas verò positiua est illa, secundum quam aliquid dicitur esse actualiter vnum; hoc est, indistinctum à se, & distinctum à quocumque alio non est ipsum. Et sic, materia huius cathedræ dicitur esse vna numero actu; quia actu est in se indistincta, & à qualibet alia materia distincta, & segregata. In proposito nostro. Prima opinio dicit, vnitatem naturæ humanæ existentis in Petro, & Paulo, esse quidam vnam priuatiuè, & non positiuè; nam cum actualiter sit di-

nisa per differentias indiuiduales Petri, & Pauli, nequit esse vna; aliter idem posset simul diuisum, & indiuisum esse, quod est falsum: est tamen vna priuatiuè; quia cum de se habeat vnitatem minorem vnitate numerali, priusquam diuisa intelligatur per differentias indiuiduales, est apta nata esse vna positiuè; & talis actu esset, si destitueretur omnibus differentijs indiuidualibus; & ita secundum opinionem exponendus est Doctor Subt. loquens de vnitate naturæ communis existentis in singularibus. At secunda opinio dicit, naturam humanam existentem in Petro, & Paulo, diuisam actualiter numeraliter, habere propriam vnitatem indiuisam; quandoquidem diuisio numeralis naturæ, non tollit vnitatem formalem ab ea, cum sibi non opponatur, sed tantum numeralem, cui directè opponitur. Et de hac vnitate locutum fuisse Scotum, inquit, & probat Canonicus citatus, in primo phys. q. 6.

Secundò notandum, pro declaratione tertiæ sententię, vnitatem positiuam, & specificam naturæ existentis in omnibus hominibus, esse in illis diuisam, sicuti, & natura humana est in illis diuisa per differentias indiuiduales; itaquod Petrus, mediante sua differentia indiuiduali, obtinet naturam humanam; numero distinctam à Paulo, & eiusdem beneficio habet etiam distinctam vnitatem specificam, suę naturę correspondentem, ab vnitate specifica naturæ, quæ est in Paulo. Nec tamen ex hoc inferendum est, Petrum, & Paulum distingui specie formaliter, sed tantum materialiter; siquidem differentiæ indiuiduales, quibus vnitas specifica naturæ humanæ remanet in illis diuisa, cum sint extrinsecæ naturæ, non faciũt differre specificè, sed tantum numeraliter: & ità intelligit Doctorem Subtilem tertia opinio. Cæterum relinquendo veritatem de mente Scoti, circa vnitatem naturæ; iudicio maiorum, diceremus nullam harũ, quas retulimus opinionum, assecutam fuisse mentem Doctoris; siquidem cum eiusdem dicta, partim exponi possint de vnitate positiua, partim de priuatiua, & partim necessariò intelligi debeant de positiua, & nullo modo de priuatiua; videtur eius intentio in eo solummodo esse posita, vt probet dari à parte rei vnitatem formalem naturæ communis, quæ sit minor numerali, non curando, an talis vnitas esse debeat positiua, vel an sola priuatiua sufficiat.

Ex his ergo, sit prima Conclusio. Nullum est inconueniens, etiam de mente Scoti, ponere à parte rei vnitatem in natura communi, minorem numerali, priuatiuam tantum. Probatur. Quia intentum Doctoris fuit probare duntaxat, dari vnitatem minorem numerali, præter operationem intellectus, non curando an sit positiua, vel priuatiua; ergo nullum inconueniens erit ponere huiusmodi vnitatem priuatiuam, etiam secundum eius mentem. Consequentia patet. Quia determinatè non asseruit, talem vnitatem esse positiuam tãtum; ergo etiam potest intelligi de priuatiua. Antecedens probatur. Quia nemo dicitur intendere aliquam opinionem, dum etiam eius oppositam docet, & astruit; sed ità se gessit Doctor in probando talem vnitatem; ergo non intendit alteram partem determinatè. Maior patet. Minor probatur. Quia probationes Scoti, habent necessariò intelligi de vnitate positiua (quicquid dicat Franciscus de Marchia) vt mox demonstrabitur; & aliã prolata ab ipso in corpore quæstionis, & respondendo ad argumenta, nequeunt commodè explicari de vnitate positiua, sed tantum de priuatiua; ergo neutrum determinatè asseruit, sed modo hanc, & interdum illam, quatenus conducebat ad probandum principale intentum de vnitate minori in natura, quam sit vnitas numeralis. Secunda pars antecedentis probatur. Quia Doctor ibidem sub litera G. explicans qualis sit ista vnitas dicit, huiusmodi vnitatem esse proportionabilem naturæ entitati; entitas autem naturæ talis est, vt sibi non repugnet esse in pluribus; igitur & vnitas eius ita indifferens est, ad singularitatem, ita quod non repugnat illi vnitati de se, quod ponatur cum quacumque vnitate singularitatis; atqui talis non repugnantia ad esse in pluribus, supponit vnitatem esse diuisam, sicut natura est diuisa; ergo talis vnitas nequit esse positiua, sed priuatiua. Idem dicit sub litera L. respondendo ad primum argumentum principale.

Cæterum, circa primam partem antecedentis est controuersia; quia Franciscus de Marchia, Rada, & Trombeta citati, dicunt, argumenta Scoti, quibus probat dari talem vnitatem præter operationem intellectus, posse

posse commodè explicari de vnitate priuatiua. Quarè respondet Franciscus, apud Canonicum, ad omnia: & eius fundamentum est; quia omnis diuisio tollit vnitatem positiuam; igitur cum natura sit diuisa in indiuiduis per differentias indiuiduales, nequit esse vna positiuè, sed priuatiuè.

Contra istum Doctorem arguo, probando, quod rationes Scoti non possint explicari de vnitate priuatiua, sed solum de positiua; vndè probata manebit prima pars antecedentis.

Prima ratio Doctoris Subt. fundatur super Aristotelem, 10. Meth. t. 2. dicentem. In vnoquoque genere dari vnum, quod est metrum, & mensura omnium in illo genere contentorum; sed ratio mensuræ est positiua; quia, & mensurata sunt positiua; ergo & vnitas eius erit positiua. Consequentia patet. Quia nullum priuatiuum potest esse ratio mensurandi positiuum; mensura enim debet esse vnigenea mensurato, ex eodem Aristotele ibidem, t. 4. ergo vnitas mensuræ nequit esse quid priuatiuum.

Secunda ratio fũdatur super auctoritate Aristotelis, septimo Phys. t. c. 29. dicentis. Comparationem fieri in specie athoma, idest specialissima; quia est vna natura: non autem in genere; quia in ipso latent æquiuocationes, supple physicæ; non enim genus prædicatur æqualiter de speciebus, sicut species specialissima de indiuiduis; sed hoc nequit intelligi de vnitate priuatiua; ergo natura specifica dicit vnitatem positiuam à parte rei. Minor probatur. Quia etiam genus, vt animal, est vnum vnitate priuatiua in speciebus, & in indiuiduis per te; ergo si talis sufficeret ad comparationem, male dixisset Philosophus, non posse fieri, nisi in specie specialissima; atqui hoc non est admittendum: igitur dicendum est, auctoritatem Aristotelis intelligendam esse de vnitate positiua naturæ specificæ, & non de priuatiua.

Tertia ratio fundatur super Aristotele, quinto meth. cap. de Ad aliquid, t. c. 20. dicente. Quod simile, & æquale fundantur super vnum: similitudo enim, est rerum differentium eadem qualitas: & æqualitas, est rerum differentium eadem quantitas. Sed auctoritas nequit intelligi de vnitate priuatiua, sed solum de positiua; ergo. Minor probatur. Quia relatio actualis, & positiua, nequit habere fundamentum priuatiuum; sed similitudo, & æqualitas, sunt relationes actuales, & positiuę, e à Philosopho ibidem; ergo nequeunt fundari super vnitate priuatiua. Cum igitur necessariò requirant vnitatem, tamquam rationem fundandi proximam, talis erit solum positiua.

Quarta ratio prætendit talem vnitatem minorem numerali ex hoc, quod vnius oppositionis realis dantur extrema realia, quorum vtrumque est vnum propria vnitate minore numerali à parte rei; sed huiusmodi vnitas nequit esse priuatiua; ergo ratio prætendit dari vnitatem realem positiuam, distinctam ab vnitate numerali. Maior patet. Quia inter album, & nigrum, est oppositio realis contrarietatis; ergo tam album, quam nigrum dicunt vnitatem realem; alioquin non esset tantum vna oppositio. Minor probatur. Quia talis oppositio est relatio positiua, fundata super vnitate extremorum oppositorum; ergo vnitates extremorum debent esse positiuæ, & non priuatiuæ.

Quinta ratio probat, dari talem vnitatem ex parte sensus. Quia vnius actionis sensus, vt putà visus, debet esse vnum obiectum, secundum aliquam vnitatem realem, & non numeralem; quia tunc non posset ponere differentiam inter suum obiectum, & aliud, si ambo obijcerentur cum eisdem accidentibus; igitur tale obiectum debet habere vnitatem realem, minorem numerali; atqui talis vnitas nequit esse priuatiua, cum vnitas actionis dependens ab vnitate obiecti sit positiua, & actualis; ergo ratio Scoti intelligenda est de vnitate obiecti positiua.

Sexta ratio probat, dari talem vnitatem ex hoc, quod vnitas, & diuersitas opponantur; sed à parte rei datur diuersitas realis, maior diuersitate numerali; ergo etiam à parte rei danda est vnitas realis minor numerali; siquidem maiorem diuersitatem sequitur minor vnitas, sicut maiorem vnitatem denotat minor diuersitas: cæterum, talis vnitas minor numerali, vt prætenditur à ratione, nequit esse priuatiua; ergo positiua. Minor probatur, ex Scoto ibidem §. Preterea secundo probatur idem. Quia cuiuslibet diuersitatis vtrumque extremum est in

se vnum,& eodem modo, quo est vnum in se, videtur diuersum à reliquo extremo. Hactenus Scotus. Sed vtrumque extremum est diuersum ab alio positiuè; ergo vnitas vnius, quæ est per se ratio diuersitatis alterius, est positiua, & non priuatiua tantum. Minor hæc probatur. Quia homo, & leo diuersificantur ab inuicem positiuè; sed tales sunt duo extrema talis diuersitatis formalis; ergo vtrumque extremum est diuersum ab alio positiuè, & non tantum priuatiuè.

Septima, & vltima ratio Doctoris, probat talem vnitatem ex via generationis vniuocæ. Quia ignis generat vniuocè alium ignem realiter; sed talis generatio nequit esse vniuoca, nisi intercedat vnitas naturæ realis inter ignem generantem, & genitum; ergo datur vnitas realis in aliqua natura minor numerali: cæterum, talis vnitas inter ignem generantem, & genitum, nequit esse priuatiua; ergo ratio prætendit dari in tali natura vnitatem positiuam. Assumptum probatur. Quia vniuocatio physica, qualis reperitur inter ignem generantem, & ignem genitum, consistit in positiuo, vt probatum est superius ratione secunda, de mente Aristotelis, septimo physicorum; ergo vnitas naturæ, secundum quam vniuocantur physicè ignis generans, & ignis genitus, est positiua, & non priuatiua.

Dices cum Opinante. Cum natura sit diuisa inter ignem generantem, & genitum, consequenter non est vna; igitur si Doctor Subtilis adstruit talem vnitatem naturæ, minorem numerali, nequit esse positiua, sed tantum priuatiua.

Contra. Esto vnitas positiua maior nequeat consistere cum multitudine numerali, & similiter vnitas minor cum diuersitate formali, cui directè opponitur, tamen cum multitudine numerali non inconuenit dari simul in aliqua natura vnitatem minorem, & specificam, ex Scoto, ratione secunda contra opinionem; sed natura ignis in generante, & genito, est tantum diuersa numeraliter; ergo cum tali diuersitate, stare potest vnitas formalis eiusdem naturæ, & positiua.

Vndè ad argumentum, respondetur negando, omnem diuisionem tollere quamlibet vnitatem; quandoquidem solum tollit suam oppositam, vt puta diuisio numeralis, tollit vnitatem numeralem, & formalis formalem; non tamen numeralis diuisio auferre potest vnitatem formalem, cum non sint oppositæ. Modo, natura in indiuiduis, est tantum diuisa numeraliter; ideircò cum tali diuisione potest consistere vnitas positiua eiusdem, minor numerali, à parte rei existens.

Ex his, probatur prima pars antecedentis. Rationes Scoti supradictæ nequeunt explicari de vnitate priuatiua, & ex his probat dari talem vnitatem minorem numerali; ergo necessariò intelliguntur de positiua.

Secunda Conclusio. Probabilius tamen est asserere de mente Scoti, talem vnitatem naturæ, minorem numerali, esse positiuam, cum secunda opinione; & etiam numeraliter diuisam per differentias indiuiduales, sicut & natura, cum tertia sententia. Probatur prima pars. Quia nulla vnitas realis positiua remouetur ab aliquo, nisi propter diuisionem sibi oppositam, quam illud includit; sed indiuidua eiusdem speciei non includunt diuersitatem, seu diuisionem, oppositam vnitati naturæ specificæ existenti extra intellectum; ergo nequit ab eis remoueri. Maior patet. Quia oppositum non remouetur nisi per oppositum. Minor probatur. Quia Petrus, & Paulus non includunt aliam diuersitatem, præter numeralem; sed talis non opponitur naturæ specificæ vnitati, sicut nec eidem naturæ, cui realiter identificatur, vt sæpius dictum est; ergo indiuidua eiusdem speciei, non includunt diuersitatem oppositam vnitati specificæ. Secundo probatur. Quæcumque realiter differunt, & positiuè, etiam realiter, ac positiuè conueniunt in aliquo; sed Sortes, & Plato realiter differunt per suas differentias indiuiduales, & etiam positiuè conueniunt, & non nisi in natura specifica hominis; ergo vnitas specifica realiter identificata naturæ humanæ existenti in Sorte, & Platone, est positiua, sicut ipsa natura. Secunda Pars probatur. Quia rationes, quibus Doctor probat dari talem vnitatem in natura, minorem numerali, concludunt omnes de vni-

tate

tate positiua, vt probatum est in præcedenti conclusione; ergo. Secundo probatur. Quia si quid obstaret quominus vnitas naturæ esset positiua, iuxta mentem Scoti, maximè, quia diuiditur per differentias indiuiduales, vt videtur asserere ibidem, sub lit. G. sed hæc ratio tollitur ab eodem in secunda ratione pro impugnatione, in illis verbis. Quia cum vnitate minori potest stare sine contradictione multitudo opposita maiori vnitati, scilicet numeralis; quæ multitudo non potest stare cum vnitate maiori; quia sibi repugnat; ergo de mente Doctoris, vnitas naturæ minor numerali, est positiua, & non priuatiua. Tertia pars suadetur. Quia Doctor loco citato, sub lit. G. inquit, quod non repugnat vnitati minori, vt ponatur cum quacumque vnitate singularitatis; sed tales vnitates singulares, sunt ab inuicem diuisæ; ergo vult, talem vnitatem minorem numerali, esse diuisam in indiuiduis. Secundo probatur. Si subiectum est diuisum, & accidens erit diuisum; aliter idem accidens posset manere indiuisum in pluribus subiectis, quod nemo Peripateticus concederet; sed natura, quæ est subiectum vnitatis, est diuisa numeraliter in omnibus indiuiduis; ergo, & ipsa vnitas, cum sit eius passio, debet esse diuisa.

Obijcies primo, contra primam partem secundæ conclusionis. Si talis vnitas specifica esset positiua, sequeretur, quod esset actu infinita; sed hoc est falsum; quia nullum creatum potest esse infinitum actu; ergo. Sequela maioris probatur. Vnitas respicit supposita, sicut, & natura; sed natura respicit sua supposita secundum infinitam distantiam; ergo & vnitas; igitur esset infinita; quia nullum finitum posset in infinitum distantibus; ergo esset infinita.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, minorem esse veram de distantia infinita in potentia, non tamen in actu; siquidem indiuidua cuiuscumque speciei non sunt actu infinita, sed tantum potentia; nimirum, si mundus duraret in infinitum, semper fierent generationes in infinitum; at concedere, talem vnitatem posse esse infinitam in potentia, nullum est inconueniens; quia de facto, data hypothesi de mundi infinitate, forent infinitæ naturæ, & consequenter vnitas infinita.

Obijcies secundo, contra secundam partem. Quia Doctor, loco supracitato, dicit, talem vnitatem esse actualiter diuisam per differentias indiuiduales; ergo talis vnitas nequit esse vna positiuè, sed tantum priuatiuè.

Respondetur, negando consequentiam. Quia talis diuisio cum sit numeralis, nequit tollere vnitatem formalem; non enim sibi opponitur, sed numerali tantum.

Dices, Doctorem expendere huiusmodi vnitatem per non repugnantiam ad esse in pluribus; sed talis non repugnantia, dicit priuationem essendi in pluribus; igitur de mente Doctoris, talis vnitas est tantum priuatiua.

Respondetur, per illa verba non auferri esse positiuum à natura, & ab eius vnitate, sed solum existentiam communem; vt sit sensus. Vnitas naturæ inexistentis indiuiduis, est vtique communis, non per inexistentiam, sicut essentia diuina inexistit tribus personis diuinis, sed per indifferentiam; quia, quantum est de se, non sibi repugnat esse in omnibus, etiam si sit actu diuisa per differentias indiuiduales.

Obijcies tertio, contra tertiam partem eiusdem conclusionis. Quia si talis vnitas specifica, esset diuisa in Petro, & Paulo, sequeretur fore distinctas specificè; sed consequés est falsum; ergo. Consequentia, seu sequela maioris probatur. Quia vnitas vnius extremi, est principium distinctiuum illius, ab alio, quod non est ipsum; vt patet de albo, & nigro; ergo si talis vnitas esset in vno specifica, facit ipsum distinguere specie ab alio.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, verum esse antecedens de vnitate intrinseca, non de extrinseca, modo cum vnitas specifica, sit extrinseca Petro, in quantum Petrus est, & vnitas numeralis sit sibi intrinseca; siquidem constituit ipsum vnum numero per se; ideò vnitas materialis est principium distinguendi Petrum à Paulo, & non vnitas specifica.

ca. Vndè Petrus, quamuis habeat vnitatem specificam, numericè diuisam, non est distinctus specie à Paulo, sed tantum numero.

Vel dicendum breuiter. Sequelam maioris esse veram, si talis vnitas specifica esset diuisa formaliter, non tamen si tantum numeraliter, vt est in proposito.

Vtrum detur Natura communis, vel etiam Vniuersalis à parte rei, præter operationem intellectus?

QVÆSTIO III.

Viso in præcedentibus quæstionibus, dari in natura à parte rei, in singulari bus existente, vnitatem formalem positiuam, minorem numerali; modò quæritur. An talis vnitas sit sufficiens ad constituendum naturam in esse vniuersalis, præter operationem intellectus; vel satis sit, vt communis dicatur?

Ad partem affirmatiuam quæstionis, nimirum talem vnitatem sufficere ad vniuersalitatem, communiter aduocatur Scotus, in secundo sent. d. 3. q. 1. & septimo Meth. q. 18. cum vniuersa eius Schola; vt liquet videre apud Colleg. Conimbric. in Præfat. Porphyrij. q. 4. art. 3. sect. 2. Ruuium, q. 4. de Vniuersali, Toletum ibidem, q. 3. & alios. Sed perperam, vt inferius dicam; quandoquidem, vt optimè aduertit Colleg. Conimbricense loco cit. sect. 3. nec Scotus, nec Scotistæ vmquam dixerunt, talem vnitatem sufficere ad vniuersalitatem, sed benè ad communitatem naturæ. Nam ipse Scotus, in secundo, d. 3. q. 1. in fine. Et 7. meth. q. 18. §. Ad quæstionem &c. docet, naturam equidem ex se communem esse, non tamen vniuersalem. Vndè infert, quærendam esse causam vniuersalitatis, & singularitatis. Postea subdit. Sicut à producente natura coniungitur singularitati, ita à re agente simul, & ab intellectu coniungitur vniuersalitati. Ex quo patet facilitas, ne dicam, fatuitas illorum, qui citant Doctores pro aliqua sententia, & forsam nec codices eorum viderunt.

Ad partem negantem, refertur à prædictis Auctoribus D Thom. 7. Meth. lect. 13. Et in opusc. de Ente, & Essentia, cap. 4. cum communi Schola Thomistarum. Quibus additur etiam Suarez in Methaph. disp. 6. sect. 5. ac si tales Doctores aliter sentirent, quam Doctor Subtilis. Quod, quam sit falsum, infra cum eodem demonstrabo.

Vnde pro declaratione veræ sententiæ, primo notandum est, ex Doct. Subt. septimo Meth. q. 18. §. Circa solutionem huius quæstionis &c. vniuersale dupliciter posse accipi, & pro prima, & pro secunda intentione, seù pro denominato, & pro per se significato. Vniuersale pro secunda intentione, est quædam relatio rationis fundata in prædicabili, & terminata in subijcibili; vt puta, pro secunda intentione fundata in homine cognito in ordine ad Petrum, Paulum, Franciscum & alios, quæ si in abstracto explicetur, dicitur vniuersalitas; si verò in concreto nominetur, dicitur vniuersale. Vniuersale autem pro prima intentione, seù pro denominato, est omne illud, quod denominatur ab illa secunda intentione, quę dicitur vniuersalitas. Et hoc est duplex, scilicet remotum; & proximum. Vniuersale remotum dicitur illud, quod non est de se hoc. Idest, cui competit vnitas formalis, minor numerali a parte rei; idest independenter ab opere intellectus. Et sic natura humana in singularibus existens, antequam coniungatur vniuersalitati in actu ab intellectu, vel à producente vnitur singularitati; & huiusmodi vniuersale, potius dicendum est commune, quam vniuersale. Proximum verò vniuersale pro denominato est illud, quod habet vnitatem indifferentem, seu indeterminationem positiuã, & contrariam, secundum quàm est in potentia proxima, vt dicatur de quolibet supposito, prædicatione dicente, hoc est hoc. Et sic natura humana abstracta à singularibus, virtute intellectus agentis, dicitur vniuersale proximum; quia tunc est indifferens positiuè, vt simul, & semel dicatur de omnibus hominibus quiditatiuè, prædicatione dicente, hoc est hoc; idest Petrus est homo, Paulus est homo &c. Hoc autem vniuersale, cum sit ab intellectu obiectiuè, dupliciter potest ibi esse; vno modo habitualiter, alio modo actualiter. Tunc vniuersale dicitur habere esse in intellectu habitualiter, cum mediante specie ab intellectu agente causata, recipitur in intellectu possibili; vt ; uta na-

natura humana, cum virtute intellectus agentis, abstrahentis speciem intelligibilem ab hominibus singularibus, per eadem repræsentatur intellectui possibili, dicitur esse in intellectu habitualiter. Tunc verò est in intellectu actualiter, cum mediante specie ipsum rapresentante, concurrit cum intellectu possibili ad causandam cognitionem eius; vtpotè, quod homo sit animal ratio nale, pluribus numero differentibus communicabile. Vniuersale habitualiter, cum habeat tantum esse cognoscibile in specie intelligibili, est ens reale, prout distinguitur contra ens rationis. Vniuersale verò actualiter, cum habeat esse cognitum ab intellectu actu recto, est ens rationis, quod dicitur prima intentio. Vtrumque est fundamentum proximum vniuersalis pro secunda intentione; sed hoc in actu, illud verò in potentia: & neutrum datur in rerum natura independenter ab opere intellectus, siquidem vniuersale habituale fit virtute intellectus agentis, cuius est omnia facere; actuale verò, virtute intellectus possibilis, cuius est omnia fieri, ex Philosopho, tertio de Anima t. comm. 17. & 18.

Secundo notandum est, ex Scoto in citatis locis. Indeterminationem esse duplicem, alteram priuatiuam, seu negatiuam, & alteram positiuam, seu contrariam. Indeterminatio priuatiua, seu negatiua, exempli gratia, in natura humana, est illa secundum quam ipsa non est actualiter determinata ad singularitatem, vel vniuersalitatem; sibi tamen non repugnat ad vtramque determinari. Ex quo sequitur, quod vniuersalitas, & singularitas accidunt naturæ humanæ, vt sic consideratæ; vt optimè aduertit Auicennas, quinto Methaphysicæ c. 1. in illo præclaro pronunciato. Equinitas est tantum equinitas, nec vna, nec plures, nec vniuersalis, nec singularis. Idest. De ratione equinitatis, sunt tantum prædicata quiditatiua, scilicet irrationale, animal, corpus animatum, corpus, substantia, & ens; prout alia abstrahunt ab vniuersalitate, & singularitate; quandoquidem tales, cum sint secundæ intentiones, non sunt de quiditate equinitatis, quæ est ens reale. Indeterminatio autem positiua, seu contraria est illa, secundum quam, exempli gratia, natura humana, nedum non est determinata actualiter ad singularitatem Petri, vel Pauli, quinimmò habet esse abstractum à quacumque singularitate. Et sic, natura abstracta ab intellectu, & existens in specie intelligibili, vel in actu intelligendi, dicitur esse indeterminata positiuè, & contrariè; quia est actualiter segregata à quacumque singularitate. Et hæc indeterminatio requiritur necessariò, ad hoc, vt aliqua natura dicatur actu vniuersale; quandoquidè, vt ait Aristoteles, primo Post. t. 25. Vniuersale est vnum in multis, & de multis. At si non esset actu indeterminatum, seu indifferens positiuè, & contrariè, quamuis esset vnum in multis, non tamen esset vnum de multis; igitur ad vniuersale actu requiritur necessariò talis indeterminatio, seu indifferentia positiua, & contraria, secundum quam idem sit dicibile de multis, prædicatione dicente, hoc est hoc. Et hæc indeterminatio est, quæ appellatur à Thomistis, vnitas præcisionis, secundum quam natura non est vnita singularibus, sed ab illis præcisa, ac segregata. Si quis autem quærat causam talis indeterminationis, pro responsione dabitur; quod intellectus agens ex vna parte cum natura indeterminata, saltem negatiuè, seu priuatiuè concurrens ex alia, causat talem indeterminationem positiuam; non aliunde moti, nisi quia intellectus agens est talis potentia, & natura est talis natura; quandoquidem primæ causæ non est quærenda causa. Ex quo sequitur, quod ad vniuersale in actu, & propriè dictum, cum sit necessaria ista indeterminatio positiua, seu contraria, & hęc nequeat esse à parte rei, seclusa quauis operatione intellectus, nõ esse admittendum de mente Doctoris Subtilis vniuersale à parte rei, & independenter ab opere intellectus.

Tertio notandum est, vt colligitur ex Scoto, in secundo, d. 3. q. 1. in fine; quod valdè refert dicere, naturam esse communem à parte rei, & naturam esse vniuersalem præter operationem intellectus; siquidem ad communitatem, sufficit indeterminatio priuatiua, quæ cum insequatur naturam existentem in singularibus præter operationem intellectus, poterit peroptimè natura illa existens in singularibus, esse communis à parte rei, nulla vi intellectus præeunte; at ad vniuersalitatem, cum non sufficiat indeterminatio priuatiua, sed requira-

tur

tur necessariò positiua, & contraria, quæ non nisi per intellectus agentis operationem, præsupposita illa indeterminatione priuatiua, vt concausa partiali, suum possit habere esse; necessariò fatendum est, naturam à parte rei, seclusa operatione intellectus, nullatenus dici posse vniuersalem. Nec aliter docet. S.Thom. de Ente, & essentia, cap. 4. & ibidem Caiet. q. 6. & 7. dum dicunt, naturam, nec habere de se communitatem, aut vniuersalitatem, præter operationem intellectus; nam clarum est, quod per communitatem non intelligunt illam indeterminationem priuatiuam, quam Doct. Subt. explicat per non repugnantiam ad esse in pluribus, sed indeterminationem positiuam, & contrariam, quam Caietanus ibidem expendit per aptitudinem ad essendum in multis, & de multis; quam non dari a parte rei independenter ab opere intellectus, fatetur etiam Scotus, vt dictum est in præcedenti not. & licet Caietanus nitatur diuersificare opinionem suam, & S.Thomę ab opinione Scoti, si benè, & rectè inspiciantur rationes vtrinque, clarè depræhendetur, illum in vanum laborare, neque esse consecutum intentum, cum in hoc non sit dispar Subtilis ab Angelico.

Ex his igitur, sit prima Conclusio. Natura, quæ à parte rei est vna, minore vnitate, quam sit numeralis, de se, & intrinsecè, ac quiditatiuè, nec est vniuersalis, nec singularis; sed vtraque ratio, singularitatis, scilicet, & vniuersalitatis, sibi inest per accidens. Est Scoti in præcitatis locis, & potissimum in secundo, d. 3. q. 1. sub E. D.Thom. & Caietani, & communiter Scholasticorum omnium. Probatur prima pars primo, auctoritate Auicenæ, 5. Methaph. c. 1. dicentis, naturam secundum se, nec esse vnam, vel plures, nec singularem, nec vniuersalem. Secundo ratione. Quia si natura intrinsecè, & quiditatiuè esset vniuersalis, igitur vbicumque reperiretur, semper esset vniuersalis; sed consequens est falsum, ergo, & illud ex quo sequitur. Maior probatur. Quia, ex Philosopho, primo Post. cap. 4. quod inest per se, & quiditatiuè, semper inest. Minor probatur. Quia tunc Petrus esset vniuersalis, cum in ipso foret perfecta ratio naturæ humanæ, quod nemo concederet. Secunda pars probatur eodem modo. Quia tunc natura, nec per se, nec per accidens posset fieri vniuersalis; sed hoc non est dicendum. cum fiat vniuersalis per intellectum, ex Comment. tertio de anima, comm. 17. & 18. ergo. Maior probatur. Quia quandocumque aliquid inest alicui per se, oppositum eius, nec per se, nec per accidens potest sibi competere, ex Aristotele, primo Post. cap. 4. Tum etiam, quia opposita nequeunt esse simul, & semel in eodem; sed singulare, & vniuersale opponuntur; ergo si singulare inest per se naturæ, vniuersale nullo modo poterit sibi competere. Tertia pars probatur. Quia inter inesse per se, & per accidens non datur medium, ex Aristotele, primo Post. cap. 6. sed vniuersale, & singulare non insunt naturæ per se; ergo per accidens.

Secunda Conclusio. Nulla natura, siue extra intellectum, siue in intellectu habitualiter existens, est vniuersalis actu, sed tantum potentia; priori modo remotè, posteriori verò proximè. Est Scoti, in secundo dist. 3. q. 1. sub P. Et in 7. Methaph. q. 18. §. Ad quæstionem igitur, &c. Antonij Andreæ, & Trombetæ in citatis locis. D.Tho. & Caietan. citatis in locis. Probatur. Quia vniuersale actu, est obiectum cognitum, habens vnitatem indifferentiæ, seu indeterminationis positiuæ, & contrariæ, vt dictum est not. 2. sed natura existens vel extra, vel in intellectu habitualiter tantum, non est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur. Quia in tantum obiectum dicitur esse cognitum, in quantum est in intellectu possibili per actum intelligendi, cum vt sic, dumtaxat terminet intellectionem; sed natura existens extra, vel in intellectu solum habitualiter non est huiusmodi; ergo, Minor probatur. Quia si habet esse extra intellectum, non potest dici cognita; siquidem cognitio fit per receptionem obiecti in intellectu, ex Aristotele, tertio de Anima, t. 17. vbi dicit, intelligere esse quoddam pati: si verò habet esse in intellectu tantum habituale, est solum in specie intelligibili, & consequenter est solum obiectum motiuum, & non terminatiuum; ergo. Confirmatur. Quia natura, vt concipitur ab intellectu in specie intelligibili, habet solum esse quiditatiuum, & formale; sed in ratione quiditatiua, & formali non includitur vniuersalitas, vt probatum est in præ-

præcedenti conclusione; ergo natura habitualiter solum existens in intellectu, non est vniuersalis. Maior patet. Quia species intelligibilis repræsentat obiectum solum secundum esse formale, & quiditatiuum; ad differentiam speciei sensibilis, quę repręsentat ipsum secundum esse materiale, & accidentale; igitur &c. Confirmatur secundo. Quia natura, vt sic, consideratur à methaphysico; sed methaphysicus abstrahit ab vniuersalitate, cum hæc spectet ad logicum; ergo &c. Secunda pars simul cum tertia, & quarta probatur. Quia illud dicitur esse vniuersale in potentia proxima, quod est proximum fundamentum vniuersalitatis; & illud dicitur esse vniuersale in potentia remota, quod est fundamentum remotum eiusdem; sed natura existens extra intellectum, est fundamentum remotum, & in intellectu habitualiter, est fundamentum proximum; ergo &c. Maior patet ex notab. primo, & secundo. Minor probatur. Quia fundamentum proximum, est indeterminatio positiua, & remotum priuatiua, seu negatiua; sed natura, vt existit extra intellectum, est tantum indifferens negatiuè, & in intellectu habitualiter etiam positiuè, & contrariè; ergo natura extra intellectum est fundamentum vniuersalitatis remotum, & in intellectu proximum. Maior patet. Quia vniuersale est vnum in multis, & de multis, ex primo Post. t. 25. sed indeterminatio positiua, est aptitudo ad esse in multis, & de multis, & priuatiua est solum non repugnantia ad esse in multis, & de multis; ergo hæc est fundamentum remotum, & illa proximum. Minor est clara, ex secundo notab. vbi diffiniendo vtramque indeterminationem, exemplificatum fuit de natura existente extra, vel in intellectu habitualiter.

Tertia Conclusio. Quælibet natura habens vnitatem minorem vnitate numerali, siue extra, siue in intellectu habitualiter existat, est communis præter operationem intellectus; hæc positiuè, illa verò priuatiuè tantum. Est Scoti, in secundo, d. 3. quæst. 1. K. & M. & omnium Scotistarum. Probatur. Quia communitas priuatiua, fundatur super indeterminatione priuatiua; positiua verò, super positiua, vt patet ex Notab. vltimo; sed natura existens extra intellectum, est indeterminata tantum priuatiuè, & in intellectu habitualiter, etiam positiuè; ergo natura existens extra intellectum, est communis priuatiuè, & in intellectu habitualiter est etiam positiuè communis. Minor patet. Quia naturæ existenti in Petro, non repugnat esse in Paulo, Francisco, & cæteris, quamuis sit determinata ad singularitatem; at prout existit habitualiter in intellectu, cum sit abstracta a singularibus, & sibi repugnat esse in vno tantum, ideò dicitur indeterminata positiuè.

Quarta Conclusio. Quodlibet vniuersale in actu, dependet ab operatione collatiua intellectus, si formaliter accipiatur; at si pro fundamento sumatur, solum ab operatione recta derelinquitur. Est Scoti, septimo Methaphys quæst. 18. §. Circa huius quæstionis solutionem, &c. Probatur prima pars. Quia quælibet secunda intentio fit per opus collatiuum intellectus nostri, vt probauimus in Tractatu secund. Intent. sed vniuersale pro formali, est secunda intentio, vt probauimus ex Aristotele lib. primo Perihermen. cap. 5. in Vniuersalibus, disputat. 2. quæst. 1. ergo fit per opus collatiuum intellectus. Secunda pars probatur. Quia prima intentio, est obiectum cognitum actu recto, vel reflexo intellectus, ex dictis in eodem Tractatu secundarum Intentionum; sed vniuersale pro fundamento, est prima intentio; siquidem secundæ intentiones fundantur super primis, ex Boetio, & Auicena; ergo vniuersale pro fundamento, dependet ab actu recto, vel reflexo intellectus.

Obijcies primo, contra secundã conclusioné. Quod aptum natum est dici de pluribus, est vniuersale, ex Aristotele, primo Periher. cap. 5. sed quælibet natura habens vnitatem minorem vnitate numerali, seclusa operatione intellectus, est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur. Quia alioquin sequeretur, aptitudinem ad dici de pluribus repugnare naturæ; sed consequens est falsum; ergo & antecedés. Maior probatur. Quia per se natura non habet eãde se, nec ab intellectu potest sibi cõferri; ergo aptitudo ad dici de pluribus sibi repugnaret. Secũda pars antecedétis patet. Quia si ad intellectũ specta ret dare talem aptitudinem rebus, posset

eam dare Petro, vel Paulo, quod non est dicendum. Minor probatur. Quia tunc nullo modo, nec media operatione intellectus, aptitudo posset inesse naturæ; quandoquidem, quicquid repugnat alicui, per se repugnat, & consequenter semper repugnat; ergo numquam natura esset apta nata dici de pluribus.

Respondetur, maiorem esse veram de aptitudine positiua, quæ est indeterminatio positiua, & contraria; non tamen de priuatiua, quæ est solum indeterminatio priuatiua; modo natura, seclusa operatione intellectus, est apta nata ex se dici de pluribus negatiuè, seu priuatiuè solum, non positiuè, & contrariè; ideò talis natura nequit dici vniuersalis, seclusa operatione intellectus, proximè, sed tantum remotè; & sic conceditur vniuersale in rebus.

Obijcies secundo. Quodquid est, absolutè sumptum, est vera res; sed quodquid est absolutè sumptum, est vniuersale; ergo vniuersale est vera res. Maior patet ex Philosopho, septimo Meth. t. c. 59. quandoquidem, vt dicitur ibi, est principium, & causa; sed talia sunt veræ res, ergo quodquid est absolutè sumptum, est vera res. Minor probatur, Quodquid est absolutè sumptum, per diffinitionem exprimitur, vt homo per animal rationale; sed diffinitio non est nisi alicuius vniuersalis; ergo ipsum absolutè sumptum, est vniuersale.

Respondetur, totum argumentum esse verum de vniuersali sumpto pro fundamẽto proximo, vel remoto in potentia; non tamen de vniuersali in actu; quia tale, tantum habet esse per operationem intellectus rectam, vel collatiuam. Et per idem satisfit argumentis, quæ facit Scotus contra secundam opinionem a se recitatam, septimo meth. q. 18. §. Alia opinio est, quod vniuersalitas tantum est in intellectu. Siquidem tantum vult Scotus, in rebus ante operationem intellectus dari fundamentum vniuersalis in actu, & proximum, & remotum; quod in Responsione ad quæstionem appellatur ab eo vniuersale pro denominato remoto, & propinquo. Ex quo sequitur, quod Caietanus de Ente, & Essentia, cap. 4. q. 7. videtur non benè percepisse mentem Scoti, cum ipsum citet in contrarium eius, quod modo cum eodem diximus: & adducit alia argumenta, quibus probat Doctor dari vniuersale remotum, & proximum in potentia tantum à parte rei; & alia, quibus probat dari vnitatem minorem vnitate numerali; quasi nulla esset differentia inter talem vnitatem, & vniuersale in actu, siue potentia, saltem proxima.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionem. Si natura à parte rei existens esset communis, seclusa operatione intellectus, sequeretur dari posse vniuersale à parte rei, seclusa operatione eiusdem intellectus; sed hoc est contra Auerroem, primo de anima, comm. 8. ergo. Maioris sequela probatur. Quia ex hoc, quod natura sit communis, ponitur indifferens ad hoc, & illud singulare; sed talis indifferentia sufficit ad vniuersale; ergo si daretur natura communis à parte rei, sequeretur dari vniuersale à parte rei.

Respondetur, concedendo sequelam maioris de vniuersali in potentia pro denominato remoto, vel propinquo; & negando illam de vniuersali in actu, & pro formali. Ad probationem dico, talem indifferentiam naturæ non sufficere ad vniuersale, sed vltra hoc requiritur, vt sit cognita ab intellectu actu recto, vel comparatiuo. Ex quo patet, dictum Comment. Auerr. nimirum, Intellectum agentem facere vniuersale in rebus; intelligendum esse de vniuersali in potentia proxima, seu pro denominato proximo, pro quanto videlicet natura abstrahitur, mediante intellectu agente, causante speciem intelligibilem illius, per quam postea repræsentatur intellectui possibili, tamquam obiectum motiuum eius; à quo demum concipitur in ratione vniuersalis in actu.

Obijcies quarto D. Damascenum, in primo sent. cap. 8. ponentem differentiam inter naturam creatam, & increatam, & dicentem; quod in creaturis diuisio suppositionum, seu hypostasum consideratur re; communitas autem, & copulatio, intellectu: intelligimus enim in intellectu, quod Petrus, & Paulus vnius sunt naturæ, & communem habent naturam. In increata verò, & supersubstantiali, & incompræhensibili Trinitate est è conuersò: illic enim commune quidem, & vnum re consideratur; cognitione verò est diuisum; ergo de mente Damasceni in creaturis à parte rei, nihil est commune; sed omnis communitas

tas ab intellectu pendet.

Respondetur, negando consequentiam. Siquidem D. Damascenus loquitur tantum de vnitate singularitatis, & communitate per inexistentiam in pluribus. Et hoc modo non solùm natura creata non est communis, sed nec vna; quia est diuisa numeraliter in singularibus. Et si volumus concipere hanc vnitatem, & communitatem naturæ respectu singularium, necesse est, vt eam mente concipiamus, & intellectu fingamus, cum nec vestigium aliquod in rebus reperiri possit. At è conuersò se haber in Diuinis, quandoquidem cum ibi sit vna, & eadem essentia in tribus personis, in re habetur vnitas, & communitas tribus suppositis, quorum diuisio solum intellectu fingi potest, cum de fide habeamus esse vnum Deum in vnica essentia singularissima.

Vel dicendum, D. Damascenum ibi esse locutum de communi prædicabili, quod non nisi per intellectus operationem percipi potest, non tamen de communi per indifferentiam, de quo nos loquimur; tale enim reperiri potest in natura creata, seclusa operatione intellectus, vt probatum est in tertia conclusione.

Objicies quinto Philosophum, 7. Meth. t.c.45. & 46. dicentem: substantiam vniuscuiusque esse propriam sibi, & non inesse alteri; sed commune non est proprium vni, imò omnibus inest; ergo natura substantialis à parte rei non est communis.

Respondetur, Philosophum ibidem negare solummodo, naturam substantialem esse à parte rei in singularibus communem positiuè per inexistentiam, non tamen per indifferentiam, habitualiter in intellectu, vel extra per non repugnantiam; siquidem improbare intendit opinionem Platonis, vel potius fictionem illam, quam sibi imponit de ideis, quod nimirum hic homo per se existens, qui ponebatur idea hominis per se, possit esse vniuersale ad homines; quarè sic arguit: Omnis substantia per se existens, est sibi propria, vel ex se, vel ratione alicuius differentiæ indiuidualis; sed omnis idea est substantia per se existens; ergo est sibi propria, & non communis omnibus hominibus; at nos non ponimus, indiuiduũ hominis esse commune, vel positiuè, vel priuatiuè, sed naturam duntaxat hominis existentem in Petro, Paulo, Francisco, & cęteris, esse illis communem priuatiuè; quia etiam si propria sit vni, quia contracta per differentiam indiuidualem, tamen non sibi repugnat alteri coniungi per aliam differentiam indiuidualem. Et hæc sufficiant de hac Disputatione.

De Indiuiduatione Naturæ Substantialis.

DISPVTATIO V.

Nominales omnes communiter de medio tollunt hanc Disputationem; quippe qui putant, quamlibet naturam, siue substantialem, siue accidentalem, de se, sine aliquo addito, esse indiuiduam, & singularem: quarè frustra (inquiunt) quærunt Scholastici, quo principio natura sit indiuidua, & singularis, cum de se habeat hanc perfectionem. Ita docet Ocham, in 2. q. 4. & 6. Gabriel ibidem, q. 7. & 8. Cæterum, cum visum sit in præcedentibus, naturam substantialem non esse de se hanc, sed communem, quacumque operatione intellectus seclusa, indubitatum relinquitur non esse abs re, & frustra hoc inquirere; sed esse duntaxat superuacaneum, eorumdem sententiam in medium afferre, cum improbata remaneat ex dictis in præcedentibus quæstionibus; vndè communem opinionem sequendo, inquiritur:

Vtrum Natura Substantialis sit hæc, & indiuidua, per aliquod positiuum, ab eadem realiter distinctum?

QVÆSTIO I.

Circa hanc quæstionem, sunt inter se oppositæ sententiæ; quarum prima est Henrici de Gandauo, quol. 5. q. 8. & 15. asserentis, naturam communem non fieri hanc, & indiuiduam per aliquod positiuum distinctum à natura, sed tantum per dupli-

cem

cem negationem scilicet indiuisionis a se, & diuisionis a quocumque alio: quæ negationes, si insint naturæ communi, dicit iste Doctor, eam fieri de communi indiuiduam, & singularem; si autem eisdem caret, communis euadit.

Secunda sententia huic omninò opposita, defenditur ab omnibus Scholasticis, exceptis Nominalibus; & docet, naturam fieri indiuiduam, & singularem per aliquod positiuum, aliquo modo ab ipsa distinctum. Itá D. Thomas cum suis. Et Doctor Subtilis cum suis, in locis infra citandis.

Hæc autem diuiditur in alias; cum non omnes conueniant in assignando tale positiuum; siquidem Bonetus, lib. 8. Methaphysicæ suæ asserit, tale positiuum esse actualẽ existentiam in rerum natura, cum sit actus vltimus aduenieus naturæ existenti extra suas causas. Gothfredus de Fontibus Minorita. quol. 6. q. 5. & septima, & Ægidius de Roma, quol. 1. q. 5. art. 1. dicunt, talem positiuum esse quantitatem, quæ secundum quod affectat diuersas partes substantiæ, non solum tribuit illis esse indiuiduale, sed etiam distinguit illas numeraliter. Alij verò dicunt, materiam esse principium indiuiduationis, non vt sic consideratam, sed vt est signata. Ita D. Thom. de Ente, & Essentia, cap. 2. vbi Caiet. q. 3. & prima parte, q. 3. art. 3. & q. 50. art. 4. Capreol. in Magist. sent. lib. 2. d. 3. Sonc. in Meth. lib. 7. q. 33. & 34 Ferariens. lib. contra Gentes, cap. 21. & cæteri Thomistæ. Cæterum, quia non est ita manifestum quid intelligat D. Thom. per materiam signatam; ideo multum laborant eius Discipuli in eruenda germana veritate sententiæ Doct. Angelici; vnde diuersificantur in multas Classes, vt ad longum recenset Suarez in Meth. disp. 5. sect. 3. & Caiet. de Ente, & essentia, q. 3. cap. 2. Alij namque volunt, materiam signatam, esse materiam primam, cum quantitate acceptam. Alij verò capacem huius, vel illius quantitatis. Et alij tandem putant esse materiam, non capacem, vel affectam actuali quantitate, vt dicunt præcedentes, sed vt radicem, & causam huius quantitatis. Alij autumãt, principium indiuiduationis esse formam substantialem, per quam habet esse compositum. Ita Auer. primo de Anima, & secundo, comm. 7. 8. 9. & 60. & 3. phys. com. 6. & 4. phys. comm. 38. Auicen. 6. Natural. p. 1. Durand. in secundo, dist. 3. q. 2. Zimara, Theor. 97. Quam sententiam, vti probabilem, censet etiam Suarez cit. sect. 4. Alij tandem dicunt, naturam substantialem indiuiduari per aliquam entitatem positiuam ab eadem ex natura rei distinctam, quam Hæceitatem appellant ab effectu; quia reddit naturam de communi, hanc, & indiuiduam. Ita Doctor Subtilis, in secũdo, d. 3. q. 6. & quol. 2. & 7. meth. q. 13. quem sequuntur omnes eius Discipuli; & ex alienis, Fonseca, 5. Meth q. 3. sect. 2. & q. 5 per totam. Quam sententiam, & nos defendere debemus. Antequam tamẽ ad eamdem accedamus, singulas priores opiniones, sigillatim examinabimus, vt ex earum confutatione, magis, ac magis appareat veritas Scoticæ opinionis, & aliarum improbabilitas.

An prima substantia, sit constituta in esse per negationem duplicem, scilicet indiuisionis a se, & diuisionis à quocumque alio?

SECTIO I.

PRo declaratione tituli quæstionis, primo notandum est, ex secundo sent. d. 3. q. 2. Doct. Subt. §. Contra ista, primo expono intellectum quæstionum &c. quod prima substantia, seu indiuiduum dupliciter accipitur, scilicet pro prima, & pro secunda intentione: & quod hic non quæritur de prima substantia, seu indiuiduo pro secunda intentione; quia certum est constitutum esse in ratione primæ substantiæ ab intellectu cognoscente comparatiuè, exempli gratia, Petrum in ordine ad hominem, & ad seipsum, in quantum caret inferioribus, quibus possit communicare naturam ab homine acceptam; sed tantum est sermo de indiuiduo, seu de prima substantia pro prima intentione; vt de Petro, vel Paulo, & similibus: de quorum quolibet non quæritur, an sit prima substantia formaliter per illas duas negationes; quia sic indiuiduatione est indiuiduum; sed cum indiuiduum non sit indiuisibile in plures partes subiectiuas, non quæritur, quo formaliter repugnat diuidi; quia clarum est sibi repugnare repugnantia formaliter. Quæritur ergo, quo

fun-

fundamentaliter, idest quodnam sit fundamentum huiusmodi repugnantiæ in indiuiduo, per quod prohibeatur diuidi in plura inferiora; vnde sensus quæstionis huius, & sequentium est. An illæ duæ negationes, scilicet indiuisionis in se, & diuisionis à quocumque alio, sint fundamentum talis repugnantiæ; vel tale fundamentum sit existentia, vel quantitas, vel materia signata, aut tandem hæcceitas, vt dicunt aliæ sententiæ.

Secundo notandum est, ex eodem Scoto ibidem lit. A. indiuiduum, seu primam substantiam dupliciter considerari posse vno modo formaliter, alio modo concomitanter. Indiuiduum formaliter, dicit aliquam entitatem positiuam realem, per quam sibi repugnat diuidi in plura inferiora; quæ dicitur differentia indiuidualis, & à Scoto appellatur hæcceitas: quia per ipsam natura substantialis, vel accidentalis sit hæc, & singularis. Indiuiduum concomitanter, dicit duplicem negationem, scilicet indiuisionem à se, & diuisionem à quocumque alio. Nam, indiuisio in se, dicit negationem diuisionis in se, & à se; diuisio verò à quocumque alio, importat negationem identitatis cum alio. Et istæ negationes dicuntur concomitari indiuiduum, pro quanto consequuntur illam differentiam indiuidualem, qua formaliter indiuiduum constituitur in esse indiuidui. Henricus, præter illas duas negationes, nihil aliud agnoscit in indiuiduo, cum putet illas sufficere, ad hoc vt sibi repugnet diuidi in plures partes subiectiuas. Scotus autem, cum iudicet, illas duas negationes non sufficere ad ponendam huiusmodi repugnantiam in indiuiduo, prærequirit quamdam entitatem positiuam, quæ hæcceitas nominatur.

Tertio notandum, ex eodem ibidem, repugnantiam se habere in duplici differentia: quædam enim dicitur repugnantia simpliciter; quædam verò secundum quid. Repugnantia simpliciter est in omni eo, quod est incommunicabile vt quod. Idest, cui repugnet diuidi in plura inferiora, quorum quodlibet sit ipsum: Repugnantia verò secundum quid, est in omni eo, quod est incommunicabile, vt quo, vt nequeat esse alterius forma, siue substantialis, siue accidentalis. Ad ponendum repugnantiam simpliciter, exempli gratia in Petro, non sufficit sola negatio communicabilitatis in plura inferiora, sed prærequiritur aliquod positiuum in quo huiusmodi negatio fundetur; siquidem omnis repugnantia simpliciter, habetur per aliquod positiuum, vt patet inductiuè; animali enim repugnat diuidi in plura genera per suam differentiam constitutiuam, scilicet per sensibile; homini repugnat diuidi in plures species per rationale quo constituitur; igitur cum Petro repugnet diuidi in plura inferiora, quorum quodlibet sit ipse, hoc habebit per suam differentiam indiuidualem, quæ dicit realitatem positiuam. At ad repugnantiam secundum quid, sufficit illa sola negatio communicabilitatis vt quo; vt patet de accidentibus in Sacramento Altaris, in quibus est repugnantia secundum quid ad esse in subiecto per solam negationem actualis inhærentiæ ad subiectum; siquidem, stante tali negatione, sibimetipsis repugnat alicui inhærere subiecto, non tamen simpliciter; quia posset Deus illam tollere per affirmationem oppositam, creando aliquam materiam de nouo, vt de facto accidit, dum corrumpuntur species Sacramentales; quia tunc desinit ibi esse corpus Christi, & sufficitur noua materia, in qua fiat corruptio illa specierum Sacramentalium, vt aliàs dicendum est.

Ex his, sic Conclusio. Substantia indiuidualis, in ratione primæ substantiæ, non constituitur in esse per illas duas negationes, scilicet diuisionis à se, & identitatis cum alio, sed necessario prærequiritur aliqua realitas positiua, quæ sit fundamentum illarum negationum. Est Scoti, in secundo d. 3. q. 2. A. Contra Henricum, quol. 5. q. 8. & 15 Probatur prima pars primo sic. Illud est constitutiuum substantiæ indiuidualis, per quod simpliciter sibi repugnat diuidi in plures substantias indiuiduales, quarum quælibet sit ipsa prima substantia; sed tale nequit esse negatiuum; ergo est aliquod positiuum. Maior probatur. Quia repugnantia ad diuidi, inest substãtię indiuiduali per suum constitutiuum, sicut repugnãtia in specie ad diuidi in plures species, inest sibi per constitutiuum eius; ergo illud est cõstitutiuũ substãtiæ indiuidualis, per quod

sibi repugnat diuidi in plura indiuidua. Minor probatur: Quia nihil repugnat simpliciter alicui enti per solam priuationem, seu negationem in illo; sed substantiæ indiuiduali simpliciter repugnat diuidi in plura indiuidua, quorum quodlibet sit ipsum; ergo talis repugnantia non inest substantiæ indiuiduali per solum negatiuum, sed prærequiritur necessariò aliquod positiuum. Maior patet ex Not. tertio, & sic etiam suadetur. Quia licet negatio, seu priuatio tollat potentiam proximam ad affirmationem, seu ad habitum, non tamen tollit repugnãtiam; vt patet de cæcitate, licet auferat ab oculo potentiam proximam ad videndum, non tamen tollit repugnantiã; alioquin nec per potentiam Diuinam posset videre, quod non est dicendũ; igitur nihil repugnat simpliciter alicui per solam negationẽ, seu priuationem. Minor similiter patet. Quia prima substantia indiuidualis est, quæ non dicitur de subiecto, idest de inferiori, ex Aristotele, cap. de substantia. Secundo probatur sic. Per negationem, nihil constituitur in maiori perfectione, quam prius fuerit; sed per constitutiuum substantiæ indiuidualis, prima substantia constituitur in maiori perfectione, quam secũda, quæ prius erat; ergo substantia indiuidualis non constituitur in esse primæ substantiæ per negationem; igitur per positiuum. Maior patet. Quia nihil dat, quod non habet; sed negatio nullã dicit perfectionẽ; ergo &c. Minor patet per Philosophum, c. de substantia, dicentem, quod prima substantia est maximè substantia, & perfectior, quam secunda; igitur per constitutiuum eius, per quod differt à secũda substantia. Secunda pars suadetur sic. Substãtia indiuidualis constituitur in esse indiuidui per aliquod constitutiuum; nõ. n. est de se indiuidua; sed tale non est negatiuũ, vt probatum est; ergo debet esse quid positiuũ. Consequentia patet. Quia inter ens positiuũ, & negatiuũ, seu priuatiuũ, nõ datur medium; igitur si non est negatiuũ, necessariò debet esse quid positiuũ, vt dicebat secũda sẽtẽtia.

Obijcies primo. Si principiũ indiuiduationis esset aliquod positiuũ, vel illud esset materia, vel forma, vel aliquid consequens materiam, aut formam; sed nullum istorum est dicendum; ergo non est quid positiuum, sed negatiuum. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur. Non materia, per Scotũ, q. 4. & 5. loco citato, in secũdo sent. Nec forma; quia quæritur de ipsa per quid indiuiduatur; non per seipsam, cum sit communis sicut natura substantialis, cuius est pars; igitur per aliam formam; & tunc quæram de illa sicut prius, & sic datur processus in infinitũ. Nec potest esse aliquid consequens materiam, vel formam; quia tale, vel est absolutum, vel respectiuum; si detur absolutũ, tunc quæram de illo, sicut de forma, per quid indiuiduetur. Si verò dicatur respectiuum, cum quilibet respectus supponat fundamentum; ergo daretur fundamentum, quod non indiuiduaretur ab eo, & quærendum essent aliud principium illius; & sic processus in infinitum, quem si vitare velimus, cogimur necessariò fateri, tale principium esse negatiuum, & non positiuum.

Respondetur, tale positiuum esse materiam totius, quæ est eadem, quod differentia indiuidualis. Ad improbationem dico, quod Doctor Subtilis non reprobat, materiam totius esse differentiam indiuidualem, & cõstitutiuum indiuidui, sed benè materiam partis, vt plenius, q. 5. & 6. demonstrat, contra D. Thomam.

Obijcies secundo. Vnum dicit solum priuationem diuisionis in se, & identitatis, cũ alio; sed substantia indiuidualis est vna numero; ergo præter naturam substantialem, solum dicit illas duas negationes. Maior probatur. Quia si vnum diceret entitatem positiuam, tunc esset nugatio dicendo, vnum ens, vel ens vnum; quia idem diceretur bis; non enim diceret eamdem entitatem, cum distinguantur ab inuicem; ergo aliam; & sic bis ens.

Respondetur, vnum formaliter dicere illam duplicem negationẽ; fundamentaliter verò, dicit realitatem positiuam, cui adhæret illa duplex negatio. Et quod hoc sit verum, patet; quia etiam vnum specie, dicit illas duas negationes, specificę scilicet diuisionis, & identitatis cum alia specie, & tamen nullus negat, entitatem positiuam esse rationem fundamẽtalem illarum negationum; siquidem ab ea sumitur ratio distinctionis specificę vnius speciei ab alia. Ad probatione dico, negando consequentiam; quia talis entitas positiua, quã dicit vnum, est eadem realiter cum sua entitate, à qua sumitur, cum sit eius propria passio; & sic non sequitur dici bis ens, cum dicatur vnum ens.

Obij-

Obijcies tertio. Si principiũ indiuiduationis deberet esse quid positiuum, ideò foret, quia negatio non est sufficiens tollere repugnantiam ad diuidi, quam includit indiuiduum; sed consequens est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Consequentia est Doctoris, in secundo, d. 3. q. 2. A. Minor probatur. Quia supposito creato repugnat posse esse in alio, & posse communicari, vt quo, & vt quod, ex Doct. Subt. in 3. d. 1. q. 1. E. & G. sed suppositum creatum dicit solum illam duplicem negationem, vt asserit Scotus loco citato, & quol. 9. & quol. 19. X. & Y. ergo sola negatio sufficit ad tollendam non repugnantiam in indiuiduo, ad posse diuidi in plura indiuidua.

Respondetur, quod in supposito creato duplex repugnantia reperitur, scilicet ad communicari, vt quo, & vt quod, seù ad dependere ad aliud in ratione formæ, & ad diuidi in plura inferiora. Repugnantia ad communicari, seu diuidi, vt quod, non inest supposito, vt suppositum est, sed vt indiuiduum est, cum conueniat omnibus singularibus cuiuscumque prædicamenti, vt superius notauimus; & sic talis repugnantia est in supposito per aliquod positiuum. Repugnantia autem ad communicari vt quo, seù ad dependere in ratione formę, inest supposito, vt tale est; & sic per solam negationem dependentiæ ad aliud in ratione formę. Ratio autem vtriusque est supradicta; quia prior est repugnantia simpliciter, & ideò indiget positiuo; posterior est secundum quid, & sic ad ipsam sufficit sola negatio. Doct. citatus in tertio, loquitur de secunda, hic vero de prima.

An Substantia indiuidualis, sit indiuidua per actualem existentiam?

SECTIO II.

PRo solutione difficultatis, primo notandum est, vt colligitur ex Scoto, in secũdo, d. 3. q. 3. & d. 12. q. 1. & in tertio d. 1. q. 1. & d. 8. q. vn. E. Et in primo, d. 7. q. vn. T. & d. 2. q. 4. Dd. & in quol. 9. A. & quol. 19. X. Y. quod res essentiæ, existentiæ, & subsistentiæ valdè differunt inter se. Nam res subsistens est illa, quæ est incommunicabilis vt quo, & vt quod; vel est illa, quæ est in vltima actualitate, & non est ordinabilis ad vlteriorem actum, nec alteri est ratio essendi: vt Petrus, qui est positus in vltima actualitate, & non expectat vlterius perfici substantialiter ab aliqua forma, nec ipse potest dare esse alteri, vt forma. Res existens est illa, quæ habet esse in rerum natura extra suas causas. Et sic materia, forma, & quælibet res ponibilis in prædicamentis, dicuntur res existentes. Res autem essentiæ est illa, quæ est pluribus communicabilis, quantum est de se, & vt quo, & vt quod. Et sic omnia genera, & species cuiuslibet prædicamenti, dicuntur res essentiæ. Istæ autem res ordinantur ad inuicem secundum magis, & minus commune; quia omnis res subsistentiæ, est res existentiæ, sed non è conuersò; similiter res existentiæ est res essentiæ; quia est communicabilis, vel vt quo, vel vt quod, sed non è conuerso; quia existentia accidit essentiæ.

Secundo notandum est, ex eodem, in secundo, d. 3. q. 3. & colligitur etiam ex q. 2. sub. G. duplicem esse existentiam, scilicet communem, seu non vltimatam, & particularem, seu vltimatam. Existentia communis est illa, quæ conuenit rebus communibus, vt puta homini, leoni, equo &c. tamquam modus intrinsecus illarum, & secundum illam denominantur existere. Existentia verò particularis est, quæ conuenit rebus particularibus, vt modus intrinsecus eorumdem, & secundum quam res particulares, seu indiuidua dicuntur existere extra suas causas. Inter has existentias, & earum res datur talis ordo, quod res, seu essentia communis, vt puta homo, præcedit saltem natu ra suam existentiam; ita quod intelligitur esse perfectus homo in aliquo priori naturæ, antequam concipiatur existens existentia non vltimata; similiter, sua essentia particularis, vt est substantia indiuidualis, præcedit saltem natura suam existentiam particularem; ità quod in aliquo signo naturæ concipi potest, e. g. Petrus cum tota natura humana, & sua differentia indiuiduali, priusquam concipiatur existens actualiter existentia particulari. Et ratio huius ordinis est; quia prædicamenta abstrahunt ab existentia actuali, seu vltima, & indiuidua ponuntur in prędicamentis, vt diximus superius; igitur prius natura concipitur indiuiduum secundum suum esse

cōpleiū intrinsecè, quā concipiatur existēs.

Tertio notandum, ex eodem loco citato, eodem modo se habere existentiam vltimatam, seu particularem ad indiuiduum, quo modo se habet existentia communis ad speciem, vel genus, quorum sit existentia. Hæc autem taliter ordinantur, e. g. ad hominem, quod non constituit ipsum in esse hominis, nec tamquam genus, nec tamquam differentiam, vel aliquod aliud requisitum ad eius quiditatem, sed præsupponit ipsum in esse quiditatiuo positum, antequā homo dicatur existens existentia communi; ex quo ponitur talis ordo. Primo concipiut homo cum animalitate, & reliquis prædicatis superioribus. Secundo, cum rationalitate sicut illa, quæ constituit hominem in esse specifico, & quiditatiuo. Tertio, cum existentia cōmuni sibi conuenienti. Quarto, cum risibilitate, & alijs passionibus: ita quod existentia, licet non præcedat rationalitatē, quæ est hominis constitutiuū, sequitur tamen immediatè, etiam antè proprias passiones, cum sit modus intrinsecus, & consequenter intimior passione. Eodem modo ordinatur existentia actualis ad indiuiduum; quia nullo modo concurrit ad ipsius constitutionem intrinsecam, & perfectam, licet benè ad extrinsecam perfectionem ipsius ordinetur; siquidè in indiuiduo, v.g Petro, Primo cōcipitur natura hominis communis, cui non repugnat esse in Paulo, & cæteris. Secundo, differentia indiuidualis, vt potè Petreitas, quæ cōtrahit naturam humanam ad Petrum, ipsumque constituit in esse huius hominis, & indiuidui. Tertio tandē, concipitur existens actualiter extra suas causas. Et in hoc eodem signo fortè, vel in alio, sibi conueniunt illæ duę negationes, s. diuisionis à se, & identitatis cum alio, quę fundantur in sua differētia indiuiduali, s. in Petreitate. Ex quo patet, quod cū differētia indiuidualis antecedat existētiā actualē in esse indiuidi, eā nō fore principiū indiuiduationis, sed aliquid immediatius, & intimius pertinēs ad esse indiuidui, cuiusmodi est hæccitas vt inferius, demonstrabimus.

Quarto notandum est, vt colligitur ex eodem Scoto loco citato, sub lit. B. quod illa, quæ indiuiduantur, sunt in duplici differentia; quęda. n. indiuiduantur per se, quędam verò concomitanter. seu consecutiuè. Illa dicuntur indiuiduari per se, quæ directè ponuntur in prędicamēto, vt genera, & species; siquidē natura humana, v.g. dicitur indiuiduari per se primo, pro quanto immediatè contrahitur per differentiā indiuidualem ad aliquem hominē particularē. Illa verò indiuiduantur consecutiuè, seu cōcomitanter, quæ non sunt directè in prædicamēto, sed tantum reductiuè ratione identitatis realis, vel indirectè, ratione identitatis formalis, vt sunt differētiæ genericæ, & specificæ, s. rationale, & sensibile; similiter passiones, vt risibilitas in homine, rugibilitas in leone; modi intrinseci, vt finitas, existentia. Vndè priora dicuntur indiuiduari per se; quia descendunt in sua indiuidua per proprias differētias indiuiduales, desumptas ab vltima realitate formæ, quæ sunt de per se conceptibus indiuiduorum; at posteriora dicuntur indiuiduari consecutiuè, quia non descendunt in inferiora per se, & per proprias differentias indiuiduales, vt perperam aliqui sunt interpretati Doct. Subtilem, loco citato, sed per easdem differentias indiuiduales, quibus indiuiduantur naturæ, indiuiduantur etiam omnia, quę consequuntur naturā; vt per eādē differentiam indiuidualē Petri indiuiduatur natura, quæ est in Petro, animalitas, & cætera prędicata superiora per se; risibilitas autem, existentia, finitas, & cætera, quæ sunt eadē saltem realiter homini, & rationalitas, quæ est eadē sibi formaliter, indiuiduantur concomitanter, seu consecutiuè; alioquin si concederemus illis proprias differētias indiuiduales, necessario deberemus diuidere etiam proprias differentias genericas, & specificas; & sic cogeremur ponere distinctas coordinationes passionum, existentiarum, differentiarum, quod esset maximum inconueniens.

Ex his ergo sit talis cōclusio. Substantia indiuidualis, nō est indiuidua per actualē existentiā intrinsecè, sed tantū extrinsecè. Est Scoti loc. cit. sub A. Contra Nicolaū Bonetū, lib. 8 suæ Meth Dict. 2. & 3. Rogerium Bacconis, Adam Godam, & alios quosdam antiquos. Probatur Prima Pars primo sic. Quod non est ex se distinctum, nec determinatum, non potest esse primū distinguēs, & determinans aliud, sed existentia, prout distinguitur ab essētia, nō est ex se distincta, aut determinata; ergo nequit distinguere, aut determinare essentiam indiuidualiter. Maior patet. Quia aliter non esset primum

di-

distinguens, & determinans, sed aliud esset prius eo, si non esset ex se distinctum, & determinatum. Minor similiter patet, ex tertio not. Quia solum determinatur concomitanter, pro quanto concomitatur essentiam, quæ per se determinatur per proprias differentias indiuiduales. Secundo sic. Coordinationes prædicamentales, abstrahunt ab existentia actuali, siue communi, siue particulari; sed substantia indiuidualis ponitur in prædicamẽto, seu coordinatione substantiali; ergo substãtia indiuidualis nequit indiuiduari per existentiam actualem. Maior patet. Quia res ponuntur in prædicamẽto secundum esse cognitum, vt vidimus superius, cap. 5. q. 3. sed esse cognitum abstrahit ab existentia, vt communiter conceditur; ergo coordinationes prædicamentales abstrahunt ab existẽtia Minor patet, etiam ex Philosopho, 1. Post. t. 34. vbi dicit, dari statũ in quolibet prædicamento, in sursum in genere generalissimo, & in deorsum in singulari, absq; omni existẽtia actuali; igitur substãtia indiuidualis, cum sit singularis, per se reponitur in prædicamento substantiæ. Tertio sic. Nullum constitutiuum, est posterius natura suo constituto; sed existentia actualis est posterior natura substantia indiuiduali; ergo existentia actualis non constituit illã in esse indiuiduali. Maior probatur. Quia constitutum dependet à suo constitutiuo; sed nullum prius dependet à posteriori, licet benè è conuerso; ergo nullum constitutiuum est posterius natura suo constituto. Minor patet, ex Not. secundo, & tertio, vbi diximus, existẽtiam actualem esse modum intrinsecum essentiæ, cuiusmodi est etiam substantia indiuidualis; atqui modus intrinsecus est posterior natura eo, cuius est modus, cum non sit de quiditate eius; ergo existentia actualis, est posterior natura substantia indiuiduali, & per consequens non indiuiduatur per eam. Secunda pars probatur. Actus distinguit eo modo, quo est actus; si est substantialis, distinguit substantialiter; si accidentalis, accidẽtaliter; si intrinsecus, intrinsecè, & si extrinsecus, extrinsecè, sed existentia est actus extrinsecus substantiæ indiuidualis, cum non sit de eius quiditate; ergo tantum extrinsecè distinguit vnam substantiam indiuidualẽ ab alia. Maior est Aristotelis, 7 Methaphysicæ, t. c. 49. vbi secũdũ antiquam translationem dicit, actum separare substantiam: secundum verò translationem Commentatoris dicit, actum diuidere substantiã. Consequentia patet. Quia actus vltimus, nequit diuidere nisi substantiã vltimam; sed substantia indiuidualis est vltima, & existentia est actus vltimus; ergo &c.

Obijcies tamen ex Boneto. Vltima distinctio, est per vltimum actũ; sed distinctio indiuidualis est vltima, & existẽtia est vltimus actus; siquidem vltrà existentiam, non datur alius actus; ergo existentia actualis, distinguit indiuidua ab inuicem; & per consequens indiuiduum indiuiduatur per existentiam; siquidem eadem sunt principia distinctiua, & constitutiua.

Respondetur, distinctionẽ vltimã esse duplicem .s. intrinsecam, & extrinsecã. Prior fit per principia pertinentia ad coordinationẽ prædicamentalẽ; vt sunt differentiæ indiuiduales constitutiuæ indiuiduorum, Posterior verò fit per ea, quæ sũt extra coordinationẽ prædicamentalẽ; cuiusmodi sunt finitas, & existentia. Modo ad formã argumenti dico, maiorem esse verã, pariformiter sumendo distinctionẽ vltimã: si .n. est intrinseca, fit per actum intrinsecum; sin autem extrinseca, per extrinsecum; & sic distinctio indiuidualis, cum sit vltima vtroque modo, habet distingui intrinsecè per differentiam indiuidualem, scilicet per hæceitatem, extrinsecè verò per existentiam actualem.

An Substantia indiuidualis, sit indiuidua per quantitatem?

SECTIO III.

Primo notandum est, quod quãtitas est secundũ quã quanti, vel quoti esse dicimur; vt secundũ longitudinẽ longi; lati secundũ latitudinem; & secundũ profunditatem profundi. Quæ, vt colligitur ex Scoto, in 2. d. 3. q. 4. est duplex .s. cõmunis, & particularis. Communis, vt longitudo, latitudo, profunditas. Particularis, vt hęc longitudo, hęc latitudo, hęc profunditas. Hic est sermo tantũ de particulari. Quæ adhuc est duplex, .s. vaga, & signata. Vaga est, quę respicit omnia subiecta; vt aliqua quãtitas, aliqua lõgitudo, quędã profũditas. Signata autẽ dicitur illa, quæ est determinata ad aliquod subiectũ determinatũ, & illud solũ denominat; vt hæc longitudo vlnæ, hæc latitudo huius cathedræ, hic numerus ternarius, qui repe-

situr in his tribus partibus ab inuicem separatis ex diuisione huius continui, vt melius explicabitur, cap. sequenti. Modò ad propositum applicando hanc doctrinam; Gotfridus, & Ægidius dicunt, indiuiduum vagum indiuiduari per quantitatem particularem vagam; & signatum, per signatam.

Secundo notandum, ex Scoto loco citato, sub lit. A. quod substantia communis, vt est specifica, sicut ordinatur ad suam differentiam constitutiuam, ita substantia particularis, & indiuidualis ordinatur ad suam; ordo autem inter substantiam specificam, & eius differentiam est talis, quod ipsa constituitur essentialiter, & quiditatiuè per suam differentiam; qua manente, & ipsa manet; & qua destructa, destruitur, & ipsa: idem quoque dicendum de substantia indiuiduali in ordine ad suam differentiam indiuidualem; quandoquidem ità ad inuicem connectuntur, quod in esse indiuidui essentialiter pendeat substantia indiuidualis à sua differentia constitutiua, quæcumque sit illa. Cum autem hæc substantia indiuidualis, saltem per potentiam Diuinam, possit manere sine hac determinata quantitate, sequitur, hanc quantitatem signatam non esse principium indiuiduationis huius substantiæ indiuidualis, & signatæ. Tunc vlterius; cum non sit maior ratio de vna quantitate signata, quam de alia, sequitur posse esse sine omni quantitate signata; & sic, nullam quantitatem signatam posse esse principium indiuiduationis substantiæ indiuidualis.

Tertio notandum est, ex eodem Scoto ibidem, sub lit. D. & etiam ex Philosopho, primo Post. t. 34. & ex his, quæ superius conclusimus, omnia prædicamenta, generaliter loquendo, esse impermixta formaliter; aliqua tamen, vt substantiam, quantitatem, & qualitatem, etiam realiter: vndè sequitur, quod in coordinatione substantiæ, omnia quæ per se pertinent ad illa, quæ ibi collocantur, sunt substantiæ; sicut in coordinatione quantitatis sunt omnia, quæ per se spectant ad talem coordinationem; ità quod nihil per se spectans ad prædicamentum substantiæ, potest poni in esse per aliquid per se spectans ad prædicamentum quantitatis. Cum autem substantia indiuidualis, ex Philosopho, primo Post. t. 34. per se spectet ad prædicamentum, & coordinationem substantiarum, & eadem ponatur in esse indiuidui per propriam differentiam indiuidualem, sequitur necessariò non posse indiuiduari per quantitatem signatam, aut aliquid aliud non spectans ad prædicamentum substantię, sed ad prędicamentum quantitatis.

Ex his, sit talis conclusio. Substantia indiuidualis, non indiuiduatur per quantitatem, aut aliquod aliud accidens. Est Scoti loco citato, lit. A. & k. Contra Gotfridum de Fontibus, & Ægidium Romanum citatos in principio quæstionis. Probatur primo sic. Si substantia indiuidualis indiuiduari posset per quantitatem, sequeretur ipsam posse esse simul, & semel indiuiduam, & non indiuiduam; sed hoc implicat contradictionem; ergo & id ex quo sequitur. Maioris sequela probatur. Quia Deus potest separare omnem quantitatem ab illa, ipsa manēte in esse actualis existentię; ergo posset simul esse indiuidua, & non indiuidua. Antecedens patet. Quia distinguuntur inter se realiter, substantia, & quantitas: tum etiam, quia substantia est prior natura, tempore, & diffinitione quolibet accidente, ex Aristotele, 7. Methaph. t. quarto, & septimo. Sed omne prius, potest esse sine posteriori, saltem per potentiam diuinam; ergo. Sequela probatur. Quia talis substantia essent indiuidua, quia actu existeret; impossibile est enim, aliquam substantiam actu existere, & non esse singularem, ac indiuiduam, vt probat Aristoteles, septimo Methaph. ad longum, contra Platonem: non esset autem indiuidua; quia quantitas, quæ ponitur principium indiuiduationis, esset ab ea separata; ergo esset simul indiuidua, & non indiuidua quod repugnat. Secundo sic. Nullum posterius potest esse ratio essendi priori, & maximè si sit posterius tempore; sed tota coordinatio quantitatis est posterior, nedum natura, verum etiam tempore, tota coordinatione substantiæ, in qua per se reponitur substantia indiuidualis; ergo nihil de coordinatione quantitatis, potest esse ratio essendi substantiæ indiuiduali. Maior patet ex se. Minor verò est Aristotelis, septimo Meth. t. c. quarto, & septimo; ergo &c.

Obijcies primo. Substantiam communem indiuiduari, est ipsam diuidi in indiuidua

dua eiusdem rationis; sed nequit sic diuidi absque quantitate; ergo quantitas est principium indiuiduandi substantiam. Maior patet. Minor probatur. Quia illud, quod primo, & per se conuenit alicui, conuenit cuilibet alteri per rationem eius; sed diuidi in partes eiusdem rationis, est proprietas per se primo conueniens quantitati, ex Philosopho, quinto Meth. t. c. 18. ergo conuenit substantiæ mediante quantitate, & sic indiuiduatur per quantitatem.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, Philosophum ibi loqui de partibus integralibus quantitatiuis, non tamen de partibus subiectiuis: modo substantia, quæ diuiditur in indiuidua, non partitur in illa tamquam in partes integrales, sed veluti in partes subiectiuas, quarum quælibet continet quiditatiuè totum diuisum; quia hic homo est quiditatiuè homo, sicut iste, & ille. Et quod hæc responsio sit vera, & de mente Philosophi, ostendit Doctor loco citato, sub lit. I. & affert verba Aristotelis, quæ sunt ista. Quantum verò dicitur, quod est diuisibile in ea, quę insunt, quorum vtrumque, aut singulum, vnum aliquid; & hoc aliquid natum est esse. Idest. Totum quantitatiuum est illud, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, idest in partes integrales, quæ insunt toti; quorum vtrumque, idest quarum partium, vtraque si sint tantum duæ, aut singulum, si plures sint duabus, vnum aliquid natum est esse, idest singula pars nata est esse aliud totum, cum & ipsa constet ex alijs partibus, in qua diuisibilis est. Vndè manifestè patet, quod ibi non loquitur de partibus subiectiuis, vt sunt indiuidua, sed de integralibus, cuiusmodi sunt, caput, manus, pedes, &c.

Obijcies secundo. Hic ignis non differt ab illo igne, nisi quia forma differt à forma; & forma non differt à forma, nisi quia recipitur in alia, & alia parte materiæ; nec alia pars materiæ differt ab alia parte, nisi quia subest alteri, & alteri parti quantitatis; ergo tota ratio, quare hic ignis differat ab illo igne, reducitur in quantitatem, & sic erit principium indiuiduationis.

Respondetur, minorem primam esse falsam, nimirum formam non differre à forma, nisi ob aliam, & aliam partem materię, in qua recipitur; quinimò hæc forma differt ab illa, quia habet propriam vnitatem, per quam differt ab illa. Secunda etiam minor est falsa; quandoquidem prior est diuisio entitatiua materiæ, & eius partium ab inuicem, antequam subdantur huic, & illi parti quantitatis, à quibus posteà dicuntur diuidi quantitatiuè; vt latè probabimus in primo Physicorum.

Obijcies tertio Boetium, lib. primo de Trinitate, cap. primo dicentem: quod varietas accidentium in numero, differentiam facit; idest facit differre numeraliter, nam tres homines, nec specie, nec genere differunt, sed suis accidentibus; atqui inter accidentia, præcipua est quantitas; ergo quantitas facit differre numeraliter; & consequenter est principium indiuiduationis.

Respondetur, differentiam numeralem esse duplicem, scilicet primam, & propriã: & hæc habetur tantum per differentias indiuiduales proprias, & constitutiuas indiuiduorum; alteram impropriam, seu aduentitiam, & concomitantem priorem: & hæc haberi potest per accidentia. Modo ad formam argumenti dico, auctoritatem Boetij verificari de differentia numerali impropria, seu per concomitantiam, vt optimè demonstrat Scotus loco citato, sub lit. N. At nos loquimur de differentia numerali propria, & à priori.

Obijcies quarto D. Damascenum in Elementario, cap 5. dicentem. Omnis res, in qua differt hypostasis ab eiusdem speciei hypostasi, dicitur aduentitia differentia, & characteristica proprietas, & qualitas, hypostatica; hoc autem accidens, velut homo, differt ab altero homine, quoniam hic quidem longus, hic autem breuis. Sed longitudo, & breuitudo, sunt quantitates; ergo &c. Prætereà, Auicenas, tertio Meth. cap. 3. Naturæ, quæ eget materia, ad eius esse adueniunt accidentia, & dispositiones extrinsecè, per quas indiuiduantur; sed inter accidentia, quantitas est præcipuum accidens; ergo substantia materialis indiuiduatur per quantitatem.

Respondetur, accidens dupliciter accipi posse; & pro accidente communi, quod potest adesse, & abesse à subiecto, præter subiecti corruptionem, cuiusmodi sunt quantitates, qualitates &c. & pro acciden-

te pro extraneo. Et sic, quicquid non ingreditur quiditatem alicuius, dicitur accidens; vtpotè risibile respectu hominis, hinnibile respectum Equi. Et hoc modo etiam differentiæ indiuiduales, scilicet hæcceitates, dicuntur accidentia, cum non sint de quiditate naturarum, quas indiuiduant. Modò ad formam argumenti dico, vtramque auctoritatem habere veritatem de accidente pro extraneo, non tamen de accidente communi. Et sic non sequitur, quantitatem esse principium indiuiduationis, sed benè hæcceitatem.

An Materia, vel Forma, sint principium indiuiduationis substantiæ materialis?

SECTIO IV.

Materiam esse principium indiuiduationis, non vt sic, sed vt signatam, docet D. Thomas in Tract. de Principio Indiuiduationis. Cæterum, quia est difficile intelligere, quid velit Sanctus Doctor per materiam signatam, cum in hoc explicando laborent Thomistæ, & forsam nondum satis perceperint eius mentem; ideò cæteris omissis, expositionem Caietani, vt potè maioris auctoritatis inter alios, de materia signata sequi debemus.

Primo notandum est, vt colligitur ex Caietano de Ente, & Essentia, cap. 2. q. 3. §. Circa hanc partem dubitatur, an materia sit principium &c. Materiam, quam D. Thom. ponit esse principium indiuiduationis, esse materiam primam, quæ est altera pars compositi physici, non sic in communi acceptam, & indeterminatam ad omnes formas, sed determinatam ad vnam tantum: & hęc dicitur signata, & non signata. Materia signata dicitur illa, quæ est capax tantùm huius quantitatis determinatæ & non alterius; vt v. g. materia mei corporis dicitur signata; quia est capax tantum meæ longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Hæc autem capacitas arctatur, per Caietanum, à semine; siquidem imaginandum est, quod sicut semen humanum appropriat materiam ad animam humanam, ità hoc semen ad hanc animam; appropriat hanc materiam. Vndè, cum in primo instanti generationis, v. g. Petri, fiat compositum particulare, quod ordine naturæ præcedit omnia accidentia, concomitantia tale compositum, in illo priori naturæ, in quo illud compositum particulare terminatur per se primo generationem, materia Petri, quæ est eius pars intrinseca, ità sibi est appropriata ab agente particulari, scilicet ab illo semine humano, quod non est capax alterius quantitatis, præter illam, quam sibi Petrus determinat. Et sic, materia cum tali capacitate dicitur signata; quia tantum est determinata ad hanc quantitatem, & non ad illam. Materia autem non signata est, quæ habet capacitatem ad recipiendum plures quantitates; vt est materia prima in communi, vel particulari, indeterminatè sumpta; vt aliqua materia, quædam materia &c. Modò ad propositum applicando, dicit Caietanus, materiam non signatam, non esse indiuiduationis principium; quia talis est indeterminata ad plures quantitates determinatas, licet sit determinata ad vnam, indeterminatè tamen. Materiam autem signatam, dicit esse principiũ indiuiduationis; quia est determinata ad hanc quantitatem tantum, per quem redditur indistincta, & incommunicabilis, vt possit distinguere vnum indiuiduum ab alio. Vndè si quæratur ab ipso, per quid hæc materia signata sit indiuidua, & hæc; necessariò habet dicere, quod ab hac quantitate: & sic reducitur ad quantitatem, vt in principium vltimatum; vt dicebat Ægidius in præcedenti quæstione.

Secundo notandum est pro fundamento sententiæ nostræ, & confutatione opinionis Doctoris Angelici, quod principium indiuiduationis debet esse vltimus actus, indistinctus in se, per se primo; & primum distinctiuum aliorum ab inuicem; vt optimè aduertit Doct. Subtilis, in secundo, d. 3. q. 3. A. si quidem cum ponat repugnantiam ad posse diuidi in plura inferiora, habere debet in se prius talem repugnantiam ad diuidi, cum habeat communicare illam per se non primo, indiuiduo. Cum autem materia, secundum se, non sit vltimus actus, imò pura potentia, nec in se indistincta, cum distinguatur per diuersas formas in ipsa receptas; nec tamdem sit principium distinctiuum vnius indiuidui ab alio, imò indiuidua substantiæ ma-

materialis conueniant in ratione materiæ, sequitur materiam nullatenus posse esse principium indiuiduationis substantiæ indiuidualis Nec obstat, quod materia signata, sit vltimus actus, in quantum est determinata ad hanc quantitatem, & non ad illam; quia tunc solum concluditur, materiam primo indiuiduari per quantitatem hanc, & sic signatam, esse principium indiuiduationis substantiarum materialium. Cæterum, cum sit impossibile, quantitatem esse principium indiuiduationis substantiæ, & materia sit de genere substantiæ, etiam impossibile est, materiam etiam sic signatam, esse principium indiuiduationis substantiæ materialis.

Tertio notandum est, pro declaratione quartæ sententiæ, formam esse duplicem, scilicet totius, & partis; & pariter materiam duplicem esse, scilicet totius, & partis, vt notat Scotus, in secundo, d. 3. q. 6. H. & Q. Et quol 2. M. ex Aristotele, primo Phys. t. c. 65. & 69. Secundo physicorum. Secundo de anima. Quinto meth. cap. de causa. 7. meth. c. de partibus diffinitionis 12. meth. t. c. 27. Expressius tamen, primo de Cælo, & Mundo, t. c. 92. & 95. In illis verbis. Cum dico cælũ, dico formam; cum dico hoc cælum, dico materiam. Forma totius, ex doctrina Aristotelis, est natura communis absolutè sũpta, seu quiditas alicuius rei; vt humanitas, æquinitas &c. Forma verò partis est altera pars essentialis compositi physici, per quam simul cum materia, constituitur in esse compositi: vt anima rationalis dicitur forma partis hominis; quia ex ipsa, & corpore, physicè componitur homo. Et vtraque forma dicit quiditatem; hæc, quia dicit tantum partem quiditatis compositi, dicitur forma partis; Illa verò, cum dicat totam quiditatem, appellatur forma totius. Huic duplici formæ opponitur duplex materia, scilicet totius, & partis. Materia totius, quæ opponitur formæ totius, est entitas indiuidualis, contrahens formam totius, scilicet naturam communem ad esse hanc, & indiuiduam: & hæc non distinguitur ab hæceitate, quam Doctor Subt. dicit esse principium indiuiduationis, nisi nomine. Materia partis, quæ opponitur formæ partis, est entitas substantialis, ex qua cum forma partis fit totum compositum physicum. Ad propositum applicando: cum forma totius, & forma partis sint naturæ communes, & quiditates compositi physici, sicut etiam materia partis, sequitur, formam nullo modo posse esse principium indiuiduationis; at quia materia totius, est realitas contrahens naturam communem ad esse indiuiduale, & nullo modo distinguatur ab hæceitate, ipsa ponitur principium indiuiduationis. Et si de hac materia loquutus fuisset D. Thomas, nullum iurgium mansisset nobis cum Thomistis.

Ex his, sit prima conclusio. Materia partis, siue signata quantitate, siue non, nequit esse principium indiuiduationis substantiæ materialis, sed benè materia totius. Est Scoti, in secundo, d. 3. q. 5. & 6. sub H. & Q. contra D. Thom. & eius sectatores citatos in principio quæstionis. Probatur prima pars. Quia principium indiuiduationis est vltimus actus, & primum distinctiuum indiuiduorum ad inuicem, vt concedit etiam Caietanus loco citato; sed materia partis non est huiusmodi; ergo materia partis, vt sic, non est principium indiuiduationis. Minor patet. Quia materia partis est potentia, & non actus, vt omnes concedunt cum schola D. Thomæ; ergo nequit esse actus vltimus, & primum distinctiuum indiuiduorum inter se. Consequentia patet. Quia actus, & potentia opponuntur secundum suam latitudinem; ergo si materia est potentia, imò pura potentia, secundum Thomistas, nullum admittens actum entitatiuum, non poterit esse vltimus actus; & consequenter, nec primum distinctiuum indiuiduorum inter se; siquidem omnis distinctio fit per actum, ex Aristotele, 7. Meth. t. 49. Secunda pars, in qua est tota difficultas, probatur a Scoto, primo sic, in secundo, d. 3. q. 4. F. Materia signata non addit supra materiam primam, in quantum natura est, nisi illam signationem; sed talis signatio non potest esse ratio quarè materia sit magis principium Indiuiduationis, quam sine illa; ergo si materia non signata, idest prout est natura, non est principium, nec vt signata erit principiũ. Maior patet, etiam secundum oppositam sententiam. Minor probatur. Quia signatio huiusmodi per quantitatem, vel est eadem realiter materiæ, vel ab ea realiter di-

stin-

stincta; sed neutrum est dicendum, ergo talis signatio non est in materia per quantitatem. Maior est clara à sufficienti diuisione. Minor probatur. Non potest esse distincta realiter a materia; quia tunc esset accidens eius; sed nullum accidens est ratio indiuiduandi substantiam, vt probatum est in præcedenti; ergo &c. Nec potest esse eadem realiter materiæ; quia nullum dependens à posteriori naturaliter, potest esse idem realiter priori naturaliter; sed talis signatio pendet à quantitate, quæ est posterior naturaliter materia, vt habet Philosophus, septimo meth. t. c.4. & 7. ergo nequit esse idem realiter cum materia, quæ est prior naturaliter quantitate. Minor conceditur à Thomistis. Maior probatur. Quia tunc idem esset prius, & non prius; siquidem illa signatio esset prior naturaliter quantitate, inquantum identificaretur realiter cum materia, quæ est naturaliter prior quantitate; esset posteà posterior quantitate, in quantum esset derelicta, seu causata à quantitate; quandoquidem causa semper est prior natura suo effectu; sed consequens est falsum; ergo & antecedens ex quo sequitur. Secundo sic. Quod est necessaria conditio alicui causæ in causando, non potest habere esse à causato; sed illa signatio materiæ, est conditio necessaria, ad hoc, vt materia sit principium indiuiduationis; ergo nequit habere esse à quantitate, quæ est causata à substantia, cuiusmodi est materia. Maior probatur. Quia causa, secundum totum suum esse, præcedit naturaliter effectum; sed illa conditio causæ pertinet ad esse eiusdem; ergo conditio causæ non potest habere esse ab effectu, seu causato. Minor conceditur ab Aduersarijs; siquidem ait Caietanus. Si materia non esset signata quantitate, non posset esse principium indiuiduationis. Tertia pars, probatur, primo auctoritate Aristotelis, primo de cælo, & mundo, t.c.92. Alterum igitur est hoc cælum, & cælum simpliciter, & hoc quidem vt species, & forma, illud autem cum materia mixtum. Sed hic non loquitur de materia partis; ergo materia totius est principiū indiuiduationis cæli. Minor probatur. Quia eodem modo loquitur ibi de materia, quomodo loquitur de forma; sed forma ibi accipitur pro forma totius; ergo & materia debet accipi pro materia totius, sibi relatiuè opposita. Maior patet. Quia comparatio, & deductio eius, non esset bona; cum esset æquiuocatio in terminis. Minor probatur. Quia ibi loquitur de forma, quę est species; sed talis non est forma partis, cum hæc sit altera pars speciei physicæ, vt tradit Philosophus, primo physicorum; & 8. methaphysicorum; ergo non loquitur de forma partis. Confirmatur. Quia hoc cælum est eiusdem rationis quiditatiuè cum cælo simpliciter; se habent enim sicut species, & indiuiduum, ex eodem Philosopho ibidem; sed cælum simpliciter caret materia prima, ex eodem ibidem, t.c.13. ergo, & hoc cælum: si igitur hoc cælum differt à cælo simpliciter, sicut materia à forma, necessariò fatendum est, ibi accipere materiam, & formam, pro materia, & forma totius, & non partis. Confirmatur secundo. Quia Philosophus, primo Phys. t. c. 82. inquit, materiam esse causam corruptionis compositi; sed secundum eumdem, cælum est incorruptibile; ergo in eodem non ponit materiam partis, sed totius tantum. Secundo probatur. Illud est vnum numero, & indiuiduum, cuius materia est vna; illa verò dicuntur diuersa numero, quorum materiæ sunt diuersæ, ex Philosopho, 5. Meth. t. c.12. Sed ibi nequit accipi materia pro materia prima, seu pro materia partis; ergo pro materia totius. Minor probatur. Quia alioquin sequeretur, diuersa numero posse esse vnum numero; sed hoc implicat contradictionem, ergo. Maior probatur. Quia genitum, & corruptum differunt numero, ex secundo de generatione, & corrupt. t.c. vltimo; & quinto Physic. t.c.36. Sed genitum, & corruptum habent eamdem materiam primam, seu partis; ergo si accipiatur ibi materia pro materia partis, diuersa numero, essent vnum numero. Minor est Aristotelis, primo phys. t.c.2. dicentis, materiam primam esse subiectum primum vnicuique rei generabili, & corruptibili.

Dices cum Caietano, esse eamdem numero materiam non signatam in genito, & corrupto; diuersam tamen numero signatam.

Contra. Quia illa signatio fit à quantitate; sed eadem quantitas numero potest manere in genito, & corrupto; ergo eadem materia signata. Minor probatur. Et pono casum, quod primo ex aqua generetur ignis:

ignis: Secundo, ex illo iterum generetur aqua; sed in prima aqua corrupta, & secunda genita est eadem quantitas, siuè terminata, siuè interminata; quia potest habere eundem terminum ab eadem forma; ergo quantitas, quæ est causa signationis materię, manet eadem numero in genito, & corrupto; & consequenter eadem materia etiam signata; & sic diuersa numero possunt esse idem numero, quod est graue inconueniens.

Secunda Conclusio. Forma, siuè totius, siuè partis, nequit esse principium indiuiduationis. Est Scoti, in secundo, d. 3. q. 6. G. & H. & quol. 2. M. Contra Durandum, & alios citatos. Probatur. Quia principium indiuiduationis est vnum numero per se primo, & ratio distinguendi vnum indiuiduum ab alio; sed forma, siue totius, siue partis non est vna numero per se primo, nec ratio distinguendi indiuidua ad inuicem, sed potius conueniendi illa in vnica ratione; ergo. Minor probatur. Quia Petrus & Paulus non differunt per humanitatem, seu per animam rationalem, imò conueniunt in eisdem; sed prior est forma totius, & posterior partis; ergo &c.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Illud est principium intrinsecum indiuiduationis, cui primo repugnat communicari pluribus, vt vniuersale particularibus; sed materia signata est huiusmodi; ergo. Maior patet. Minor probatur. Id competit per se primo materiæ signatæ, quod secluso quocumque alio, sibi competit; & illa seclusa, nulli alteri competit; sed non communicari pluribus, vt vniuersale particularibus, secluso quocumque alio in substantia sensibili existente, conuenit materię signatæ, & ipsa seclusa, nulli alteri competit; ergo competit per se primo materiæ signatæ. Maior patet, ex Philosopho, primo Poster. t. 14. Minor similiter est nota. Quia ipsa non potest intelligi communicabilis, & ipsa seclusa, Petrus non remanet incommunicabilis, nec forma Petri remanet singularis.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, nego minorem. Imò sibi competit solum per suam hæcceitatem. Ad probationem pariter, nego illam; imò dico, materiam primam semper posse intelligi communicabilem, quantum est de se, cum sit natura communis, cui quantum est de se, non repugnat communicari pluribus; per accidens autem, quatenus est contracta per suam hæcceitatem, intelligitur habere vnitatem numeralem, & incommunicabilem.

Obijcies secundo. Illud est principium indiuiduationis substantiæ materialis, per quod vna distinguitur numeraliter ab alia; sed materia est huiusmodi; ergo est principium indiuiduationis. Maior patet. Minor probatur per Aristotelem, septimo meth. t. 21. 28. & 41. dicentem. Quod generans non generat aliud, nisi propter materiam. Sed generans, & genitum distinguuntur numero; ergo propter materiam sic distinguuntur; ac proindè materia erit principium indiuiduationis.

Respondetur, minorem cum sua probatione esse veram de materia totius, quæ non distinguitur ab hæcceitate; non tamen de materia partis, cuiusmodi est materia prima, siue signata, siue non. Cæterum, quia auctoritas Aristotelis videtur facere aliquam difficultatem, & videtur esse achilles Thomistarum; ideò dico, quod ibi Aristoteles vult excludere ideas Platonis a generationibus; siquidem sine illis habetur tota ratio generationis; quod generans assimilet sibi genitum in forma; & quod distinguatur ab eo per materiam; cum alia sit materia generantis, à materia geniti. Non tamen propter hoc licet inferre, distinctionem, seu alietatem generantis à genito non esse causatam à materia partis, sed tantum à materia totius, seu ab hæcceitate, quæ est ratio formalis, quare materia huius, non sit materia illius; & consequenter, quare generans distinguatur numero à genito. Et sic exponendæ sunt omnes auctoritates Aristotelis, vel cuiuscumque alterius, quæ videntur concedere distinctionem numeralem ob materiam; cum semper loquantur de materia totius, & non de materia partis.

Obijcies tertio Doct. Subtilem, in secundo d. 3 q. 6. sub lit. S. in fine, dicentem; quod principalior ratio distinguendi vnum compositum indiuiduale ab alio, est forma; sed ibi loquitur de forma partis, vt patet intuenti textum; ergo secundum Doctorem, forma partis est principium indiuiduatio-

nis, quod est oppositum secundæ conclusionis.

Respondetur primo, Doctorem ibi loqui de forma, non secundum omnes gradus suæ entitatis; quia clarum est ex his, quæ habet ibi, formam non esse rationem distinguendi duo indiuidua sub eadem specie contenta, quin potius est ratio conueniendi; quandoquidem Petrus, & Paulus conueniunt in rationalitate, quæ est forma partis methaphysicæ hominis; sed loquitur tantum de forma secundum vltimum gradum suæ entitatis, seu realitatis, quæ vt sic, est entitas indiuidualis, hæceitas ab eodem sic appellata.

Vel dicendum secundo, non velle distinctionem numeralem esse absolutè à forma partis, sed tantum in comparatione ad materiam; siquidem cum forma sit actus, cuius est proprium distinguere vnum ab alio, & materia solum sit potentia, carens omni actu formali, magis tribuenda esset distinctio materialis, formæ, quam materiæ. Cæterum, absolutè sibi tantum tribuitur secundum vltimum gradum, secundum quem non est de essentia compositi, & à quo tantum sumitur differentia vltima, seu indiuidualis; materiæ verò partis, nullo modo.

An Substantia indiuidualis, sit constituta in esse indiuidui per aliquam entitatem positiuam, ab eadem reater distinctam?

SECTIO V.

Examinatis in præcedentibus cæteris opinionibus adductis pro hac quæstione, iisdemque expeditis ad mentem Doctoris Subtilis, superest, vt plenius, eiusdem mentem aperiendo, satisfaciamus quæsito principali: quod, quamquam motum sit dumtaxat de indiuiduis prædicamenti substantiæ, gratia tamen vberioris doctrinæ, discutietur simul, & semel etiam de indiuiduis accidentalibus. Vnde pro solutione totali quæstionis.

Primo notandum est, ex eodem Doctore, in secundo, d. 3. q. 1. & 6. dari in rerum natura à parte rei in singularibus existentem naturam communem per indifferentiam, quæ cum non sit de se singularis, & indiuidua, vt supra probatum est, necessariò inuestiganda est ratio, qua reddatur indiuidua. Hæc autem cum non consistat in illis duabus negationibus, diuisionis nimirum in se, & identitatis cum alio, sed in quodam positiuo, vt probatum est sect. prima; & tale positiuum non sit existentia actualis, aut quantitas, aut materia, aut forma, vt conclusum est in aliis tribus Sectionibus, relinquitur, vt assignemus aliam rationem huius indiuiduationis. Hæc autem cum Scoto, loco secundo citato, dicitur esse quædam entitas positiua eiusdem generis cum indiuiduo, cuius est, sibique realiter identificata; quæ, quia reddit naturam, cui aduenit, incommunicabilem seu hanc, ab huiusmodi effectu (cum alias sit innominata) appellatur Hæceitas.

Secundo notandum est, ex eodem Doctore in supracitatis locis; quod ad cognoscendum qualis sit hæc differentia indiuidualis, oportet ipsam conferre cum differentia specifica, cum qua habet conuenientiam, & differentiam, vt ex his faciliùs deueniamus in cognitionem vtriusque. Conueniunt igitur differentia specifica, v.g. rationalitas, & huiusmodi hæceitas; nam sicut rationalitas est quædam entitas realis, formalis, aduenies generi, ab eodemque formaliter distincta, & cum ipso concurrens ad constitutionem speciei humanæ, ità pariter hæceitas est entitas realis, formaliter distincta à natura specifica, cum eademque concurrens ad constitutionem indiuidui, scilicet Petri, vel Pauli. Vndè sequitur, quod sicut species duo exigit ad eius constitutionem, nimirum genus, & differentiam; ità etiam indiuiduum, duo requirit ad eius constitutionem, scilicet naturam specificam, & differentiam indiuidualem, scilicet hæceitatem. Differunt verò dupliciter. Primo; quia differentia specifica, vt rationalitas, est de quiditate speciei, Idest hominis, cum exprimatur per diffinitionem eius; homo enim est animal rationale quiditatiuè; ac hæceitas, v.g. Petreitas, non est de essentia Petri, licet requiratur intrinsecè ad eius esse; siquidem omnis essentia, seu quiditas, debet esse communicabilis pluribus; at Petreitas est incommunicabilis per se primo, cum reddat Petrum incommunicabilé; igitur non

est

est de quiditate eius. Secundo differunt: quia differentia specifica contrahit genus tamquam realitas, & actualior, & perfectior, quam sit realitas generis; at differentia indiuidualis non contrahit naturam specificam, vt realitas ipsa perfectior, sed magis vt differentia materialis; non quod ipsa sit materia partis, sed quia contrahit naturam specificam de esse formali ad esse indiuiduale, & subijcibile, quod est proprium materiæ, sicut prædicari est proprium formæ. Ex his omnibus patet, quod hæceitas, est quædam realitas positiua, formaliter distincta à natura specifica, cum ipsaque concurrens ad constitutionem indiuidui.

Tertio notandum, ex eodem Scoto loco citato, sub lit. F. G. quod sicut differentia specifica potest comparari ad tria, scilicet ad id, quod est infra se; ad id, quod est supra se; & ad id, quod est iuxtà se; hoc est dicere; ad speciem, quam constituit; ad genus, quod contrahit; & ad differentiam oppositam, cum qua genus diuidit; itá pariter differentia indiuidualis, seu hæceitas; potest ad tria comparari, scilicet ad indiuiduum, quod constituit; ad naturam specificam, quam contrahit; & ad aliam hæceitatem, cum qua diuidit naturam. Si differentia specifica comparetur ad id, quod est infra se, idest ad speciem, vt rationale ad hominem; sibi repugnat in plura diuidi specie differentia, seu distincta; nam sicut species non potest diuidi, nisi in indiuidua, itá differentia constitutiua speciei, habet tantum diuidi in plura differentia numero. Si verò comparetur ad id, quod est supra se, scilicet ad genus, quod contrahit, vt rationale ad animal, tunc differentia specifica habet rationem actus, genus verò potentiæ; quandoquidem homo constat ex duobus, tamquam ex per se actu, & per se potentia; & realitas differentiæ est formaliter distincta à realitate generis; quia non prædicatur de illa quiditatiuè; hæc enim est falsa formaliter: rationale est animal. Si tamdem differentiam specifica comparetur ad id, quod est iuxta se, scilicet ad suam oppositam; vt rationale ad irrationale; tunc dicitur primo diuersa formaliter; quia non conueniunt in aliquo prædicato quiditatiuo, quod de illis dicatur in quid, vt superius, disp. 1. quæst. 3. ostendimus. Idem pariter dicendum est de differentia indiuiduali: quod si comparetur ad indiuiduum, quod constituit, sibi per se primo repugnat diuidi in plura indiuidua, vt in plures partes subiectiuas: si verò comparetur ad naturam specificam, quam contrahit, sed habet ad illam, vt actus, & natura vt potentia, cum hæc sit in potentia ad omnia indiuidua sub se contenta: si tamdem comparetur ad suam oppositam, vel disparatam, vt Petreitas ad Pauleitatem; tunc dicuntur primo diuersæ formaliter; quia non conueniunt in aliquo conceptu, quæ dicatur de illis quiditatiuè, tamquam realitas potentialis. Quod notanter dicitur; quia vt docet Scotus, in primo d. 26. quæst. vnica Y. §. Ad aliud dico, &c. benè possunt conuenire in aliquo conceptu ab illis abstracto, dicibili de illis in quid, vt probauimus in cap. de specie, q. vltima.

Quarto notandum, ex dictis supra, sect. secunda, & tertia: quod cum prædicamenta distinguantur ab inuicem, saltem formaliter, ita coordinationes sunt impermixtæ, vt nihil vnius coordinationis, habeat esse per aliud alterius coordinationis. Ex quo patet, quod in quolibet prædicamento, dentur naturæ specificæ, & indiuidua, distincta à naturis specificis, & indiuiduis alterius prædicamenti; & ideò oportet assignare in vnoquoque, & differentias specificas, & indiuiduales à se inuicem discretas; vndè sicut indiuidua, & species prædicamenti substantiæ, nequeunt constitui per differentias specificas, & indiuiduales accidentium, ita & non aliter, indiuidua & species prædicamentorum accidentium, non possunt constitui per differentias specificas; & indiuiduales prædicamenti substantiæ. Quare sequitur, accidentia indiuiduari per proprias hæceitates, sicut & substantiæ, & non per subiecta substantialia, vt dicunt Thomistæ; alioquin prædicamenta essent permixta realiter, & formaliter, quod est contra Philosophum, primo Post. t. 34. & nos supra probaui-

nimus in propria quæstione, disputatione prima.

Ex his, fit prima Conclusio. Principium indiuiduationis substantiæ materialis, per quod sibi repugnat diuidi in plures partes subiectiuas, est quædam entitas realis, seu quædam realitas positiua, distincta tantum formaliter ab ipsa natura substantiali, quam contrahit; quæ à Doctore Subtili, Hæceitas appellatur. Est Scoti, in 2. d. 3. q. 6. lit. C. Probatur prima pars. Quia omnis differentia differentium, reducitur ad aliqua primo diuersa; sed indiuidua propriè differunt, cum sint aliquid idem entia: ergo eorum differentia habet reduci ad aliqua primò diuersa; sed huiusmodi primo diuersa, sunt tales entitates positiuæ, quibus indiuidua a se inuicem differunt, & in esse constituuntur; ergo principium indiuiduationis est entitas positiua. Maior patet. Quia in differentibus debet dari status, nè fiat processus in infinitum; ergo habent reduci ad aliqua primo diuersa. Minor similiter. Quia indiuidua propriè conueniunt in natura specifica; ergo etiam debent propriè differre à se inuicem. Assumptum probatur. Quia in quolibet indiuiduo duo reperiuntur, scilicet natura specifica, & differentia indiuidualis; sed primo diuersa in indiuiduis, non sunt hæc & illa natura numero distinctæ, cum in talibus, indiuidua potius conueniant; ergo erunt differentiæ indiuiduales. Tunc, subsumo, huiusmodi differentiæ non sunt negationes, non existentiæ actuales, non quantitates, nec materia, aut forma, vt probatum est in præcedentibus Sectionibus; ergo à sufficienti diuisione, & enumeratione, debent esse realitates positiuæ ab illis naturis distinctæ. Secundo sic. Sicut se habet entitas, à qua sumitur differentia specifica, ad entitatem generis, ità se habet entitas à qua sumitur differentia indiuidualis, ad entitatem naturæ substantialis specificæ; sed entitas generis determinatur ad speciem per aliquam realitatem positiuam, à qua sumitur differentia specifica; ergo & entitas naturæ specificæ substantialis, debet determinari ad indiuiduum per quamdam realitatem positiuam, à qua sumitur differentia numeralis, seù indiuidualis. Maior patet. Quia ex vtrisque fit vnum per se. Minor similiter. Quia rationalitas, quæ constituit hominem in esse speciei, est quid positiuum, vt omnes concedunt; ergo, & entitas à qua sumitur differentia numeralis, debet esse quid positiuum. Secunda pars huius conclusionis, nimirum, quod talis entitas sit distincta formaliter ab ipsa natura, quam contrahit, probatur sic. Natura, quæ contrahitur per talem entitatem positiuam, non includit ipsam formaliter; ergo ab ea est formaliter distincta. Consequentia patet. Quia quandocumque sunt duæ formalitates, quę non se formaliter includunt, tales distinguuntur formaliter; ergo si formalitas naturæ non includit in se formalitatem differentiæ indiuidualis, sunt ab inuicem formaliter distinctæ. Antecedens probatur. Quia si natura includeret formaliter & quiditatiuè differentiam indiuidualem, numquam posset fieri vniuersalis, nec per abstractionem intellectus, vt aiunt Aduersarij; consequens est contra totā philosophiā; quia sic destrueretur scientia, quæ exposcit substantiam vniuersalē; ergo & antecedens. Consequentia patet. Quia nihil potest abstrahi ab eo, quod est sibi quiditatiuè vnitum; ergo si talis entitas positiua esset de quiditate naturæ, quam contrahit, ipsa non posset fieri vniuersalis per operationem abstractiuam intellectus.

Secunda Conclusio. Hæceitas, seu entitas positiua, per quam contrahitur natura substantialis ad esse indiuiduale, est per se primo singularis, & indiuisibilis in plures partes subiectiuas, quarum quælibet sit indiuidua. Est Scoti loco citato, sub F. Probatur. Id per quod repugnat per se indiuiduo, ne sit diuisibile in plures partes subiectiuas, est per se primo indiuisibile in easdem; sed entitas positiua, quæ est hæceitas, est huiusmodi; ergo est per se primo indiuisibilis eadem indiuisibilitate. Maior patet. Quia nihil dat, quod non habet; igitur. Id quod tribuit talem repugnantiam indiuiduo, debet habere illam prius in se. Minor, etsi probata existat in præcedenti conclusione; adhuc tamen suadetur sic. Sicut se habet entitas positiua specifica ad speciem, ità hæc entitas indiuidualis ad indiuiduum; sed illa constituit speciem indiuisibilem in plures species; ergo etiam ista constituit indiuiduum indiuisibile in plura indiuidua.

Tertia Conclusio. Vna hæceitas in comparatione ad aliam, est primo diuersa ab illa

la obiectiuè, & subiectiuè, nedum formaliter, sed etiam realiter; conueniunt tamen in conceptu communi abstrahibili ab ipsis; non in ratione realitatis potentialis, sed actualis, dicibilis in quid de illis. Est Scoti, quoad primam partem, loco citato, sub lit. H. & I. Et quoad secundam, in primo, d. 26. q. vn. sub Y. Probatur prima pars. Illa, quæ non conueniunt in aliquo conceptu potentiali vniuoco, prædicabili de illis quiditatiuè, sunt primo diuersa obiectiuè, & subiectiuè, vt patet per diffinitionem identitatis, & distinctionis se totis obiectiuè, & subiectiuæ; & ex Aristotele, 10. Meth. t. c. 11. vbi ponit distinctionem inter differentia, & diuersa, per hoc, quod illa conueniunt in aliquo, & per aliqua differunt; hæc verò non conueniunt, sed solum seipsis differunt; sed duæ hæceitates sunt huiusmodi; ergo sunt primo diuersæ obiectiuè, & subiectiuè. Minor probatur. Quia illa, quæ conueniunt in aliquo quiditatiuè, etiam per aliqua differunt ab inuicem; sed duæ differentiæ indiuiduales, vt sunt duæ hæceitates, non differunt per aliqua à seipsis distincta; ergo nec quiditatiuè conueniunt. Maior patet. Quia omnis quiditas superior descendit in inferiora per differentias formaliter, vel æquiualenter: quod additur, propter modos intrinsecos entis, qui non sunt formaliter differentiæ, sed tantum æquiualenter. Minor probatur. Quia si duæ hæceitates, sint Petreitas, & Pauleitas, differunt; ergo per alias differentias differunt; & tunc de illis quæro, an sint primo diuersæ, vel non. Si dicas, quod sint primo diuersæ; ergo, & Petreitas, & Pauleitas sunt primo diuersæ, cum non sit maior ratio de istis, quam de illis. Si verò dixeris non esse primo diuersas, statim infero; ergo differunt per alias differentias, de quibus quæram sicut prius, & sic vel dabitur processus in infinitum in differentijs, vel dicendum erit, quod Petreitas, & Pauleitas sint primo diuersæ; primum non est dicendum, quia esset contra Aristotelem, primo Post. & Methaph. lib. 5. cap. de eodem; ergo secundum necessariò admittendum; scilicet differentias vltimas esse primo diuersas inter se. Secunda pars fuit sufficienter probata in Vniuers. cap. de specie, quæst. vltima.

Quarta Conclusio. Talis entitas positiua, quæ dicitur Hæceitas, nec est materia, nec forma nec compositum, sed vltima realitas entis, quod est materia, vel forma, vel compositum, ab eisdem formaliter distincta. Est Scoti loco citato, sub lit. I. K. Probatur prima pars. Quia materia, forma, & compositum sunt entitates pluribus communicabiles, quantum est ex se; sed hæceitas est entitas incommunicabilis pluribus per secundam conclusionem; ergo hæceitas nec est materia, nec forma, nec compositum. Maior probatur. Quia omnis entitas quiditatiua, siue totalis, vt compositum, siue partialis, vt materia, & forma, est de se indifferens ad hanc, & illam entitatem, cum nulla talis sit de se hæc, vt probatum est supra, disp. præcedenti, q. 1. & 2. ergo materia, forma, & compositum, sunt entitates pluribus communicabiles. Secunda pars probatur. Quia communicabile ex se, & incommunicabile ex se, distinguuntur saltem formaliter; sed materia, forma, & compositum, sunt entitates de se communicabiles, hæceitas verò de se incommunicabilis, vt probatum est superius; ergo distinguuntur formaliter. Maior patet. Quia communicabile, & incommunicabile habent diuersas diffinitiones, vt patet; igitur, & diuersas formalitates; siquidem formalitas est conceptibilitas ex natura rei; sed quæ habent diuersas diffinitiones, habent diuersas conceptibilitates, ergo &c.

Quinta Conclusio. Accidentia non sunt de se indiuidua, vt aiunt Durandus, in secundo, d. 3. q. 2. Et in 4. d. 44. q. 1. Et Suarez in Methaph. disp 5. sect. 7. & 8. Nec indiuiduantur per eorum subiecta, vt docet D. Thom. prima parte q. 29. art. 1. Et q. 39. art. 3. & opusc. 29. in fine. Sed per suas hæceitates ab eisdem formaliter distinctas, eo modo quo substantiæ indiuiduantur; vt tradit Doct. Subt in 2. d. 3 q. 4. D. Et 5. meth. q. 7. Et colligitur etiam in 3. d. 8. q. vn. A. Et in primo, d. 3. q. 3. § Ad quæstionem: ac alibi. Probatur prima pars. Quia in accidentibus dantur naturæ communes à parte rei, sicut in substantijs; sed tales non sunt de se hæc; verum per aliquod positiuum super additum, vt probatum est superius; ergo accidentia non sunt de se indiuidua, aut per suas entitates, vt dicunt Durandus, & Suarez. Maior est nota ex præcedenti disputatione. Siquidem rationes probantes, naturam substantialem habere à parte rei vnitatem,

tem, minorem vnitate numerali, & communitatem per indifferentiam priuatiuam saltem, concludunt etiam de naturis accidentalibus; igitur in illis dantur naturæ communes, quæ non sunt de se indiuiduæ. Secunda, & tertia. Pars probantur simul. Principium indiuiduationis debet esse eiusdem generis cum indiuiduo, ex Aristotele, primo Post. t. 34. sed subiectum non est eiusdem generis cum indiuiduis accidentium, sicut hæcceitas: ergo accidentia non indiuiduantur per subiecta, sed per hæcceitates. Minor patet. Quia prædicamenta sunt impermixta, nedum formaliter, sed etiam realiter, vt supra probauimus, disp. prima in propria quæstione; atqui subiecta sunt de prædicamento substantiæ, & indiuidua accidentium, de prædicamentis accidentium; ergo non sunt eiusdem generis. Secundo probatur sic. In quolibet prædicamento accidentium, circumscripto quocumque alterius coordinationis, est ratio speciei; ergo etiam indiuiduum. Antecedens patet. Quia nullus fingit, speciem vnius prædicamenti constitui in esse per differentiam specificam alterius prædicamenti. Consequentia probatur. Quia ratio speciei exigit saltem aliquod indiuiduum, de quo enuncietur, vt patet ex diffinitione eiusdem; ergo circumscripto quocumque alterius coordinationis, vt puta substantiæ, datur indiuiduum in accidentibus. Tertio probatur sic. Si indiuidua accidentium non possent poni in esse per suas proprias hæcceitates; sed necessariò exigerentur subiecta, sequeretur ipsa numquam posse recipere prædicationem a suis speciebus, quorum sunt indiuidua; sed consequens est falsum; quia istæ sunt quiditatiuæ; hæc albedo est albedo, hæc scientia est scientia; ergo & antecedens. Consequentia probatur. Quia de ente per accidens, nihil prædicatur per se; sed data hypothesi, quod accidentia indiuiduentur per subiecta, essent entia per accidens; quia coalescerent ex rebus diuersorum generum; ergo nihil posset prædicari de illis per se, & quiditatiuè. Maior, & Minor sunt Aristotelis; quinto Methaph. cap. de vno, t. c. 7. 8. & 13. Ex his sequitur, accidentia necessariò indiuiduari per proprias hæcceitates, & non per eorumdem subiecta.

Obijcies primo, ex Caietano de Ente, & Essentia, cap. 2. q. 3. §. quoad tertium &c. Contra primam conclusionem. Natura substantialis, est indiuidua ante aduentum hæcceitatis; ergo hæcceitas non est principium indiuiduorum. Consequentia patet. Antecedens probatur. Omnis actus singularis præexigit potentiam singularem, quam actuat; sed hæcceitas est actus singularis, & natura est potentia, quam actuat; ergo hæcceitas præexigit naturam singularem. Maior, & Minor sunt Scoti, in secundo d. 3. quæst. 4. & 6. Tamen maior, in qua est tota vis argumenti, sic probatur ex Phylosopho, secundo Physicorum t. c. 38. vbi docet, comparationes causarum: vndè sicut forma præexigit materiam particularem, sic actus potentiam.

Respondetur, actum esse in duplici differentia; alterum, qui est tantum singularis per se, & habet rationem quod. Alterum, qui est per se primo singularis, & habet rationem quo tantum. Actus singularis primo modo sumptus, est forma singularis, & indiuidua, coalescens ex natura communi, & differentia indiuiduali; vt anima mea respectu mei corporis. Et hic actus, necessario exigit potentiam singularem; & de hoc locutus est Doctor Subtilis citatus. Actus singularis. Secundo modo, est entitas indiuidualis, seu hæcceitas simpliciter simplex. Idest non composita ex natura communi, & differentia indiuiduali, sicut prior actus. Et dicitur per se primo singularis, & vt quo tantum; quia est ratio duntaxat, quare natura communis sit singularis, & ipsa non sit talis per aliam differentiam indiuidualem; alioquin daretur processus in infinitum. Et talis actus non præsupponit potentiam singularem, imò necessariò indeterminatam; cum per ipsam tantum habeat determinari. Nec de isto actu locutus est Doctor Subtilis.

Formaliter ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem dico, maiorem, & probationem, ex Phylosopho, esse veram de actu primo modo, & non de actu singulari secundo modo sumpto. At hæcceitas est actus singularis tantum secundo modo; igitur non præsupponit, sed facit naturam singularem.

Obij-

Obijcies secundo. Petrus, & Paulus distinguuntur numero ante aduentum Petreitatis, & Pauleitatis; ergo illæ non sunt principia indiuiduationis. Consequentia patet. Quia principium indiuiduationis debet distinguere indiuiduum, quod constituit à quacumque alio; ergo si Petrus, & Paulus distinguuntur ante Petreitatem, & Pauleitatem, sequitur, quod non indiuidicentur per ipsas. Antecedens probatur. Quod conuenit vni, & repugnat alteri indiuiduo, necessariò præexigit ipsorum distinctionem; sed Petreitas conuenit Petro, & repugnat Paulo eiusdem speciei indiuiduis; ergo Petreitas præexigit in Petro distinctionem eius à Paulo. Maior est Scoti in quol. 2. Minor est eiusdem, in secundo d. 3. q. 6.

Respondetur, illud, quod conuenit alicui, posse dupliciter sibi aduenire. Vno modo tamquam constitutiuum illius; vt rationale aduenit homini, cum ipsum constituat inesse hominis, & tale, quamuis repugnet alteri, vt puta rationale equo, non tamen præsupponit distinctionem hominis ab eodem equo; quinimò eam causat. Alio modo, tamquam aduentitium post esse completum illius; vt risibilitas inest homini post eius esse completum per rationale. Et tale, si repugnet alteri, sicut risibilitas equo, præsupponit distinctionem hominis ab equo. Ex his.

Formaliter dico ad argumentum, negando antecedens. Ad probationem dicendum, maiorem illam Scoti esse veram de eo, quod aduenit vni post eius esse completum; non tamen de eo, quod sibi conuenit tamquam constitutiuum illius. Modo Petreitas conuenit Petro, tamquam constitutiuum eius in esse Petri; idcircò etiamsi repugnet Paulo, non propterea præsupponit eorumdem distinctionem ab inuicem, imò illam causat.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionem. Id quod conuenit magis cum vno, quam cum alio, non est primo diuersum ab eo cum quo magis conuenit; sed hæceitas Platonis, magis conuenit cum hæceitate Socratis, quam cum hæceitate albedinis; ergo hæceitas Socratis, & Platonis non sunt primo diuersæ. Maior patet. Minor probatur dupliciter; & primo sic. Quia hæceitates Socratis, & Platonis in specie hominis conueniunt; hæceitates verò Socratis, & albedinis differunt genere. Secundo sic. Illa magis conueniunt, quæ magis assimilantur; sed hæceitates Socratis, & Platonis magis assimilantur, quam hæceitates Socratis & albedinis; ergo magis illæ conueniunt, quam istæ. Minor probatur. Illa magis assimilantur, quæ sunt magis comparabilia; sed hæceitates Socratis, & Platonis sunt magis comparabiles, quam Socratis, & albedinis; cum illæ sint eiusdem prædicamenti, hæ verò diuersorum; ergo magis assimilantur illæ, quam istæ; & consequenter magis conueniunt.

Respondetur, maiorem esse veram, si conueniant quiditatiuæ, tamquam in realitate potentiali, & determinabili ab eis; non tamen si tantum concomitanter, & identicè. Modò hæceitates Socratis, & Platonis magis conueniunt adinuicem, quam cum hæceitate albedinis, secundo non primo modo. Nec tamen ex hoc sequitur, non esse primo diuersas; quia dicimus esse primo diuersas tantum formaliter; & quiditatiuè; & hæc est propriè diuersitas, non tamen concomitanter, & identicè ratione suorum indiuiduorum, quæ formaliter conueniunt in specie, & in genere. Ad primam probationem dico, hæceitates Socratis, & Platonis conuenire tantum concomitanter, & etiam concomitanter differre genere ab hæceitate albedinis; non tamen formaliter, & quiditatiuæ; quia sic omnes sunt æqualiter diuersæ. Ad secundam probationem respondetur eodem modo, huiusmodi hæceitates Petri, & Pauli, vel Socratis, & Platonis magis assimilari inter se, quam cum hæceitate albedinis concomitanter, & ratione identitatis cum natura, quam contrahunt; non tamen in conceptu formali, qui sit realitas determinabilis, & contrahibilis ab ipsis; quia sic sunt æquè primo diuersæ, vt dictum est.

De Quantitate, & eius Proprietatibus.

CAPVT I.

POst tractatum de Substantia, Aristoteles immediatè aggreditur discursum de quantitate, & non alterius Prædicamenti, ratione similitudinis eiusdem cum substantia, vt inquit Boetius super hoc capite; siquidem in hoc assimilantur; quia sicut substantia est subiectum vltimatum omnium accidentium, vt docet Doctor Subtilis, in 4. d. 12. q. 2. H. I. Ita quantitas est eorum subiectum non vltimatum; ipsa enim se sola, inhærere valet substantiæ, vt cætera accidentia, non nisi per eamdem in substantia subiectari valent. Diuiditur autem hoc Caput in tres partes principales, in quarum prima ponit tres diuisiones quantitatis, & incipit ibi. Quanti autem, aliud quidam discretum &c. In secunda explicat singulæ diuisionis membra diuidentia; & incipit ibi. Est autem discretum quidem, vt numerus, & oratio &c. In tertia tamdem enumerat tres proprietates quantitatis; & incipit ibi. Amplius quanto nihil est contrarium &c.

Quoad primam partem, ponit tres diuisiones, quarum. Prima est ista, quamuis posterius ponatur in textu. Quantum est duplex, scilicet per se, & per accidens. Quantum per se est illud, quod habet partes per se extensas, vt linea, quæ extenditur in longitudine, superficies in latitudine, & profunditas in altitudine. Quantum verò per accidens est, quod non habet per se partes extensas, sed mediante quanto per se; vt album, rubeum, &c. dicuntur quanta per accidens; quia earum partes ad extensionem superficiei dumtaxat extenduntur.

Secunda Diuisio. Quantum, aliud est continuum; & aliud Discretum. Continuum est illud, cuius partes copulantur per aliquem terminum communem, qui sit finis vnius, & initium alterius partis; vt linea dicitur quantum continuum; quia earum partes copulantur punctis, quæ sunt principia vnius, & finis alterius partis lineæ. Discretum verò est, cuius partes non copulantur termino communi, sed ab inuicem discretæ, seu segregatæ manent; vt numerus dicitur quantum discretum; quia duæ vnitates, quæ conficiunt binarium, non copulantur ad aliquem terminum communem, sed separatæ sunt.

Tertia Diuisio. Quantum, aliud habet positionem partium in continuo, aliud verò constat partibus non habentibus talem positionem. Positio autem est duplex, alia, quæ dicit ordinem partium ad totum; vt ordo partium lineæ ad totam lineam; & hæc est differentia quantitatis continuæ. Alia dicit ordinem partium ad partes loci; & hæc positio, seu situs constituit prædicamentum ab alijs distinctum, vt suo loco videbimus; sicque non est differentia quantitatis. Exemplum quanti habentis positionem; vt linea, superficies, & corpus. Quanti verò non habentis positionem; vt numerus, oratio, tempus, & motus.

Quoad secundam partem, explicat singulæ diuisionis membra per suas species. Et primo, quod quantum discretum, habet duas species, scilicet numerum, & orationem, & vtramque probat esse quantitatem discretam; quia quantitas discreta est, cuius partes non copulantur ad aliquem terminum communem, sed semper discretæ, & separatæ sunt; sed partes numeri, & orationes sunt huiusmodi; ergo numerus, & oratio sunt species quantitatis discretæ. Maior patet ex descriptione quantitatis discretæ. Minorem probat de numero duobus exemplis; quia quinque, & quinque sunt partes denarij, sicut etiam tria, & septem; & tamen ad nullum terminum communem copulantur; igitur numerus est quantitas discreta. Similiter probari potest de oratione; manifestum enim est, partes huius orationis, homo albus; ad nullum terminum communem copulari; ergo oratio est quantitas discreta. Quia tamen aliquis dubitare potest, quomodo oratio sit quantitas, demonstrat dicens. Quod mani-

nifestum est, orationem vocalem (de qua hic agitur) mensurari syllaba longa, vel breui; sed longum, & breue, sunt passiones quantitatis; ergo oratio est species quantitatis.

Secundo explicat species quanti continui, dicens. Continuum verò, vt linea, superficies, corpus, locus, & tempus. Et de omnibus probat, quod sint continua quædam. Primo tamen de linea, superficie, & corpore simul. Quia quantitas continua est, cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem; sed partes lineæ, superficiei, & corporis, sunt huiusmodi; ergo. Maior patet. Minorem probat. Quia partes lineæ copulantur ad punctum, partes superficiei ad lineam, & partes corporis ad superficiem; siquidem linea est longitudo, sine latitudine, & profunditate, cuius extrema sunt duo puncta. Superficies, est latitudo cum longitudine, & sine profunditate, cuius extrema sunt duæ lineæ. Corpus tamdem, est longitudo, cum latitudine, & profunditate, cuius extrema sunt duæ superficies. Secundo probat de tempore, & loco. Quia partes temporis, scilicet præteritum, & futurum, copulantur ad terminum communem, scilicet ad præsens, & partes loci, cum contineant singulas partes corporis, quæ copulantur ad terminum communem, vt probatum est; ergo ad ad eumdem copulantur etiam partes loci.

Tertio tamdem explicat, quæ quantitates habeant positionem, & quæ non; & dicit, quod quantitates continuæ permanentes, vt sunt linea, superficies, corpus, & locus, habent positionem; numerus verò, oratio, & tempus non habent positionem. Probat. Quia ad positionem, quæ est differentia quantitatis, requiruntur tres conditiones. Prima, quod partes ordinentur ad inuicem. Secunda, quod sint permanentes. Et tertia, quod sint continuæ, idest copulentur ad aliquem terminum communem. Sed linea, superficies, corpus, & locus, sunt huiusmodi, non tamen numerus, oratio, & tempus; ergo Illæ sunt quantitates habentes positionem, istæ vero non. Minoris prima pars patet. Secunda probatur. Quia partes numeri, orationis, & temporis, ordinantur ad inuicem, cum vna sit altera prior; non propterea sunt quantitates positionem habentes; cum non sint permanentes omnes partes temporis, sed successiuæ; & partes numeri, & orationis non sunt continuæ, hoc est copulatæ ad aliquem terminum communem.

Quoad tertiam partem, ponit tres proprietates quantitatis, quarum prima est. Quantitati nihil est contrarium. Probat. Quia bicubitum, & tricubitum, sicut, & superficies, sunt quantitates; sed ista non habent contrarium; igitur quantitati nihil est contrarium. Hæc autem potius debet dici communitas, quam proprietas, cum conueniat substantiæ, relationibus, & alijs etiam.

Secunda Proprietas. Quod quantitas non suscipit magis, & minus, sed benè maius, & minus. Probat. Quia vnum bicubitum non est magis bicubitum altero, nec vna linea magis, vel minus linea altera, licet possit esse maior, vel minor alia; quia linea bicubitalis est maior palmari, & minor tricubitali; similiter vnum corpus dicitur maius, vel minus alio.

Tertia Proprietas. Propriè proprium est quantitati secundum eam æquale, vel inæquale dici. Probat. Quia vnum corpus dicitur æquale vni, & inæquale alteri; similiter vnus numerus, vt binarius, est æqualis alteri binario, inæqualis tamen ternario. Hæc autem proprietas, est propria quantitati in quarto modo, quia conuenit solis speciebus, omnibus, & semper; siquidem album non dicitur magis, vel minus æquale alteri, licet dicatur magis, vel minus simile, aut dissimile alteri albo. Vnde concludit, quod maximè proprium est quanto, æquale, vel inæquale dici. Et hæc de textu huius capitis, quasi summatim dicta, satis sint.

De Natura Quantitatis, tam continuæ, quam discretæ.

DISPVTATIO VI.

Vtrum Quantitas sit vnum Genus Generalissimum, realiter distinctum à substantia?

QVÆSTIO I.

Circa vnitatem quantitatis, vt est Genus generalissimum, non est controuersia; siquidem omnes, quos videre potui fatentur dari vnum Genus generalissimum quantitatis, quod diuiditur in quantitatem continuam, & discretam, vt in species subalternas. Cæterum, circa distinctionem eiusdem a substantia, est duplex opinio.

Prima, est nominalium, & præcipuè Gulielmi Ochami in logica. cap. de quantitate, & in quarto sent. q.4. & quol.4. q.30. & de Sacramento Eucharistiæ per sex, vel septem capita. Gabrielis, in 4. d. 10. q. vn. & dist 12 q.1. art.1. & sic per Can. lect.43. asserentium, quantitatem esse substantiam extensam, habentem partes, & partes distinctas loco, situ, & positione, vndè isti negant distinctionem realem, & formalem etiam inter quantitatem, & substantiam. Eamdem sententiam sustinent etiam Adā Godam in 4. q.5. & Petrus Aureolus, in secundo d. 10. q. vn. & nonnulli ex antiquis Philosophis.

Secunda opinio, quæ communiter defenditur in Scholis Scotistarum, & Thomistarum, docet, quantitatem realiter distingui à substantia. Ita D. Thom. 5. meth. lect. 18. Scotus, in secundo d.2. q 9 & in quarto d. 12. q. 2. I. Ricardus de Media Villa ibidem, art. primo quæst. 1. Durandus, quæst.5. Ægidius, in primo d. 2. q. 2. Albertus Magn. 5. physicorum, tract. 2. art. 4. Soncinas, quinto methaphys. quæst. 19. Ruuius hic, quæst. vltima, & ferè omnes Peripatetici.

Primo notandum est, quantitatem non diffiniri ab Aristotele, sicut nec substantiam in communi; quia diffinitio propriè, cum detur per genus, & differentiam, & quantitas in communi, cum sit genus generalissimum, non habeat genus supra se, nequit propriè diffiniri, licet possit sic describi, aut etiam diffiniri per ens, & modum intrinsecum. Quantitas est, secundum quam quanti, vel quoti esse dicimur. Vt secundum longitudine longi; secundum latitudinem lati, & secundum profunditatem, profundi appellamur. In qua diffinitione ponuntur duo quæsitiua, correspondentia duabus speciebus quantitatis, scilicet continuæ, & discretæ: per primum enim quærimus de quantitate discreta, scilicet per ly quotum; & per alterum, scilicet ly quantum de continua. Ex quibus circumloquimur modum aliquem intrinsecum, adæquatum quantitati communi, continuæ, & discretæ; siquidem inferius, non habet diffinire superius, cum diffinitio dari debeat per priora; quantum autem, & quotum, cum sint modi quantitatis continuæ, & discretæ, quæ sunt species inferiores ad quantitatem in communi, sunt inferiora, & posteriora ipsa quantitate in communi; quare ipsa nequit diffiniri per illa formaliter, sed tantum circumlocutiuè.

Secundo notandum est, quantitatem, quæ est genus generalissimum, diuidi immediatè in quantitatem continuam, & discretam; tamquam in duas species subalternas. Continua est illa, cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem; vt partes lineæ ad punctum. Hæc autem, cum sit genus, seu species subalterna, diuiditur immediatè in quantitatem permanentem, & successiuam, vt in alias species subalternas. Quantitas, permanens est illa, cuius partes possunt habere positionem in continuo. Idest cuius omnes partes possunt simul existere cum suo toto. Et hæc diuiditur in tres alias species, scilicet in lineam, superficiem, & corpus tantum. (locus enim non est quantitas, vt in quarto physicorum probabitur, etiam de mente Aristotelis,) linea est longitudo sine latitudine, & profunditate, cuius extrema sunt duo puncta. Et hæc diuiditur

tur postea à Mathematicis, in lineam rectam, & curuam. Superficies, est longitudo cum latitudine, siue profunditate, cuius extrema sunt duæ lineæ. Et hæc adhuc est triplex, scilicet plana, conuexa, & concaua; de quibus in physicis erit sermo. Corpus tandem, est longitudo, cum latitudine, & profunditate, cuius extrema sunt duæ superficies. Hoc autem est multiplex, scilicet rotundum, seu circulare; quadratum, quadrangulare, triangulare, sexangulare, octangulare, &c. quorum diffinitiones possunt videri in Euclide: illas enim ad præsens omitto, cum transcendant limites nostri instituti. Quantitas successiua, est cuius partes non habent positionem in continuo. Idest, non existunt omnes simul cum suo toto, sed vna succedit alteri. Et hæc diuiditur in duas species; scilicet in tempus, & motum; de quibus in tertio, & quarto physicorum. Quantitas discreta, est cuius partes non copulantur ad aliquem terminum communem, sed discretæ; & separatæ sunt in toto. Et hæc partitur in duas species, quæ sunt numerus; & oratio; de quibus inferius in proprijs quæstionibus. Ex his omnibus sequitur, cum omnes istæ species contineantur sub vna quantitate prædicabili de illis vniuoce, quantitatem in communi acceptam esse genus generalissimum ab alijs distinctum.

Tertio notandum est, extensionem, seu habere partes extra partes, esse in triplici differentia: alia enim dicitur entitatiua, & alia quantitatiua. Extensio entitatiua, est distinctio vnius partis substantialis ab alia. Exemplum sit de partibus corporis: si enim Deus separaret quantitatem à meo corpore, vna pars esset extra aliam; quia caput distingueretur à spatulis; hæ à brachijs; brachia à thorace; & thorax à coxis; & istæ à cruribus; & pedibus, eo ordine, quo ad præsens per quantitatem distinctæ cernuntur. Extensio quantitatiua, est distantia vnius partis ab alia parte, mediante loco, & situ. Vt meum caput modò distat extensione quantitatiua à pedibus, per correspondentiam, quam habent in loco, ad partes respondentes capiti, & pedibus. Ex quo sequitur, quod si Deus separaret omnem quantitatem à meo corpore, non esset quærendum, vbi localiter existeret circumscriptiuè; cum tantum per extensionem quantitatiuam, qua data hypothesi careret, sibi conueniat esse in loco. Esset tamen in loco diffinitiuè; quia ita hic esset, quod non alibi, sicut in primo, vel quarto physicorum explicabitur.

Quarto notandum est, quod licet omnia accidentia absoluta, possint immediatè creari à Deo, tamen naturaliter loquendo, educuntur de potentia subiectorum, quibus insunt, per actionem agentis materialis; siquidem istæ paries, antequam haberet hanc, & illam quantitatem, scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, erat in potentia ad illas; similiter, priusquam esset albus, erat in potentia ad albedinem, & modò est in potentia ad nigredinem, & alios colores. Vndè sequitur, quod naturaliter loquendo, effectiuè omnia accidentia habent esse per actionem agentis naturalis; vt albedo per pictorem; longitudo, latitudo, & profunditas per domificatorem; materialiter verò, a subiecto dependent. Ex quo concluditur, quod cum quantitas habeat esse a substantia, vt à causa materiali, & effectiua, (accidentia enim non nisi dispositiuè concurrunt ad generandum aliud accidens). & inter causam, & effectum sit semper distinctio realis, dari distinctionem realem, nedum inter substantiam, & quantitatem, sed etiam inter eamdem, & cætera accidentia.

Ex his, fit prima conclusio. Quantitas in communi, prout compræhendit sub se, omnes quantitates, tum continuas, tum discretas, est vnum genus generalissimum ex decem enumeratis supra ab Aristotele, cap. quinto huius libri. Probatur. Quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, & non habet aliud genus supra se, est vnum genus generalissimum, ex Porphyrio, cap. de Genere; sed quantitas est huiusmodi; ergo est vnum ge-

genus generalissimum. Minor probatur. Quia prædicatur de quantitate continua, & discreta, tanquam de differentibus specie, vt dictum est in secundo not. & ijs mediantibus, de omnibus suis inferioribus; quia omnes habent partes extensas, tum cum positione, tum sine positione in continuo; sed habere partes extensas quantitatiuè, est ratio formalis, & quidditatiua quantitatis, vt videbimus in sequenti; ergo quantitas prædicatur de illis in quid. Insuper, non habet aliud genus supra se; quia ens finitum, quod immediatè partitur per decem genera, seù prædicamenta, non est genus, vt superius vidimus, disputatione prima; ergo quantitas est vnum ex decem generibus generalissimis.

Secunda Conclusio. Ne dum quantitas, sed etiam qualitas distinguitur realiter à substantia. Est communis, contra Nominales. Probatur primo auctoritate D. Augustini, quinto de Trinitate cap. 10. dicentis. Quod in vnaquaque substantia corporea, aliud est substantia, aliud quantitas, & aliud qualitas. Sed ibi loquitur de alietate reali, vt patet intuenti textum; ergo distinguuntur realiter abinuicem. Secundo Aristoteles, primo physicorum, t. c. 13. 14. & 15. reprehendit Melissum, ponentem res naturales habere tantum vnum principium, & illud esse infinitum, hoc argumento Finitum, & infinitum per se conueniunt quantitati, per accidens autem substantiæ; & qualitati; igitur si primum principium est infinitum, præter substantiam, etiam quantitatem habebit; & sic duo, scilicet substantia, & quantum sunt, & non vnum est. Sed si quantitas non distingueretur realiter à substantia, argumentum eius nihil concluderet, quod non est dicendum: superest ergo, vt de mente Aristotelis, quantitas distinguatur realiter a substantia. Tertio probatur ratione. Quantitas potest separari per potentiam diuinam à substantia, & de facto separata est in Sacramento Eucharistiæ; ergo distinguitur realiter. Quarto sic. Causa, & effectus distinguuntur realiter; sed quantitas, & qualitas sunt effectus substantiæ, & in genere causæ efficientis, & materialis, vt patet ex notab. 4. ergo distinguuntur realiter.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Vnius generis, est tantum vna diuisio, ex Aristotele, primo Topic. cap. 1. & Boetio, libr. de Diuis. sed quantitatis sunt plures diuisiones, vt patet ex textu Aristotelis, vbi ponuntur tres diuisiones quantitatis; ergo non erit vnum genus generalissimum.

Respondetur primo, ex Doct. in Prædicam. quæst. 17. in fine, duplicem esse diuisionem; aliam formalem; & hæc fit per differentias oppositas formales, & constitutiuas specierum, vt hæc. Animalium, aliud rationale, & aliud irrationale. Et aliam materialem: & hæc datur per differentias materiales, seù potius per partes materiales. Vt corporum, aliud corruptibile, & aliud incorruptibile. Diuisio quantitatis in continuam, & discretam, est formalis; quia fit per proprias differentias formales, scilicet copulare partes ad vnum terminum communem, & non copulare illas ad illum terminum communem. Diuisio verò quantitatis per partes habentes positionem, & non habentes positionem in continuo, est per materiales; quia datur per quantitatem in ordine ad materiam, seu ad subiectum.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem propositionem esse veram de diuisione formali, non de materiali; quia sic possunt esse plures diuisiones, sicut plures sunt differentiæ materiales; modo in quantitate est secundum vna diuisio formalis, & consequenter tantum vnum genus generalissimum.

Vel dicendum secundo, quantitatem diuisam in per se, & per accidens, non esse genus generalissimum, sed tantum vocem communem quantitati habenti partes extensas per se, & quantitati non habenti partes extensas per se, sed tantum per accidens, ex quibus resultat diuisio quantitatis in per se, & per accidens; modo æquiuocum nequit esse genus.

Vel tertio dici potest, quantitatem posse accipi dupliciter, & pro supremo coordinationis quantitatis; & sic tantum est vnum genus generalissimum, & diuiditur per

per vnicam diuisionem tantum, scilicet in continuam, & discretam; & pro tota coordinatione, scilicet pro omni reponibili per se in prædicamento quantitatis; & sic etiam diuiditur secunda diuisione, vt sit sensus. Eorum, quæ ponuntur directè, & per se in prædicamento quantitatis, quędam habent partes cum positione in continuo, quædam verò non; & sic quantitas non erit vnum genus, sed plura genera subalterna, vt patet. Vndè.

Formaliter ad argumentum dico. Minorem esse veram de quantitate, secundo modo accepta, quæ tamen non est genus vnum, sed plura genera subalterna: falsam verò de quantitate primo modo sumpta; quia sic est vnica tantum diuisio, & consequenter vnicum genus generalissimum.

Obijcies secundo, contra secundam conclusionem. Substantia corporea habet partes extra partes; sed etiam quantitas est huiusmodi; ergo substantia corporea est quantitas.

Respondetur, negando consequentiam. Nam substantia corporea, habet partes extra partes entitatiuè extensas; quia vna non est alia; quantitas verò habet illas extensas quantitatiuè, per ordinem ad partem, & partem loci, & situs. Ex quo patet, substantiam corpoream non esse quantitatem, sed potius esse ab inuicem realiter distinctas.

Obijcies Tertio. Si quantitas esset realiter distincta à substantia, sequeretur Deum posse conseruare substantiam absque quantitate; sed hoc implicat; ergo non sunt realiter distinctæ. Maior patet. Quia Deus potest conseruare per se omnem entitatem absolutam, realiter distinctam ab alia. Minor probatur. Quia data hypothesi, quæro an talis esset in loco, vel non; vtrumq; concessum, est inconueniens; ergo. Minor probatur. Quod non esset in loco; quia careret extensione, quæ est ratio cuilibet corpori existendi in loco. Si verò dicas, quod data hypothesi, non esset in loco. Contra; quia per se haberet partes extra partes; igitur deberet esse in loco.

Respondetur, concessa maiori, negando minorem. Ad probationem dico, quod data hipotesi; esset in loco diffinitiuè, non tamen circumscriptiuè: quia sicut ad hoc requiritur extensio quantitatiua partium ad partes loci, & situs, ad illud, scilicet esse in loco diffinitiuè sufficit præsentialitas partium absque circumscriptione ad locum, aut eius partes; quomodo de facto Angelus, & anima separata, sunt in loco diffinitiuè, & fusius dicam in physicis.

Obijcies quarto. Si quantitas distingueretur à substantia realiter; igitur dum est in ipsa, ibi esset per inhærentiam; sed hoc non est dicendum; ergò dicendum potius non distingui realiter ab ea. Maior patet. Minor probatur. Quia si quantitas est per inhærentiam in substantia, vel recipitur tota quantitas in tota substantia, & pars in parte, vel tota in tota, & tota in qualibet parte, sicut anima rationalis in toto corpore, & in qualibet eius parte; sed nullum istorum est dicendum; ergo. Non vltimum; quia tunc esset indiuisibilis, & spiritualis, sicut anima; quod pugnat cum ratione quantitatis. Nec primum, vel secundum dici potest; quia tunc substantia haberet partes integrantes ante aduentum quantitatis, & non à quantitate, quod est falsum. Quia habere partes integrales, conuenit per se quantitati, & per rationem eius cuilibet alteri, vt docet Philosophus, quinto Methaphys. t. c. 18. ergo &c.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, recipi totam quantitatem in tota substantia, & partes in partibus eiusdem substantiæ. Ad probationem contra hoc dico, substantiam habere ex se, quantitate seclusa, partes integrantes entitatiuas, non verò quantitatiuas; quia hæ conueniunt substantiæ solum, mediante quantitate, vt bene docet Aristoteles, loco citato.

(∴)

Vtrum ratio essentialis quantitatis, sit diuisibilitas in partes eiusdem rationis, vel ratio mensura?

QVÆSTIO II.

Modus loquendi varius Aristotelis in hac materia, occasionem etiam præbuit suis expositoribus, variè sentiendi. Siquidem, in hoc capite volens probare, orationem esse speciem quantitatis, explicat rationem eius per rationem mensuræ; quia enim oratio mensuratur longitudine, & breuitate; ideò quantitas dicitur. Et quinto Methaphysic. t. 18. diffiniens quantum, dicit esse illud, quod est diuisibile in ea, quæ insunt. Et sic videtur explicare rationem quantitatis per diuisibilitatem in partem, & partem. Quare circa quæstionem, ad inuestigandam veritatem Aristotelicam, tres referuntur opiniones inter se diuersæ; quarum.

Prima asserit, rationem quantitatis positam esse in ratione mensuræ, quia nimirum vna pars quantitatis mensuratur per aliam; vt motus per tempus, & numerus per vnitatem. Similiter omnes partes quantitatis sunt mensuratiuæ substantiæ; quandoquidem corpus mensuratur secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; tria corpora, numerantur, seu mensurantur per numerum ternarium; ideò ratio quantitatis consistit in ratione mensuræ, cum actiuæ, tum passiuæ. Ità docet D. Thom. opusc. 52. Albert. Magn. hic, tractat. 8. cap. 1. Quibus non videtur contrarius Caietanus, cap. de quant. in principio.

Secunda, quæ est famosior priori, docet rationem quantitatis formalem in eo consistere, vt sit diuisibilis in partes eiusdem rationis. Pro qua citatur Scotus, q. 17. Prædicam. D. Thom. in primo d. 19. q. 1. art. 1. ad primum, & prima parte q. 50. art. 2. Sed hic non loquuntur de ratione formali quidditatiua, & à priori, vt inferiùs dicam. Defenditur tamen ab omnibus ferè Discipulis D. Th. vt à Capreolo, in secundo d. 3. q. 1. art. 3. ad 11. & d. 10. q. 1. ad secundum contra primam conclusionem, Iauello, quinto Meth. quæst. 20. Soncinate ibi, q. 21. & alijs pluribus.

Tertia, quæ prioribus anteponitur à Modernis, dicit formalem rationem quantitatis in eo sitam esse, vt sit ens per se extensum, seu vt habeat partes extra partes extensas; ita quod si quis velit diffinire quantitatem in communi, habeat dicere. Quantitas est ens per se extensum, seu habens partes extra partes extensas. Ità docet Scotus, in 4. d. 10. q. 1. M. & R. quinto Meth. q. 1. Ant. And. ibidem, q. 10. Successanus ibi, disp. 9. Iandunus, q. 9. Argentinas, in 4. d. 10. q. 2. art. 1. Ferrar. quarto contra Gentes, cap. 82. §. Ad euidentiam &c. Conimbr. hic, q. 1. art. 2. Ruuius, quæst. 1. & alij Recentiores.

Cæterum, Conimbricenses citati, quamuis conueniant nobiscum in conclusione, extensionem nimirum, esse rationem formalem quantitatis, videntur tamen illam arctare ad quantitatem continuam tantum q. 2. art. 1. vbi citant pro se Albertum Mag. 8. Meth. tract. 1. cap. 8. Bassolium, in prima d. 24. q. vnica. Paulum scriptorem ibidem. Ochamum ibi, & Arimin. q. 2. Aureolum, Marsilium, & alios; quippè reijciunt à vera specie quantitatis, quantitatem discretam. Et sic habent dicere, quantitatem, quæ est genus generalissimum, non esse communem continuæ, & discretæ, sed esse continuam dumtaxat.

Oppositum nihilominus docent communiter ferè omnes Interpretes Aristotelis, vt inferiùs suo loco demonstrabimus. Vndè pro resolutione propositæ difficultatis.

Primo notandum est, quod per rationem essentialem hic intelligere debemus conceptum quidditatiuum, qui constet ex ente, & modo intrinseco quantitatis; siquidem cum sit genus generalissimum, nequit habere diffinitionem conflatam ex genere, & differentia; & erit sensus quæstionis. An diuisibilitas in partes eiusdem rationis, importet conceptum quidditatiuum, seu sit prædicatum quidditatiuum, notificans quantitatem in communi, prout di-

stat-

ſtinguitur ab alijs prædicamentis; vel an tantum ſit paſſio conſequens quiditatem eiuſdem quantitatis. Vel potius, huiuſmodi conceptus ſit ratio menſuræ. An extenſio quantitatiua pertineat ad rationem quantitatis formalem; & ratio menſuræ ſit eiuſdem paſſio?

Secundo notandum, pro intelligentia, ac fundamento Scoticæ ſententiæ, aliquam rem quadrupliciter concipi poſſe. Vno modo, per prædicata quiditatiua, cum ſunt nota concipienti. Et ſic, concipitur eſſentia hominis per animal rationale. Secundo modo, per paſſiones. Et ſic, concipitur eſſentia leonis per rugibilitatem, quæ eſt eius paſſio; ſiquidem cum pullulare habeat à principijs intrinſecis, per ipſam, vt per aliquid notius, deuenimus in cognitionem differentiæ ſpecificæ, nobis ignotæ. Tertio modo, per operationes proprias; quandoquidem iſtæ, cum proueniant à formali ratione agentis effectiuè; & ſint termini propriarum paſſionum, indicant à poſteriori rationes formales, & eſſentiales rerum; quia enim verbi gratia videmus Petrum ridere, arguimus, ipſum eſſe riſibilem; quandoquidem ridere, eſt terminus riſibilitatis: tunc vlterius, quia ſcimus riſibilitatem prouenire ab homine, concludimus à poſteriori, Petrum eſſe hominem. Quarto, & vltimo per reſpectum ad aliquid extrinſecum. Et ſic concipitur ratio loci, & locati; nam locus neceſſariò refertur ad locatum, & è conuerſo. Vndè ex hoc, quod video Petrum eſſe in domo, infero ipſum eſſe locatum, & domum locum. His tribus modis prioribus, poſſumus deuenire in cognitionem cuiuslibet rei, ſecundum ſuam quiditatem; ſiquidem tertius infert ſecundum, & ſecundus primum; qui cum à nullo alio inferatur, aut inferri poſſit, concludimus, in ipſo conſiſtere rationem formalem, & quiditatiuam illius rei. Exemplum ſit de Petro. Ex hoc, quod ridet, infero eſſe riſibilem; & ex hoc, quod ſit riſibilis, infero eſſe hominem; & ex hoc, quod eſt homo, concludo eſſe animal rationale, corpus animatum, corpus, & ſubſtantiam, & ens. Quæ cum à nullo alio poſſint inferri, ſiſto in hoc, quod Petrus includit quiditatiuè eſſe hominis, & animalis rationalis.

Tertio notandum, ex Scoto, in primo d. 19. q. 1. F. & Quol. 5. & 6. quantitatem eſſe duplicem, ſcilicet molis, & virtutis Quantitas molis eſt illa, quæ afficit corpora, & ſecundum quam dicuntur habere partes, extra partes extenſas. Quantitatiuè; & hæc reperitur tantum in prædicamento quantitatis. Quantitas autem virtutis, eſt virtus, perfectio, ſeu eſſentia rei. Quæ cum reperiantur in quolibet ente, ſiue finito, ſiue infinito in omni ente pariter reperitur quantitas virtutis. Et de iſta quantitate, cum ſit tranſcendens, & illimitata ad omnia entia ſiue realia, ſiue rationis, non eſt ſermo in præſenti; ſed tantum de prima. Hæc autem in quolibet ſubiecto, quod afficit, habet quinque operationes, ex quibus licet deuenire in cognitione quiditatis eiuſdem. Primo facit ſubiectum in quo eſt habere partes extra partes, hoc eſt extendi loco, & ſitu. Secundo eſſe diuiſibile, vel actu diuiſum in partes. Tertio eſſe finitum, & terminatum. Quarto eſſe æquale, vel inæquale alteri ſubiecto. Quinto tamdem eſſe menſuram alterius, vel menſuratum ab alio: ex his colliguntur quinque aptitudines terminatæ ab his quinque operationibus, ſeù actibus quantitatis. Primo, ex hoc quod verbi gratia, vlna poteſt menſurari palmo quater replicato, & ipſa toties replicata poteſt menſurare paunum infero eam eſſe menſurabilem paſſiuè, & actiuè menſuram. Secundo ex quo eſt æqualis alteri vlnæ, deduco in ipſa eſſe aptitudinem ad fundandam relationem æqualitatis. Tertio quia eſt finita, & terminata in fero præfuiſſe in eadem, aptitudinem ad talem eſſe finitum, & terminatum. Quarto ex eo, quod ipſam diuido in partes, deuenit in cognitionem, quod erat prius diuiſibilis. Quinto tamdem quia video habere partes, extra partes extenſas, concludo in ipſa eſſe cauſam eiuſmodi extenſionis. Tales autem aptitudines ſe inferunt à priori, & à poſteriori hoc modo: Valet enim dicere vlna eſt menſurabilis actiuè; & paſſiuè ſimul; igitur eſt æqualis, vel inæqualis; ſi eſt æqualis, vel inæqualis; ergo finita, & terminata: ſi finita; ergo diuiſibilis in partes; ſi diuiſibilis igi-

igitur extensa est. A priori autem hoc modo. Vlna est extensa, ergo diuisibilis, finita, æqualis, & mensurabilis. Ex quibus vltimatè concludo, cum extensio à priori inferat omnes alias, & à posteriori ab omnibus inferatur, ipsam esse priorem, & intimam quantitati, & consequenter eius rationem formalem, & quiditatiuam. Deindè, quia diuisibilitas infert alias aptitudines, immediatè post extensionem, & post ipsam finitas, deindè æqualitas, & tamdem mensurabilitas, deduco diuisibilitatem esse primam passionem quantitatis, finitatem secundam, æqualitatem, vel inæqualitatem tertiam, & mensurabilitatem quartam, & vltimam.

Quarto notandum est ex his, quæ colliguntur à Scoto in secundo d. 12. quæst. 2. C. & in quarto d. 10 q. 1. M. extensionem quantitatiuam, sub nomine positionis ab eodem acceptam, esse duplicem. Aliam, quæ dicit ordinem partium quantitatis ad totam quantitatem, vt verbi gratia in corpore, quod prius ponatur caput, sub capite collum, sub collo pectus, brachia hinc indè extensa; & sic de cæteris, & talis est de essentia quantitatis, cum sit eius differentia quiditatiua. Aliam verò, quæ præsupposito ordine partium in toto, dicit ordinem partium ad partes locis, & totius quantitatis ad totum locum, & hæc extensio dicitur positio, quæ constituit prædicamentum situs ab alijs distinctum, & à Doctore appellatur modus quantitatiuus, seu commensuratio quantitatis ad locum, & formaliter consistit in respectu extrinsecùs adueniente totius quanti ad totum locum, & partium ad partes. Quidam autem Recentiores diuidunt hanc extensionem in aptitudinalem, & actualem; Aptitudinalem vocant illam, secundum quam duo corpora, vel duæ partes corporis, ita se excludunt ab eodem loco, vt necessariò sibi vindicent, seù affectent diuersa loca, quod cernitur in partibus corporis, cum alteri loco respondeat caput, alteri brachia, & alteri pedes. Actualem autem vocant illam, secundum quam duo corpora, vel duæ partes actu respondent diuersis locis, & hanc extensionem dicunt esse extrinsecam quantitati, aptitudinalem verò intrinsecam, & propriam sibi. Cæterum meo iudicio falluntur; quia neutra istarum est de essentia quantitatis, cum vtraque dicat respectum, vel actualem, vel aptitudinalem ad locum, & nullus respectus est de essentia entis absoluti, cuiusmodi est quantitas, sed tantum prima dicens ordinem partium quantitates in tota quantitate. Hæc autem est duplex altera, enim est extensio secundum multitudinem tantum, & est propria quantitatis discretæ, quæ consistit in multitudine; & altera secundum magnitudinem, & hæc est propria quantitatis continuæ, cum ista in magnitudine consistat à quibus abstrahitur extensio quantitatiua communis, adæquata quantitati supremæ quæ est eius modus intrinsecus quiditatiuus, qui posteà contrahens ens finitum ad quantitatem, constituit eius essentiam, seu conceptum quiditatiuum, eo modo, quo modus per se cum ente constituit conceptum quiditatiuum substantiæ. Ex quo sequitur, quod sicut substantia diffinitur per talem modum quiditatiuè, nimirum substantia est ens per se subsistens, & per ipsum distinguitur formaliter quiditatiuè à quocumque non est ipsa; ità quantitas suprema communis ad continuam, & discretam diffinitur quiditatiuè per suum, scilicet quantitas est ens per se extensum quantitatiuè, seu vt alij dicunt, est ens habens partes extra partes per se extensas quantitatiuè, & per ipsum, vt per rationem formalem comprehendit sub se omnes quantitates, tam continuas, quam discretas, vt inferius demonstrabimus, & distinguitur formaliter, ac quiditatiuè à substantia, & cæteris prædicamentis.

Quinto notandum ex Scoto in secundo, d. 2. q. 2. G. quod mensurare est quantitatem ignotam, per quantitatem magis notam certificare: Hæc autem certificatio potest fieri dupliciter vno modo, per quantitatem existentem in imaginatione tantum, vt si quiuis expertus de quantitate vlnæ, vel alterius mensuræ, per ipsam existentem in sui imaginatione potest mensurare quantitatem panni. Alio modo fit per quantitatem existentem in re, vt cum aliquis mensurat pannum per vlnam. Hòc autem potest fieri tripliciter, sicut triplex,

est

est mensura, scilicet vel per quantitatem excedentem rem mensuratam, quæ dicitur mensura excessus, seù perfectionis; & sic per ipsam certificatur intellectus denominari, per accessum eius ad minorem quantitatem, vel per recessum ab ea, & hoc modo mensura ponitur in quiditatibus, cum inter illas detur vna excedens cæteras in perfectione, vt patet de homine quæ mensurat omnia in genere animalis, in quantum cætera animalia magis accedunt, vel recedunt ab eiusdem perfectione. Vel fit talis certificatio per quantitatem excessam, quæ dicitur mensura replicationis, & ita occurrit, cum quantitas mensurans non est æqualis mensurato, vt patet de vlna, quæ toties replicatur, quousque adæquetur panno. Vel fit per aliquam rem notam sibi æqualem, & appellatur mensura æqualis, & hoc fit, vel per applicationem mensuræ ad mensuratum, vel per superpositionem eiusdem rei mensuratæ, & sic motus mensuratur per tempus, quia si tempus est vnius horæ, & motus erit vnius horæ, & non amplius. Vel si motus fuerit maior, vel minor, hoc ideò erit, quia tempus ipsum mensurans fuit maius, vel minus. Ex his sequitur cum mensura excessus reperiatur inter quiditates, & quiditates sint in omni prædicamento, quod illa non erit passio quantitatis, sed passio entis transcendens, & illimitata ad omnia prædicamenta: Mensura verò replicationis, & æqualitatis, quia reperiuntur tantum in quantitatibus, benè erit passio eiusdem. Vtraque verò adhuc est duplex, scilicet actiua; & passiua; actiua, quæ mensurat aliam quantitatem, passiua verò, quæ mensuratur; vel mensurari potest ab alia; & cum actiuum, & passiuum sint relatiua, sequitur mensuram actiuam formaliter dicere respectum mensuræ ad mensuratum, passiuam verò respectum passiuum rei mensuratæ ad mensuram.

Ex his fit prima Conclusio. Mensura, siue actiua, siue passiua, & diuisibilitas in partes eiusdem rationis, non sunt ratio formalis, seu de conceptu quiditatiuo quantitatis, prout est genus generalissimum, ab alijs distinctum. Hæc conclusio est Scoti quinto Methaphys. quæstion. 9. Antonij Andreæ ibidem quæst. 10. Probatur prima pars, quia ratio generis formalis, & essentialis æquè primo, competere debet suis speciebus, sed ratio mensuræ non æqualiter competit quantitati continuæ, & discretæ, quæ sunt species quantitatis in communi, ergo ratio mensuræ non est ratio formalis, & essentialis quantitatis. Maior patet, quia genus est vniuocum ad suas species. Minor probatur ex Aristotele, 10. Methaph. cap. secundo t. c. 3. & 4. vbi dicit vnum mensuræ per se primo, competere quantitati discretæ, continuæ verò non nisi per rationem eius, pro quanta, videlicet participat rationem discretæ quantitatis. Confirmatur, quia si ratio mensuræ esset essentialis quantitati, sequeretur vnitatē esse maximè quantitatē, sed consequēs est falsum quia est tantum in prædicamento quantitatis reductiuè, cum sit principium numeri, qui est per se in prædicamento quantitatis, ergo, & antecedens: Consequentia patet, quia vnitas habēt rationem verissimæ mensuræ, ex Philosopho loco citato. Secunda pars probatur, & simul prima confirmatur, quia nullus respectus est de essentia absoluti, sed diuisibilitas, sicut ratio mensuræ sunt respectus saltem aptitudinales, & quantitas est ens absolutum, ergo non sunt de eius essentia. Maior patet quia prædicamenta sunt impermixta, nedum formaliter, sed etiam realiter, vt probatum est superius. Minor similiter, quia diuisibilitas dicit respectum aptitudinalem ad actu diuidi, sicut mensura dicit aptitudinem ad actu mensurare, vel mensurari. Confirmatur quia potentia, & actus sunt eiusdem generis, & essentiæ, vt patet de materia, & de forma respectu eiusdem compositi, sed actu diuidi, vel mensurare, aut mensurari non sunt de essentia quantitatis, ergo nec diuisibilitas, quæ est potentia ad diuidi, aut mensurabilitas, quæ est potentia ad mensurare, vel mensurari sunt de essentia eiusdem. Minor, patet alioquin quantitas continua semper esset actu diuisa, quod nemo concederet, cum ob hoc di-

stin-

stinguatur à discreta.

Secunda Conclusio. Diuisibilitas in partes eiusdem rationis, est prima passio quantitatis; Finitas, vel Infinitas secunda; Æqualitas, vel Inæqualitas Tertia, & Mensura, tàm actiua, quam passiua quarta. Est Scoti loco citato in præcedenti conclusione. Probatur primo esse passiones, quod inest alicui per se. Primo, & conuertibiliter, alijs verò sibi inferioribus per se non primo est eiusdem propria passio ex, primo Post. cap. 4. de per se, sed diuisibilitas, finitas, & infinitas, æqualitas, vel inæqualitas, mensura, tam actiua, quam passiua sunt huiusmodi in quantitate; ergo sunt eius propriæ passiones. Minor patet, quia ex quo quantitas est extensa actu in subiecto, statim sequitur illud esse diuisibile, finitum, vel infinitum, æquale, vel inæquale, & mensuram, vel mensuratum ergo, &c. Confirmatur quia omnes istæ insunt per se quantitati ex Phylosopho quinto Methaphys. t. 18. primo Physicor. t. 14. & 15. & hic capit. de quant. sed non insunt essentialiter, seù vt rationes formales essentiales, vt probatum est in præcedenti conclusione; ergo, vt passiones. Consequentiam ista patet, quia illa, quæ insunt per se alicui, aut sunt de eius essentia, aut passiones illius. Secundo probatur, quod diuisibilitas sit prima passio, deindè aliæ per ordinem: Passiones innotescunt nobis per actus ipsas terminantes, sed quantitas in subiecto, quod afficit, primo facit ipsum diuisibile, posteà finitum, vel infinitum, vlterius æquale, vel inæquale, & demum mensurabile; ergo diuisibilitas est prima passio quantitatis, deinde finitas, vel infinitas, tertio æqualitas, vel inæqualitas, & quarto ratio mensuræ. Maior, & Minor sunt manifestæ ex dictis, notabil. secundo, & tertio. Confirmatur, quia eo modo passiones ordinantur in subiecto, quomodo se præsupponunt, sed mensura præsupponit subiectum esse æquale, vel inæquale; æqualitas verò supponit esse finitum, vel infinitum; & finitas, vel infinitas præexigit ipsum esse diuisibile, diuisibilitas autem nihil præsupponit in subiecto præter extensionem partium in qua consistit essentia quantitatis, ergo Diuisibilitas est prima passio, & aliæ per ordinem secunda, & tertia, & quarta, vt dictum est in conclusione.

Tertia Conclusio. Extensio quantitatiua, quæ dicit ordinem partium in toto quantitatiuo, est ratio formalis, seu essentialia quantitatis, in quantum est vnum genus generalissimum ab alijs distinctum, non tamen extensio quantitatiua, siue aptitudinalis, siue actualis, vt dicit ordinem partium totius quanti ad partes loci. Vtraque pars conclusionis, est Scoti in quarto dist. 10. quæstion. prima M. & R. Probatur prima pars, illud est ratio formalis quantitatis, per quod demonstratur de ipsa diuisibilitas, quæ est prima eius passio, sed extensio quantitatiua, seu habere partes extra partes quantitatiuè, est huiusmodi, ergo est ratio formalis quantitatis. Maior patet, quia medium in demonstratione potissima, per quam demonstratur passio de subiecto, est diffinitio, seu conceptus quiditatiuus in non habentibus diffinitionem propriè dictam ex secundo Post. capit. primo, & vltimo: tum etiam, quia diffinitio, cum sit causa passionis, debet esse causa inhærentiæ eiusdem ad substantiam mediante demonstratione: Minor etiam patet, quia ex hoc, quod subiectum habet partes extensas quantitatiuè, concluditur esse diuisibile in partes. Confirmatur quod præsupponitur ad omnes passiones, & operationes quantitatis, est ratio formalis eiusdem, sed extensio quantitatiua, seù habere partes extra partes extensas, & ordinatas in toto quantitatiuo, est huiusmodi; ergo est ratio formalis quantitatis. Maior patet, quia omnes passiones, & operationes procedunt à principijs quiditatiuis, & à ratione formali agendi quantitatis, igitur illud est ratio formalis, quod præsupponitur ad omnes passiones, & operationes quantitatis. Minor est etiam clara, quia si subiectum non habeat partes extensas quantitatiuè, nec est diuisibile, nec finitum, vel

vel infinitum, nec æquale, vel inæquale, nec mensurabile, vel mensurans. Similiter à fortiori, nec est actu diuisum, finitum, vel infinitum, aut æquale, vel inæquale, aut mensuratiuum, vel mensuratum; ergo habere partes extra partes ordinatas in toto, est ratio formalis quantitatis. Secunda pars de extensione aptitudinali, vel actuali partium, per ordinem ad partes loci probatur contra Colleg. Conimbricense citatum, & Suarez in Metaphysica disput. 40. section. 4. num. 15. Nullus respectus siuè actualis, siue aptitudinalis est de essentia absoluti, tum quia prædicamenta sunt impermixta formaliter, tum etiam, quia habent diuersas diffinitiones, vt patet, quia absolutum est ad se, respectiuum verò ad aliud, sed extensio aptitudinalis in ordine ad locum est respectus aptitudinalis, & extensio actualis, est respectus actualis; ergo nequeunt esse de essentia quantitatis, quæ est ens absolutum. Minor patet ex quarto Notabili. Confirmatur quia species alicuius generis habent participare rationem formalem illius, sed continuum, & discretum sunt species quantitatis, & non participant rationem eiusdem per respectum ad extrinsecum, cuiusmodi est locus, ergo ratio quantitatis non consistit in extensione aptitudinali partium quantitatis ad partes loci. Maior patet. Minor similiter quia Aristoteles diffinit continuum, vt est quantitas per habere partes copulatas ad terminum, & discretum, per non habere partes sic copulatas, sed tantum ordinatas ad inuicem secundum prius, & posterius, vt patet in numeris, ergo signum est, quod ratio formalis quantitatis, non sit posita in extensione aptitudinali partium quanti ad partes loci, sed tantum in extensione partium quantitatis in toto quanto.

Obijcies primo, contra primam conclusionem, Philosophum in Prædicam. cap. de quantitate dicentem, ideò orationem esse speciem quantitatis, quia participat rationem mensuræ. Item quarto physic. diffinit tempus per esse mensuram motus secundum prius, & posterius, atqui tempus est quantitas, ergo de mente Philosophi ratio mensuræ est formalis ratio quantitatis. Præterea contra illam partem de Diuisibilitate Philosophus quinto, Metaph. t. 18. diffiniuit quantitatem per hoc, quod sit diuisibilis in partes eiusdem rationis, ergo diuisibilitas est ratio formalis quantitatis.

Respondetur Diffinitionem, esse duplicem, scilicet quiditatiuam, quæ datur per genus, & differentiam, in habentibus illam, vel per ens, & modum intrinsecum, quo genere diffinitionis diffiniuntur decem prædicamenta, quæ carent genere, & differentia; & descriptiuam, quæ datur per genus, & propriam passionem in habentibus super se genus, vel per aliquid supplens vicem generis in non habentibus genus: Quantitas primo modo diffinitur per ens, & eius modum intrinsecum, scilicet per extensionem quantitatiuam; at secundo modo per ens, & proprias passiones, scilicet per diuisibilitatem, finitatem, vel infinitatem, æqualitatem, vel inæqualitatem, & per mensuram, siue actiuam, siue passiuam. Modo ad formam argumenti dico prædictas diffinitiones Aristotelis, non esse quiditatiuas, sed tantum descriptiuas, & sic ratio mensuræ, & diuisibilitas non sunt de conceptu quiditatiuo quantitatis, sed tantum passiones eiusdem.

Dices: igitur Aristoteles non tradidit conceptum quiditatiuum quantitatis, quod nemo facilè concederet.

Respondetur, negando consequentiam, imò ipsum tradidit, dum diffinit quantitatem continuam, & discretam per habere partes, illam copulatas ad terminum communem, hanc verò discretas, siquidem cum sint species quantitatis, & conueniant in habere partes extensas, vel in magnitudine, vel in multitudine, sequitur, quod habere partes, vt sic extensas, sit de conceptu quiditatiuo quantitatis in communi sumptæ.

Contra quia Scotus quæst. 17. Prædicam. §. Ideò dicitur aliter &c. approbat diffinitionem illam de quinto, Methaphys. t. 18.

datam à Phylosopho de quantitate, & dicit eam quidditatiuam, & sibi conuenire per se primo modo, ergo responsio ad primum argumentum non subsistit in Schola Subtilis Doctoris.

Respondetur, negando consequentiam, siquidem Scotus in illa quæstione non sit locutus de mente propria, sed famosè tantum, secundum opinionem communem illorum temporum, quod clarè cernitur ex duobus, primo quia vtitur illo modo loquendi. Dicitur aliter &c. quod semper loquitur secundum aliorum sententiam, vt egregiè adnotarunt expositores; nam cum loquitur de mente propria, mutat phrasim dicendo: Dico aliter, vel dicendum, vel potest dici: tum secundo quia quinto meth. q. 9. inquit diuisibilitatem in partes eiusdem rationis non esse de quiditate, sed tantum propriam passionem quantitatis, & in quarto d. 10. q. 1. M. ponit rationem formalem quantitatis in habere partes, & partes extensas in toto actualiter.

Objicies secundo. Illa ratio, secundum quam est distinctio specierum alicuius generis, videtur essentialis generi, sed diuisibilitas est huiusmodi, ergo ipsa est essentialis ratio quantitati. Maior patet. Minor similiter est nota ex Philosopho quinto Meth. t. 18. vbi docet diuisibile secundum vnam dimensionem longitudinis, esse lineam, secundum duas, scilicet longitudinem, & latitudinem esse superficiem, & secundum tres, scilicet longitudinem latitudinem, & profunditatem esse corpus, quę sunt species quantitatis continuæ, atqui distinctio specifica est essentialis; ergo per diuisibilitatem distinguuntur essentialiter.

Respondetur, maiorem esse veram si sit distinctio quiditatiua; modo distinctio specierum quantitatis per diuisibilitatem, non est quiditatiua, cum detur per propriam passionem. Ad probationem minoris, dico distinctionem specificam per principia specifica, esse quidem essentialem, non eam tamen, quæ est per passiones, sicut est distinctio lineæ à superficie per diuisibilitatem, siquidem ista præsupponit aliam, quæ datur per extensionem suam longitudinem tantum, longitudinem, & latitudinem solum, & secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Vel aliter dici potest distinguendo de diuisibilitate radicali, & formali, prima est extensio partium in toto, secunda est aptitudo ad actualem diuisionem fundata super priori. Modo ad formam argumenti dico minorem esse veram de diuisibilitate radicali, non tamen de formali. Et per hoc potest conciliari dictum Scoti in q. 17. Prędicam. cum alijs in quinto Meth. q. 9. & 4. d. 10. q. 1. M. dicendo, quod hic nimirum sit locutus de diuisibilitate radicali, quæ est eadem cum extensione partium in toto, de qua locutus est, in alijs locis citatis.

Objicies tertio, contra tertiam conclusionem probando extensionem partium in toto non esse rationem formalem quantitatis, sed potius aptitudinalem, quam dicunt partes quantitatis ad partes loci, quia ordo partium in toto manet seclusa quantitate à subiecto, quod ei præexistebat ergo extensio, quæ dicit ordinem partium in toto non est formalis ratio quantitatis. Consequentia patet, quia ratio formalis non potest separari ab eo, cuius est ratio, si ergo manet extensio, quæ dicit ordinem partium in tota, seclusa quantitate, fiet separatio, & sic nequit esse ratio formalis. Antecedens probatur quia Deus potest conseruare substantiam corpoream in loco diffinitiuè sine quantitate, sed hoc dato, partes corporis essent ordinatæ in toto, quia caput esset super collo, collum super spatulis; & vnum thoraci, & sic de cæteris, ergo ordo partium in toto, non procedit à quantitate, & consequenter extensio partium in toto non est formalis ratio quantitatis. Antecedens patet, quia sicut tota substantia distinguitur à tota quantitate, ita partes à partibus, ergo Deus posset conseruare, primam sine secunda.

Respondetur extensionem, quæ dicit ordinem partium in toto esse duplicem, scilicet entitatiuam, & quantitatiuam. Prior enim dicit ordinem partium substantialium in tota substantia corporea. Posterior dicit ordinem partium quantitatis in tota quantitate cum correspondentia ad totum, & partes substantiales: Vnde si Deus conseruaret substantiam corpoream sine quantitate, esset ordo partium, & extensio. Primo modo, quæ est passio entis finiti, & consequenter substantiæ corporeæ, non tamen extensio, & ordo partium. Secundo modo, quia

quia talis, cũ sit formaliter ratio quantitatis, nequiuet esse sine illa. Modo ad formam argumenti verum est antecedens, & minor probationis de ordine partium in toto entitatiuo, & substantiali, non tamen de ordine partium quantitatis in toto quantitatiuo, quia talis nequit ab ea separari.

Vtrum linea, Superficies, & Corpus sint tres species quantitatis continuæ? & à se inuicem distinctæ?

QVÆSTIO III.

DVrandus in secundo d. 2. q. 4. videtur asserere lineam, & superficiem, non esse species quantitatis à corpore distinctas, sed negationes quarumdam dimensionum, nempè lineam esse negationem latitudinis, & profunditatis, superficiem verò tantum negationem profunditatis, & solum corpus esse veram speciem quantitatis continuæ; cùm positiuè includat omnes tres dimensiones, scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Alij verò conueniunt cum præcedenti, asserendo lineam, superficiem, & corpus non esse species abinuicem distinctas, differunt verò ab eodem pro quanto ponunt lineam, & superficiem non esse puras negationes sed entitates positiuas. Vtriusque sententiæ fundamenta examinabimus in fine.

Cæterum, contra vtramque sententiam, est Aristoteles hic cap. de quantitate, & 5. methaph. t. c. 18. Commentator ibidem, & ferè omnes Expositores, vt Scotus in meth. ad tex. cit. Suarez ibidem disp. 40 sect. 6. numero 5. cum alijs multis docentes lineam, superficiem, & corpus esse entitates positiuas, & veras species quantitatis continuæ, à se inuicem realiter distinctas.

Pro cuius declaratione primo, notandum est, quod etiam superius tetigimus, quantitatem continuam esse illam, cuius partes copulantur aliquo termino communi, qui est finis, ac terminus vnius, & principium alterius, vt partes lineæ copulantur puncto, partes superficiei lineis, & partes corporis superficiebus. Hæc autem tria possunt dupliciter considerari vno modo quiditatiuè solum, prout sibi conueniunt prædicata quiditatiua, & sic linea est quantitas continua, cuius partes copulantur punctis, superficies est quantitas continua, cuius partes copulantur lineis, & corpus est quantitas continua, cuius partes copulantur superficiebus. Alio modo descriptiuè, seu consecutiuè, prout nimirum sibi conueniunt propriæ passiones, scilicet longitudo, latitudo, & profunditas; & sic linea est longitudo, sine latitudine, & profunditate, superficies est longitudo cum latitudine, absque profunditate, & corpus est longitudo, cum latitudine, & profunditate: Ex quibus sequitur, quod cum linea, superficies, & corpus quiditatiuè includant quantitatem continuam, & descriptiuè passiones eiusdem, sunt entitates positiuæ, & non meræ negationes dimensionum, vt dicebat Durandus cum alijs. Rursus cum habeant diuersas diffinitiones tum quiditatiuas, tum descriptiuas, dicendum est inter se se distingui specie sub quantitate continua, & non constituere vnam solam speciem, vt asserebat secunda opinio.

Secundo notandum est lineam, & superficiem adhuc dupliciter considerari posse, vno modo formaliter, & sic linea tantum obtinet vnicam dimensionem, scilicet longitudinem secundum quam intelligitur diuisibilis in plures lineas partiales; & superficies habet tantum latitudinem secundum quam est diuisibilis in plures superficies partiales. Alio modo considerantur materialiter, & sic linea, etiam si diuisibilis sit, similiter & superficies, nihilominus considerantur, vt indiuisibiles, quæ gerunt munus indiuisibilium simpliciter, & hoc modo accipitur linea, vt est in superficie, tamquam continuatiua, & terminatiua partium superficiei, & superficies prout est in corpore, & continuat, ac terminat partes corporis. Primo modo linea, & superficies inter se, & à corpore distinguuntur specie, cum ratione propriarum dimensionum obtineant distinctam extensionem, siquidem linea extenditur secundum longitudinem, superficies secundum latitudinem, & corpus secundum profunditatem: at secundo modo non distinguuntur inter se, nec à corpore, quia sicut linea ad suam extensionem exigit puncta, tamquam continuatiua, & termi-

minatiua partium eiusdem, ita superficies requirit lineas, quibus eius partes vniantur, & extendantur versus latitudinem, & corpus exigit superficies, quibus eius partes copulentur, & extendantur secundum profunditatem formaliter, & materialiter secundum longitudinem, & latitudinem; vndè linea intelligitur habere tantum vnam dimensionem formaliter, & materialiter, superficies duas, scilicet latitudinem formaliter, & longitudinem materialiter, corpus verò tres, vnam formaliter, scilicet profunditatem, & alias materialiter nimirum longitudinem, & latitudinem.

Tertio notandum, ex Euclide in suis Elementis, quod Geometra, cuius est considerare quantitatem continuam, demonstrat de his tribus quantitatibus, formaliter consideratis, diuersas, & singulas passiones; nam de linea demonstrat rectitudinem, & curuitatem, de superficie planum, & conuexum, & de corpore, sphæricum, trilaterum, quadrilaterum, & similia. Et notanter dixi formaliter, quia materialiter, sicut lineæ sunt in superficiebus, & superficies simul cum lineis incorporibus, etiam passiones formaliter conuenientes lineæ possunt conuenire superficiei, & quæ superficiei conueniunt formaliter, materialiter possunt demonstrari de corpore. Ex quo habemus, cum propriæ passiones proueniant à principijs quiditatiuis subiecti, & diuersæ formaliter demonstrentur de linea, superficie, & corpore, quod hæc tria sint quiditates, seu entitates quiditatiuè, & specificè inter se distinctæ.

Ex his fit prima conclusio, linea, & superficies non sunt puræ negationes, sed veræ entitates positiuę contra primam opinionem. Probatur illa, quæ includunt formaliter entia positiua, sunt entia positiua, siquidem non ens non includit ens, sed linea, & superficies sunt huiusmodi, ergo sũt entitates positiuæ. Minor probatur. Quia includunt quantitatem continuam, quæ est verum ens vt docet, Aristoteles hic cap. de quantitate & quinto Meth.t.c.18. Secundo sic non entis non est diffinitio quiditatiua, sed linea, & superficies diffiniuntur diffinitione quiditatiua per quam etiam demonstrantur de eis multæ passiones ergo non sunt non entia, sed entia positiua. Maior patet ex Aristotele primo, & secundo Post. ac septimo Meth. cap. de Partibus diffinitionis. Minor similiter ex eodem quinto Meth. t. c. 18. & ex Euclide in Geometria loco citato, ac alibi.

Secunda Conclusio linea, superficies; & corpus sunt species quantitatis continuæ, à se inuicem, si formaliter considerentur, specificè distinctæ. non tamen si materialiter. Est Aristotelis loco citato in tertia sententia expressè. Probatur prima pars, quia species est quæ ponitur sub assignato genere, & prædicatur de pluribus differentibus numero in quid, ex Porphyrio cap. de specie. Sed linea, superficies, & corpus sunt huiusmodi, ergo sunt species. Minor patet, quia continentur sub quantitate continua, tamquam sub suo genere, cui immediatè supponuntur, & linea prædicatur de hac; & illa linea; superficies de hac, & illa superficie, & corpus de hoc, & illo corpore, quæ numero differunt, secundum proprias diffinitiones quiditatiuas, ergo &c. Confirmatur, quia passiones proueniunt à principijs specificis, sed de his tribus demonstrantur multæ passiones à Geometra, ergo sunt species quantitatis. Secunda pars probatur, quæ habent distinctas diffinitiones quiditatiuas, distinguuntur specie, sed linea superficies, & corpus habent distinctas diffinitiones quiditatiuas, ergo distinguuntur specie. Maior patet, quia sola species diffinitur diffinitione propria, & quiditatiua ex Aristotele 7. Methaph. t. 13. & Doct. Subt. ibidem. Minor similiter est nota ex Aristotele cap. de quant. & quinto Methaphys. t. 18. Secundo sic distinctæ passiones procedunt à principijs distinctis specificis, sed distinctæ passiones conueniunt formaliter lineæ, superficiei, & corpori, vt dictum est in tertio notab. ergo linea, superficies, & corpus sunt distinctæ species. Tertio sic linea superficies, & corpus habent diuersas extensiones formaliter, quia vt sic linea est tantum longa, superficies tantum lata, & corpus tantum profundum, ergo distinguuntur specie. Consequentia patet, quia species alicuius generis distinguuntur secundum distinctionem rationis formalis eiusdem ab eisdẽ participatæ, sed extensio est ratio formalis quantitatis, vt probauimus quæstione præcedenti, ergo si in illis est diuersa extensio, se-

sequitur distingui specie. Tertia pars, est manifesta. Quia superficies continet lineas, & corpus vtramque, cum sit longum, latum, & profundum; ergo materialiter non distinguuntur.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Differētia entis positiui non debet esse negatiua; sed differentia lineę, & superficiei sunt negatiuæ; ergo linea, & superficies nequeunt esse entia positiua. Maior patet. Quia non ens, non est causa entis; sed differentia est constitutiua speciei; ergo non debet esse negatiua, & non ens. Minor probatur. Quia linea solum distinguitur à superficie per hoc, quod careat latitudine, & superficies à corpore, quia caret profunditate; sed carentia latitudinis, & profunditatis sunt meræ negationes, & priuationes; ergo differentiæ lineæ, & superficiei sunt negatiuæ.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem similiter nego illam. Imò linea distinguitur à superficie, quia formaliter obtinet propriam longitudinem, quæ vt sic, non conuenit superficiei, & ipsa distinguitur à corpore, quia habet formaliter latitudinem, quam vt sic, nō habet corpus. Et licet longitudinem in linea sequatur negatio latitudinis, & profunditatis, & latitudinem in superficie, negatio profunditatis, non tamen ob hoc dicendum est lineam, & superficiem consistere in sola negatione, sed in hac concomitanter, & in entitate positiua formaliter; alioqui nulla daretur entitas positiua, cum omnem talem sequatur negatio aliarum entitatum.

Obijcies secundo, contra secundam conclusionem. Si linea, superficies, & corpus distinguerentur ab inuicem, maximè esset per longitudinem, & latitudinem; sed neutrum est dicendum; ergo. Minor probatur. Quia superficies includit longitudinem, & latitudinem, corpus verò vtramque, & insuper profunditatem; ergo per dimensiones non distinguuntur.

Respondetur, concedendo sequelam Maioris formaliter, negando illam materialiter. Modò linea includitur in superficie, & ambæ in corpore tantum materialiter, & sic concedit, quod non distinguantur specie; at formaliter cum linea includat solum longitudinem, superficies solum latitudinem, & corpus tantum profunditatem, quæ ab inuicem distinguuntur, cum sint diuersæ extensiones, & dimensiones, sequitur lineam, & superficiem inter se, & à corpore distingui specie.

Multa alia hic essent inuestiganda pro complemento tractatus de quantitate continua; & primò. An indiuisibilia quantitatis sint de essentia partium quantitatis, quas copulant, & terminant. Secundo. An tempus sit species quantitatis continuæ. Tertio. An motus sit species quantitatis continuæ. Quarto. An locus sit species eiusdem quantitatis: quæ cum supponant doctrinam physicalem, partim in tertio, partim in quinto, & sexto physicorum discutienda erunt, & nunc ad quantitatem discretam transeundum est.

Vtrum quantitas discreta, sit species quantitatis, quæ est genus generalissimum. Et An numerus, & oratio sint species quantitatis discretæ, à se inuicem essentialiter distinctæ?

QVÆSTIO IV.

Circa hanc quæstionem, sic vniuersaliter propositam, duplex extat opinio, quarum prima negat, quam vocamus quantitatem discretam, esse veram speciem quantitatis in communi, cum in re ipsa nihil reale addat supra quantitatem continuam, sed solam negationem continuationis. Ita expressè affirmant Suarez in methaphysica, disp.41.sect.1. Conimbricenses de quantit. quæst.2. art.1. vbi citant pro se, præter Nominales, ex nostris Ioannem de Bassolis, in primo, d.24.q.1. art.primo, & secundo Paulum Scriptorem, & Petrum Aureolum ibid. Quibus nouissimè accesserunt Mastrius in logica, disput.7.q.2.art.1. n.46.& Pontius, disp.14.q.4.& alij non pauci ab eisdem relati ex Recentioribus Iesuitis.

Secunda opinio affirmat, quantitatem discretam esse veram quantitatis supremæ speciē, & insuper veras species habere, quæ sunt numerus, & oratio. Ita D.Th.1.p.q.11. art. 1. & 2. ac q. 30. art. 3. Scotus in primo

Reput.d.24.q.2.& 5.Meth.q.9.Henr.1.par. Sum.q.2. ar. 19. vbi citat Auicenam,lib. 3. suæ Methaphysicæ,cap. 4. In super, omnes Scotistæ,& Thomistæ,præter recensitos in priori sententia , partim in logica, cap. de quant.& alij in 5.Meth.& alij 10.Meth. At quia quæstio multa supponit , & multa etiam quærit, nè confuso procedamus modo , eam in quasdam sequentes quæstiones secabimus.

An Vnitas quantitatiua addat supra rem materialem aliquod positiuum?

SECTIO I.

SVpponendo, numerum esse multitudinem aggregatam ex vnitatibus causatis ex diuisione continui,vt docet Aristoteles,tertio physicorum,t. 68. & Boetius de Vnitate,quæritur modo,quid superaddăt illę vnitates rebus materialibus,à quibus singula denominatur vna . An positiuum, vel potius duplicem negationem diuisionis à se,& identitatis cum alio. An solam priuationem multitudinis sibi oppositæ? Extendendo tamen quæsitum etiam ad vnitatem transcendentalem, quæ aliquibus videtur eadem vnitati quantitatiuæ, sunt duæ extremæ sententiæ,quarum prima est D. Tho. 4.Meth.lect. secunda:& 1. p. quæst. 11 vbi etiam Caietanus, Capreoli,in primo,d. 24. quæst.1.art.1.Durandi ibidem,quæst.1.& 2. Arimin.quæst.1.art.1.Gabrielis,quęst.1.art. 3.Dub.3.Soncin.4. Methaphys.quæst 4. Iauelli,q.5.Ianduni,q.4. Fonsecæ,cap. 2. q. 5. vbi citant pro se Auerroem ibidem,comm. 3. & 10. Meth. comm.10. quibus addi possunt ex nostris Mayronius, in primo,d. 24. q.2.Bassolius ibidem,q.vn.art. 1. ex Iesuitis Suarez in Methaphys. disp. 4. sect. 1. & 9. Toletus,tertio phys.cap.8.q.5.concl. secunda,& alij non pauci, tum Phylosophi, tum Theologi. Qui omnes negant,vnitatem transcendentalem superaddere enti aliquod positiuum, aut vnitatem quantitatiuam quantitati materiali , sed vel puram negationem diuisionis,seu multitudinis,vt aiunt Thomistæ, aut priuationem multitudinis , vt dicunt Iesuitæ cum Mayronio, Bassolio,& Nominalibus.

Secunda sententia est Scoti,in 4.Meth.q. 2.§.Notandŭ quod hęc quæstio.Et in Expos.4.Meth.t.c.3 Antonij Andreæ ibidem,q. 3.Canonici,4.Physic.q.7.art.3. Io.de Colonia,q.400.Parisiensium,cap.de quant.q.4.§. tertia propositio.Vnitas est vnum ens positiuum præter animam &c.Bargij,in primo, d.24. q.vn. Tatar. in 3. sent. q.vn dist.22.& hic,q.vn dub.1. & 4. meth. q. vn. Not.2.ac aliorum asserentium, vtramque vnitatem transcendentalem,& quantitatiuam superaddere, & enti, & quantitati materiali aliquod positiuum , cui , & nos subscribimus .

Pro cuius declaratione, primo notandum est,vnitatem esse principium numeri, cum numerus sit multitudo ex vnitatibus aggregata. At quia numerus est duplex,scilicet transcendentalis,& prædicamentalis, etiam duplex est vnitas, scilicet transcendentalis,& prædicamentalis. Vnitas transcendentalis est illa, secŭdum quam vnumquodque ens dicitur vnum,& nŏ multa: & talis est passio entis in communi ; quod cum reperiatur in omnibus entibus, vt supremum in suis inferioribus, etiam vnitas in illis habet reperiri: & est principium numeri transcendentalis ; siquidem prædicamenta hoc modo dicuntur decem, cum in quolibet reperiatur vna vnitas transcendentalis,quæ postea in vnum collectæ, & aggregatæ constituunt numerum denarium . Vnitas verò prædicamentalis, est quoddam accidens indiuisibile formaliter, repertum in vnaquaque parte continui diuisi,secundum quam singula denominatur vna in se, & ab altera discreta : & talis est principium numeri prędicamentalis;quandoquidem imaginati debemus quoddam continuum diuisum;v. g. in quatuor partes materiales, vnde in vnaquaque illarum partium reperiuntur duæ vnitates,quarum prior,prout est quoddam ens reale, participatiuum entis in communi,& suarum passionum,dicitur transcendentalis; posterior verò , quatenus est quoddam ens incompletum, ordinatum ad constitutionem alicuius totius,dicitur prædicamentalis,& est principium numeri prædicamentalis , sicut prior numeri transcendentalis .

Secundo notandum, tales vnitates diuersimodè ordinari ad illa, quorum vnitates dicuntur;nam vnitas transcendentalis,cum sit passio entis, est identificata realiter cum ente,& cum quolibet ente,& solum forma-

li-

liter ab eis distincta: vnitas verò prædicamentalis, cum sit quoddam accidens, solum reductiuè reponibile in prędicamento quātitatis, pro quanto videlicet est constitutiua numeri, qui est per se in eodem prædicamento, habet distingui realiter à rebus materialibus, quæ sunt de prædicamento substantiæ; siquidem hæc duo prædicamenta realiter distinguuntur ab inuicem secūdum totas suas coordinationes. Ex quo sequitur, quod vnitas transcendentalis, est quædam formalitas positiua inseparabilis ab ente; vnitas verò prædicamentalis, est quædam res positiua separabilis à re materiali, in qua subiectiuè existit, & vtramque concomitatur negatio diuisionis, & distinctionis; ex quo enim, quod hæc tabula est vna priori vnitate, est ens indiuisum in se, & à quolibet distinctum; & ex hoc, quod est vna posteriori vnitate, dicitur esse indiuisa in se, & segregata ab alia parte tabulæ, cum qua erat continua per copulationem ad vnum, & eumdem terminum communem.

Tertio notandum, ex Aristotele, 10. Meth. t. c. 9. & Scoto ibidem, quod vnum, & multa, licet se habeant ad ens, vt diuisibile, & indiuisibile, non tamen opponuntur contradictoriè, tamquam positiuum, & negatiuum; nec ptiuatiuè, vt habitus, & priuatio; aut relatiuè, vt relatiuum, & correlatiuum, sed tantum contrariè, & disparatè; quandoquidem vnum contrariatur multitudini, & è conuersò; at cum opposita contrariè, sint ambo positiua, & non vnum positiuum, & alterum negatiuum, vt accidit in contradictorijs; vel vnum priuatiuum, & alterum positiuum, vt occurrit in oppositis priuatiuè, sequitur tam vnum, quā multa, esse positiua formaliter; vnde si vnum dicit aliquam, vel aliquas negationes, aut priuationes, vt videtur insinuare Philosophus, quarto Methaphys. t. 4. non est hoc intelligendum de formali eius significato, sed tantum de connotato, & concomitanter, vt optimè aduertit Doctor Subtilis in expositione illius textus: idem pariter dicendum est de vno quantitatiuo; siquidem de formali dicit entitatem positiuam, de connotato verò, negationem diuisionis in se, & identitatis cum alio.

Ex his, fit prima Conclusio. Vnitas transcendentalis superaddit enti formalitatem positiuam, & vnitas quantitatiua rebus materialibus rem positiuam. Est conclusio Doctoris, quarto methaphys. t. c. 3. & ibidem, q. 2. ad medium. Quæ etiam colligitur ex Aristotele ibidem, & lib. 10. Methaph. t. c. 9. Probatur prima pars. Quia vnum dicit perfectionem simpliciter, sed nulla negatio, aut priuatio dicit perfectionem simpliciter, quia perfectio est passio entis, negatio verò, aut priuatio sunt non entia; ergo vnum dicit quid positiuum. Maior probatur. Quia illud dicit perfectionem simpliciter, quod in vnoquoque melius est ipsum, quam non ipsum, Idest eius oppositum, ex D. Anselmo in suo Monologio, cap. 3. vel 15. sed in quocumque reperitur vnum, melius est ipsum, quam non ipsum, idest multa; ergo. Minor patet. Quia ideò Deus est vnus, & non multi, quia vnum dicit perfectionem sine imperfectione; multa verò perfectionem cum imperfectione. Confirmatur ex Philosopho, lib 10. Meth. t. c. 9. vnum, & multa opponuntur solum contrariè, & non contradictoriè, aut priuatiuè; ergo vnū dicit quid positiuum. Consequentia patet. Quia hæc est differentia inter opposita contraria, ac contradictoria, vel priuatiua, quod horum alterum est necessariò negatiuum, vel priuatiuum, illa verò ambo positiua, vt patet ex diffinitionibus, quas tradit Aristoteles in Postprædicamentis. Secunda pars probatur. Impossibile est, aliquod positiuum intrinsecè componi ex priuationibus, & negationibus; sed numerus prædicamentalis componitur intrinsecè ex vnitatibus quantitatiuis, vt patet ex eius diffinitione posita in principio de mente Aristotelis, & Boetij; ergo vnitas quantitatiua, nō est pura priuatio, aut negatio, sed quoddam positiuum. Confirmatur. Quia quodlibet aliquo modo reponibile in prędicamēto est ens positiuum; sed vnitas quantitatiua est reponibilis in prædicamēto quantitatis, saltem reductiuè, pro quanto est principium numeri, qui est per se in illo prædicamento; ergo vnitas quantitatiua est quid positiuū. Secundo sic. Mēsura alicuius positiui debet esse aliquod positiuum, ex Philo 10. Meth. t. c. 3. & 4. sed vnitas est mensura numeri prędicamentalis, ex eodem ibidē, t. c. 4. ergo vnitas est quid positiuū, & non pura negatio, aut priuatio multitudinis sibi opposita.

Secunda Conclusio. Vnitas transcendentalis distinguitur tantum formaliter ab ente, & est eadem sibi realiter; vnitas verò prædicamentalis, seu quantitatiua, distinguitur realiter à re materiali in qua subiectiuè existit. Est Scoti, in quarto Methaph. q. 2. §. Sustineri ergo potest opinio illa de identitate reali &c. contra Auicennam libr. 7. metaphysicæ suæ, quoad primam partem. Probatur prima pars. Quia passio est eadem realiter suo subiecto, & ab eo distincta formaliter; sed vnitas transcendentalis est passio entis, ex Philosopho, quarto methaphys. t. c. 3. ergo est eadem sibi realiter, & distincta formaliter. Maior patet. Quia subiectum, & passio dicunt eamdem rem, ex eodem Philosopho loco citato, sed nõ formaliter, cum non sit de eius essentia, ergo realiter, & distinctam formaliter. Confirmatur. Quia vnum, & ens non separantur, neque quoad generationem, neque quoad corruptionem, ex Aristotele ibidem t. c. 3. & 4. ergo, sunt idem realiter. Secunda pars probatur. Subiectum, & accidẽs commune distinguuntur realiter, cum possint ab inuicem separari; sed vnitas quantitatiua est accidens rei materialis; ergo distinguuntur realiter. Cõfirmatur. Quia coordinationes substantiæ, & quantitatis secundum se totas realiter distinguuntur, vt superius probatum est, disp. 1. q. 1. sed res materialis est de coordinatione substantiæ, & vnitas quantitatiua de coordinatione quantitatis; ergo distinguuntur realiter abinuicem.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Si vnum addit enti aliquod positiuum formaliter distinctum, quæro vel est vnum, vel non: non est dicendum quod nõ sit vnum, alioquin non distingueretur ab ente formaliter; ergo erit vnum; tũc inquiro: vel illud vnum addit aliquod positiuum supra se, vel solam negationem: si dicas solã negationem, habetur intentum, quod, & vnitas addit enti solam negationem. Si verò dicas positiuum, iterum inquiro de illo sicut prius, & sic datur processus in infinitum, qui cum non sit admittendus, dicendum est, vnitatem non addere supra ens aliquod positiuum.

Respondetur, aliquid esse vnum stat dupliciter, scilicet vt quo, & vt quod. Illud est vnum vt quo, quod est ratio essendi vnum alicui. Et sic vnitas, siue transcendentalis, siue prædicamentalis dicitur vna. Id verò est vnũ, vt quod, quod est subiectũ talis vnitatis, vt ens respectu vnitatis trãscendentalis, & res materialis respectu quãtitatiuæ; modo vnum, vt quod, debet esse vnum vnitate aliqua à se distincta; at vnum vt quo, si aliquo modo potest vocari vnum, non debet esse tale, vnitate à se distincta, sed seipso. Vndè ad formam argumenti dico, quod vnum additum enti, & quod distinguitur formaliter ab eo, est vnum vt quo, & non vt quod, ideò non debet dici vnum alia vnitate ab eo distincta, sed propria vnitate, quæ est eius forma.

Obijcies secundo. Vnitas, & multitudo opponuntur priuatiuè, ex Aristotele, quarto, Meth. t. c. 4. sed multitudo non dicit priuationem, ergo vnitas.

Respondetur ex Philosopho, 10. Meth. t. c. 9. vbi meliùs explicat hanc eamdem propositionem, vnum, & multa opponuntur: quod vnum dupliciter consideratur, scilicet formaliter, & concomitanter. Primo modo dicit aliquid positiuum; siquidem vnum, & multa opponuntur contrariè. Secundo modo importat priuationem, non multitudinis, quia cum multitudo fiat ex vnitatibus esset posterior, & sic priuatio esset prior suo habitu, quod est maximum inconueniens: sed dicit priuationem in seipso; siquidem in quantum vnum, indiuisum est. Modo propositio Aristotelis est vera concomitanter, non formaliter, alioquin contradiceret sibi ipsi in 10. Methaph. t. c. 9. vbi dicit, vnum, & multa opponi solum contrariè, & non contradictoriè, neque priuatiuè, vel relatiuè.

Obijcitur tertio, contra secundam cõclusionem. Si ens secundum suã rationem formalem distingueretur ab vno, sequeretur vnum dicere aliquod positiuum; sed hoc non est admittẽdum; ergo non distinguitur formaliter ab eo. Minor probatur. Quia quæro de illo vno, vel dicit aliquod positiuum distinctum formaliter ab ente, vel non: si non; igitur nec primum, cum nõ sit maior ratio de vno, quam de alio; si sic, iterum quæro sicut prius, & sic datur processus in infinitum in vnitatibus, quod est contra Aristotelem, primo Posteriorum.

Respondetur, ens esse vnũ, prout distinguitur formaliter ab vnitate transcendentali qua superadit, posse dupliciter intelligi: vno

modo radicaliter, ita quod ens sit tale, vt possit esse subiectum talis vnitatis, & sic est vnum præcisa illa vnitate positiua formali; alio modo formaliter, & sic præcisa illa vnitate ens, nec est vnum, nec non vnum, sed indifferens ad vtrumque. Modo formaliter ad argumentum nego sequelam maioris, ad probationem dico ens præcisa illa vnitate formali positiua esse vnum radicaliter positiuè, non tamen formaliter. Vnitas tamen radicalis cum nullo modo distinguatur ab ente, sed sit ipsum quiditatiuè, excludit omnem difficultatem contentam in probatione minoris de vnitate formali positiua.

Objicies quarto, contra vnitatem quantitatiuam, quia ex Philosopho locis citatis vnitas sonat indiuisionem, sed indiuisio est pura negatio, ergo vnitas dicit negationem.

Respondetur, maiorem esse veram de vnitate concomitanter, non tamen formater accepta, quia sic dicit entitatem positiuam, quæ est accidens indiuisibile de genere quantitatis.

Contra, quia tale accidens indiuisibile, cum sit in aliquo subiecto diuisibili, quæro, vel est totum in toto, vel pars in parte; secundum nequit dici, alioqui non esset indiuisibile, nec primum quia tunc esset spirituale quoddam, sicut anima, quæ est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis, quod non est dicendum, ergo potius concludendum, non dari talem vnitatem quantitatiuam, positiuam realiter distinctam à re materiali.

Respondetur, talem vnitatem esse accidens indiuisibile formaliter; quando quæritur; si est totum in toto, aut pars in parte, dico esse totum in toto subiecto quoad denominationem, cum totum denominet vnum, non tamen quo ad subsistentiam, quia cum sit indiuisibile, etiam indiuisibiliter subsistit in illo, inadæquatè tamen, & non adæquatè.

Vel dicendum secundo tale accidens, cum sit indiuisibile formaliter, & non materialiter, esse totũ in toto subiecto formaliter consideratum, & parte in parte si materialiter accipiatur; & cum dicitur ipsum subiectari in subiecto diuisibili, dico esse verũ materialiter, nõ formaliter, quia sic cum sic indiuisibile denominat etiam subiectũ formaliter indiuisibile. Exemplum sit de linea in superficie, & de superficie in corpore, quę sunt diuisibiles, & indiuisibiles, & ex ea parte, qua sunt diuisibiles denominant diuisibiliter, secundum verò, quod indiuisibiliter considerantur, reddunt pariter subiectum indiuisibile.

An numerus Prædicamentalis sit vera species quantitatis Discreta?

SECTIO II.

Ratio dubitandi sumitur ex eo, quod aliqui putent numerum, nil aliud esse, quam multitudinem continuorum, & consequenter non esse vnum per se, sed tantum vnum per accidens: modo per se clarum est ac manifestum, nullum ens per accidens posse esse speciem alicuius generis. Huius opinionis sunt ferè omnes Nominales; & omnes Auctores citati pro prima opinione in principio quæstionis, quibus adiungitur Fonseca lib. 5. Meth. cap. 13. q. 4. sect. 4.

Oppositam nihilominus sententiam defendunt Scholę D. Thomæ, & Scoti (paucos si demas) vt insinuauimus supra in principio quæstionis, quam vti veriorem, & Aristoteli magis consentaneam sequitur etiam Antonius Ruuius cap. de Quant. quæst. 6. & nos cum Scoto supracitato, & in 3. d. 22. q. vn. L. vbi dicit numerum quinarium non esse quinque vnitates aggregatas, sicut aceruus lapidum, sed esse vnitatem per se resultantem ex illis quinque vnitatibus accidentalibus, quam vnitatem in quinto Methaphys. quæst. 9. §. Concedo hæc argumenta, vocat formam totius numeri.

Cęterum in assignando rationem, & formalitatem huius vnitatis non conueniunt Auctores pro hac secunda sententia recensiti, nam aliqui dicunt numerum habere suam vnitatem, qua sit per se vnum, partim ab vnitatibus realibus, & partim ab intellectu; ab illis materialis, à quibus dicitur esse habere esse reale, ab hoc verò formaliter, & completiuè, pro quanto numerat illas vnitates secundum ordinem prioris, & posterioris; ex hoc enim quod numerat tertiam vnitatem post duas, & quartam post tres, & quintam post quatuor, ideò tribuit illis vnitatem numeri ternarij, quaternarij, & quinarij. Ita Sotus, hic quæst. 2. conclusione

secunda, & antea videtur illam insinuasse Magister sent. in primo d.24. quamquam aliter ab alijs explicetur.

Alij verò aiunt numerum habere vnitatem specificam ab vltima vnitate formaliter, à cæteris verò materialiter; vt exempli gratia ternarius, accipit esse formaliter à tertia vnitate, a reliquis duabus autem materialiter tantum, eo quia determinantur ad constituendum numerum ternarium a tertia, sicut prima vnitas a secunda ad dandam vnitatem specificam numero binario; Vndè inferunt quod vnitas vltima, cæteras priores determinans est forma partis numeri, vnitas verò ex illis resultans dicitur forma totius eiusdem numeri. Ita Albertus Magnus in cap. de quant. tract.8. D. Thom. lib.8. Methaph. lect.3. Capreolus in primo d.21. q.1. conclusione 5. Iauellus ibidem q.10. & alij apud Scotum in Report. in primo d.22. q.3.

Alij autem censent, quod sicut quantitas continua, vt puta, linea habet suam vnitatem à continuitate partium in tota linea, ita quantitas discreta, vt puta numerus debet habere suam vnitatem à discretione partium, seu vnitatum in toto numero; patet enim quod secundum aliam, & aliam continuitatem, scilicet per puncta, per lineas, & superficies, linea, superficies, & corpus habent aliam, & aliam vnitatem specificam, ita secundum aliam, & aliam discretionem, idest secundum additionem, vel remotionem vnitatum ab vnitate, ternarius habet aliam vnitatem à quaternario, & iste a quinario. Ita videtur docuisse Aristoteles in hoc cap. de Quantitate in principio, & post ipsum alij apud Scotum loco proximè citato.

Alij tandem tria dicunt. Primum, si consideretur numerus quo ad esse reale, hoc obtinet ab vnitatibus realibus, ex quibus cōstat. Secundum: Si verò spectetur quo ad esse per se vnum, hoc habet ab intellectu actualiter numerante illas vnitates secundum prius, & posterius, & aptitudinaliter a numerabilitate fundata in illis vnitatibus, secundum quam habent, vt sint numerabiles ab intellectu ordinatè; nec ex hoc sequitur non esse numerum aliquid reale, cum in actu pendeat ab intellectu, quia sufficit, vt habeat illam numerabilitatem realem antè operationem, & secundum ipsam fit per se vnus. Tertium; Dicunt numerum posse dupliciter considerari, vno modo vt totum integrale, & sic habet vnitatem totius ab vltima vnitate, vt ab ea, quæ determinat alias sicut forma suam materiam, & in hoc conueniunt cum secunda opinione. Alio modo vt est species quantitatis discretæ, & sic esse per se vnum a quantitate discreta reperta in illis vnitatibus, vt à suo genere, & ab extensione tanta, vel tanta pariter in eisdem vnitatibus reperta, vt a sua differentia. Ita explicat suam sententiam de vnitate numeri prædicamentali Ruuius c. de quant. q.6. & 7. At, quamuis hæc tria sint communiter dicta, secundum displicet, cum perfeitatem actualem numeri assignet per ordinem ad intellectum, quia sic a numero aufert esse reale; nec sufficit illa aptitudo ad numerari, in vnitatibus existens, quia illa non tollit dependentiam vnitatis numeri ab intellectu, sed tantum operatur, nè vnitas actualis sibi ab intellectu attributa, sit fictitia, aut voluntaria, cum sit eius fundamentum reale.

Quid autem sentiat Doctor Subtilis in hac materia non est adeò clarum; siquidem in primo d.24. q.vn. dubitat de forma, seu vnitate formali numeri prædicamentali, & in lib.4. Methaph. q.2. in fine videtur inclinare ad partem negantem, nimirum quod forma numeri, sicut eius vnitas, non sit realis, sed pendeat ab anima. In quinto tamen Methaphysicæ q.9. §. Contra illud si numerus &c. & §. Concedo hæc argumenta oppositum sustinet dicendo quemlibet numerum habere formam specificā propriā, per quam specificè distinguatur ab alio numero, quę tamen est nobis innominata, & hāc dicit resultare ex vnitatibus accidentalibus, quæ dicuntur vnitates materiales in ordine ad illam formam, quam consequitur vnitas formalis, tamquam propria passio suum subiectum, & hæc non ponitur in numero cum alijs vnitatibus, cum sint alterius rationis, & hæc est vera opinio Doctoris Subtilis, quam iterum recenset, & confirmat in tertio sent. d.22. q. vn. Sub lit. L. dum dicit a quinque vnitatibus resultare vnitatem formalem, qua numerus quinarius dicitur vnus, quare pro eius maiori intelligentia, ac fundamento.

Primo notandum est, numerum ab illis, qui dicunt esse speciem quantitatis discre-

tæ,

tæ, communiter diuidi in numerum numerantem, numerum numeratum, & in numerum, quo numeramus. Numerus numerans nil aliud est, quam anima seu intellectus qui numerat, idest distinguit vnum rem ab alia, & de hoc intelligitur illud dictum Comment. Mens facit numerum in rebus, idest intellectus actu numerat res ipsas Numerus numeratus sunt res numeratæ, vt duo lapides, tres homines &c. Numerus verò quo numeramus est ille, quo numerantur res numeratæ, vt binarius, ternarius, quaternarius &c. Hic autem est duplex, scilicet transcendentalis, & prædicamentalis, seu quantitatiuus. Numerus transcendentalis est, qui componitur ex vnitatibus transcendentalibus, & quo numeramus omnia entia, siue limitata, siue illimitata, non tamen infinita, quia in diuinis non datur propriè numerus, vt docent Theologi in primo sent. d. 24. & sic duo Angeli dicuntur facere numerum binarium, tres homines ternarium, decem prædicamenta denarium &c. Numerus prædicamentalis est qui componitur ex vnitatibus accidentalibus fundatis in rebus ab inuicem separatis ex diuisione continui, & sic facta diuisione exempli gratia huius tabulæ in quatuor, vel quinquè partes, tales constituerent numerum prædicamentalem, non sic materialiter acceptæ, sed quatenus fundant vnitates accidentales, ex quarum aggregatione resultat numerus quaternarius, vel quinarius Numerus prior potest reperiri in omnibus entibus, siue realibus, siue rationis; posterior verò tantum in continuis, quatenus diuiduntur in partes, & hic vocatur à Scoto numerus mathematicus, quia de eo considerat Arithmeticus, & distinguitur realiter, & formaliter à rebus numeratis, ille verò dicitur essentialis, cum non distinguatur realiter à rebus numeratis per ipsum.

Secundo notandum est, quod ad cognoscendum, quomodo numerus prædicamentalis componatur ex vnitatibus quantitatiuis, debemus scire duplicem esse vnitatem, alteram antecedentem, & alteram consequentem numerum. Vnitas antecedens adhuc est duplex altera, quæ antecedit immediatè ipsum numerum, & vocatur vnitas continui, seu continuitas, quæ diuiditur in plures partes, discretas ab inuicem numeraliter; Altera verò, quæ antecedit immediatè numerum, & huiusmodi sunt omnes illæ vnitates quantitatiuæ, quibus partes continui diuisæ denominantur vnæ, seu in se indiuisæ formaliter, & ex ambabus componitur numerus, sed diuersimodè, nam ex veritate continui componitur tantum per accidens, pro quanto videlicet ad sui corruptionem generantur vnitates discretæ ex quibus per se, & immediatè coalescit numerus prædicamentalis. Vnitas verò consequens numerum positum in esse, est vnitas formalis, quæ sequitur formam specificam cuiuslibet numeri, nobis innominatam, tamquam propria passio suum subiectum; & tantum formaliter distinguitur ab illa forma, sicut risibilitas ab humanitate. Ex quo infertur, quod sicut vnitates ex quibus componitur numerus sunt entitates positiuæ, & reales, etiam numerus erit entitas positiua, & realis independenter ab anima, seu numero numerante.

Tertio notandum est Numerum prædicamentalem, compositum ex vnitatibus quantitatiuis, posse dupliciter accipi, vno modo, vt est totum integrale, alio modo, vt est totum essentiale, seu vt est species quantitatis discretæ: Primo modo numerus, verbi gratia ternarius resultat ex tribus vnitatibus, sine aliquo ordine actus, & potentiæ, hoc est dictu, absque hoc, quod duæ priores vnitates se habeant vt potentia, & tertia vt actus, seu forma informans, talis namque ordo non requiritur in compositione totius integralis, sed tantum in compositione totius essentialis, ad hoc enim vt corpus humanum sit totum integrale sufficit, vt partes ordinentur secundum prius, & posterius ita pariter dicendum est in numero ternario, sufficit enim vt illæ tres vnitates ordinentur ad inuicem secundum prius, & posterius, quia ex illis statim resultat numerus ternarius. At secundo modo cum sit species quantitatis discretæ quæ constat ex genere, & differentia debet fieri vnum per se constitutum ex genere, scilicet ex quantitate discreta, & propria differentia nobis ignota, quæ tamen suppletur per extensionem secundum multitudinem tantam, vel tantam tantum, vt exempli gratia in ternario erit extensio ad tres vnitates secundum, in quaternario ad quatuor tantum, & ita di-

scurrendo per omnes numeros, & sic numerus constitutus erit totum essentiale methaphysicum.& non physicum,quia accidentia, cum careant materia, & forma physica, non possunt dici composita essentialia physicè loquendo, sed tantum integralia, cum coalescant ex illis vnitatibus accidentalibus repertis in partibus materialibus, causatis ex diuisione continui, & ex illis formaliter resultent, vt dictum est, formæ totius integralis, quas posteà consequentur vnitates, tamquam propriæ passiones, sua substantia.

Quarto notandum, est in qualibet specie numerorum dari formam totius,& partis, exemplum sit de specie humana,in qua forma partis methaphysica est rationalitas, & forma totius, quæ est tertia entitas resultans ab animali, & rationali, scilicet humanitas. Formam partis cuiuslibet numeri dicimus esse extensionem secundum multitudinem tantam vel tantam, vt in ternario secundum tres caritates, in quaternio secundum quatuor vnitates tantum. Forma verò totius est natura, seù quiditas cuiuslibet numeri specifica, nobis tamen innominata, vt natura ternarij, vel quaternarij, resultans ex quantitate discreta, & extensione ad tres, vel quatuor vnitates; & licet aliquis eamdem appellet nomine discretionis, alij verò nomine aggregationis, alij multitudinis, & alij assummationis, non nisi per circumlocutionem eam denominant, & hanc consequitur vnitas specifica, seù formalis, tamquam propria passio eius, & secundum quam numerus habet propriam vnitatem per se, vt distinguitur ab vnitate per accidens, seù per aggregationem. Hæc autem forma totius si resultet ab illis vnitatibus, tamquam ex partibus materialibus, distinguitur realiter ab illis (siquidem totum integrale distinguitur realiter à suis partibus, vt probabimus in primo physicorum) si verò resultet ex quantitate discreta, & extensione tanta, vel tanta, tantum ex natura rei distinguitur ab illis partibus methaphysicis, vt ibidem demonstrabitur. Ex his sequitur primo, quod numerus consideratus vt totum integrale, & secundum esse physicum sic diffinitur: numerus est forma simplex accidentalis resultans ex vnitatibus quantitatiuis, causatis ex diuisione continui ab eisdemque realiter distincta. Sequitur secundo quæ si diffiniatur methaphysicè, seù vt totum essentiale habet diffiniri per genus; & differentiam sic: Numerus est quantitas discreta extensa secundum tantam, vel tantam multitudinem vnitatum accidentalium; ex his infertur, quod cum numerus vtroque modo diffiniatur, & diffinitio sit tantum entis per se vnius, numerus pariter erit per se vnus, tam physicè, quam methaphysicè consideratus.

Ex his fit prima Conclusio. Numerus prædicamentalis dicit aliquam entitatem positiuam, realem independenter ab opere intellectus. Est Scoti locis citatis contra primam opinionem. Probatur primo quia numerus prædicamentalis componitur ex vnitatibus quantitatiuis ex Aristotele 3. Methaphys. t. c. 16. & 10. Methaphys. t. c. 2. & indè; à Boetio in sua Arithmetica cap. 3. Sed huiusmodi vnitates sunt entitates reales positiuæ, independenter ab opere intellectus; ergo numerus prædicamentalis dicit entitatem positiuam, & realem independenter ab opere intellectus. Minor est clara ex dictis in præcedenti sectione conclusione prima. Secundo probatur species prædicamenti realis habet esse reale independenter ab opere intellectus, sed numerus est species quantitatis discretæ, quæ est de prædicamento reali ex Aristotele in cap. de Quantitate; ergo &c. Tertio sic; subiectum scientiæ realis, debet esse reale ex Philosopho Tertio de anima t. c. 38. dicente, secari scientias, quemadmodum & res subiectas, & 10. Methaphys. t. c. 5. & quinto Methaphys. t. c. 20. subiectum scientiæ, habet rationem mensuræ, & scientia mensurabilis, at ex eodem ibidem mensura, & mensuratum debent esse vnigenea, igitur si scientia est realis, & subiectum debet esse reale, sed numerus est subiectum Arithmeticæ, quæ est scientia realis ex Aristotele sexto Methaphys. t. c. 2. ergo numerus habet esse reale independenter ab opere intellectus. Si dicas ad hoc, vt aliquid sit subiectum scientiæ realis, non requiri vt sic independens omninò ab intellectu effectiuè, & obiectiuè, sed sufficere, vt non depen-

deat-

deat effectiuè collatiuè, vt sunt secundæ intentiones, modo numerus dependet ab anima obiectiuè tantum, & non effectiuè collatiuè. Contra quia nulla potentia facit suum obiectum motiuum, sed ipsum præsupponit in esse, sed numerus est obiectum motiuum intellectus, ergo independenter ab opere intellectus etiam obiectiuè habet esse reale. Maior patet ex differentia inter obiectum terminatiuum; & obiectum motiuum; quod terminatiuum potest fieri à potentia, vt sunt entia rationis, quæ intelliguntur terminatiuè, obiectum verò motiuum habet præsupponi in esse, si habeat concurrere tamquam concausa ad producendam notitiam. Minor probatur, quia numerus est obiectum sensus ex Philosopho secundo de anima t. c.63. ergo & intellectus motiuum, consequentia patet ex eodem de sensu, & sensili vbi dicit nihil esse in intellectu, quin fuerit prius in sensu ergo si numerus est obiectum motiuum sensus, sequitur esse obiectum motiuum etiam intellectus.

Secunda Conclusio. Numerus prædicamentalis tantũ reperitur in vnitatibus causatis ex diuisione continui. Est Aristotelis 3. physicorum t.c.68. quẽ sequuntur D. Th. q.9. de Potentia, & in primo d.24. q.1. art.3. Capreolus ibidem, & alij citati in principio pro secunda sententia, contra Ricar. de Media Villa in primo d.10. q.1. ad quartum, & d.24. art.1. q.1. & art.2. q.1. & Nominales citatos ibidem. Ex quo sequitur, quod numerus, qui reperitur in Angelis, hominibus, & cæteris rebus completum esse habentibus, exceptis continuis diuisis, est trascendentalis, & non prædicamentalis. Probatur primo auctoritate Aristotelis tertio physic. t. c.68. dicentis numerum fieri ex diuisione continui, sed ibi non loquitur de numero transcendentali vt patet ergo. Præterea secundo de anima t.c.63. dicit numerum esse sensibile quoddam per se, sed transcendentalis, cum reperiatur etiam in entibus spiritualibus non est sensibilis per se ergo loquitur de prædicamentali. Secundo ratione, numerus prædicamentalis componitur ex vnitatibus quantitatiuis, sed istæ tantum reperiuntur in rebus causatis ex diuisione continui ergo, &c. Maior est probata in sectione præcedenti. Minor patet quia hæc est differentia inter vnitatem transcendentalem, & prædicamentalem, seù quantitatiuam, quod illa consequitur omne ens siue limitatum, siue illimitatum, hæc verò tantum quantitatem, atqui in prædicamento quantitatis non sunt nisi cõtinua; & discreta, & talis vnitas cum cæteris componit quantitatem discretam; ergo debet subiectari in eo, in quo est continua, & sic numerus prædicamẽtalis necessario exigit ad sui esse vnitates materiales causatas ex diuisione quantitatis continuæ.

Tertia Conclusio. Numerus prædicamentalis non est vnum per accidens, sed præter illas vnitates materiales aggregatas importat etiam vnitatem formalem, consequentem quamcumquè naturam specificã numeri, vt propria passio sequitur suum subiectum. Est conclusio Scoti in quinto Meth. q.9. §. concedo hæc argumenta & 8. Meth. ad tex. 10. vbi declarat huiusmodi conclusionem, & in 3 sent d.22. q. vnic. sub L. contra Suar. Conimbricenses, & alios relatos in prima opinione. Probatur prima pars quia de ente per accidens non habetur scientia ex Aristotele 6. Meth. t. c. 4. sed de numero datur scientia Arithmetica, & de numero sonoro Musica, quæ sunt scientiæ mathematicales, quas Philosophus primo Post. & 11. meth. t. c.6. dicit esse maximè scientias, & in primo gradu reponi certitudinis ergo numerus prædicamentalis est vnum per se, & non per accidens.

Respondent Aduersarij primo distinguẽdo de ente per accidens, quoddam enim est ens per accidẽs secundum entitatem, & est illud, quod componitur ex rebus diuersorũ generum, vt albus musicus, Petrus fortis, & de tali potest haberi scientia, nec de eo ibi locutus est Aristoteles; aliud verò est ens per accidens, quod de rarò accidit, vt inuentio thesauri respectu fodientis terram, aut fractio capitis in deambulante per viam, & de hoc nequit esse scientia, vt probat Aristoteles 4. Methaphys. t. c. 4. modo numerus est ens per accidens primo non secundo modo, & sic de eo potest dari scientia Arithmetica.

Contra, quia responsio est fictitia, seù voluntaria, & contra Aristotelem, quod euidenter conuincitur, quia ibi locutus est de ente per accidens secundum entitatem, vt patet ex eius exemplis, inquit enim, non .n. enim faciens domum facit, quęcumque ac-

ci-

cidunt domum facere; infinita enim sunt: his quidem enim voluptuosam, illis nociuam, alijs autem vtilem &c. Eodem autem modo nec Geometria speculatur sic accidentia figuris, nec si alterum est trigonum, & trigonum duos rectos habens & hoc rationabiliter accidit &c. sed accidentia causalia, nec sunt infinita, nec rationabiliter accidunt, imò præter intentionem occurrunt ergo non loquitur de ente per accidēs causali, sed secundum entitatem, quod, & rationabiliter accidit, & in infinitum procedit. Secundo probo esse fictitiam, & voluntariam, quia ens peraccidens secundum entitatem, nec diffinitur, nec habet determinatas passiones demonstrabiles de eo ergo de ipso nequit esse scientia. Antecedens patet, cum constet ex rebus diuersorum generum, & prædicamenta sint impermixta formaliter ex primo Post. t. c. 34. sequitur non habere aliquod genus, supra se per quod possit ens per accidens diffiniri. Confirmatur quia Aristoteles septimo meth. t. c. 16. & 19. vbi dicit de ente per accidens non posse dari scientiam exemplificat de homine albo, & cæteris, quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, ergo responsio non solum est contra Aristotelem, sed etiam est fictitia, & merè voluntaria.

Respondet secundo. Fonseca loco citato, numerum dupliciter considerari posse, & materialiter, & formaliter, primo modo solum dicit illas vnitates materiales, & sic est ens per accidens, & de illo non datur scientia Arithmetica. Secundo modo importat ordinem illarum vnitatum secundum prius, & posterius ab intellectu constitutum, & sic est vnum per se, non reale, sed rationis, & hoc modo solum est obiectum Arithmeticæ, nec est inconueniens scientiam realem esse de obiecto rationis, vt patet de Politica, & Musica, quæ versantur circa entia rationis, & tamen sunt scientiæ reales.

Contra quia nec ista responsio. Satisfacit argumento, imò duo dicit, quorum primum est manifestè falsum, secundum verò contra doctrinam Aristotelis. Primum demonstro sic, & primo de Musica, quæ versatur circa numerum sonorum, cuius passio, est harmonia, sed clarum est numerum sonorum, & harmoniam esse entia realia, ergo musica est de subiecto reali, & non rationis. Deinde Aristoteles 11. Methapys. t. c. 3. docet Mathematicam scientiam esse partem Methaphysicę sed musica est scientia Mathematica, vt nemo inficiatur, ergo est pars methaphysicæ, atqui Methaphysica versatur circa ens reale, ex eodem testo Methaphys. t. c. secundo ergo, & musica. Consequentia probatur, quia sicut se habet scientia ad scientiam, ita obiectum ad obiectum, sed musica est pars methaphysicæ ergo obiectum Musicæ, est pars obiectis methaphysicæ, atqui ens rationis non est pars entis realis, ergo obiectum musicæ non est ens rationis, sed reale. Secundo probatur de Politica, quia est scientia realis moralis, quæ versatur circa actiones viuū; & regimen Reipublicę, sed certum est talia esse entia realia, & independentia ab opere intellectus, ergo politica versatur circa obiectum reale. Secundum demonstro sic, quia Aristoteles, nedum primo Poster. sed etiam secundo de anima, 6. Methaphysicæ, t. 2. & 11. Methaphys. t. c. 6. diuidit scientias in reales, & rationales, & vtrasque sumere dignitatem, & denominationem à subiecto, ergo scientia realis debet esse de subiecto reali, & rationalis de subiecto, quod sit ens rationis, ergo dicere Aritmeticam esse scientiam realem, & ponere eius obiectum, scilicet numerum esse ens rationis, est immediatè contra doctrinam Aristotelis.

Secundo Probatur conclusio ex Scoto in secundo d. 3. q. 1. C. Vnius actionis sensus est vnum obiectum per se, sed numerus est obiectum vnius actionis sensus, cum sit vnum sensibile per se ex Aristotele secundo de anima cap. 6 t c. 63 ergo est vnum per se, & non per accidens, sed non est per se, vt concipitur ab intellectu, cum sit obiectum potentiæ sensibilis, quæ præcedit operationem eiusdem, ergo est vnum per se in rebus ante operationem intellectus. Maior patet quia actus distinguuntur per obiecta ex Aristotele secundo de anima t. c. 33. ergo vnius actionis sensus est vnum obiectum per se, & non per accidens, alioquin essent plura obiecta.

Quarta Conclusio. Numerus prædicamentalis hanc per se vnitatem, non habet ab intellectu per se ordinante illas vnitates materiales ad vnitatem formalem: nec ab vltima vnitate materiali cæteras priores de-

determinante vti forma materiam: nec à discretione vnitatum, sed habet illam consecutiuè ad formam specificam numeri, siue talis resultet ab vnitatibus materialibus, vt totum integrale a suis partibus, siue causetur a quantitate discreta, & tanta, vel tanta extensione, tamquam ex genere, & differentia. Conclusio est Doct. Subtilis quinto methaphys. q. 9. §. Contra istud &c. & § Concedo hæc argumenta, &c. & in tertio sent. d. 22. q. vn. L. & colligitur ex Aristotele 5. methaphys. t. c. 19. vbi dicit quod bis tria non sunt sex, sed semel sex sunt sex. Probatur prima pars, quia numerus prædicamentalis est vnum per se reale independenter ab opere intellectus, ergo vnitas numeri prędicamentalis non habetur ab operatione intellectus, concipientis vnitates materiales per modum vnius. Consequentia patet, & antecedens est notum ex dictis in conclusione præcedenti, ac etiam secunda. Secunda Pars probatur primo, quia sequeretur numerum quinarium esse partem Senarij, sed hoc non est admittendum, quia sunt duæ species numerorum inter se distinctæ, ergo &c. Minor probatur quia per te forma quinarij consistit in illa vltima vnitate, scilicet in quinta sed vnitas quinta, est pars essentialis numeri Senarij, cum constet ex quinque vnitatibus, & vna ergo quinarius esset de essentia Senarij. Secundo sic, quia huiusmodi vnitates habent rationem prioris, & posterioris ab intellectu ergo non magis vna, quam alia est ratio formalis, sed hoc consequens est contra te, ergo & antecedens. Consequentia probatur quia pono, quod illa, quæ est nnmerata vltimo loco, numeretur primo loco, & tunc quæro vel ratio numeri est mutata, vel non: si dicas non esse mutatam, ergo habeo intentum, quod illa vnitas vltima non sit ratio formalis vnitatis formaliter numeri si verò dixeris esse mutatum: Contra quia Philosophus 5. methaphys. t. c. 31. diuidit totum integrale in tres partes ratione diuersæ positionis partium ex quibus componitur. Primum Totum, est cuius positio partium non facit differentiam in subiecto, in essentia totius, vt numerus, & omnia humida, & de ratione istorum est, vt sint homogenea, hoc est, componantur ex partibus eiusdem rationis cum toto, & quod partes non habeant propriam figuram, idest ordinentur ad inuicem secundum prius, & posterius, ergo secundum mentem Aristotelis, si prima vnitas fiat vltima, & vltima prima, non propterea variabitur essentia numeri, & consequenter vltima vnitas non tribuit numero rationem formalem secundum vnitatem specificam, vt dicebat opinio supra citata. Tertia pars probatur quia per discretionem, vel circumloquitur hæc opinio formam essentialem numeri specificam, vel per ipsam intendit separationem vnius vnitatis ab alia; si det primum est nobiscum, quia cum forma numeri specifica sit innominata, potest denominari per discretionem, sicut per continuitatem circumloquimur formam essentialem cuiuslibet continui. Sin autem dicat secundum contra arguo, quia cum discretio sit potius separatio vnitatis ab vnitate, quam vnio vnitatum in toto, non poterit esse forma numeri specifica, seu vnitas formalis numeri. Consequentia est nota. Antecedens probatur, quia sicut continuitas est ratio vnionis partium in toto, ita discretio separat partes inter se se, & à toto. Quarta Pars probatur quia vnitas est passio entis, quæ multiplicatur sicut ens, sed ens in numeris distinguitur specie, ergo quemlibet numerum consequitur vnitas formalis, seu specifica, tamquam passio suum subiectum. Maior est Aristotelis 4. methaphys. t. c. 2. & 3. Minor patet ex illo communi axiomate species sunt sicut numeri, & colligitur ex Aristotele 8. methaph. t. c. 10. ergo distinguuntur species. Confirmatur, numerus maior distinguitur à numero minori, sed non distinguitur per vnitates materiales, cum eædem sint in vtrisque, ergo per vnitatem suam formalem propriam, quæ non est in minori numero. Maior patet, quia manet destructo minori, ergo distinguitur ab illo.

Quinta Conclusio. Forma numeri, quam consequitur vnitas specifica, seu formalis, si consideretur, vt est totum integrale, distinguitur realiter ab vnitatibus materialibus; si verò vt totum essentiale methaphysicum, seu vt species quantitatis discretæ, distinguitur tantum formaliter ex natura rei à genere, & differentia. Est Scoti in tertio d. 22. lit. L. quoad primam partem, & etiam quinto methaphys. q. 9 §. Contra adhuc stat argumentum &c. Secunda pars est com-

mu-

nis, vt suo loco dicemus. Probatur prima pars quia vt sic potest separari à suis partibus materialibus simul sumptis ergo distinguitur realiter ab illis. Antecedens probatur quia quinarius componitur ex quinque vnitatibus, quibus manentibus inuariatis, si addatur alia vnitas, iam non amplius quinarius, sed senarius erit ergo numerus, vt est totum integrale distinguitur realiter à suis partibus materialibus. Secunda pars probatur quia diffinitio, & diffinitum distinguuntur tantum ex natura rei formaliter, sed numerus, vt species est, diffinitum est, & genus, & differentia constituunt eius diffinitionem, ergo distinguitur ab illis ex natura rei formaliter. Maior patet quia illa de quibus possunt verificari duo contradictoria ex natura rei, distinguuntur ex natura rei, sed de diffinitione, & diffinito possunt verificari duo contradictoria ex natura rei, siquidem diffinitio est constitutiua diffiniti, & non constituta, & diffinitum est constitutum, & non constitutiuum, ergo diffinitio, & diffinitum distinguuntur ex natura rei. Maior patet ex diffinitione distinctionis ex natura rei. Minor similiter quia numerus est species quantitatis discretæ, & quantitas discreta extensa secundum tantam, vel tantam multitudinem est diffinitio numeri. Quod autem non distinguatur realiter patet, quia distinctio realis est inter res, & res tantum, & non inter realitates, modò licet numerus sit res, tamen genus, & differentia sunt realitates, quę nequeunt ab eodem separari, ergo non distinguitur realiter a suo genere, & differentia.

Sexta Conclusio. Forma numeri vtroq; modo considerata est entitas absoluta, & non respectiua. Est contra Franciscum de Maronis in primo d. 24. quæst. 2. Probatur quia species prædicamenti absoluti est entitas absoluta, & non respectiua, prædicamēta enim sunt impermixta secundum totas coordinationes, vt sæpius diximus, & probauimus superius, sed numerus est species quantitatis discretæ, quę est genus subalternum de prædicamento absoluto; ergo & ipse est ens absolutum. Secundo sic forma relatiua necessariò exigit fundamentum, & terminum ex Aristotele cap. de Ad ali quid, sed forma numeri non habet fundamentum, & terminum ergo non est relatiua, sed absoluta. Minor probatur quia numerus exempli gratia ternarius componitur ex tribus vnitatibus, sed illæ tres vnitates non sunt fundamentum, & terminus eius ergo forma numeri caret fundamento, & termino. Minor probatur quia fundamentum, & terminus non sunt de essentia relationis, sed tres vnitates sunt de essentia numeri ternarij ergo numerus ternarius, seu eius forma non habent pro fundamento, & termino illas tres vnitates. Maior patet ex D. Augustino septimo de Trinitate cap. 5. vel 15. omne quod relatiuè dicitur est aliquid excepta relatione, sed fundamentum, & terminus relatiuè dicuntur, sunt enim relatiuum, & correlatiuum; ergo fundamentum, & terminus non sunt de essentia relationis, & consequenter illæ vnitates cum sint de essentia numeri, seu eius formę, nequeunt esse fundamentum, & terminus, & sic nec forma numeri entitas relatiua, sed absoluta.

Septima Conclusio. Numerus prædicamentalis est vera species quantitatis discretæ. Hæc conclusio est immediatè responsiua ad quæstionem propositam, & est Aristotelis cap. de quantitate, quæ licet probata remaneat ex dictis in præcedentibus conclusionibus, tamen adhuc sic declaratur. Tota ratio, quare Aduersarij reijciant numerum à quantitate discreta, in hoc sita est, quod numerus non sit aliquod vnum per se, & reale independens ab opere intellectus sed ex prima conclusione numerus dicit entitatem realem positiuam independenter ab opere intellectus, & talis ex conclusione tertia, & quarta est vna per se vnitate formali, & specifica, ergo numerus prædicamentalis est vera species quantitatis discretæ. Secundo sic in diffinitione quiditatiua, & formali numeri vt est totum essentiale methaphysicum cadit quantitas discreta, & eius ratio formalis, scilicet extensio secundum multitudinem ergo; est eiusdem species vera. Consequentia patet, quia diffinitio quiditatiua constat ex genere, & differentia ex septimo Methaphysic. t. c. 43. Antecedens patet ex quarto Notabili, vbi diffiniuimus numerum sic: Numerus prædicamentalis est quantitas discreta extensa secundum tantam, vel tantam multitudinem, causatam ex diuisione continui. Vel si diffiniatur diffinitione communiter

re-

recepta. Numerus est multitudo ex vnitatibus aggregata. Per ly multitudo, intelligitur quantitas discreta, sicut per magnitudinem denotatur quantitas continua, vt docet Aristoteles, quinto Metaphys. t. c. 18. & per ly aggregata ex vnitatibus, circumloquimur vnitatem specificam numeri, resultantem ex vnitatibus materialibus extensis secundum tantam, vel tantam multitudinem.

Obijcitur tamen primo, contra primam conclusionem. Si numerus prędicamentalis diceret entitatem positiuam realem, independenter ab opere intellectus, sequeretur eamdem formam accidentalem posse esse in diuersis subiectis realiter distinctis, & ab inuicem separatis; sed consequēs est contra totam philosophiam; ergo, & id ex quo sequitur. Maior probatur. Quia numerus ternarius componitur ex tribus vnitatibus accidentalibus; sed illæ existunt in diuersis subiectis, vt puta in tribus lapidibus ex aliquo continuo diuisis, & separatis; ergo eadem forma accidentalis numeri esset in diuersis subiectis ab inuicem disiunctis, & separatis. Minor probatur. Quia vnitas numeralis accidentis, desumitur ab vnitate subiecti; ergo impossibile est, eamdem formam accidentalem esse in diuersis subiectis ab inuicem segregatis.

Respondetur communiter, concessa maiori de forma accidentali discreta, non tamen de continua; nam cum continuum includat in sua ratione formali habere partes vnitas aliquo termino communi, nequit esse in pluribus subiectis ab inuicem separatis; at discretum, quia exposcit partes ab inuicem separatas, exigit de sui natura esse in pluribus subiectis, etiam vndequaquæ disiunctis. Ad minorem, & probationem dicitur esse inconueniens de accidente continuo, non de discreto, quia tale exigit ad sui vnitatem partes dissitas, ac ab inuicem segregatas.

Contra hanc responsionem insurgit Mastrius, disputat. 7. quæst. 2. numero 50. & si quia dicere accidens discretum posse reperiri subiectiuè in multis, est inferre, illud non esse vnum, nisi vnitate aggregationis, & per consequens non dicere entitatem positiuam realem præter partes; atqui hoc est immediatè contra opinantes, vt probauimus in superioribus; ergo malè distinguitur de accidente continuo, & discreto.

Respondetur igitur aliter ad argumentum ex Doctrina superius tradita, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, illam entitatem positiuam, quam formaliter dicit numerus ternarius non esse subiectiuè in illis vnitatibus, siquidem non est forma partis, sed totius, resultans ex aggregatione illarum vnitatum, sed indiuisibiliter manet in illis, sicut entitas totius integralis in suis partibus simul sumptis. Et per hoc satisfit impugnationi Patris Mastrij, quatenus militat contra nostram conclusionem, negando illatum in maiori propositione; non enim accidens discretum resultans ex vnitatibus materialibus, dicimus esse in illis subiectiuè, & per informationem, sed solum, vt totum integrale in suis partibus simul sumptis: quarè non potest inferri esse tantum vnum per aggregationem, sicut aceruus lapidum, imò dicere formam totius, ab vnitatibus realiter distinctam.

Obijcies secundo. Ab eo est formaliter numerus, à quo est numerare; sed ab anima sola est numerare, ex Aristotele, quarto physic. & Commentatore, secundo de anima, comm. primo; ergo numerus tantum habet esse formaliter ab anima. Minor patet. Quia si sola anima dealbaret, albedo esset formaliter ab anima; ergo a simili, si sola anima numerat, numerus est a sola anima.

Respondetur, maiorem esse veram de numerare formaliter, nō effectiuè, quia sic est ab anima. Minor verò intelligitur de numerare effectiuè, nō formaliter; quia sic numerare est formaliter a forma numeri, seu ab vnitate specifica, per quam vnus numerus distinguitur ab alio numero.

Obijcies tertio, contra secundam conclusionem D. Aug. lib. 2. de lib. Arbitr. c. 9 dicētem, numerū esse aliquid intelligibile, & in omnibus rebus inueniri: & D. Dam. inquit, lib. 3 Fidei cap. 8. numerum inter se diuersis rebus sic reperiri, vt duæ naturæ Diuina, & Humana in numero, ad quantitatem discretam pertineant; atqui numerus pertinens ad quantitatem discretam, est prædicamentalis; ergo talis in omnibus re-

rebus inueniri potest, & non tantum in continuis.

Respondetur, numerum esse duplicem, scilicet transcendentalem, & prædicamentalem, qui inter se conueniunt aliqualiter, & aliqualiter differunt. Conueniunt quidem, quia ambo componuntur ex vnitatibus, vt diximus notab. primo: differunt tamen, quia ille ex transcendentalibus vnitatibus constat, hic verò ex quantitatiuis; cum hoc tamen stat, vt ad inuicem assimilentur aliqualiter; quia sicut vnitates quantitatiuæ ex quibus prædicamentalis componitur, sitnt ad inuicem discretæ, & separatæ, ratione, cuius numerus dicitur quantitas discreta, & non continua, sic transcendentales, ex quibus numerus transcendentalis componitur, sunt ad inuicem discretę, ac separatæ; vndè hac ratione, & iste similitudinariè potest dici, & appellari quantitas discreta. Vndè ad auctoritates propositas, dico esse veras de numero transcendentali, non de prædicamentali. Et cum D. Damascenus videtur dicere, numerum repertum inter Naturam Diuinam, & Humanam, pertinere ad quantitatem discretam, dicendum est ibi sumere quantitatem discretam similitudinariè, non propriè.

Obijcies quarto, contra tertiam conclusionem. Aristoteles tertio physicorum t. 68. dicit, numerum esse vna plura, & quanta quædam. Item, 10. Meth. t. c. 20. 21. numerus est multa vna, & multitudo mensurata vno. Item, 8. meth. t. c. 10. referente Suarez in meth. disp. 41. sect. 1. assert. 2. inquit, aut numerus vnum non est, sed velut cumulus, aut si sit, dicendum est, quid illud sit, quod efficit numerum vnum ex multis. Ex quibus omnibus colligitur, mentem Aristotelis fuisse, quod numerus prædicamentalis non sit vnum per se, sed tantum per accidens.

Respondetur primo, numerum dupliciter considerari, scilicet materialiter, & formaliter. Primo modo solum dicit vnitates materiales, ex quibus componitur; & sic habent intelligi omnes auctoritates Aristotelis iam adductæ, & quæ possent adduci. Secundo modo dicit tertiam entitatem accidentalem, resultantem ab illis vnitatibus materialibus, in qua consistit forma numeri; & de hac non est locutus Aristoteles in citatis locis, sed in quinto Methaphys. t. c. 19. vbi dixit, sex non esse bis tria, sed semel sex.

Vel dicendum secundo. Numerum esse vna plura, vel multa vna per constitutionē, pro quanto componitur ex illis vnitatibus, & resultat ex illis, non tamen per identitatem, ita vt numerus sit idem quod multitudo vnitatum, seu plures vnitates, quia vt sufficienter probatum est, numerus dicit vnam formam totius, resultantem ab illis vnitatibus, ab eisque realiter distinctam, si consideretur, vt totum integrale, vel solum ex natura rei distinctam a genere, & differentia, si attendatur vt totum essentiale methaphysicum.

Ad illam auctoritatem allatam à Suarez loco citato, & a Mastrio in physica, disp. 5. q. 13. art. 2. numero 178. ac si esset de mente Aristotelis dicere, numerum non esse per se vnum, sed quasi congeriem, dico cum Doctore Subtili in Exposit. 8. Meth. ad t. 10. ibi Aristotelem probare per se vnitatem numeri ex per se vnitate diffinitionis, seu quiditatis; ponit enim ibi quatuor conuenientias inter diffinitionem, & numerum, & in tertia dicit, diffinitionem dicere conceptū per se vnum, sicut numerus; quod tamen non habent dicere nec de diffinitione, illi qui ponunt, numerum non esse per se vnum, sed esse quasi congeriem vnitatum; quia sic, quemadmodum haberent inuestigare formam in numero, secundum quam dicatur vnus, sic & in diffinitione. Ex quo patet, auctoritatem allatam esse potius in oppositum, quam in proposito, cum ibi fateatur apertè per se vnitatem numeri; alioqui ex illa non probaret per se vnitatem diffinitionis quiditatiuè, seu formæ totius ex illa resultantis Nec quicquam facessit, quod subiungit Mastrius loco citato, nimirum, quod Aristoteles, t. 15. soluens dubitationem de numero, dicat numerum non habere per se vnitatem; quia cum componatur ex vnitatibus, in illis non est reperire per se actum, & potentiam, sicut accidit in diffinitione, in qua genus habet rationem potentiæ, & differentia per se actus; siquidem numerus, vt totum essentiale, constat ex genere, & differentia, & consequenter ex per se actu, & per se potentia; quatenus verò consideratur vt totum integrale, non habet componi ex per se actu, & potentia, sed resultare ex illis vnitatibus materiali-

bus

bus, tamquam forma totius, quam postea consequatur vnitas per se, veluti passio, à qua numerus denominetur vnus, vt in eodem textu probat Aristoteles, dum dicit. Omnium enim, quæcumque plures partes habent, & non est vt aceruus quod totum, sed inest aliquid totum præter partes, est aliqua causa, quarè dicatur vnum. Et talis est forma numeri, sicut in homine forma, non partis, sed totius.

Contra obijcit Mastrius in logica, disp. 7. q. 2. art. 1. numero 47. quia Doct. Subt. in primo, d. 2. q. 7 H h. enumerat quinquè gradus vnitatis, in quibus non continetur vnitas numeri saltem per se; ergo numerus non dicit aliquam per se vnitatem. Antecedens patet ibidē. Quia in primo gradu collocat minimam vnitatem, quæ dicitur aggregationis, in secundo vnitatem ordinis, in tertio vnitatem per accidens, in quarto vnitatem compositionis, & in quinto vnitatem simplicitatis, quæ dicitur maxima vnitas; sed quamuis numerus posset habere vnitatem aggregationis, & ordinis, tales non sufficiunt, vt posset reponi in prædicamento, alioquin cumulus lapidum, & respublica, vel exercitus, essent in prædicamento, quod non est dicendum; igitur ratione talium vnitatum, nequit esse in prædicamento quantitatis. Nec ratione vnitatis per accidens, aut simplicitatis, vt patet. Nec tamdem ratione vnitatis compositionis, quia vnitates ex quibus constat numerus non se habent, vt actus, & potentia per se; ergo dicendum est non habere aliquam per se vnitatem per quam posset dici species quantitatis discretæ.

Respondetur, negando antecedens. Imò numerus dicitur per se vnus vnitate compositionis methaphysicæ, in quantum constat ex genere, & differentia, scilicet ex quantitate discreta, & tanta, vel tanta extensione secundum multitudinem, & etiam in genere physico, in quantum resultat ab illis vnitatibus materialibus forma totius, quam postea consequitur vnitas specifica, à qua denominatur numerus vnus specie. Ad probationem dico solum probari, numerum in genere physico non habere per se vnitatem totius essentialis, quod vtique concedimus, sed negamus postea non habere vnitatem totius integralis, à quo sumitur vnitas totius essentialis methaphysici, seu vnitas specifica, secundum quam reponitur in prædicamento quantitatis, vti species quantitatis discretæ.

Obijcies quinto. Si numerus dicit aliquam per se vnitatem, vel talis est vnitas simplicitatis, vel compositionis; sed neutra istarum esse potest; ergo non dicit aliquam per se vnitatem. Maior patet à sufficienti diuisione vnitatis per se. Minor probatur. Non simplicitatis, quia tunc eadem forma simplex, & realis posset esse in diuersis subiectis ab inuicem segregatis, quod non potest concedi de forma accidentali. Nec vnitate compositionis; quia illa fit ex per se actu, & per se potentia, vt docet Aristoteles primo de anima, cap. primo, & 8. methaph. t. 15. atqui inter vnitates materiales constituentes numerum, vna non se habet, vt per se actus, & alia per se potentia, cum omnes sint in actu; ergo neutro modo esset numerus per se vnus.

Respondetur, numerum dicere aliquam naturam per se vnam formaliter, & vnitate simplicitatis, prout simplicitas opponitur compositioni physicæ ex materia, & forma physica; & etiam vnitate compositionis methaphysicę. Siquidem dicitur vna vnitate simplicitatis, quia cum sit forma accidentalis caret materia, & forma physica, sed resultat ex illis vnitatibus materialibus, vt totum integrale à suis partibus. Rursus, est vna vnitate compositionis methaphysicæ; quia componitur ex genere, & differentia, vt sæpius dictum est superius. Ad primam probationem minoris responsum est superius ad primam obiectionem; siquidem cum sit forma totius, & non partis, non est inconueniens reperiri in omnibus illis vnitatibus, vt totum integrale in suis partibus simul sumptis. Ad secundam dico, tales vnitates habere rationem actus, & potentiæ, pro quanto ab illis accipitur ratio generis numeri, scilicet quantitas discreta, & ratio differentiæ eiusdem, scilicet tanta, vel tanta extensio, in quibus reperitur actus, & potentia formaliter.

Obijcies sesto. Multitudo vnitatum transcendentium non constituit aliquam speciem in entibus per se vnam; ergo nec multitudo quantitatiua constituet speciem quantitatis discretæ, scilicet numerum.

An-

Antecedens patet. Quia multitudo, & vnitas transcendens opponuntur, tum quia multitudo non est ens, sed entia, ex Aristotele, 10. Methaphys. t.c.21.22. Consequentia probatur à simili. Quia sicut multitudo transcendens, constat ex vnitatibus transcendentibus, ita quantitatiua ex quantitatiuis: tum multitudo absolutè sumpta, videtur comparari ad quantitatem discretam sub ratione generis, ex Aristotele, 10. Methaphys. t. 21. ergo, si illa non constituit aliquam speciem entis per se vnam, nec quantitatiua constituet numerum in speciem quantitatis discretæ.

Respondetur, negando consequentiam. Ad probationem dico, illam similitudinem non sufficere ad constituendam, vel remouendam ab vtraque multitudine rationem speciei, sed exigitur, vt vtraque sit limitata ad aliquod prædicamentum, & ponatur sub vno genere immediato. Cum igitur multitudo transcendens, sit illimitata, & non ponatur sub aliquo genere determinato, sicut multitudo quantitatiua, quæ ponitur sub genere quantitatis discretæ, hinc sequitur, per istam constitui vnam speciem per se vnam, scilicet numerum prædicamentalem, & non per illam.

Obijcies septimo, contra sextam conclusionem. Numerus fundatur super relationibus, quia dicimus relationes esse duas, vel tres; ergo numerus dicit formam respectiuam, & non absolutam. Consequentia patet. Quia fundatum non debet esse maioris entitatis, quam sit fundamentum; ergo si numerus fundatur super relationibus, quæ sunt formæ respectiuæ; ergo, & numerus debet esse forma respectiua, & non absoluta. Confirmatur. Quia ratio prima numeri consistit in habitudine ad numerabile; atqui habitudo est relatio; ergo forma numeri est relatiua. Præterea paritas, & imparitas sunt passiones numeri; sed paritas, & imparitas sunt relationes; ergo, & forma numeri, cuius sunt passiones.

Respondetur, antecedens esse verum de numero transcendentali, non de prædicamentali, de quo nos loquimur; nec tamen indè sequi, numerum transcendentalem esse simpliciter formam relatiuam; cum non tantum super relationibus, sed etiam super quibuscumque entibus fundari possit. Ad primam confirmationem negatur maior; imò talis habitudo ad numerari, vel numerare, non est de essentia nuri, sed ipsum consequuntur, vt relatio suum fundamentum. Ad secundam dico, paritatem, & imparitatem sumi posse dupliciter, scilicet fundamentaliter; & sic dicunt entitates absolutas, quæ sunt passiones numeri; & formaliter, & sic sunt relationes: nec sunt passiones quantitatis, sed ipsam consequuntur, veluti respectus suum fundamentum.

Vtrum Oratio sit vera species quantitatis Discretæ, à numero essentialiter distincta?

SECTIO III.

Circa primam partem propositæ difficultatis, tres reperiuntur opiniones, quarum prima, est Louaniensium in Exposit. huius capit. vt refert Ruuius hic, quæst. 9. Caietani hic. Conimbricensium ibi, q. 2. art. 1. Suarez in Methaphys. disput. 41. sect. 3. & aliorum asserentium, orationem nullatenus esse veram speciem quantitatis, cum tantum sit quanta per accidens; quin etiam aliqui eorum ita illam reijciunt à quantitate, vt nec esse quantam per accidens admittant.

Secunda opinio, est Iauelli, lib. 5. Methaphys. cap. 8. qui dicit, orationem posse considerari, vel quantum ad extensionem, & sic non est species quantitatis; siquidem vt sic, non distinguitur à motu; imò syllabæ non sunt aliud, quam quidam motus prolationis; at motus cum tantum per accidens sit quantitas, facit vt etiam oratio tantum per accidens sit quanta. Vel considerari potest quantum ad rationem mensuræ; & sic est per se quantitas, & vera species quantitatis discretæ, quia vt ait Aristoteles, cap. de quant. mensuratur syllaba longa, & breui, quæ sunt differentiæ quantitatis discretæ, prout distinguitur à numero. Ex quo conciliat dicta Aristotelis de orat. in cap. de quant. & in methaphys. lib. 5. t. 18. quarè nimirum ibi non se-

fecerit mentionem de ea, sicut fecit in logica: & inquit, hoc ideò fecisse, quia in methaphysica considerauit quantitatem sub ratione extensionis, qua cum eareat oratio, secludenda erat à specie quantitatis discretæ: at quia in logica considerauit quantitatem sub ratione mensuræ; & oratio mensuratur syllaba longa, & breui, ideò nè videretur insufficiens, necesse habuit, illam inter species quantitatis discretæ enumerare: & hanc conciliationem accepit à D. Tho. 5. Methaphys. ad tex. 18. in fine.

Tertia opinio absolutè docet, orationem esse speciem quantitatis discretæ: quod Aristoteles prius tradidit, & probauit, cap. de quant. Ita post ipsum D. Thom. opusc. 42. & in 4. sent. d. 3. quæst. vnic. art. 2. ad quintum. Scotus in Prædicam. quæst. 18. & 19. Soncin. 5. Methaph. quæst. 4. Toletus hic, quæst. 2. Ad quintum. Sotus quæst. 2. Ruuius quæst. 9. & alij plures ex modernis.

Cæterum, in explicanda ratione orationis, prout est quantitas discreta, nec Doctores citati conueniunt; nam aliqui putant, quantitatem orationis sitam esse tantummodo in motibus prolationis discontinuis, in quantum ordinabiles sunt ab intellectu secundum prius, & posterius, ad constitutionem orationis: in tribus enim motibus, quibus profertur hæc oratio, Dominus, dicunt consistere quantitatem eius discretam, & successiuam.

Alij verò dicunt, non in motibus prolationis consistere quantitatem orationis, sed solum in temporibus, & modis, quibus, & ipsi motus prolationis, & syllabæ mensurantur, pro quanto ordinabilia sunt ab intellectu, secundum prius, & posterius.

Alij tandem ponunt quantitatem orationis in extensione syllabarum, secundum longitudinem, & breuitatem, seu secundum productionem, & correptionem. Et hæc sententia videtur mihi probabilior: quam, acceptam à Toleto, defendit Ruuius citatus; dummodò per talem extensionem, quam vocant corpulentiam soni, non intelligatur magnitudo, vel diuisibilitas syllabæ intrinsecè, sed tantum extrinsecè per respectum ad moram, vel tempus, quo mensuratur secundum longitudinem, aut breuitatem; siquidem: sicut vnitates materiales, ex quibus componitur numerus, sunt indiuisibiles intrinsecè, ita, & tales extensiones syllabarum, ex quibus componitur oratio, debent esse indiuisibiles intrinsecè, & diuisibiles tantum extrinsecè per respectum, quem dicunt ad tempus.

Pro cuius declaratione, ac fundamento, primo notandum est, quod hic non est sermo de oratione, siue vocali, siue mentali, aut scripta, quas diffinit Aristoteles, primo Perihermenias; sed de vocali tantum, non in quantum est significatiua, vel non, sed præcisè quatenus est vox, siue complexa, siue incomplexa, constans ex pluribus syllabis: vt verbi gratia Petrus, quatenus constat ex duabus syllabis, dicitur in præsenti, oratio; & hæc cum sit quædam vox, diffinitur, quod sit sonus ab ore animalis prolatus, naturalibus instrumentis formatus.

Secundo notandum est, in voce tria considerari posse, scilicet essentiam, qualitatem & quantitatem eiusdem. Essentia vocis cōsistit in esse sonum ab ore animalis procedentem, naturalibus instrumentis formatum. Qualitas verò in eo sita est, vt sit acuta, vel grauis, sonora, vel gracilis &c. Quantitas tandem attenditur in extensione, seu corpulentia, secundum quam dicitur magna, breuis, longa, æqualis, vel inæqualis; quæ consistit in dilatatione, seu prolongatione, vel correptione, siue restrictione syllabæ, ratione quarum, syllaba dicitur longa, seu producta, vel breuis, aut correpta. Et ex talibus extensionibus componitur oratio, vt est quantitas discreta, eo modo, quo numerus componitur ex vnitatibus materialibus. Quarè si velimus diffinire orationem, vt est species quantitatis discretæ, sic dicendum est, Oratio est quantitas discreta, resultans ex multitudine extensionum, seu temporum, in syllabis, ex quibus constat, existentium. Et hæc diffinitio explicat essentiam orationis, prout est quoddam totum integrale tantum. At si consideretur

vt est totum essentiale methaphysicum, sic habet diffiniri. Oratio est quantitas discreta extensa secundum tantam, vel tantam discretionem temporum, seu extensionum in syllabis existentium. In qua diffinitione ponitur quantitas discreta, tamquam genus; ponitur ly extensa, secundum tantam, vel tantam extensionem, seu discretionem temporum, seu extensionum syllabarum: ad differentiam numeri, qui est quantitas discreta extensa, secundum discretionem vnitatum: ponitur postea, ly tanta, vel tanta discretio temporum, vel extensionum, &c. ad denotandas diuersas species orationis: nàm hæc oratio, populus, prout significat arborem, distinguitur à seipsa specie, prout gentem repræsentat, ratione diuersarum extensionum, seu temporum; siquidem, vt significat arborem, habet primam syllabam longam; & breuem, vt gentem denotat: & hæc oratio comprehendit omnium carminum genera, & pedes eorum; quæ non tantum distinguuntur secundum multitudinem syllabarum, sed etiam secundum quantitatem, vt fusius ostenditur in Arte Metrica, vel Poetica.

Tertio notandum est, quod numerus, & oratio, non tantum distinguuntur per hoc, quod hæc reperiatur in syllabis, & illæ in vnitatibus causatis ex diuisione continui; & sic materialiter solum, vt docet noster Tataretus, quæstione vnica, de quantitate, scien. vltimo, seu Tertio; sed etiam diuersificantur per proprias differentias specificas nobis innominatas; nam sicut illa extensio vnitatum circumloquitur in numero propriam differentiam constitutiuam numeri essentialiter, & per quam distinguitur ab oratione, ita extensio syllabarum circumscribit aliam differentiam specificam, per quam constituitur oratio, & distinguitur formaliter à numero: & hoc est, quod obscuro tamen Sermone, docet Scotus, quæstione 19. Prædicament. soluendo quæst. 18. dum dicit. Illam autem dico habere discretionem appropriatam orationi per eius differentiam specificam, quæ nec scripta est, nec prolata, nec in mente, nec actus proferentis, sed est discretio, non communis numero, & orationi, sed orationi appropriata. Et per hanc, in responsione ad secundum argumentum dicit, orationem differre essentialiter à numero, & a quacumque specie quantitatis, non tantum differentia materiali, sed formali, & specifica, nobis tamen ignota, sicut sunt ferè omnes differentiæ specierum specialissimarum.

Ex his, fit prima conclusio. Oratio, modo explicato in secundo Notabili, est species quantitatis discretæ. Est Scoti in Prædicam. quæst. 19. & eorum, quos citauimus pro tertia opinione. Probatur. Quia illa est vera species quantitatis discretæ, quæ ponitur immediatè sub ea, vt sub suo genere, & prædicatur de pluribus differentibus numero in quid, si sit specialissima, vel de differentibus specie, si sit subalterna; sed oratio est huiusmodi; ergo. Maior est Porphyrij, cap. de specie. Minor est Aristotelis, cap. de quantitate, vbi sub quantitate discreta, quæ secundum ipsum est species, & genus subalternum, collocat immediatè has duas species, scilicet numerum, & orationem. Secundo sic. In diffinitione quiditatiua cuiuslibet speciei debet ingredi proprium genus immediatum, cum diffinitio constet ex genere, & differentia, ex Aristotele, septimo Methaphys. t. c. 43. atqui in diffinitione quiditatiua orationis ponitur quantitas discreta, vt patet ex secundo Notabili; ergo oratio, est vera species eiusdem. Tertio sic. Siquid impediret, quominus oratio posset habere veram rationem speciei quantitatis discretæ, vel hoc esset, quia non datur extra operationem intellectus quantitas discreta, vel si datur, est quoddam ens per accidens, & non per se vnum; sed neutrum vrget; ergo dicendum est, orationem esse veram speciem quantitatis discretæ. Maior patet ex aduersa sententia. Minor verò est probata in præcedenti sectione, conclusione prima, & tertia, & vltima. Confirmatur. Quia sicut numerus ex vnitatibus resultat vnum per se, & quatenus totum integrale, & quatenus totum essentiale, ita, & oratio debet resultare ex temporibus, seu extensionibus vnum per se in ratione totius integralis, & essentialis, saltem Methaphysici; non enim est maior ratio de numero, quam

quàm de oratione, cum ambo ponantur ab Aristotele, species quantitatis discretæ.

Secunda conclusio. Oratio, non tantum materialiter, sed etiam essentialiter, & specificè distinguitur à numero. Est Scoti hic, quæst. 19. contra Tataretum citatum Notab. 3. Probatur. Quia quæ habent distinctas diffinitiones quiditatiuas, & formales, distinguuntur specie essentialiter, vt patet; sed numerus, & oratio sunt huiusmodi; ergo distinguuntur essentialiter specificè. Minor probatur. Quia numerus diffinitur quiditatiuè per quantitatem discretam, & extensionem vnitatum, oratio verò per quantitatem discretam, cum sit genus ad vtrumque, & per extensionem temporum repertam in syllabis; sed clarum est, vnitates distingui ab illis temporibus, vt patet ex eorum descriptionibus; ergo numerus, & oratio distinguuntur, etiam quiditatiuè, & essentialiter. Aduertendum tamen, quod per tempora syllabarum, non intelligo tempus, quod est species quantitatis continuæ, scilicet horam, diem, mensem, &c. sed illam mensuram, seu extensionem, secundum quam, vna syllaba denominatur longa, altera breuis.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Tãtum quatuor inueniuntur in oratione, nimirum, soni syllabarum, motus prolationis eorumdem, ordo syllabarum, & significatio totius orationis; sed ex nullo horum quatuor potest concludi, orationem esse quantitatem discretam; ergo. Maior patet, à sufficienti enumeratione. Minor probatur. Non soni; quia sunt qualitates: nec motus prolationis; quia sunt quanti tantum per accidens, sicut & tempus in ipsis consumptum: nec ordo; cum dependeat ab intellectu ordinante syllabas ad inuicem in tota oratione, vel etiam quia est relatio: nec tamdem significatio; quia hæc competit orationi, non ex propria natura, sed ex impositione primi instituentis; ergo ex nullo horum concludi potest, orationem esse speciem quantitatis discretæ.

Respondetur, negando maiorem, tamquam insufficientem. Quandoquidem, præter illa quatuor, reperitur in qualibet syllaba extensio, seu tempus longitudinis, & breuitatis, ex quibus componitur oratio, quæ est quantitas per se; sicut ex syllabis, prout sunt soni, constat oratio secundum essentiam.

Obijcies secundo. Si oratio esset species quantitatis discretæ, maximè quia mensuratur syllaba longa, & breui, ex quibus componitur; sed consequens est falsum; ergo, & antecedens. Maior patet, ex Aristotele hic, cap. de quantitate. Minor probatur. Quia longum, & breue, sunt differentiæ, vel passiones quantitatis continuæ, vt docet Aristoteles, quinto Methaphys. t. c. 18. nam linea est breuis, vel longa; ergo non possunt competere quantitati discretæ.

Respondetur, longum, & breue dupliciter considerari posse, scilicet propriè, & transsumptiuè. Primo modo significat magnitudinem maiorem, vel minorem; & sic conueniunt solum quantitati continuæ. Secundo modo, longum dicit dilatationem, seu prolongationem syllabæ; breue verò correptionem, seu restrictionem in eodem: & sic longum, & breuè competunt quantitati discretæ. Ex quo formaliter ad argumentum, nego minorem. Ad probationem, dico, verum esse antecedens de longo, & breui propriè, non transsumptiuè acceptis, quia sic conueniunt quantitati discretæ.

Obijcies tertio, ex Mastrio hic, disput. 7. numero 50. si oratio formaliter est vna; ergo aliquali vnitate est vna; tunc quæro de illa vnitate, vel est diuisibilis, vel indiuisibilis; sed neutrum est dicendum; ergo. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur. Non est dicendum primum; quia cum esset diuisa in partes vnitatum materialium, quæ secundum te nullam vnitatem dicunt, nec ipsa esset vna. Nec secundum; quia indiuisibilitas repugnat quantitati, cum diuisibilitas sit eius propria passio, vt cum Scoto, quæstione 9. libri quinti Methaphysic. conclusum est superius: tum quia repugnat, idem accidens esse simul in pluribus subiectis distinctis, ac loco dissitis; igitur nullo modo potest facere vnum per se.

Respondetur, talem vnitatem, quæ esset passio consequens formam specificam orationis, esse indiuisibilem formaliter, ac indiuisibiliter existere in partibus materialibus orationis cum sua forma specifica, vt dictum est superius de forma, & vnitate specifica numeri. Ad probationem contra, dico sufficere orationi pro formali, quatenus est totum integrale, posse diuidi in partes integrales, vel essentiales, ad hoc, vt possit dici quantitas discreta; nec esse necessarium, vt diuisibilis sit formaliter per se; vt patet de composito physico, quod indiuisibiliter manet in suis partibus, esto sit resolubile in illas. Ad secundam probationem dico cum Scoto, in 4.d. 1. quæst. 2. ad primum argumentum princip. sub lit. O. esse falsum, vniuersaliter loquendo de accidente vt sic; quia vna relatio potest fundari in duobus fundamentis inter se loco dissitis, vt patet de duobus trahentibus vnam nauim; nec habere veritatem etiam in accidentibus absolutis, quando subiectum est tantum denominationis, vt esset in proposito; quamquam admitti possit de subiectis inhæsionis; sed nihil ad nos, cum talis vnitas esset simul cum sua forma in illis vnitatibus materialibus, tantum denominatiuè, & non inhæsiuè.

Obijcies quarto Scotum, in quarto sent. d. 1. quæst. 2. sub lit. O. dicentem, orationem ex multis syllabis non facere vnum per se; sed oratio per nos, est quantitas discreta; ergo quantitas discreta non est vnum per se, & per consequens oratio non est eius species.

Respondetur, Doctorem Subtilem eo loci esse locutum de oratione, vt significatiua, quam & nos concedimus, non facere vnum per se, præscindendo ab ordinatione intellectus, & impositione voluntatis; non de ipsa, vt est quantitas discreta, vt patet ex contextu; quia sic certum est, secundum ipsum, facere vnum per se, & quatenus est totum integrale, & etiam prout est totum essentiale methaphysicum, vt dictum est superius in præcedenti cum eodem Scoto, in quinto methaphys. quæst. 9. & 8. methaphysicæ, quæst. vn. & in expositione ad tex. 15. conuenientia tertia inter numerum, & diffinitionem.

Obijcies quinto, contra secundam conclusionem. Numerus, & oratio per hoc solum distinguuntur; quod ille in omnibus continuis inueniri potest, oratio verò solum in literis, & syllabis; sed hæc differentia, cum se teneat ex parte subiecti, est tantum materialis, & non formalis; ergo numerus, & oratio solum materialiter, & non formaliter distinguuntur.

Respondetur, negando maiorem. Licet enim talis differentia ex parte subiectorum distinguat numerum, & orationem à posteriori, & materialiter, tamen præsupponit differentiam formalem, & essentialem eorumdem ab inuicem per proprias differentias specificas, nobis innominatas, quæ supplentur per extensionem secundum vnitates in numero, & per extensionem secundum tempora mensurantia syllabas in oratione.

An quantitas discreta, sit vera species quantitatis, vt est Genus Generalissimum?

SECTIO IV.

Expeditis in præcedentibus Sectionibus, quæ necessariò exigebantur ad intelligentiam Quæstionis propositæ, superest, vt soluamus quæsitum principale, & ideò ponitur huiusmodi conclusio. Quantitas discreta, prout comprehendit sub se numerum, & orationem, est vera species quantitatis in communi, distincta essentialiter à quantitate continua. Est ferè communis contra primam sententiam. Probatur. Quia quantitas discreta, prout distinguitur à continua, sufficienter saluatur in numero, & oratione, tamquam genus in suis speciebus,

bus; sed numerus, & oratio sunt veræ species quantitatis discretæ; ergo, & quantitas discreta, est vera species subalterna quantitatis in communi. Maior, & Minor sunt manifestæ ex dictis. Secundo sic. Diffinitio quiditatiua constat ex genere, & differentia, ex Aristotele, septimo Methaphys. t. c. 43. Si est diffinitio speciei; sed in diffinitione quiditatiua quantitatis discretæ, ponitur quantitas in communi, tamquam genus; ergo quantitas discreta, est vera species subalterna quantitatis in communi. Minor est clara ex diffinitione quantitatis discretæ, tradita ab Aristotele in textu. Secunda Pars patet. Quia quantitas discreta distinguitur à continua, quia non habet partes copulatas termino communi, sicut continua, vt videre est in litera; sed hæc innuunt nobis differentias specificas constitutiuas vtriusque; ergo quantitas discreta, & continua, inter se specificè, & essentialiter distinguuntur.

Obijcitur primo. Quantitas discreta, non est ens per se; ergo non est species quantitatis. Consequentia patet. Quia species cum constet ex genere, & differentia, debet esse ens per se. Antecedens probatur. Ex multis entibus non fit vnum per se, nisi interueniat aliqua vnitas; sed partes quantitatis discretæ nulla vnitate copulantur; ergo quantitas discreta non est vnum ens per se. Maior patet. Minor probatur. Quia non copulantur nec vnitate integrali intensiua, aut extensiua, nec physica, aut methaphysica; ergo nulla vnitate copulantur.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, nego minorem. Ad cuius probationem dico, quantitatem discretam habere vnitatem integralem, quatenus resultat ex suis partibus, & etiam vnitatem methaphysicam, prout constat ex genere, & differentia, vt sufficienter demonstratum est superius.

Obijcitur secundo. Ex multis entibus in actu, non fit vnum per se, ex Aristotele 8. methaphys. t. com. 15. sed vnitates sunt plura entia in actu completa, quia sunt causatæ ex diuisione continui; ergo, &c.

Respondetur, maiorem esse veram si talia non sint ordinata, vt partes integrales, vel vt essentiales ad constituendum aliquod totum, vel integtale, vel essentiale. Modò vnitates causatæ est diuisione continui, si considerentur physicè, sunt partes integrales, ex quibus resultat numerus prædicamentalis; si verò attendantur methaphysicè, sunt partes essentiales, pro quanto in illis reperitur genus, & differentia numeri, vt satis explicatum est superius, sectione secunda.

Obijcitur tertio, contra secundam partem conclusionis. Quia copulari partes termino communi, vt accidit in quantitate continua, & non copulari aliquo termino communi, se habent, vt affirmatio, & negatio; sed pura negatio, sicut non est constitutiua alicuius speciei positiuæ, sic nec diuisiua, seu distinctiua eius ab alia specie; ergo quantitas discreta, non est distincta essentialiter à continua, sed erit meta negatio continuitatis partium diuisarum.

Respondetur, maiorem esse veram connotatiuè, non tamen formaliter. Quia sicut copulari partes aliquo termino communi, supponit differentiam formalem constitutiuam quantitatis continuæ, sic non copulari partes aliquo termino communi, indicat aliquod positiuum, per quod constituatur in esse quantitas discreta, & quo formaliter secernatur a continua.

De Ad aliquid, seu de relatiuis.

CAPVT III.

Post Prædicamentum quantitatis, statim Prædicamentum Relationis, seu Relatiuorum se se nobis offert explicandum. Et licet secundum Simplicium, & Boetium, attento ordine naturæ, prius de qualitate debuisset Philosophus

egisse, quam de Relatione, cum sit ens absolutum, & consequenter prior in entitate, & perfectione; nihilominus ordine doctrinæ, qui in eo consistit, ut prius necessaria ad cognitionem tradantur, siue priora, siue posteriora sint ordine naturæ, debuit præmittere qualitati Relationem, ne tamdiu videretur differre necessaria, ad cognitionem quorumdam relatorum, utpotè magni, parui, æqualis, inæqualis, & aliorum, de quibus egit in prædicamento quantitatis.

Istud Caput diuiditur in tres partes. In quarum prima Philosophus tradit diffinitionem Relatiuorum secundum mentem Antiquorum, & incipit ibi. Ad aliquid verò talia dicuntur &c. In secunda, iuxtà dictam diffinitionem, enumerat quatuor proprietates Relatiuorum, & incipit ibi. Inest autem, & contrarietas, &c. Et in tertia impugnat dictam diffinitionem Antiquorum, & ponit propriam ibi. Habet autem dubitationem, &c. & ibi. Si autem non sufficienter, &c.

Quoad primam partem, Diffinitio Relatiuorum, quam tradunt antiqui, est huiusmodi. Ad aliquid verò talia dicuntur, quæcumque hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet alter ad alterum. Idest. Relatiua dicuntur illa, quæ ad aliud referuntur, ut ad suum terminum, sub habitudine alicuius casus, scilicet genitiui, datiui, vel ablatiui. Exemplum de omnibus: ut Pater filij Pater: filius Patris filius: Similis simili similis: maius minore maius. Nam Pater refertur ad filium, similis ad similem, & maius ad minus, & è conuerso.

Quoad secundam partem, ponit quatuor proprietates Relatiuorum, quarum prima, est. Quod Relatiuis inest cōtrarietas. Ut virtus contrariatur vitio, scientia ignorantiæ, magnum paruo, & æquale inæquali. At hæc non est propria relatiuis, quarto modo, cum non conueniat omnibus relatiuis; nam duplum non contrariatur dimidio, nec Pater filio, & tamen sunt relatiua.

Secunda proprietas. Relatiua suscipiunt magis, & minus. Quia unum dicitur magis, vel minus simile alteri, & unum dicitur magis, vel minus æquale alicui, quam aliud: sed simile, & æquale sunt relatiua; igitur aliqua relatiua suscipiunt magis, & minus. Nec ista proprietas conuenit relatiuis in quarto modo, quia non omnibus conuenit; nam unum duplum, non est magis, vel minus duplum alio, neque triplum, nec Pater, nec filius, & tamen sunt relatiua.

Tertia Proprietas. Relatiua dicuntur ad conuertentiam. Idest prædicantur de se inuicem mediante obliquo sui correlatiui: ut pater filij pater: filius, patris filius: seruus Domini seruus: maius minore maius. Ad cognoscendum tamen quodnam sit illud relatiuum cum quo aliud conuertitur, dicit Philosophus, quod quędam correlatiua differunt in cadentia finali à suis relatiuis: ut scientia scibilis scientia: scibile scientiæ scibile: sensus sensibilis sensus: & sensibile sensus sensibile. Alia verò differunt nomine, quia non habent nomen impositum, quod fingere debemus, ut facilius explicare possimus naturam relatiui, & correlatiui: ut ala non habet auem pro correlatiuo, quia multa animalia habent alas, & tamen non sunt aues, sed eius correlatiuum est res alata. Caput non refertur ad animal, sed ad capitatum: temo non refertur ad nauigium, cum multa sint nauigia carentia temone, sed ad rem temonatam, & sic de alijs. Quæ si dicantur ad conuertentiam, debemus sic facere prædicationem: ala alati ala: alatum ala alatum: caput capitati caput: capitatum capite capitatum; & sic de reliquis similibus.

Quarta proprietas. Relatiua sunt simul natura. Idest simul naturali existentia. Quia altero existente, & aliud existere necesse est; nam existente patre, existit filius, & è conuersò; & destructo patre, destruitur esse filij, quoad relationem, non quoad esse absolutum. Ex quo infertur tamquam correlatiuum, quod relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt. Quod si fuerint aliqua relatiua, quæ dicantur ad aliud, & non sint simul natura, deducitur huiusmodi, nec propriè dici ad conuertentiam, &,

consequenter non fore propriè relatiua. Huiusmodi autem sunt relatiua tertij modi, quæ tantum impropriè relatiua dicuntur; de quibus agit Philosophus 5. Meth. cap. de ad aliquid; & nos ea describemus in quæstionibus.

Quoad tertiam partem, impugnat primo diffinitionem Antiquorum. Quia illa diffinitio non est bona, quæ competit alijs à diffinito; sed supradicta diffinitio est huiusmodi, quia competit substantiæ, saltem secundum suas partes: & scientiæ, quæ est qualitas; siquidem caput, dicitur alicuius caput; manus alicuius manus, quæ sunt substantiæ; similiter scientia, alicuius scibilis scientia; & tamen scientia est qualitas; igitur non competit solis relatiuis, & per consequens non est bona.

Quarè si talis diffinitio non est bona, & conuenienter assignata, (alioquin difficile esset ostendere, substantiam, saltem secundum suas partes, non dici ad aliquid) assignanda est propria, quæ tantum relatiuis conueniat, & est huiusmodi. Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodo se habere. Idest. Relatiua sunt illa, quæ secundum totum suum esse, quod formaliter habent, ad aliud referuntur, scilicet ad suum correlatiuum, vt ad suum terminum: vt pater refertur ad filium, duplum ad dimidium &c. Dicitur autem notanter, secundum totum suum esse, quod formaliter habent, referuntur ad aliud. Vt excludantur ab hac diffinitione relatiua secundum dici, quæ secundum suum esse formale, sunt absoluta, concomitanter verò, sunt relatiua: vt scientia, quæ formaliter est qualitas; caput, manus, quæ sunt essentialiter substantiæ, & solum concomitanter sunt relatiua; quia scientia ad scibile, & manus, & caput ad illud, cuius sunt partes, referuntur.

Deindè infert quoddam correlarium, per quod ponit differentiam inter propriam diffinitionem, & illam datam ab Antiquis, dicens. Si quis diffinitè nouerit vnum relatiuorum, diffinitè noscet, & reliquum. Idest. Si quis nouerit assignare diffinitionem propriam vnius relatiui, idest patris, noscet etiam assignare diffinitionem alterius, idest filij; talis enim, est quiditas, & natura relatiuorum, quæ propriè talia dicuntur, vt mutuo se respiciant secundum diffinitiones: at relatiua quibus conuenit diffinitio Antiquorum, non ita se habent, cum alterum secundum quiditatem possit sine altero cognosci; non enim se respiciunt mutuò quiditatiuè, sed tantum concomitanter, vt patet. Quia potest quis scire diffinitionem scientiæ, absque diffinitione scibilis; & diffinitionem capitati, sine diffinitione capitis, cum vtraque sint entia absoluta, ab inuicem formaliter, & quiditatiuè distincta. Vndè differentia est inter diffinitionem Antiquorum, & Aristotelis; quia illa compræhendit omnia relatiua, siuè propriè, siuè impropriè dicta, seù quæ vocantur secundum esse, & quæ appellantur secundum dici; hæc verò solum conuenit relatiuis secundum esse; idest, quę secundum quiditatem talia dicuntur.

Tamdem se excusat dicens. Fortasse autem difficile sit de eiusmodi rebus vehementer asserere, nisi ea sæpè pertractata sunt; dubitasse autem de horum vnoquoque, non est inutile. Idest. Nemo mirari debet, si ea quæ de relatiuis dixit, non ità assertiuè, sicut fecit in alijs protulit; quia in rebus difficilibus, non est ita facile eum assertione procedere, nisi talia sæpè pertractata sint; at dubitasse in eisdem, vbi sunt ad vtramque partem rationes probabiles, non est inutile, imò valdè confert ad inueniendam, & firmandam veritatem. Et hac de textu, Summatim dicta, sufficiant.

(∴)

De Relationibus.

DISPVTATIO VII.

Vtrum ad aliquid, sit speciale genus entis realis generalissimum, à cæteris realiter distinctum. Et quodnam sit illud?

QVÆSTIO I.

Circa priorem partem huius quæstionis, extat duplex opinio. Quarum prima est Zenonis Eleatis, & omnium Antiquarum, qui Aristotelem præcesserunt, asserentium, Ad aliquid, non facere peculiare genus entis realis, sed inclusum, ac permixtum manere in omnibus prædicamentis. Ita refert Auerroes, quinto Methaphys. comment. 20. & 12. Methaphys. comment. 19. Auicen. lib. 3. suæ Methaphysicæ, cap. 10. cum alijs multis ex antiquis. Hanc sententiam post Zenonem secuti sunt alij non pauci, tam ex antiquis, quam ex modernis, vt Gulielmus Ochamus, in primo, d. 3. quæst. 1. vbi etiam Aureolus apud Capreolum, in secundo, d. 30. quæst. 1. & nonnulli ex Soc. Iesu, quos in disceptationibus audiui, tum Romæ, tum Mantuæ: addentes, non dari relationes reales à parte rei præter operationem intellectus, sed omnia referri ad se inuicem per solas relationes rationis ab intellectu confectas, comparando vnam rem cognitam ad aliam pariter cognitam.

Secunda opinio est Platonis, & Aristotelis in tex. & quinto Methaphys. cap. de Ad aliquid: asserentium dari ad aliquid, & esse speciale genus generalissimum entis realis à cæteris distinctum. Hos secuti sunt ferè omnes, tum ex Philosophis, tum ex Theologis: illi apud Aristotelem, 5. Methaphys. vel hic, capit. de Ad aliquid: isti verò cum Magistro sent. in primo, d. 28. vel 30. D. Thom 1. p. q. 28. Aliensis ibi, quæst. 9. Henric. quol. 3. q. 4. & quol. 9. quæst. 3. Boetius de Trinitate, cap. 11. & alij multis, &c.

Circa secundam partem quæstionis, Fonseca, lib. 5. Methaph. cap. 15. quæst 6. sect. 2. & 3. ait, supremum genus huius prædicamenti non esse relatiuum, sed relationem, pro quanto est ratio referendi vnum relatiuum ad aliud.

Alij verò oppositum sentientes docent, supræmum genus huius prædicamenti potius consistere in relatiuo concreto, quam in relatione abstractiuè sumpta. Et pro hac opinione citatur, sed perperam, à Ruuio, & refellitur ab eo, noster Doct. Subr. in primo, d. 21. quæst vnic. siquidem in tota illa quæstione inuestigat veritatem illius propositionis: solus Pater est Deus: & solum sub D. & E. loquitur aliqualiter de relatiuis, & ibi habet dumtaxat, quod relatiuum in communi, non referatur ad correlatiuum in communi, sed solum pro inferioribus; aliter relatiua æquiparantiæ, non continerentur sub relatiuo in communi, vt optimè probat. An verò rationes habeant efficaciam, contra Scotum, examinabimus inferius.

Alij tandem, quos sequuntur Toletus hic, quæst. 2. & Ruuius quæst. 3. dicunt supræmum genus huius prædicamenti, si sumatur in concreto, esse relatiuum in communi; relationem verò, si accipiatur in abstracto: siquidem, nedum abstracta, verum, & concreta ponuntur in prædicamentis, vt supra probauimus, disputat. 1. Et hæc sententia est cæteris probabilior, à qua nec Scotus recedit, vt infra demonstrabimus. Cæterum quia quæstio multas inuoluit difficultates, quæ simul, non ità facilè dissolui possunt, propterea singillatim de omnibus pertractabimus ordine sequenti.

(.:.)

Vtrum

Vtrum, præter relationes rationis, admittendæ sint relationes reales, à suis fundamentis realiter distinctæ?

SECTIO I.

Nominales respondent negatiuè ad hanc quæstionem: quandoquidem dicunt non esse necessarium admittere relationes reales, cum quilibet ordo ad aliud, possit optimè saluari per relationes rationis. Et estò deberent aliquæ concedi præter operationem intellectus, tales non forent realiter distinctæ à suis fundamentis. Ita Ochamus, & Maior, in primo, d. 3. q. 1. Durandus, quæst. 2. Gregorius Arim. d. 28. quæst. 2. art. 1. & nonnulli ex Thomistis, vt Iauellus, Soncinas, & Heruæus Natalis, quorum meminit Ruuius hic, q. 13. n. 126.

Oppositam tamen sententiam defendunt communiter Scholastici vtriusque Scholæ Thomist. & Scotistarum, quamquam diuersimode loquantur de relationibus transcendentalibus, & prædicamentalibus, vt infrà dicemus. Vndè pro declaratione, ac fundamento huius posterioris sententiæ.

Primo notandum est, ex Doct. Subtili in quol. quæst. 3. art. 1. Ens, & rem, cum dicantur ad conuertentiam, posse tripliter accipi. Primo modo, vt distinguuntur contra nihil: & sic entia rationis possunt dici res, quia sunt extra nihil, Secundo modo, vt distinguuntur contra entia rationis: & sic omnia, quæ habent esse extra animam, & præter operationem intellectus, vel alterius potentiæ collatiuæ, dicuntur res. Tertio modo, prout comprehendunt omnia, quæ ponuntur in decem prædicamentis. Cum autem relationes transcendentales, & prædicamentales habeant esse præter operationem intellectus, & multæ reponantur in prædicamento Ad aliquid, ac in alijs sex vltimis prædicamentis, vt inferius demonstrabitur, sequitur dari relationes reales, quæ sint veræ res contradistinctæ à relationibus rationis.

Secundo notandum, ex eodem Doctore ibidem, Relationes reales esse veras res, posse dupliciter intelligi. Vno modo absolutè; & sic sunt veræ res; tum quia continentur sub ente reali, tum etiam quia contradistinguuntur ab ente rationis, & à nihilo. Alio modo comparatiuè in ordine ad entia absoluta, cuiusmodi sunt substantiæ, quantitates, & qualitates, quarum esse est ad se, & non ordinantur ad aliud: & sic non possunt dici veræ res; tum quia totum illarum esse est aliud, tum etiam quia sunt tam exiguæ entitatis, vt duplici egeant fulcimine, scilicet fundamento, & termino, ac propterea ab aliquibus, & ab ipso Scoto loco citato, vocentur modi rerum, scilicet substantiæ quantitatis, & qualitatis, super quibus fundantur; nihilominus, absolutè loquendo, sunt veræ res, cum participent cum cæteris, quæ veræ res appellantur, esse reale, & quiditatiuum entis finiti, ac limitati, dum æqualiter in decem genera partitur.

Tertio notandum est. Relationes reales, esse in duplici differentia; siquidem aliæ dicuntur transcendentales, & illimitatæ, & aliæ prædicamentales, ac limitatæ. Relationes transcendentales, & illimitatæ sunt illæ, quarum fundamenta nequeunt esse sine terminis, vt relatio creaturæ ad Deum, materiæ ad formam, potentiæ ad actum, & huiusmodi; quia sicut simpliciter repugnat creaturarum esse, & non dependere à Deo, ita saltem de potentia naturali implicat, materiam esse sine forma, & potentiam sine omni actu. Dicuntur autem transcendentales, vel quia conueniunt enti, antequam descendat in decem genera, vel quia reperiuntur in omnibus, vel saltem pluribus prædicamentis. Relationes verò prædicamentales, seu limitatæ, quia spectant ad peculiaria genera, dicuntur illæ, quarum fundamenta non dependent essentialiter à suis terminis, sed absque contradictione possunt esse sine illis; vt paternitas, filiatio, similitudo, æqualitas, & huiusmodi. Relationes autem transcendentales adhuc sunt

sunt in duplici differentia; quædam enim sunt actuales, quia requirunt terminum actualiter existentem, vt est dependentia creaturæ ad Deum; quædam verò aptitudinales, quibus sufficiunt termini in aptitudine; vt risibilitas terminatur ad ridere, quod non semper est in actu.

Quarto notandum, relationem actualem, siue transcendentalem, siue prædicamentalem esse duplicem, scilicet intrinsecus, & extrinsecus aduenientem. Relatio intrinsecus adueniens est, quæ insurgit, ex natura extremorum in quacumque distantia positorum, necessariò, & inimpedibiliter; vt relatio paternitatis, filiationis, similitudinis, æqualitatis, & huiusmodi; quando quidem positis fundamento, & termino, nec per diuinam potentiam impediri possunt, quin resultent; & dicunt habitudinem actualem extremorum ad inuicem. Relatio verò extrinsecus adueniens est, quæ non oritur ex natura extremorum in quacumque distantia, & inimpedibiliter, sed requirit approximationem eorumdem, & concursum diuinum; vt relatio agentis ad passum, loci ad locatum, & cæteræ huiusmodi; siquidem requiritur approximatio, vt v. g. combustibilis ad ignem; & ipsa posita, adhuc potest impediri relatio combustionis, vt patet de tribus pueris in camino ignis ardentis, de Daniele in lacu leonis, &c. quæ virtute diuina fuerunt impeditæ, nè insurgerent, quamuis extrema fuerint debitè approximata. Relationes intrinsecus aduenientes, saltem prædicamentales, requirunt tres conditiones. Prima, quod extrema sint realia. Idest non pendeant in ratione fundandi ab opere intellectus. Secunda, quod extrema sint realiter distincta. Quia eiusdem ad se, nequit esse realis habitudo. Quod dicitur propter relationes extrinsecus aduenientes mouentis, & moti; nam Angelus, & voluntas possunt mouere se, & nemo ignorat eiusdem ad seipsum non esse distinctionem realem. Tertia tamdem, quod oriantur ex natura extremorum, & non dependenter ab alio, vt puta ab intellectu, vel ab agente extrinseco.

Quinto notandum est, ex communi omnium sententia, in quacumque relatione actuali septem reperiri, scilicet fundamentum, terminum, subiectum, relatiuum, correlatiuum, relationem, & correlationé. Vt in relatione paternitatis ad filium, fundamentum est potentia actiua generandi in patre; terminus potentia passiua ad generari in filio; subiectum ille homo, qui denominatur pater, vel filius. Relatiuum, quod relatione refertur, est pater; correlatiuum filius; relatio, qua relatiuum refertur ad correlatiuum, est paternitas; & filiatio, per quam filius correfertur ad patrem, dicitur correlatio. Et hic ordo est desumptus à Scoto, in secundo, d. 1. quæst. 1. ad primum argumentum D. & in primo, d. 35. q. vn. & d. 30. q. 2. vbi dicit, prius esse absolutum in causa, deindè absolutum in effectu; postea relatio in effectu ad causam; & tamdem relatio, si qua sit, causæ ad effectum.

Sexto notandum, ex Scoto diuersis in locis suæ doctrinæ, relationes esse in quadruplici differentia; quædam enim fundantur in absoluto, & terminantur ad absolutum; vt paternitas, quæ fundatur in potentia generatiua patris, & terminatur ad potentiam passiuam in filio, quæ sunt res absolutæ; quædam fundantur in absoluto, & terminantur ad respectiuum; vt relatio distinctionis fundata in albedine, & terminata ad similitudinem: quædam autem fundantur in respectiuo, & terminantur ad absolutum; vt distinctio fundata in similitudine, & terminata ad albedinem; quædam denique fundantur in respectiuo, & terminantur ad respectiuum; vt relatio proportionis fundata in vna æqualitate, & ad aliam æqualitatem terminata. Ex his habetur, quod relationes quæ fundantur in absoluto, & terminantur ad absolutum, distinguuntur realiter à fundamento; quia sibi non repugnat esse sine termino; reliquæ verò identificantur fundamentis, quia talia nequeunt esse sine suis terminis. Secundo infertur, cum relationes prædicamentales fundentur in absolutis, & terminentur ad absoluta, quæ inter se realiter distinguuntur, & quod ipsæ pariter realiter distinguãtur à suis fundamentis; siquidem vnum absolutum potest esse sine alio, ab ipso realiter distincto. Relationes verò transcendẽtales, siue aptitudinales, siue actuales, sunt realiter identificatæ suis fundamentis; quia cum illa pendeant essentialiter a terminis, nequeunt esse sine illis; sicque, fit, vt relationes

sem-

semper insint; quandoquidem manente eodem fundamento, & termino, perseuerat eadem relatio, sicut destruitur ad destructionem fundamenti, vel termini, à quibus essentialiter dependet, vt infrà fusius probabimus in propria quæstione.

Ex his, fit prima Conclusio. Præter relationes rationis, (de quibus satis egimus in Tractatu secund. Intentionum) dantur etiam relationes reales à parte rei, independenter ab opere intellectus collatiuo. Est Scoti, in secundo, d. 1. q. 4. §. & quia posset, &c. sub lit. E. Auicenæ, tertio methaphysicæ, cap. de Relatione: à quo idem Doctor sumpsit ferè omnes probationes. D. Thomæ, ac omnium Thomistarum. Probatur. Quod habet esse seclusa operatione collatiua intellectus, saltem est ens reale, prout reale distinguitur ab ente rationis; sed aliquæ relationes sunt huiusmodi; ergo. Maior patet, per diffinitionem entis realis, & differentiam eius ab ente rationis, ac ex not. primo. Minor probatur. Quia paternitas, filiatio, sursum, deorsum, actio, passio, sunt relationes, cum dicant habitudinem ad aliud; sed tales sunt reales, cum habeant esse nullo considerante intellectu; ergo dantur à parte rei relationes reales, præter relationes rationis. Secundo sic. Quia scientia realis nequit esse de subiecto, quod sit ens rationis; sed aliquæ scientiæ reales sunt de relationibus; ergo huiusmodi relationes debent esse reales. Maior patet Quia scientia mensuratur ab obiecto, ex Aristotele, quarto meth. & primo Posteriorum; ergo si scientia est realis, & subiectum debet esse reale. Minor est Philosophi, 13. meth. c. 2. vbi demonstrat multas relationes proportionis, æqualitatis, & inæqualitatis, &c. de lineis, corporibus Mathematicis, & alijs, quę considerantur in scientijs Geometriæ, & Arithmeticæ, ac Astrologiæ; atqui certum est, scientias Mathematicas esse reales, & non rationis, ex eodem Philosopho, sexto, & 11. meth. vbi diuidit scientias reales, & speculatiuas, in naturalem, mathematicam, & diuinam; ergo de mente Philosophi, dantur relationes reales. Aliæ rationes, quibus Scotus probat hanc conclusionem, videantur in loco citato.

Secunda conclusio. Relatio realis est ens, & res absolutè, ac formaliter secundum se, & non ratione fundamenti tantum Est Scoti loco citato, sub E. Probatur prima pars. Quod continetur sub ente reali, reuera est ens, & res absolutè; quia superius includitur essentialiter in quolibet inferiori; sed relatio est huiusmodi, vt dictum est not. primo; ergo relatio absolutè est ens, & res. Secunda pars probatur. Fundamentum est quid absolutum, vel formaliter, vel æquiualenter; quod dico propter illas relationes, quæ fundantur super alijs relationibus; siquidem tunc gerunt vicem entium absolutorum; ergo nequit esse de conceptu relationis, quæ est ens respectiuum. Consequētia patet. Quia prædicamenta sunt impermixta, vt sæpius probatum est. Antecedens patet. Quia relationes, vt plurimum fundantur super substantia, quantitate, & qualitate, quæ sunt entia absoluta, & ad se.

Tertia conclusio. Relationes reales prædicamentales, distinguuntur à suis fundamentis realiter, transcendentales verò minimè. Prima pars, est Scoti loco citato, cōtra Henricum, & Nominales §. Contra istam opinionem. Secunda verò pars, est eiusdem ibidem sub M. Probatur prima pars. Quæ possunt ad inuicem separari, distinguuntur realiter; sed relationes prædicamentales, & earum fundamenta sunt huiusmodi; ergo distinguuntur realiter. Maior patet. Minor probatur. Quia fundamenta relationum prædicamentalium possunt esse sine illis absque contradictione; ergo, & separari possunt ab inuicem. Consequentia patet. Antecedens probatur. Quia fundamenta possunt esse sine suis terminis; ergo etiam sine relationibus. Antecedens patet. Quia sunt duo absoluta distincta realiter, & prius non dependet à posteriori, nec è conuersò necessariò; ergo fundamenta possunt esse sine terminis. Antecedens patet, de duobus albis, de duobus quantis, & de duobus hominibus, super quibus respectiuè fundari possunt relationes similitudinis, æqualitatis, & identitatis, vel productionis. Consequentia etiam patet. Quia relatio pendet essentialiter à fundamēto, & termino realiter existentibus; ergo altero amoto, vel destructo, amouetur, vel destruitur etiam relatio. Confirmatur. Quia album ad præsentiam alterius albi, dicitur illi simile, & amoto, non dicitur amplius simile; sed

non

non poterat dici simile, nisi per relationem similitudinis ; ergo cum non dicitur amplius simile , hoc illi euenit per realem deperditionem eiusdem relationis. Secunda Pars probatur. Creatura nequit esse sine relatione ad Deum creantem , & talis est transcendentalis; ergo relatio transcendentalis, est realiter eadem suo fundamento. Antecedens patet. Quia creatura nequit esse sine Deo; ergo sine relatione nequit esse, quam dicit ad Deum; siquidem manentibus fundamento , & termino , perseuerat relatio. Consequentia primi Enthimematis probatur. Quia quod inest alicui, sine quo illud nequit esse sine contradictione, est sibi realiter idem; ergo si relatio transcendentalis ita inest suo fundamento, vt implicet posse esse sine illa, sequitur quod identificetur illi. Antecedens patet. Quia sicut contradictio de aliquibus, indicat distinctionem inter illa, ita repugnantia contradictionis, arguit identitatem. Secundo probatur: Quia illa relatio, cuius fundamentum nequit esse sine termino, est sibi eadem realiter; sed relationes transcendentales sũt huiusmodi; ergo non possunt esse sine fundamentis , & consequenter identificantur illis. Maior patet. Quia positis fundamento, & termino, implicat non insurgere relationem inter illa, saltem intrinsecus aduenientem. Minor similiter est manifesta. Quia relationes transcendentales faciunt dependere essentialiter fundamenta à terminis , vt patet de relatione creaturæ ad Deum, totius ad partes, materiæ ad formam saltem naturaliter, & de similibus, vt dictum est, Not. sexto. Tertio sic. Si Relatio transcendentalis, posset distingui realiter à suo fundamento, sequeretur posse dari processum in infinitum , sed hoc esset contra Philosophum, primo Posteriorum; ergo. Sequela maioris probatur . Quia accipio exempli gratia , relationem dependentiæ creaturæ ad Deum, & quæro an sit eadem, vel distincta realiter a creatura. Si primum dixeris, habeo intentum. Si secundum, cum, & ipsa sit quid creatum; ergo alia dependentia dependet à prima relatione; & tunc quæro de illa, an sit eadem, vel distincta realiter . Si primum concesseris, non sit maior ratio de vna, quam de alia ; ergo, & prima erat eadem realiter suo fundamento. Si secundum dixeris; ergo dependet alia dependentia, de qua quæram sicut prius, & sic daretur processus in infinitum in dependentijs, quod non est dicendum. Restat ergo , quod relatio transcendentalis sit eadem realiter suo fundamento .

Quarta conclusio. Esto relationes transcendentales sint eædem realiter suis fundamentis, vt probatum est, non sunt tamen de conceptu formali eorumdem. Est Doct. Subtilis loco citato I. Probatur primo sic. Nullum respectiuum, est de conceptu formali absoluti , nec è conuersò ; sed fundamenta sunt absoluta, & relationes de genere respectiuorum; ergo. Maior patet. Quia alia est diffinitio quidditatiua absoluti , & alia respectiui ; sed diffinitio explicat quiditatem, & conceptum formalem, cuius est diffinitio, ex Aristotele, 7. metaphys. t. c. 41. 42. ergo. Secundo probatur. Quia ex D. August. 7. de Trinit. cap. 2. omne quod relatiuè dicitur, est aliud excepto relatiuo ; sed fundamentum relatiuè dicitur, Idest refertur relatione ad suum terminum; ergo, & aliud à relatione, non realiter, vt probatum est ; ergo formaliter.

Obijcies primo, cum Nominalibus, contra primam conclusionem . Si relatio esset res realis, alia à fundamento, sequeretur dari mutationem in fundamento , per eius aduentum in illo; sed hoc est falsum, quia tunc ad relationem esset motus, contra Philosophum, quinto physicorum, t. c. 10. & contra Boetium, 3. de Trinit. ac D. Anselmum in Monologio, cap. 24. qui ideò in Deo admittit denominationes relatiuas , quia ex ipsis nulla sequitur mutatio ; ergo falsum est, per aduentum relationis dari mutationem in fundamento .

Respondetur, ex Doct. Subt. in secundo, d. 1. q. 5. sub G. & quolib. 11. sub k. Sequelam maioris esse veram de mutatione impropriè dicta, quæ nil aliud dicit, quam rem aliter se habere nunquam prius, siue ad se , siue ad alterum , sicut accidit in relatione intrinsecus adueniente; non tamen de mutatione propriè dicta ; quia non potest esse in subiecto, sine nouitate formæ in eodem. Ad auctoritatem Philosophi, dico esse veram loquendo de motu propriè dicto, non de motu impropriè, quia sic, secundum ipsum , ad relationem potest esse motus .

Vel

Vel dicendum, cum eodem Doctore secundo loco citato, negando minorem. Ad probationem dico, Philosophum loqui de forma, quę propria acquisitione acquiritur in subiecto, siue sit absoluta siuè respectiua, cuiusmodi sunt relationes extrinsecus aduenientes, quæ non necessariò cōsequuntur extrema posita in esse; non tamen de forma relatiua intrinsecus adueniente; quia cum talis non acquiratur per se, sed tā tum ad positionem extremorum sequatur, consequenter, non potest terminare motum, & tamē non sequitur, huiusmodi formas posse aduenire; fundamentis sine aliqua nouitate absoluta facta in illis, cum sufficiat mutatio, seu ordinatio illorum ad alterum, scilicet ad terminum. Eodem modo exponendi sunt Boetius, & Anselmus citati.

Obijcies secundo. Quia positis duobus albis, vel duobus quantis eiusdem rationis, secluso quocumque alio, illa dicuntur similia, & ista æqualia; ergo non est cur ponamus relationes reales superadditas talibus fundamentis. Consequentia patet. Quia non sunt multiplicanda entia, sine necessitate. Antecedens probatur. Quia ex Philosopho, quinto Metaphysic. c. 15. t. c. 20. similia sunt illa, quorum qualitas est vna, æqualia verò, quorum quantitas vna; ergo positis duobus albis, vel quantis eiusdem qualitatis, vel quantitatis, secluso quocumque alio, dicuntur similia, vel quanta.

Respondetur, antecedens esse verum fundamentaliter, non formaliter, quia cum simile, sit effectus formalis similitudinis, & æquale æqualitatis, sicut album albedinis, vel quantum quantitatis, nequeunt esse sine eorumdem causis formalibus, quæ sunt relationes similitudinis, & æqualitatis. Ad probationem dico, Philosophum, ibi diffiniuisse similia, & æqualia tantum fundamentaliter, & non formaliter, vt potè, quia faciliùs dignoscuntur, quam per eorum formas relatiuas. Eodem modo soluuntur argumenta, quæ similiter fieri possunt de relationibus distantiæ, differentiæ, distinctionis, & diuersitatis vnius ab alio, quod præcisis relationibus, dicuntur distantia, differentia, distincta, & diuersa fundamentaliter tantum, sed non formaliter.

Obijcies tertio, multa inconuenientia, quæ sequerentur expositione relationum realium. Primum enim sequeretur immutari totum orbem ex motione vnius digiti tantum, ob relationes distantiæ, quæ causarentur in omnibus entibus ad positionem illius digiti, vel ad motionem eiusdem; quod esset maximum inconueniens. Secundum sequeretur, agens creatum posse agere in quacumque distantia, & causare infinitos effectus; sed hoc est falsum; ergo & id vnde sequitur. Consequentia probatur. Quia si essent infinita alba in quauis distantia posita, ad positionem vnius albi eiusdem intensionis hic, sequerentur in eo infinitæ similitudines, quod non est concedendum.

Respondetur ad primum, nullum fore inconueniens; siquidem ad positionem extremorum in quacumque multitudine, etiam infinita, si talia forent possibilia simul, necessariò sequuntur relationes intrinsecus aduenientes, etiam infinitæ in vno, & eodem fundamento; tum quia hæc est natura, & conditio huiusmodi relationum; tum etiam, quia non sunt impossibiles in eodem fundamento, vt docet Scotus, in tertio sentent. dist. 8. quæstion. vnic. tum tamdem, quia mutatio huiusmodi est impropria, & potest esse in subiectis, nulla facta nouitate per acquisitionem formarum absolutarum in illis, vt dictum est in responsione ad primam obiectionem.

Ad secundum, relictis opinionibus multorum Scotistarum, ac Thomistarum, dico cum Doctore Subtili, in 4. d. 13. quæst. 1. lit. C. D. negando sequelam antecedentis, seu maioris. Siquidem relatio intrinsecus adueniens non causatur propriè, sed consequitur, vel resultat ad positionem extremorum in quacumque distantia; vndè nullum est inconueniens, ad positionem infinitorum alborum consequi, vel resultare infinitas relationes similitudinis, etiam in vno, vel pluribus fundamentis, vt dictum est ad præcedens adductum inconueniens.

Obij-

Obijcies quarto. Sequeretur, data veritate conclusionis, partem fore æqualem toti; sed hoc est manifestè falsum, & contra illud commune axioma: omne totum est maius sua parte; ergo, & illud ex quo sequitur. Sequela maioris probatur. Quia si ponatur in quantitate maiori certa relatio ad minorem quantitatem, scilicet dupleitatis ad subduplam, vel dimidiam, tunc quæritur, an talis relatio sit diuisibilis, vel indiuisibilis; sed neutrum est concedendum; ergo. Minor probatur. Si est diuisibilis, cum esset in qualibet parte maioris quantitatis, sequeretur ipsam denominare quamlibet partem duplam, & sic pars esset æqualis toti. Si verò dicatur esse indiuisibilem, sequitur idem; quia esset tota in tota quantitate, & tota in qualibet eius parte; & sic pariter denominaret etiam partem duplam, sicut totam quantitatem; & sic pars foret æqualis toti, quod est contra primum principium, omne totum est maius sua parte.

Respondetur cum Licheto, in 2. d. 1. q. 4. negando sequelam maioris. Ad probationem, posito casu dico, talem relationem dupleitatis esse indiuisibilem, & denominare tantum totam quantitatem modo indiuisibili, cum pro subiecto, vel fundamento sibi determinet totum, & non partem, licet ex consequenti possit etiam esse in partibus eiusdem quantitatis; quandoquidem hæc est natura relationis, quod pro subiecto, seu fundamento, sibi vendicet totum dumtaxat & non partem: ad differentiam accidentis absoluti, quod extenditur ad extensionem subiecti, & denominat quamlibet eius partem, vt patet de albedine existente in pariete, qua non solum totus paries, sed etiam quælibet eius pars dicitur alba.

Obijcies quinto, contra tertiam conclusionem. Quia sequeretur, duo alba non esse similia, etiam si ponantur simul in rerum natura; sed consequens est falsum, & contra rationem similium, de quibus dicit Aristoteles, quinto Meth. cap. de Ad aliquid, quod sunt rerum differentium eadem qualitas; ergo, & antecedens. Sequela maioris probatur. Quia posita similitudine distincta realiter ab albedine, potest fieri, vt album sit sine illa, cum omne prius, saltem per potentiam diuinam, possit separari à suo posteriori; quo facto, erunt alba, & non erunt similia, cum non haberent similitudinem.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem, nego quod infertur; quia positis duobus albis, impossibile est, quin resultet relatio similitudinis inter illa. Ad probationem dico, illam Maximam Scoticam habere veritatem, vbi non est dependentia essentialis vnius ab alio, quod non est dicendum in proposito; quia relatio, positis extremis, dependet essentialiter, & in impedibiliter ab illis.

Contra hanc solutionem, arguunt Recentiores Nominales. Deus ad extra agit liberè, & contingenter ad quemlibet effectum; ergo posito termino, & fundamento, potest suspendere concursum suum, nè sequatur relatio; quo facto, posset conseruare duo alba, quæ tamen essent similia, absque relatione similitudinis. Consequentia patet. Quia certum est, Deum posse impedire causalitatem causæ secundæ efficientis, vt supponitur in doctrina Scoti; ergo &c.

Respondetur, negando consequentiam. Ad probationem dico, illam esse veram, quando effectus non sequitur naturaliter, & de necessitate ad positionem causæ: sicut est in proposito de relatione intrinsecus adueniente, quæ inimpedibiliter dimanat ab extremis in esse positis, etiam in quacumque distantia: ad differentiam relationis extrinsecus aduenientis, quæ potest impediri, quia sequitur extrema ratione alicuius principij extrinseci, scilicet approximationis, vel vnionis extremorum. Et confirmatur responsio. Quia subsistentia in natura substantiali, & figura in quantitate, distinguuntur realiter, & tamen nequeunt à Deo impediri, faciendo naturam non subsistentem, vel in se, vel in alio, aut quantitatem absque vlla figura.

Contra. Quia ex hac responsione sequitur realis identitas relationis cum suo fundamento, contra conclusionem; ergo. Consequentia probatur, ex Doctrina Scoti, in secundo, d. 1. quæst. 5. sub M. vbi habet, quod si detur prius aliquo, cui repugnet ab intrinseco esse sine posteriori, infertur identitas inter illa; ergo cum extrema sint priora relatione, sine qua nequeunt esse, sequitur identitas relationis cum funda-

men-

mento ; & termino.

Respondetur, negando consequentiam. Ad probationem dico, cum eodem Scoto ibidem sub N. illam maximam habere veritatem solum, quando posterius ab intrinseco, & ex natura prioris, habet esse simpliciter ab eo; non tamen si sequatur ab extrinseco ex positione alicuius alterius, sicut accidit in proposito; quia, & si extrema sint priora relatione, & hæc oriatur ex natura extremorum, cum tamen intercedat coexistentia durationis illorum, adhoc vt ponatur in esse, quæ est quid extrinsecum, sequitur, quod non simpliciter oriatur ex illis, ac propterea quod non sit eadem realiter cum eis.

Vel dicendum cum Rada, 3. p. controu. 6. art. 4. conclusione 5. Auctoritatem Scoti habere veritatem, si fiat comparatio vnius ad vnum, non tamen si plurium ad vnum, sicut accidit in proposito; & maximè quãdo vnum illorum non habet dependentiam essentialem ad alterum, & possint ab inuicem separari absque contradictione; vt patet de duobus albis, quia tunc non infertur identitas posterioris ad prius; imò distinctio, sicut, & priora possunt ab inuicem seiungi.

Obijcies sexto. Si relationes prædicamẽtales distinguerentur realiter à suis fundamentis, sequeretur processus in infinitum, in relationibus; sed consequens non est admittendum in Schola peripatetica; ergo nec antecedens, ex quo illud sequitur. Sequela maioris probatur. Quia similitudo si ponatur distincta à suo fundamento realiter; ergo distinctione, quæ est relatio, distinguitur; & tunc quæritur, an distinctio fundata in similitudine sit alia res ab ipsa: si non; ergo, nec ipsa similitudo, cum sit eiusdem rationis: si verò dicatur sic; ergo alietate est alia; de qua quæram sicut prius, & sic processus in infinitum.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, relationem distinctionis, qua formaliter similitudo distinguitur à suo fundamento, non distingui ab ea realiter; siquidem, vt inquit Doctor. Subtilis, in secundo, d. 1. q. 5. G. & H & in 4. d. 12. q. 1. I. relatio, cuius fundamentum nequit esse sine termino, est realiter eadem sibi. Cum autem similitudo nequeat esse sine albedine duorum alborum, consequenter relatio distinctionis fundata super ipsa, est identificata sibi realiter, & sic datur status in secunda relatione: quarè non sequitur processus in infinitum, vt prætendebat argumentum.

Obijcies septimò, contra secundam partem tertiæ conclusionis. Quia relatio creaturæ ad Deum, distinguitur realiter ab ea; sed talis relatio est transcendentalis; ergo, relatio transcendentalis distinguitur realiter à fundamento. Maior probatur. Quia omne accidens substantiæ creatæ distinguitur realiter ab ea; sed relatio creaturæ ad Deum, est accidens ipsi creaturæ; ergo distinguitur realiter ab ea. Maior supponitur vera. Minor probatur ab Henrico tribus auctoritatibus D. August. quarum prima habetur lib. 5. de Trinit. cap. 5. Quod non secundum substantiam dicitur, restat, vt dicatur secundum accidens. Sed relatio creaturæ, verbi gratia Angeli, non est substantia Angeli; ergo est accidens. Secunda est ibidem, cap. 16. Illa sunt accidentia relatiua, quæ cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt; sed relatio creaturæ ad Deum, accidit creaturæ cum sui mutatione, quia nouitas se tenet ex parte creaturæ, cum includat relationem nouam; ergo. Tertia est ibidem in fine: Deus incipit temporaliter esse Dominus creaturæ, non relatione, quæ accidat ipsi Deo, ergo relatione, quæ accidit creaturæ; ergo est accidens ipsi creaturæ.

Respondetur, negando maiorem. Ad probationem dico, maiorem esse veram de accidente communi quod potest adesse, & abesse a subiecto, præter subiecti corruptionem; falsam autem de accidente prò extraneo, scilicet quod non ingreditur naturam, & quiditatem subiecti. Ad probationem desumptam ex D. Augustino dico, creaturæ relationem esse accidens pro extraneo, pro quanto est prædicatum non essentiale eiusdem, non tamen accidens commune; vndè non sequitur posse separari à creatura; quinimò erit idem realiter sibi: & sic explicandus est Diuus Augustinus citatus.

Vel dicendum secundo, D. Augustinum, accipere accidens pro mutabili; in comparatione ad Deum, qui est omninò immutabi-

bilis; & sic omnis creatura est accidens, non tamen pro amissibili; quia sic relatio creaturæ ad Deum, cum nequeat amitti, vt supra probatum est, consequenter non potest dici accidens. Vtraque responsio est Doct. Subtilis, in secundo, d. prima q. 5. sub lit. L. & P.

Vtrum Relatio Prædicamentalis, requirat ad sui esse necessariam dependentiam à fundamento, & termino. Vel an esse in, sit ita de essentia Relationis, sicut esse Ad?

SECTIO II.

Certum est apud omnes Scholasticos, relationem esse habitudinem inter duo extrema, scilicet inter fundamentum, & terminum, & quod respectu huius, dicatur esse ad, & respectu illius dicatur esse in. An autem talis habitudo includat vtrumque respectum, vel ambo extrema ad sui essentiam, & quiditatem, controuertitur. Siquidem Thomistæ aliqui dicunt, D. Thomam, 1. p. q. 28. art. 2. docuisse, relationem constitui per vtrumque respectum, sed diuersimodè; nam esse in, ingreditur quiditatem relationis, vt ratio generica conueniens omnibus accidentibus nouem prædicamentorum, quorum esse est in alio esse, ex Philosopho septimo Methaphys. t. c. secundo; esse verò, ad, dicit conceptum proprium relationis, vt distinguitur ab accidentibus absolutis. Ita Caiet. super cit. loco D. Thomæ. Soncinas, 5. meth. q 25. Capreolus, in primo sent. d. 23. q. 1. & alij, quos citat Mastrius hic, disp. 8. q. 4. numero 50. Cæterum Ruuius in logica, cap. 7. q. 4. inquit, mentem D. Thomæ fuisse, quod relatio constituatur in esse quiditatiuum, tantum per ad, quia dicit conceptum proprium eius, prout distinguitur ab accidentibus absolutis: cum hoc tamen stat, vt simul etiam respiciat intrinsecè, & fundamentum, & terminum.

Scotistæ pariter sunt diuisi in explicanda mente Doct. Subtilis. Siquidem aliqui dicunt, relationem non includere in suo conceptu quiditatiuo respectum ad fundamētum, sed tantum ad terminum; siquidem prior respectus conuenit relationi dumtaxat in secundo modo dicendi per se. Ita Ant. Trombeta, 7. Meth. q. 1. Antonius Andreas ibidem, & alij non pauci, & maximè ex Recentioribus. Cæterum, alij melius indagantes intentionem Magistri, in primo, d. 28. q. 2. & 3. & d. 26 q. vn. C. in secundo, d. 1. q. 5. in 4. d. 12. q. 1. conclus. 2. D. quol. 3. sub M. ac alibi, oppositum sentiunt; nimirum, relationem constitui intrinsecè per vtrumque. Et hanc esse germanam opinionem Scoti in citatis locis, necnon Aristotelis in log. cap. de ad aliquid. Ita Io. Rada, 1. p. controuers. 23. art. 3. in fine. §. sed aliqui nimis, &c. Mastrius in logica, loc. citat. conclus. 3. vbi affert Bargium, in primo, d. 3. q. 5. à quo sumpsit suæ quæstionis resolutionem. Et ex PP. Societ. Amicum in log. q. 7. dub. 2. art. 2. quibus, & nos libenter subscribimus propter auctoritatem Magistri in citatis locis; & præcipuè in 4. d. 12. quæst. 1. concl. 2. vbi dissertè aperuit mentem suam in hac materia.

Pro cuius declaratione, ac fundamento, primo notanda sunt ea, quæ diximus in præcedenti sectione, notab. 5. & 6. nimirum aliquas relationes fundari super absolutis, & terminari ad absoluta; alias super absolutis, & terminari ad respectiua, & è conuersò; aliqua tamdem fundari in respectiuis, & ad respectiua pariter terminari, vt patet in exemplis ibidem allatis: similiter septem reperiri in qualibet relatione, saltem propriè dicta, & mutua, scilicet subiectum, fundamentum, terminum, relatiuum, correlatiuum, & relationem, ac correlationem, vt dictum est de paternitate, ex Scoto, quolib. 12. art. 1. lit. C.

Secundo notandum est, ex Doctor. Subt. nedum in præcitato loco, sed etiam in primo, d. 30. q. 1. & In 4. dist. 12. q. 1. C. D. quod cum relatio exposcat ad sui esse duo extrema, fundamentum scilicet, & terminum, ita respicit necessariò vtrumque, vt sine illis conseruari nequeat; tollere enim terminum, ad quem est respectus, est tollere, vel destruere respectum: & tollere illud, cuius est respectus, est pariter tollere respectum, & destruere rationem eius; vndè infertur, quod quando relatio respicit fundamentū dicitur habere esse in; & esse ad, cum terminum respiciat. Vtrumque tamen, scilicet esse in, & esse ad, potest dupliciter considerari, scilicet intrinsecè, & extrinsecè, vel for-

formaliter, & connotatiuè. Primo modo esse in, & ad, sunt de intrinseca ratione, & quiditate relationis, in tantum, quod si posset diffiniri quietatiuè, & formaliter simul, sicut accidit in entibus absolutis, nil aliud exposceret ad sui rationem formalem. Secundo verò modo non constituunt quiditatem relationis, quia cum fundamentum, & terminus, vt plurimum sint entia absoluta, & conceptus absolutus sit totus disparatus à relatiuo, nequeunt esse de quiditate illius: cum hoc tamen stat, vt necessariò requirantur ad esse, & conseruari relationis; siquidem diffinitio relatiuorum, cum sit data per additamentum, nequit intellectum quietare, nisi inuoluat, aut necessariò connotet vtrumque extremum, scilicet fundamentum, & terminum; vt benè probat Doct. loco citato, conclusione tertia.

Tertio notandum, ex eodem ibidem: & 5. Methaphys. t.c. 20. numero 117. quod sicut ista tria, scilicet subiectum, fundamentum, & ratio fundandi relationem, valdè differunt, ita pariter subiectum, terminus, & ratio terminandi relationem, ad inuicem discriminantur; subiectum enim est, quod denominatur referri; fundamentum, quod relatione refertur; & ratio fundandi est conuenientia, vel disconuenientia extremorum, vt ex eorum positione possit resultare relatio, vt patet in exemplo allato a Scoto in quol. 12. C. superius citato de paternitate; natura subiectum paternitatis est hic homo; fundamentum, eius potentia actiua generandi filium; & ratio fundandi, est actio eiusdem in generatione adhibita, sine qua non posset generare filium. Similiter subiectum termini est illud, quod dicitur denominatiuè terminare, scilicet hic homo genitus: terminus verò formalis, quo relatio formaliter terminatur, est potentia passiua ad generari; ratio verò terminandi, est ratio in qua conueniunt, vel disconueniunt huiusmodi extrema: quod manifestius liquet ex prædicto exemplo; siquidem subiectum, est hic homo genitus; terminus, eius potentia passiua ad generari; ratio verò terminandi, est passiua dispositio eiusdem ad recipiendam formam hominis. Ex his habetur, quod cum relatio, vt dicit in, respiciat fundamentum, seu subiectum, & vt dicit ad, terminum, hoc potest intelligi, vel remotè, vel proximè. Primo modo respicit tantum subiectum denominationis, & inhæsionis vltimaę, scilicet hunc hominem. Secundo modo autem, duntaxat fundamentum, & terminum: quorum prius dicitur subiectum proximum, seu sedes necessaria relationis; posterius verò, formalis terminus, cui necessariò vnitur, ne deficiat vel destruatur.

Quarto notandum, ex Scoto, in quarto sent loco citato, cõclusione prima, & tertia, accidentis nomen posse dupliciter accipi, scilicet pro denominato, & pro per se significato. Primo modo significat quid absolutum, quod denominatiuè dicitur tale, ex eo quod potest adesse, & abesse a subiecto, pręter subiecti corruptionem; vt albedo, nigredo, & cætera huiusmodi, quæ ideò dicuntur absoluta, quia formaliter excludunt quemlibet respectum, secundum quem possint ordinari ad aliud; & quamuis dicant habitudinem ad subiectum, dicente Philosopho septimo meth. t.c. 2. esse entis entia, nihilominus subiecta non sunt de illorum esse; aliter homo albus non esset ens per accidens, sed per se; quod est contra Philosophum, 5. Meth. cap. de Ente, & c. de Vno: & septimo Meth. t. c. 3. quandoquidem nihil, quod est de essentia alicuius, facit ens per accidens cum illo: accidẽs autem, secundum eumdẽ, est ens per se; quare dicẽdum est, non includere in sui quiditate subiectum. Si autem secundo modo accipiatur nomen accidentis, tunc importat respectum extrinsecus aduenientem inhærentiæ ad illud, cui accidit, vel actualiter, si actu, vel aptitudinaliter, si solum potentia sibi adhæret: & ratio est; quia non necessario sequitur positionem extremorum, sicut respectus intrinsecus adueniens, cum possit manere sine illo, saltem per potentiam diuinam: & hoc modo, nomen accidentis est commune omnibus accidentibus nouem prædicamentorũ, siquidẽ omnia dicunt respectum inherentię saltem aptitudinalẽ ad subiectum. Ex his infertur, relationem, cum sit accidẽs, esseque tale accidens, duplici respectu inhærentiæ potiri, nimirum cõmuni cũ cæteris accidẽtibus in ordine ad subiecta, & proprio, per quem distinguitur ab alijs ad fundamentum. Prior non est de essentia relationis; aliter non distingueretur ab accidentibus absolutis, sed benè posterior, quo cõstituitur in

esse quiditatiuo in ordine ad termi-num.

Quinto notandum est, quod quamquam Aristoteles non diffinierit relationem per ordinem ad fundamentum, sed tantum ad terminum, non propterea licebit inferre, respectum, quem dicit esse in, non esse de quiditate relationis; siquidem cum relatio diffiniatur tantum per additamentum, debuit ponere id, quod erat notius ad manifestandam eius naturam, prout secernitur ab entibus absolutis, abstinendo ab omni, quod poterat confundere quiditatem relationis cum entibus absolutis; at cum esse in, videatur quodammodo communicare cum illis, quibus pariter competit esse in subiecto; & esse ad, totaliter illis opponatur, ideo ad manifestandam naturam relationis omni meliori modo, quo poterat, debuit tradere eiusdem diffinitionem per ordine ad terminum, & non ad fundamentum.

Ex his, fit prima conclusio. Relatio in esse formali, & quiditatiuo, constituitur per esse ad, vt dicunt communiter Scotistæ, & Thomistæ; at non tantum per illum respectum ad, sed etiam per esse in, non vt dicit ordinem ad subiectum, vt putant quidam ex Thomistis, sed ad fundamentum, vt cum Scoto sustinent alij Scotistæ relati pro tertia sententia. Probatur prima pars, communiter ab omnibus. Tū quia Aristoteles in hoc capite, & 5. Metaphys. cap. de Ad aliquid, diffinit relatiua in ordine ad aliud, scilicet ad terminum: tum etiam, quia per talem habitudinem relatio distinguitur ab entibus absolutis, quorum esse non est ad aliud, sed tantum ad se; atqui eadem sunt principia constitutiua, & distinctiua; ergo relatio constituitur in esse per habitudinem ad terminum, per quam dicitur habere Ad. Secunda pars probatur, simul cum tertia, & quarta. Per illud constituitur relatio in esse quiditatiuo, per quod formaliter distinguitur à cæteris prædicamentis absolutis, scilicet quantitate, & qualitate; sed non distinguitur per esse in subiecto, licet benè per esse in fundamento; ergo solum per hoc esse in, constituitur in esse quiditatiuo, & formali. Maior est clara: eadem enim sunt principia constitutiua, & distinctiua. Minoris prima pars probatur, contra Thomistas relatos in prima sententia. Quia per esse in subiecto, non distinguitur relatio a quantitate, & qualitate, imo cum illis conuenit, tamquam in ratione generica, ex D. Thoma, prima par. quæst. 28. artic. 2. relato in prima sententia; ergo non constituitur per illud esse in. Consequentia patet. Quia cum prædicamenta sint impermixta formaliter saltem, ex Philosopho, primo Post. cap. 6. quæ sunt principia quiditatiua vnius, nequeunt esse alterius principia. Nec valet dicere, quod sit ratio generica, quæ formaliter includi debet in omnibus speciebus. Quia sicut accidens commune ad illa nouem prædicamenta accidentium, non est genus; aliter non essent decem generalissima prima, sed tantum duo, nimirum substantia, & accidens; nec consequenter potest ingredi, vt ratio generica in diffinitionem relationis; ergo esse in, debet esse principium distinctiuum, si est de quiditate relationis, & non conuenientiæ cum alijs. Secunda pars minoris probatur. Quia per esse in fundamento, & ad terminum, distinguitur relatio a quantitate, & qualitate, vt patet ex Philosopho, quinto Methaphys. capit. de Ad aliquid, vbi distinguit diuersas relationes a cæteris, nedum per esse ad terminum, sed etiam per earum fundamenta; ergo. Secundo probatur tota conclusio simul a Scoto, in 4. d. 12. quæst. 1. loco citato. Quia respectus essentialiter est habitudo inter duo extrema, scilicet fundamentum, & terminum; ergo in sui quiditate includit, & esse in, & esse ad. Consequentia patet. Antecedens suadetur. Quia sicut tollere terminum ad quem est respectus, est tollere, vel destruere respectum, ita tollere illud cuius est respectus, scilicet fundamentum, est tollere respectum, & destruere rationem eiusdem; ergo respectus essentialiter est habitudo inter illa duo extrema; ac proinde, tam esse in, quam esse ad, sunt de quiditate formali relationis.

Secunda conclusio. Siue relatio habeat extrema absoluta, siue respectiua, esse in, & ad, extrinsecè sumpta, prout connotant fundamentum, & terminum, non sunt de eius quiditate, licet requirantur necessariò ad eius diffinitionem quic-

quietatiuam. Est Scoti pluribus in locis suæ doctrinæ, sed præcipuè in primo, dist. 30. quæst. 1. C. & in quarto dist. 12. quæst. 1. C. & L. Probatur prima pars. Quia nullum absolutum, est de conceptu formali alicuius respectiui, siquidem opponuntur disparatè, vt toties dictum est; sed relatio est de genere respectiuo, & fundamentum, ac terminus, vt sic accepta, sunt de generibus absolutis; ergo nequeunt esse de eius quiditate. Minor patet, ex suppositione facta. Confirmatur ex Aristotele, primo Post. cap. 6. Quia prædicamenta sunt formaliter impermixta secundum suas coordinationes; ergo nihil, quod sit vnius coordinationis, poterit esse principium constitutiuum alterius. Secunda pars probatur. Quia respectiua, in quantum sunt fundamentum, & terminus alicuius relationis, distinguuntur saltem formaliter ab illa; ergo non sunt de eius quiditate. Consequentia est manifesta. Antecedens probatur. Quia saltem opponuntur disparatè, vt patet de relatione identitatis, vel distinctionis, quæ possunt fundari super similitudine inter duas similitudines, vel super vnam similitudinem, & eius extrema absoluta; sed inter disparatè opposita intercedit saltem distinctio formalis; ergo in quantum fundamentum, & terminus, distinguuntur formaliter. Secundo probatur, ex Euclide, lib. 5. Geometriæ. Quia proportionalitas fundatur in duabus proportionibus; sed talis distinguitur formaliter ab illis; ergo. Minor probatur. Quia proportionalitas importat relationem similitudinis inter duas proportiones, & proportio relationem æqualitatis vnius quantitatis cum alia; atqui similitudo, & æqualitas distinguuntur, nedum formaliter, verum etiam realiter; ergo respectiua, in quantum sunt extrema alicuius relationis, distinguuntur formaliter, ac propterea non sunt de eius quiditate. Tertia pars probatur. Quia diffinitio per additamentum, datur per aliquod extrinsecum, necessariò conducens ad perfectam quietationem intellectus erga diffinitum; sed nil potest dari in relatione, quod extrinsecè quietet intellectum eius, præter fundamentum, & terminum; ergo talia necessariò requiruntur ad eiusdem diffinitionem quietatiuam. Maior patet, ex descriptione diffinitionis quietatiuæ seu per additamentum. Minor similiter. Quia relatio, est essentialis habitudo inter illa.

Obijcies primo, cōtra primam conclusionem, auctoritatem Simplicij in hoc capite dicentis, quod esse in, non constituit relationem, sed esse ad.

Respondetur, explicando dictum Simplicij, quod loquatur de esse in subiecto, vt dicunt Thomistæ, non tamen de esse in fundamento; quia sic constituit relationem in esse quiditatiuo, vt probatum est.

Obijcies secundo Aristotelem in hoc eodem capite, diffinientem relatiua tantum per esse ad aliud, scilicet ad terminum; ergo signum est, hoc solum esse de quiditate relationis.

Respondetur, ex Not. vltimo, negando consequentiam. Siquidem diffiniendo relatiua tantum per ad, noluit excludere esse in, à conceptu quiditatiuo relationis, cum per fundamenta diuersa distinguat relationem lib. quinto Methapysic. cap de Ad aliquid; nam voluit tradere diffinitionem per ad aliud, tamquam per distinctiuum notius relationum ab absolutis; & eo maximè, cum talis non sit diffinitio purè quiditatiua, sed per additamentum data.

Contra, ex Ruuio hic, cap. 7. quæst. 4. numero 31. Quia esse ad, sufficienter explicat naturam relationis, vt relatio est; ergo cum Aristoteles tradiderit diffinitionem per ad, reticendo in, sufficienter tradidit. Consequentia est nota, Antecedens probatur. Quia relatio, secundum proprium conceptum, ad, est forma relatiua, & constituit subiectum formaliter relatiuum, vt patet de paternitate; ergo secundum talem conceptum, ponit aliquid in fundamento, absque alterius additione respectus, qui dicatur in. Consequentia patet. Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Antecedens similiter. Quia est denominatio intrinseca, dum forma relatiua, seu relatio denominat subiectum, vel fundamentum relatiuum.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico verum esse antecedens, si ly ad, sumatur specificatiuè, non tamen si solum reduplicatiuè; quia sic non constituit relatiuum, sed tantum denominat extrinsecè terminum, ad quem ordinatur tota relatio.

Contra. Quia tunc relatio secundum conceptum præcisum ad, non esset realis; sed consequens est falsum; ergo & id vnde sequitur. Sequela maioris probatur. Quia omne ens reale, aut est substantia, aut accidens; sed data hipotesi, neutrum horum esset relatio; ergo. Maior est clara. Minor similiter de substantia patet, & probatur de accidente. Quia proprium accidentis, est esse in alio, vt in subiecto; sed relatio secundum conceptum ad, reduplicatiuè sumptum, non esset in alio; ergo non esset accidens, & consequenter relatio non esset realis.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem, concessa maiori, dico ad minorem, quod esset accidens respectiuum, sed inadæquatè sumptum, cum quiditas completa relationis circumscribatur per esse in fundamento, & ad terminum. Ad probationem dico, relationem tunc fore in alio, prout, in, dicit rationem communem omnibus accidentibus (quęcumque sit illa) per quam non constituitur in esse relationis; non tamen prout, in, dicit respectum proprium ad fundamentum; & sic esset forma realis, prout abstrahit ab absoluto, & respectiuo; non verò forma respectiua, quia sibi deficeret alter conceptus inadæquatus, scilicet esse in fundamento.

Obijcies tertio. Quia si relatio exposceret vtrumque respectum ad sui esse adæquatum, non esset ens per se, sed per accidens; consequēs est falsum; ergo, & antecedens. Sequela maioris probatur. Quia duo nequeunt facere vnum per se, nisi alterum sit actus, & potentia alterum; ex Aristotele, 8. Metaphys. t. com. vltimo; sed tales conceptus non essent huiusmodi; ergo. Minor probatur. Quia tunc non faceret vnum prædicamentum ab alijs distinctum, quod esse falsum probabitur inferius.

Respondetur, negando sequelam maioris. Quia illi duo respectus, non complent quiditatem relationis formaliter, quasi essent duæ differentiæ inadæquatę, sed tantum circumlocutiuè; per illos enim circumloquimur diffinitionem nobis ignotam, secundum quam constituitur relatio secundum vtrumque respectum in, & ad.

Vel dicendum, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, illos duos conceptus inadæquatos, complere vnum modum intrinsecum relationis, qui cum ente reali faciat vnum per se genus prędicamenti relatiui.

Obijcies quarto, ex Trombeta, septimo Methaphys. quæst. 1. art. 4. & Mayronio in primo, dist. 29 quæst. 3. in fine. Quandocumque aliquod commune diuiditur per duas differentias formales, pro quocumque signo vna constituit speciem, seu minus commune, & alia pariter constituet; sed ens diuiditur per absolutum, & respectiuum, & absolutum prius natura est ad se, quam insit alteri; ergo, & respectiuum prius natura erit ad aliud, quam insit suo fundamento. Maior patet. Quia si substantia diuiditur per corporeum, & incorporeum, pro quo signo corporeum corpus, pro eodem signo incorporeum constituet spiritum. Minor similiter. Quia absolutum, & respectiuum, sunt immediatè opposita circa ens, & euacuant totam naturam entis.

Respondetur, concessa maiori, negando consequentiam. Quia non deducitur ex minori; siquidem ex illa solummodo inferri potest, quod sicut absoluto prius natura competit esse ad se, & posterius natura esse in subiecto, saltem aptitudinaliter, ita respectiuo, vt conuenit cum absoluto in ratione accidentis, prius natura sibi competit respicere terminum, quam denominare subiectum cui potest inesse; siquidem respicere terminum, pertinet ad eius conceptum proprium, & vt respectiuum est; denominare verò subiectum, hoc habet vt accidens est. Vnde quamuis ex hoc possit rectè inferri, quod accidens respectiuum prius natura constituatur in esse per ordinem ad aliud, quam respiciat subiectum denominatum, non tamen ex-

excludendus est ab esse eius completo alius respectus ad fundamentum, quia est in eodem signo naturæ, in quo est alter respectus ad aliud, scilicet ad terminum; & rationem reddit Doct. Subt. in quarto, d. 12. quæst. 1. concl. 2. Quia respectus est essentialis habitudo inter duo extrema, quorum alterum si tollatur, tollitur, & destruitur ratio respectus, seu relationis.

Obijcies quinto, contra secundam conclusionem. Si extrema non essent de quiditate relationis, posset intelligi sine illis; sed hoc consequens est falsum; ergo, & antecedens. Maior patet de accidente absoluto, respectu subiecti. Quia hoc non est de quiditate accidentis; ergo potest intelligi accidēs sine subiecto. Minor similiter. Quia relatio, cum sit essentialis habitudo inter extrema, sine illis intelligi non potest.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem dico, maiorem dependentiam habere relationem ad sua extrema, quam accidens absolutum ad subiectum; siquidem prior est essentialis, posterior verò tantum accidentalis, cum eius quiditas non pendeat à subiecto, vt probat Scotus, in quarto, d. 12. quæst. 1. concl. 3. Lat in essentialiter ordinatis vbi vnum dependet ab alio, & diffinitur per aliud, quamuis non se includant quiditatiuè, nihilominus posterius, nequit perfectè intelligi sine priori; quandoquidem diffinitio per additamentum, & si non sit purè essentialis, est tamen necessaria ad quietandum intellectum circa essentiam diffiniti; modo relatio diffinitur per sua extrema, tamquam per additum; & ideò nequit sine illis perfectè, & quietatiuè intelligi.

Vtrum relationes sumant suam specificationem à termino solum, vel etiam à fundamento?

SECTIO III.

Certum est, quæstionem non procedere de specificatione intrinseca relationis, cum satis probatum sit in præcedenti, fundamentum, & terminum non esse de intrinseca ratione eiusdem; sed tantum quæritur de extrinseca. Hæc autem posset extendi ad multiplicationem relationum, nedum specificam, sed etiam genericam, & numericam. An nimirum pendeant, vel à solo termino tantum, vel etiam à fundamento dumtaxat, vel ab vtrisque simul.

Circa quam sic explicatam, duæ extant opiniones famosæ inter se pugnantes, circa diuersitatem, & multiplicationem numericam relationum. Siquidem D. Tho. 3. p. quæst. 35. art. 5. & in quolib. 1. artic. 2. & quol. 9. art. 4. docet, accidentia indiuiduari à suis subiectis; & consequenter habet dicere, multiplicationem numericam relationum non esse desumendam à multiplicatione terminorum, à quibus tantum extrinsecè pendent, sed benè à subiectis, seu fundamentis, quorum sunt partes intrinsecæ. D. Thomam sequuntur omnes eius Discipuli, & alij, quos recenset, & sequitur Collegium Complur. in logica, disput, 14. quæst. 7. §. 4 quibus addendi sunt Toletus hic, quæst. 2. & Ruuius quæst. 8.

Ex opposito autem Scotus, cum doceat in secundo, dist. 3. quæst. 6. accidentia non indiuiduari per subiecta, sed per proprias hæcceitates ab eisdem distinctas: & in tertio, dist. 8. quæst. vnica: super eodem subiecto, vel fundamento, posse fundari plura accidentia eiusdem rationis, ac speciei, nedum absoluta, sed etiam respectiua, conatur defendere, multiplicationem numericam relationum desumendam esse à terminis numero distinctis. Ipsum comitantur fideliter omnes eius Discipuli, ac Sectatores, diuersis in locis citatis à Mastrio hic, disputat. 8. quæst. 6. art. secundo, numero 87. quibus iunguntur Ioan. de Bacconis, in tertio, dist. 8. quæst prima, artic. secundo, Fonseca, quinto Methaphys. capit. 15. quæst. 5. Suarez disputat. 47. section. 17. & alij Recentiores, ex Societate Iesu.

Quid autem sentiat Doctor Subtilis circa distinctionem genericam, vel specificam relationum, non est ità manifestum, cum fuerit diuersimodè locutus in methaphysica, & in logica, ac in libris sententiarum: qua

propter, quid secundum eius intentionem dicendum sit ad præsentem difficultatem, quibusdam notatis, nostram aperiemus sententiam.

Pro declaratione igitur, ac fundamento dicendorum, primo notandum est ex eodem Scoto, 5. Meth. q. 12. §. Ad quæstionem, & de tribus &c. & in 4. d. 6. q. 10. D. genus relationis posse dupliciter considerari, & intrinsecè, ac extrinsecè. Primo modo consideratur per ordinem ad sua inferiora: & sic cogimur assignare genera subalterna, species subalternas, & specialissimas, ac indiuidua constituta respectiuè, per suas differentias, vel formales, vel materiales, quibus ab inuicem, & à cæteris generibus, speciebus, ac indiuiduis aliorum prædicamentorum secernuntur: quandoquidem, cum eadem sint principia constitutiua, ac distinctiua, non est recurrendum ad extrinseca, nisi velimus turbare, commiscendo series prædicamentorum contra, doctrinam Philosophi, primo Poster. cap. 6. Secundo modo verò sumitur, prout dicit ordinem ad extrema, scilicet ad fundamentum, & terminum, quorum est essentialis habitudo: & sic acceptum, diuiditur ab Aristotele, per ordinem ad fundamenta, in tria genera subalterna; quorum primum fundatur super vnitate, vel multitudine, seu diuersitate; & sic reperitur in substantia, vocaturque relatio identitatis, vel diuersitatis: in quantitate; & dicitur relatio æqualitatis, vel inæqualitatis; & in qualitate; appellaturque relatio similitudinis, vel dissimilitudinis: siquidem, vt inquit Philosophus, quinto, Meth cap. 15. illa sunt eadem, vel diuersa, quorum substantia est vna, vel diuersa; illa verò sunt æqualia, vel inæqualia, quorum quantitas est vna, vel diuersa specie: & illa tandem sunt similia, vel dissimilia, quorum qualitas est vna, vel diuersa specie. Secundum genus fundatur super potentia actiua, & passiua, vel super actione, & passione; vt relatio paternitatis, & filiationis, Domini, & serui. Tertium denique est eorum, quæ fundantur super mensura, & mensurabili, vt relationes, quas dicunt scientiæ ad sua subiecta, vel potentiæ ad obiecta à quibus dicuntur mensurari; quippè nihil continetur sub scientia, vel potentia, quin contineatur sub subiecto, vel obiecto earumdem. Loquẽdo igitur de relationibus, ac earum diuersitate generica, vel specifica hoc secundo modo acceptis, conamur dicere, earum specificationem desumendam esse nedum ex parte terminorum, sed etiam à fundamentis, à quibus pendent extrinsecè; siquidem diuersa principia, causant, & principiata diuersa, ex Philosopho, primo Methaphysicorum, t. c. 43. & 44.

Secundo notandum, id quod aduertimus supra, cap. de substantia, disp. 5. sect. 5. not. 4. Accidentia non indiuiduari per eorum subiecta, sed per proprias hæceitates pertinentes ad propria prædicamenta, quorum sunt accidentia; siquidem hæc, secundum totas suas coordinationes, sunt impermixta, vt sæpius monuimus, ex Philosopho, lib. primo Post. cap. 6. vnde sequitur, quod si etiam relationes intrinsecè considerentur, non habent diuersitatem numericam ab extremis, sed solum ab earum differentijs indiuidualibus sibi realiter identificatis; quarè dum quærimus. An distinguãtur numero, vel multiplicentur ad multiplicationem extremorum; tantum intelligenda est quæstio de diuersitate, vel multiplicatione numerica extrinseca, non verò de intrinseca.

Tertio notandum est, quod quamquam relationes, vt potè accidentia, non componantur ex materia, & forma physica, sed solum methaphysicè ex genere, & differentia, nihilominus cum essentialiter pendeant ab extremis, possumus dicere, fundamentum habere rationem materiæ, saltem in qua; terminum verò gerere rationem formæ; quemadmodum enim materia dicitur fulcimentum formarum, & fundamentum relationum, quæ in ipso fundantur, fulcimentum, seu materia dicendum erit; & sicut proprium formæ est distinguere, vel specificare potentias diuersas in materia, sic, & terminus habebit specificare diuersas potentias ad fundandas plures relationes in fundamento. Ex quibus infertur, quod sicut ex parte materiæ non est repugnantia, vt ordinetur ad diuersas formas, vel etiã eiusdem rationis simul recipiẽdas, quo facto, in eius potentia existent plura accidentia relatiua ordinata ad plures formas, ita pariter poterunt esse plures relationes eiusdem rationis ordinatas ad plures terminos eiusdem rationis in vno, & eodem fundamento. Ratio autem omnium

isto-

istorum est illa, quam adducit Doctor Subtilis, in 3. d. 8. q. vn. A. nimirum, quod in omni ordine essentiali; cum vnitate prioris essentialiter potest stare pluralitas posterioris naturaliter, quando nec per se, nec adæquate inest illi; cum igitur materia, secundum suam potentiam, sit naturaliter prior qualibet forma, siuè substantiali, siue accidentali, & fundamentum sit prius naturaliter quacumque ordinatione eius ad terminum, vel terminos, & hi respiciunt inadæquatè potentiam fundamenti, sicut & plures formæ potentiam materiæ, sequitur, quod sicut non implicant plures respectus in eadem potentia materiæ, sic non implicabunt plures relationes in eodem fundamento ad plures terminos eiusdem rationis.

Quarto notandum est, pro maiori declaratione fundamenti Doctoris Subtilis, allati in præcedenti Notabili, quod ratio, quare plura accidentia eiusdem rationis nequeāt simul esse in eodem subiecto, vel fundamento, est; quia per receptionem vnius, ita adæquatur potentia illius, vt repugnet plura posse simul recipere: vnde infertur, quod si posset admitti inadæquata potentia respectu plurium simul, sicut ponitur successiuè ab aduersarijs, multum foret inconueniēs, plura simul admittere in eodem subiecto; sed sic est, quod nullum accidens, siue absolutum, siue respectiuum, adæquat totam capacitatem, vel subiecti, vel fundamenti, cum nullum tale reperiatur, quod contineat virtualiter, vel eminenter perfectiones omnium accidentium; & etiam, quia alioquin nec successiuè posset plura recipere, cum eius potentia esset totaliter ab illo satiata, quod tamen à veritate abhorret simul, & experientia; igitur dicendum est, plura accidentia absoluta in eodem subiecto, & plura respectiua in eodem fundamento ad plures terminos eiusdem rationis admittere, non esse à veritate alienum, quinimò, & veritati, & rationi valdè consonum.

Quinto notandum est, ex Philosopho, in prædicamentis, cap. de Ad aliquid, relatiua esse simul natura, ita vt posita, se ponant, & perempta, se perimant necessariò; cum igitur vnus terminus referatur ad fundamentum per vnam relationem, & alius per aliā, necesse est ponere in eodem fundamento, tot relationes oppositas; aliter nec possent dici esse simul natura, nec vnum perire ad deperditionem alterius. Sit exemplum in Patre habēte plures filios, vel in vno simili, relato ad plura similia, Pater. n. refertur ad filium per paternitatem; & è conuersò, filius ad Patrem per filiationem; ergo sicut posita filiatione in primo filio, necessariò ponitur paternitas in Patre; sic posita alia filiatione in secundo filio, necessariò poni debet alia paternitas in Patre; aliter nec esset simul natura secundus filius cum Patre, nec defuncto priori filio, posset amplius referri ad Patrem, nec è conuersò Pater ad filium superstitem. Idem pariter dicendum est de vno simili relato ad plures terminos. Restat igitur probatum, quod cum vnitate fundamenti, possunt stare plures relationes ad plures terminos eiusdem rationis.

Ex his, sit prima conclusio. Diuersitas intrinseca relationum, siue generica, siue specifica, non est desumenda ab extremis, sed tantum à proprijs earum differentijs constitutiuis. Est Scoti, in quinto Methaph. q. 12 §. Ad quæstionem. Probatur. Quia diuersitas intrinseca sumitur à principijs intrinsecis; siquidem qualia sunt principia, talia sunt principiata, ex Aristotele, primo Meth. t. c. 43. & 44. sed principia intrinseca constitutiua, sunt tantum differentiæ, & non extrema relationum, quæ sunt extrinseca, vt probauimus in præcedēti; ergo, &c. Cōfirmatur. Quia diuersitas in alijs prædicamentis, si est intrinseca, desumitur à proprijs differentijs; cum prædicamenta sint impermixta formaliter, ex Philosopho, primo Poster. c. 6. ergo idem dicendum est in hoc prædicamento relationum.

Secunda conclusio. Diuersitas numerica intrinseca relationum, desumitur dumtaxat à proprijs differentijs indiuidualibus. Est Scoti, in secundo, d. 3. q. 4. D. & quinto Methaph. q. 2. Probatur. Quia in relationibus dantur naturæ communes à parte rei, sicut in substantijs, vt probatum est superius, disp. 4. q. 4. de Substantia; sed tales distinguuntur numero tantum intrinsecè, per suas differentias indiuiduales, ergo, & relationes. Secundo sic. Quia eadem sunt principia distinctiua, & constitutiua, ex Aristotele, primo Post. t. c. 34. sed principia constitutiua relationum in esse, indiuiduali intrinsecè,

non sunt extrema, sed tantum hæceitates; ergo, & per illas tantum distinguuntur intrinsecè. Minor probatur. Quia principia constitutiua indiuiduorum, debēt esse eiusdem generis, cum prædicamenta secūdum totas coordinationes, sint formaliter impermixta, vt sæpius monuimus superius; sed extrema, vt plurimum, sunt absoluta, vt probauimus in præcedenti, & melius demonstrabitur in sequenti sectione; ergo principia distinctiua relationum secundum esse indiuiduale, non sunt extrema, sed hæceitates.

Tertia conclusio. Diuersitas extrinseca relationum generica, attendi debet ex parte extremorum, & præcipuè ex parte fundamentorum. Est Scoti, in 5. Metaphys. q. 12. & colligitur, ex quarto sent. d. 6. quæst. 10. D. Probatur. Quia Aristoteles, quinto, Methaphys. cap. 15. de Ad aliquid, colligit tria genera relationum diuersa, quia fundantur super fundamentis diuersis; ergo, &c. Consequentia patet ex eodem, primo Methaph. t. c. 43. qualia sunt principia, talia sunt principiata, licet non è conuersò; ergo, si fundamenta, à quibus extrinsecè originantur relationes, sunt diuersa genere, tales erunt pariter, & relationes. Antecedens est notum, ex contextu, & ex Notabili primo huius sectionis.

Quarta conclusio. Distinctio numerica relationum extrinseca, non desumitur ex subiectis, vel fundamentis, sed tantum ex terminis diuersis numero. Est Scoti, in 3. d. 8. quæst. vnic. B. contra D. Thom. & sequaces superius citatos. Probatur prima pars. Quia in eodem subiecto, vel fundamento, sunt plures relationes eiusdem rationis; ergo non distinguuntur ad distinctionem subiecti, vel fundamenti. Antecedens probatur. In eodē patre, sunt plures paternitates ad plures filios; ergo in eodem fundamento sunt plures relationes eiusdem rationis solo numero differentes. Antecedēs probatur. Quia relatiua sunt simul natura, & posita se ponunt, & perempta se perimunt; ex Philosopho in hoc cap. ergo si mortuo priori filio, destruitur, & paternitas sibi correspondens, & nihilominus dicitur pater respectu posterioris filij; ergo fatendum est, aliam paternitatem respondentem filiationi secundi filij, remansisse in patre; & sic plures relationes simul in eodem fundamento.

Dices. Destructo primo filio, non fuisse destructam relationem paternitatis sibi respondentem in patre, sed remansisse in ordine ad secundum filium per extensionem factam ad ipsum, quando fuit genitus.

Contra. Quia accipio illam extensionem, & quæro, an superaddat ipsi paternitati aliquid reale, vel non. Non est dicendum secundum. Quia cum per ipsam fuerit ordinatus pater realiter ad secundum filium, dicendum est, ipsum superadditum fuisse aliquid reale; de quo quæro, an sit relatio, vel forma absoluta; ergo cum neutrum dici possit, fatendum est, non dari talem extensionem paternitatis, sed aliam paternitatem ad secundum filium. Antecedens patet à sufficienti diuisione. Consequētia probatur. Non potest dici quod sit forma absoluta; quia per nihil absolutum pater ordinatur ad filium. Nec relatio; quia cum sit distincta à paternitate, & non possit esse aliud quam paternitas, sequitur de necessitate, quod negas, esse nimirum plures paternitates in eodem patre solo numero differentes, quibus refertur ad filios superstites. Confirmatur. Quia relatiua se perimunt per desitionem relationum, quibus ad inuicem referuntur; ergo mortuo primo filio, non potuit remansisse relatio paternitatis sibi correspondens. Consequentia probatur. Quia in tantum manet relatio, in quantum remanet terminus ad quem ordinatur; sed ex suppositione, primus filius fuit mortuus; ergo, & relatio debuit necessariò destrui; igitur si pater refertur ad secundum filium, hoc erit per nouam relationem paternitatis, & sic plures.

Secundo probatur conclusio. Quia multiplicata ratione fundandi, multiplicantur relationes; sed in eodem fundamento numero, multiplicari potest ratio fundandi ad diuersos terminos; ergo & relationes ad diuersos terminos. Maior patet, ex Philosopho, quinto methaphys. t. c. 20. vbi ex diuersa ratione fundandi colligit, relationes æquiparantiæ esse alias alietate generica ab illis, quæ dicuntur disquiparantiæ, & inter has dari diuersas species ob diuersitatem rationum fundandi. Minor probatur. Quia in eadem

po-

potẽtia generatiua possunt esse plures generationes ad plures filios numero distinctæ, vt fatentur etiam Thomistæ, & præsertim Ruuius hic, q. 8. ad secundum pro opinione Scoti; sed generatio actiua est ratio fundandi paternitatem in patre, & passiua filiationem in filio, vt colligitur ex Philosopho loco citato, vbi videtur dicere, relationes secundi generis fundari super actione, & passione, tamquam in rationibus fundandi, sicut primi generis in vnitate specifica fundamentorum; ergo &c.

Dices cum Ruuio, maiorem esse veram, si non aliundè adsit impedimentum, sicut accidit in proposito; quia cum vna relatio indiuiduetur à subiecto, vel fundamento, ita adæquatur eius capacitas, vt nequeat alias indiuiduare, nec sic plures recipere.

Contra. Quia falsum est, relationes indiuiduari à subiecto, vel fundamento, vt probatum est; alioquin, quælibet relatio numerica, esset ens per accidens, quia constaret ex rebus diuersorum generum; siquidem fundamenta, aut substantiæ sunt, aut quantitates, vel qualitates, quæ sunt diuersorum generum cum Ad aliquid; quod est manifestè falsum. Quia tunc nulla relatio specifica, posset per se primo prædicare de indiuiduis, cum de ente per accidens nihil per se possit prædicari; ergo falsum est, relationem indiuiduari à subiecto, vel fundamento.

Tertiò probatur conclusio. Quia non minus repugnant duo accidentia absoluta in eodem subiecto, quam duo relatiua; sed illa sunt compossibilia, etiam eiusdem rationis in eodem numero subiecto; ergo, & ista in eodem fundamento. Maior patet. Quia per re, omnia indiuiduantur à subiecto. Minor probatur à Doctore Subtili. Duæ species sensibiles de obiectis numero diuersis, sunt de facto in eodem organo phantasiæ, vel duæ memoriæ sensibiles in eodem organo memoriæ; ergo cum tales sint qualitates sensibiles, sequuntur duo numero accidentia absoluta simul in eodem subiecto. Antecedens probatur. Quia alioquin vna destructa, non posset quis imaginari, vel recordari alterius obiecti, absque noua productione alterius speciei, quod tamen constat esse falsum; quia absque hoc, quod videatur amplius aliud obiectum, & illud imaginamur, & recordamur istius. Confirmatur. Quia duo accidentia, siuè absoluta, siue respectiua alterius rationis, possunt esse in eodem subiecto numero; ergo etiam duo accidentia absoluta, vel respectiua solo numero differentia, poterunt esse in eodem numero subiecto, vel fundamento. Antecedens patet, de igne in quo est calor, & color, qui sunt alterius rationis: & de Antonio, qui potest esse simul pater Perri, & filius Ioannis, & similis Francisco. Consequentia probatur. Quia non minus indiuiduantur à suis subiectis illa, quam ista; quippe ignis denominatur intrinsecè simul calidus, & rubeus; & Antonius dicitur pater, & similis respectu diuersorum terminorum; ergo etiam Antonius poterit denominari bis pater respectu duorum filiorum, ratione duarum paternitatum in eodem fundatarum.

Dices. Non esse paritatem de accidentibus alterius rationis, & eiusdem rationis. Quia illa habent diuersas potentias, seu capacitates in subiecto, hæc verò vnam dumtaxat.

Contra. Quia saltem accidentia respectiua, cum inadæquatè respiciunt fundamentum, supponunt plures potentias in illo, ergo saltem hæc erunt compossibilia in eodem, quod est propositum. Antecedens probatur. Quia si verbi gratia, filius adæquatè respiceret fundamentum generationis actiuæ in patre, non posset pater habere plures filios; ergo si plures generat, signum est, per vnum filium non fuisse adæquatam virtutem generatiuam patris. Antecedens probatur. Quia in tantum Pater in Diuinis nequit habere plures filios, quia cum filius sit infinitus, adæquatè respicit principium generatiuum eiusdem; ergo à simili, si vnus filius in creatis adæquaret potẽtiam generatiuam patris, pater non posset plures generare. Concluditur ergo, quod saltem duo accidentia respectiua ad duos terminos ordinata, poterunt simul esse in eodem fundamento. Qui plura desiderat pro huius conclusionis probatione, & confutatione sententiæ D. Thomæ; ac sequacium, consulat Scotum, 5. Metaph. q. 7. & Antonium Andreæ, ac Trombe-

betam, libro eodem, q. 8. vbi egregiè probant intentum.

Obijcitur tamen contra hanc conclusionem. Quia omnis distinctio numerica accidentium, desumitur à suo subiecto; ergo si subiectum est vnum, non poterunt plura accidentia, etiam respectiua, esse in illo. Antecedens probatur. Vndè habetur entitas, indè habetur, & distinctio; sed accidentia habent entitatem à substantia, quæ est subiectum; ergo & distinctionem, vel vnitatem habebunt ab eo. Minor probatur. Quia accidentia sunt aliquid substantiæ, dicente Aristotele, 7. Meth. t. c. 2. accidentia sunt entia, quia verè entis; seu vt alij vertunt; quia taliter entis; ergo tota entitas illorum est à substantia.

Respondetur, ex Scoto, in 4. d. 12. q. 1. G. negando antecedēs. Ad probationem dico, maiorem esse veram, si entitas habeatur ab aliquo in genere causæ formalis, non tamen si in genere causæ efficientis, vel materialis; quia hæ causæ non præbent distinctionem effectuum inter se, cum vnaquæque possit habere plures effectus, & eiusdē, & alterius rationis; modo accidentia pendent a substantia, vel in genere causæ efficientis, vel materialis, quod non curo, non tamen in genere causæ formalis, & ideò nequeunt habere vnitatem, vel distinctionem à subiecto, sed aliundè. Ad auctoritatem Philosophi, dico esse veram, sy ly quia, vel ly eo quod, dicant causam materialem, vel efficientem, non tamen si formalem; quia sic accidentia constituuntur intrinsecè per proprias differentias, extrinsecè verò, si sint relatiua, ab extremis, & præcipuè a terminis, a quibus habent etiam distinctionem, vel numericam, vel specificam, iuxtà distinctionem terminorum.

Contra. Quia accidentia indiuiduantur a subiectis; ergo habent entitatem ab illis in genere causæ formalis, & consequenter distinctionem etiam numericam ab eisdem. Consequentia patet. Quia accidens indiuiduari a subiecto, est ita afficere, ac denominare subiectum vnum numero, vt ab alio eiusdem rationis nequeat affici, vel denominari; sed vna paternitas, exempli gratia, ita denominat vnum patrem, vt repugnet esse alius numero a se, vel duplex pater; ergo accidens sic indiuiduatum, nequit secum admittere aliud eiusdem rationis in eodem subiecto. Antecedens supponitur clarum. Quia accidens pendet in esse a subiecto.

Respondetur negando antecedens. Imo accidentia indiuiduantur a proprijs differentijs indiuidualibus sibi realiter identificatis. Nec ita afficiunt subiectum, vt plura non possint simul afficere, ac denominare, vt patet in exemplo allato; quia si per vnam paternitatem dicitur pater, per secundam dicitur bis pater; & ita discurrendo per alias paternitates multiplicatas.

Contra. Quia paternitas ita constituit vnum patrem numero, quod si multiplicetur alia, erit alius pater numero, sed vnum numero nequit esse duplex; ergo non est possibilis alia paternitas in eodem patre. Maior patet. Quia vna relatio numerica, vnum relatiuum numero; ergo duę relationes numericæ, constituent duo relatiua numero distincta.

Respondetur, maiorem esse veram in diuersis subiectis, non tamen in vno, & eodem subiecto numero Quia, vt inquit Doctor Subtilis, in tertio, d 8. q. vn. ad multiplicationem concretorum, non sufficit multiplicatio formarum, sed requiritur multiplicatio suppositorum; modo cum sit tantum vnum suppositum, quod denominatur pater, quamuis multiplicari possint in infinitum paternitates, non dicetur plusquam vnus pater, ex eo quod vnitas, & alietas respiciunt supposita, vel subiecta, non relationes, vel formas accidentales.

Obijcies secundo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, vt inquit Philosophus, primo Physicorum t. c. ..... sed data pluralitate relationum eiusdem speciei, sequitur talis multiplicatio; ergo &c. Minor probatur Quia infinita ferè alba, sunt eiusdem gradus ad quæ refertur vnum, & idem per relationem similitudinis, infiniti ferè homines, ad quos quilibet refertur relatione identitatis specificæ: ergo si pro singulis terminis multiplicari debeant tot relationes in illis, quæ referuntur, vnum subiectum habebit infinitas relationes, & hoc sine necessitate; quod probatur. Quia idem numero habitus, se extendit ad omnes conclusiones eiusdem rationis; ergo æquè facilè est, quod eadem relatio, se extendat

ad

ad omnes terminos eiusdem rationis; & sic nulla necessitas cogit multiplicare relationes ad multiplicationem terminorum.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, non esse inconueniens, imò necessarium ponere in vno albo infinitas similitudines ad infinitos terminos, sicut in vno homine infinitas relationes identitatis, si tot forent homines ad quos referretur, cum relatiua debeant esse simul natura; quod non sequeretur, si tantum esset vna relatio in vno relatiuo ad infinitos terminos Ad probationem illam de habitu, dico esse potius in oppositum, quam in fauorem; siquidem verum est, vnum, & eumdem habitum respicere omnes conclusiones, sed hoc nō facit per vnam relationem, vt aduersarij putant, sed multiplicantur in ipso relationes, quot sunt conclusiones, ad quas se extendit, ob virtualem continentiam, quam habent in subiecto, à quo mensuratur vnus, & idem habitus, & ordinatur ad omnes conclusiones in ipso contentas.

Obijcies tertio. Filius per vnicam numero relationem filiationis refertur ad duos terminos, scilicet patrem, & matrem; ergo, & pater per vnam paternitatem debet referri ad plures filios. Antecedens patet. Quia est vnicus filius vtriusque parentis.

Respondetur ex Scoto, in tertio sent. d. 8. q. vn. negando antecedens. Nam cum Pater, & Mater sint duo termini eiusdem rationis, quia ambo concurrunt actiuè ad generationem filij, consequenter filius respicit vtrumque parentem per duas filiationes numero distinctas; quod patet. Quia altero amisso, adhuc dicitur filius alterius, & non nisi per vnam filiationem: duæ igitur filiationes erant illo, vna ad Patrem, & alia ad Matrem.

Vel dicendum, negando consequentiam. Quandoquidem filius respicit vtrumque parentem, tamquam vnum principium totale generationis, ex duobus inadæquatis, seu partialibus conflatum; at Pater respicit plures filios, & singulum, vt terminum adæquatum vnius paternitatis; ideò necesse est ad multiplicationem filiorum, plurificari relationes in eodem Patre.

Contra. Quia quando duo filij nascuntur in eodem partu, relatio patris est tantum vna, & termini sunt plures; ergo etiam erit tantum vna paternitas, cum oriuntur ex multiplicato partu.

Respondetur negando antecedens. Imò duplici paternitate, fundata in duplici actione generationis, pater refertur ad illos geminos.

Obijcies quarto. Quia effectus formalis relationis secundæ, iam positus est per primam; ergo superfluit secunda relatio. Antecedens probatur. Quia effectus formalis vnius relationis, paternitatis videlicet, est constituere hunc numero patrem, vt inquit Ruuius; ergo cum sit sufficienter constitutus per primam, superfluit secunda.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, non esse effectum formalem paternitatis vnius, constituere patrem hunc in ratione huius, sed tantum, vt iam constitutum in esse per actualem generationem, ipsum denominare, & secundo ferre ad vnum filium; quare adueniente secunda paternitate per positionem secundi filij, secundo denominatur pater, & per illam ad ipsum refertur.

Obijcies quinto. Quælibet relatio essentialis pendet ab vtroque extremo, scilicet fundamento, & termino; ergo non sufficit multiplicatio terminorum, sed requiritur etiam plurificatio fundamentorum. Consequentia patet. Quia alioqui inadequatè tantum multiplicarentur, scilicet ex parte terminorum; & sic non essent perfectæ relationes.

Respondetur, negando consequentiam, loquendo de multiplicatione numerica. Siquidem in eodem fundamento possunt fūdari plures relationes, sicut ad vnum, & eumdem terminum terminari; vt patet de duobus albis, quæ vni dicuntur similia per plures relationes in ipsis fundatas. Et ratio est; quia ad multiplicationem posterioris, non est necesse multiplicare prius, cum non sit dependentia huius ab illo, sed benè è conuerso. Vndè infertur, quod ad multiplicationem numericam relationum, sufficit alterum membrum multiplicari. Ad illud quo dicitur, relationem esse habitudinem essentialem vtriusque extremi, conceditur; sed negatur consequentia. Quia

ge-

genus, & differentia sunt de essentia cuiuscumque speciei, & tamen ad multiplicationem specierum, non requiritur multiplicatio generis, sed sufficit plurificatio differentiarum: ita ad propositum; cum alterum extremum subeat rationem; quodammodo potentiæ, & indifferentis, & alterum actus, sufficit alterum multiplicare ad multiplicarionem relationum, altero implurificato manente.

Obijcies sexto. Quia vnica potentia visiua, respicit plures colores; vna potentia materiæ, plures formas; ergo & vnica relatione vnus pater respicit plures filios. Consequentia patet. Quia per potentiam refertur visus ad potentiam, & materia ad formas, sicut per paternitatem, pater refertur ad filios.

Respondetur. Antecedens esse verum de potentia visiua, & de potentia materiæ fundamentaliter; quæ cum dicant quid absolutum identificatum realiter, & animæ, & materiæ respectiuè acceptæ, est tantum vna ad formas in materia, & ad colores in potentia visiua: non tamen formaliter; quia cum sic, potentia dicat relationem, vel ad obiectum, vel ad formas, non est tantum vna, sed plures, iuxta plurificationem terminorum ad quos ordinantur, vt dicit Scotus, in primo, d. 1. q. 1. ad quartum princip. de materia, in qua tot sunt appetitus, seu potentiæ formaliter acceptæ, quot sunt formæ receptibiles: vndè infertur, quod sicut materia non respicit plures formas per vnā potentiam formaliter, sic nec pater plures filios per vnam paternitatem formalem, sed per plures: & ita deducitur intentum, relationes nimirum multiplicari in eodem fundamento numericè, ad multiplicationem terminorum.

Vtrum terminus relationis, terminet illam secundum esse absolutum, vel respectiuum?

SECTIO IV.

Tres opiniones communiter versantur circa propositam difficultatem; quarum duæ sunt extremæ, tertia verò inter illas mediare videtur.

Prima igitur opinio, est ferè communis omnibus Thomistis, qui dicunt, in omnibus relationibus, siue mutuis, siue non, terminum esse debere respectiuum, & non absolutum. Ita Caietanus, in log. c. de relatiuis: & in 1. part. D. Thomæ, quæst. 13. art. 7. vbi Bannes dubio vnic. Nazarius, controuers. vnica. Zumel. quæst. 2. & alij, quos referunt Ruuius hic, quæst. 7. & Mastrius cit. art. 3.

Secunda sententia huic omninò opposita, est Scoti, in primo sent. d. 30. quæst. 2. & omnium Scotistarum, ac multorum Recentiorum, tum ex Thomistis, tum ex Societ. Iesù, quos citat idem Mastrius ibidem, dicentium, terminum cuiuslibet relationis, siue mutuæ, siue non mutuæ debere esse absolutum, & non respectiuum.

Tertia tamdem, quæ videtur mediare, distinguit de relationibus mutuis, & non mutuis: has vult terminari absolutè, & necessariò ad absolutum; illas vero ad respectiuum.

Quid verò in hac tam multiplici varietate dicturi simus, cum hic agendum sit de omnibus relationibus, nedum terminantibus ad absolutum, sed etiam ad respectiuum, quibusdam notatis cum Doctore Subtili, infra nostram aperiemus sententiam.

Primo igitur notandum est, ex dictis superius, nimirum tria reperiri in quolibet relatiuo: subiectum, fundamentum, & relationem; vt in simili, subiectum est quod denominatur album; fundamentum albedo; & relatio similitudo, per quam album refertur ad aliud album, quod dicitur terminus, in quo pariter illa tria considerantur ex natura rei, nullo considerante intellectu. Modo quæritur, cum simile refertur ad aliud simile per similitudinem, quæ est relatio: an Similitudo terminetur ad aliud simile secundum relationem similitudinis in ipso repertam, vel secundum albedinem eamdem specie, quæ est absolutum, super quo fundatur illa similitudo. Exemplo patris, & filij, paternitatis, ac filiationis, res clarius cernitur: an nimirum paternitas, quæ est ratio referendi patrem ad filium, terminetur ad filiationem, vel potius ad potentiam passiuam ad generari, quæ est absolutum, super quo fundantur filiatio; & è conuerso: an filiatio terminetur ad patrē

secundum relationem paternitatis, vel potius ad potentiam generatiuam, quæ est absolutum, super quo fundatur paternitas? Thomistæ dicunt terminari ad relationem in filio, & è conuersò ad paternitatem in patre. Scotistæ verò, ad fundamentum vtriusque, quod est absolutum.

Secundo notandum, ex Doct. Subtili pluribus in locis, sed præcipuè in quarto, d. 6. quæst. 10. lit. D. quod relatio nedum potest fundari super absoluto, & terminari ad absolutum, sed etiam super relatione, & terminari ad absolutum, & è cōuersò; & tamdem super vna relatione, & terminari ad aliam, vt supra notauimus cum suis exemplis, sect. 1. ex Mayronio, in primo, d. 29. q. 4. art. 1. M. vndè cum quæritur: an relatio terminetur ad absolutum, vel respectiuum? hoc potest dupliciter intelligi, vel formaliter, vel æquiualenter; tunc relatio terminatur ad absolutum priori modo, quando terminus, est formaliter absolutum, & fundat, seu connotat relationem, vt patet de similitudine fundata in albedine, & terminata ad albedinem; vel de paternitate fundata in potentia actiua generandi, & terminata ad potentiam passiuam generandi, quæ est fūdamentum filiationis, quæ sunt entia absoluta. Tunc verò relatio terminatur ad absolutum æquiualenter, quando terminus est formaliter relatio; quæ tamen, cum gerat vicem absoluti, dicitur æquiualenter ens absolutum, vt patet de distinctione fundata super similitudine, & terminata ad aliam, vel numericè, vel specificè distinctam; quia tunc similitudo, quæ est relatio, & ens respectiuum formaliter, æquiualenter est ens absolutum, cum sit prior illa, & per illam diffiniatur illa distinctio. Prima opinio loquitur de respectiuo formaliter; secunda verò de absoluto, vel formaliter, vel æquiualenter, vt melius apparebit inferius.

Tertio notandum, ex eodem Doct. Subt. in primo d. 30. quæst. 2. sub lit. C. D. Relationes esse in duplici differentia, quippequæ aliæ dicuntur mutuæ, quæ reperiuntur in vtroque extremo, scilicet fundamento, & termino, quibus ad inuicem referuntur; aliæ vero sunt non mutuæ, quia fundantur tantum in altero extremo, scilicet fundamento, vel termino. Relationum mutuarū, aliæ fundantur super vno, in quantum vnū, vt similitudo fundata super vnitate specifica qualitatum duarum; vel æqualitas super vna quantitate specie. Aliæ super pluribus, vt plura sunt; vt dissimilitudo, & inæqualitas; prior enim super albedine, & nigredine; posterior super quantitate vlnari, & palmari, quæ plures sunt, pluralitate specifica distinctæ. Aliæ super potentia actiua, & passiua; vt paternitas, & filiatio, causæ relatio ad effectum, producentis ad productum; & omnes istæ dicuntur relationes mutuæ, quia fundantur in vtroque extremo, quibus ad inuicem referuntur. Aliæ tamdem fundantur super mēsuram, & mensuratum; vt sunt scientiæ ad scibile, potētiæ ad obiectum, & huiusmodi: & istæ dicuntur non mutuæ, quia in altero extremo tantum est relatio, scilicet in mensurato ad mensurā, vt in scientia ad scibile, vel in potentia ad obiectum, à quibus mensurantur, vt inquit Aristoteles, 5. meth. c. de Adaliquid, quod relatiua tertij modi in tātum dicuntur talia, inquantum illud, quod est alterum, dicitur ipsum quod est, non eo, quod aliud sit ad illud: idest, vnū dicitur referri ad aliud, & non aliud ad ipsum. Relationes primi ordinis dicuntur æquiparātiæ; quia fundamēta sunt eiusdem rationis specificæ, & eodem nomine vocantur. Relationes secundi ordinis, dicūtur disquiparantiæ per rationem oppositam; quia diuersimodè nominantur, & fundantur in diuersis speciebus. Relationes verò tertij ordinis, sunt in duplici differentia; quia aliæ dicuntur intrinsecus aduenientes; vt relationes producentis, & producti, causæ, & effectus; siquidem positis extremis in qualibet distantia, inimpedibiliter insurgunt. Aliæ verò sunt extrinsecus aduenientes; vt relationes actiui ad passiuum, motiui ad mobile, de quibus inferius dicendum est.

Quarto notandū, ex Mayronio, in primo sent. d. 29. q. 3. not. 2. quod huiusmodi relationes mutuę ordinantur ad inuicem, quod illæ vnius ordinis, fundantur super alijs alterius ordinis; nam relationes secundi ordinis fundantur in primis; quia inter se distingūtur, & vna est prior alia; siquidē relationes identitatis, quæ fundantur in substantia, distinguuntur à relationibus similitudinis, quæ fundantur in qualitate; & sicut sub-

substantia est prior qualitate, ita relationes fundatæ in illa, sunt priores relationibus in ista fundatis. Similiter relationes primi ordinis, fundantur in secundis; quia duæ dissimilitudines, vel inæqualitates, dicuntur similes, vel conformes. Relationes etiam tertij ordinis, fundantur in relationibus primi, & secundi ordinis; quia producuntur, & causantur à suis extremis: modo relationes producentis, & producti, causæ, & effectus, spectant ad tertium ordinem: & similiter super his fundantur relationes primi, & secundi ordinis, quia sunt similes vel conformes, aut dissimiles, vel difformes; nam duæ paternitates, sunt similes; paternitas verò, & filiatio dissimiles. Relationes tandem quarti ordinis, fundant illas trium ordinum præcedentium; quia sunt similes, vel dissimiles, conformes, vel difformes, & producuntur, vel causantur ab extremis, vt dictum est de alijs.

Quinto notandum, est ex Aristotele, primo Post. t.c.6. & septimo meth. t.c.54. & ex Scoto, in primo, d.30. quæst.2. quamlibet diffinitionem quiditatiuam, siue puram, siue per additamentum, debere dari per priora, & notiora diffinito; siquidem diffinitio, cum sit ratio cognoscendi diffinitum, & cognitio habeatur per causam, ex Philosopho, primo Post. t.c.1. & causa sit prior, & notior suo effectu, diffinitio quoque erit necessariò prior diffinito, cum sit eius causa. Hinc deducitur, quod cum relatiuum diffiniatur per terminum ad quem refertur, & terminus secundum esse respectiuum, non sit prior relatione fundata in relatiuo, sed tantum secundum esse absolutum, quod secundum esse absolutum terminet relationem oppositam, & non secundum esse respectiuum. Secundo deducitur, quod si relatio diffiniretur per suam oppositam, daretur circulus in demonstratione, & idem esset notius, & ignotius: esset quidem notius; quia diffiniret, & esset ignotius, quia per aliud diffiniretur; quod est falsum, & contra doctrinam Philosophi traditam locis citatis, & secundo Post. cap.7. & 8. vbi contendit, quodquidest non posse demonstrari per aliud; quod tamen sequeretur, si vnum relatiuum formaliter diffiniretur per aliud. Tertio deducitur, quod quando Porphyrius, dixit cap. de specie. Necesse est in vtrorumque rationibus vtrisque vti. Locutus est circumlocutiuè, non verò formaliter; hoc est dictum. Vnum relatiuum diffiniri per fundamentum sui correlatiui. Quod circumloquimur per relationem oppositam in ipso fundatam, non tamen per ipsam; quia cum sint simul natura, & consequenter neque prior, neque posterior, neque notior relatiuo diffinibili, nequit illud diffinire, aut per illud diffiniri, nec consequenter ad se inuicem secundum esse respectiuum terminari.

Sexto notandum, pro solutione argumentorum aduersariorum, vt colligitur ex Scoto loco citato, sub lit. G. latam esse differentiam inter referri, & terminari, & inter oppositionem, ac terminationem; siquidem referri, conuenit formaliter relatiuo, & correlatiuo, quatenus coalescunt ex subiecto, & relatione: terminare verò, tantum conuenit absoluto, quod correlatiuo substernitur in relationibus mutuis, vel absoluto simpliciter in non mutuis; nam vt, inquit, Doctor Subt. terminus, vt terminus, non refertur ad aliud, nec est ratio referendi alteri, sed tantum terminat dependentiam relationis ad ipsum; aliter in relatiuis non mutuis, (vbi non datur correlatio secundum mentem Philosophi, & conceditur ab omnibus, præter quam à Caietano) non esset vera terminatio, & consequenter nec vera relatio, quod est contra Aristotelem, quinto Meth. t.c.20. in fine. Oppositio pariter conuenit relationi, & correlationi, inquantum mutuò se respiciunt; terminatio verò, vt quo, tantum termino, qui est fundamentum correlationis. Ex quibus infertur, terminum dupliciter posse sumi, vt quo, & vt quod; priori modo, est tantum fundamentum correlationis, & hoc est absolutum; ad ipsum enim in aliquo priori terminatur relatio, antequam respiciat correlationem, seu relationem oppositam. Terminus verò secundo modo, comprehendit totum correlatiuum, inquantum dicit subiectum cum relatione, opposita relationi fundatæ in fundamento relatiui. Relatio diffinitur formaliter per terminum priori modo acceptum, cum sit prior, & notior ipsa, non tamen per terminum secundo modo, cum sit simul natura cum ipsa. Relatiuum refertur ad terminum secundo modo sumptum, non tamen per illum diffinitur; quia sunt simul natura, & vnum non est notius

altero; quod tamen necessariò requiritur, vt dictum est in præcedenti.

Ex his, fit prima conclusio. Relatio non mutua, habet pro termino absolutum formaliter. Est Scoti, in primo, d. 30. q. 1. §. Respondeo igitur ad primam quæstionem. Probatur primo auctoritate Aristotelis, 5. meth. cap. de Ad aliquid. In relatiuis tertij modi cuncta sunt ad aliquid, eo quod ipsum, quod est alterum, sed non eo quod aliud ad ipsum: vt scibile, dicitur relatiuum, eo quod ad ipsum refertur scientia, non tamen quod ipsum referatur ad scientiam, quia relatio mensurabilis est tantum in scientia ad scibile, & non è conuerso; ergo scibile terminat secundum esse absolutum, & non secundum esse respectiuum; atqui relatiua tertij modi, sunt non mutua; ergo relatio, seu relatiuum non mutuum, terminatur ad absolutum formali, & nullo modo ad relatiuum. Secundo probatur. Quia actus diffinit potentiam, vt terminat relationem eius; sed non terminat per relationem in ipso fundatam; ergo per absolutum formaliter. Maior est Philosophi, 9. meth. t. c 13. vbi dicit, actum esse priorem potentia, quia hæc per illum diffinitur. Minor probatur. Quia tunc etiam potentia diffiniret actum, & sic actus esset prior, & posterior potentia, quod est contra Philosophum, loco citato. Consequentia probatur. Quia diffinitio est prior diffinito; ergo si actus diffinit potentiam, & diffinitur per eam, est prior, posteriorque ipsa, quod non est dicendum. Restat ergo, potentiam dicere relationem ad actum, & non è conuersò; & sic terminari ab actu secundum esse absolutum, & non secundum esse respectiuam in ipso fundatuum. Tertio probatur communiter. Quia hæc est differentia inter relationem tertij modi, & primi ac secundi. Quia in his, est mutuitas, in his vero non, sed tantum terminantur ad absoluta, &c.

Secunda conclusio. Relationes mutuæ, non terminantur ad respectiuum, sed tantum ad absolutum formaliter, & vt quo; denominatiuè verò, & vt quod, possunt dici terminari ad respectiuum etiam. Prima pars est Scoti loco citato, sub litera G. Secunda etiam continetur ibidem. Tertia vero solum colligitur ex dictis, eiusdem in præcitato loco. Probatur prima pars. Quia omnis diffinitio est prior diffinito; sed relatio opposita, non est prior relatione mutua, cum sit simul natura cum illa; ergo nequit illam diffinire, & consequenter nec terminare. Maior est manifesta, ex Philosopho diuersis in locis, relatis in quinto Notab. & 9. Meth. t. c. 13 Consequentia vltima probatur. Omnis relatio diffinitur per suum terminum, tamquam per additum, ex Aristotele hic, cap. de Ad aliquid: & 6. Topic. cap. secundo. Confirmatur. Quia omnis relatio præsupponit extrema, scilicet fundamentum, & terminum; sed non præsupponit relationem mutuam oppositam; ergo relatio opposita non est eius terminus. Maior patet. Quia est essentialis habitudo extremorum. Minor similiter. Quia est simul natura cum illa, ex Philosopho, cap. de Ad aliquid. Secunda pars probatur. Relatio diffinitur per terminum, & non respectiuum, vt probatum est; ergo à sufficienti diuisione per absolutum. Consequentia patet. Quia in correlatiuo, non reperitur aliud, quam fundamentum, & relatio mutua super eodem fundata si igitur; hæc non est terminus, superest, vt solum absolutum terminet. Tertia pars probatur. Quia relatiuū denominatiuè diffinitur per suum correlatiuum; ergo aliquo modo terminat illud, non vt quo, sicuti probatum est; ergo vt quod, & denominatiuè. Antecedens patet, ex Porphyrio, cap. de specie, & ex Aristotele in diffinitione relatiuorum, quorum totum esse est ad aliud se habere, scilicet ad correlatiuum; ergo per illud diffinitur. Consequentia prima patet. Quia relatio diffinitur per suum terminum. Secunda consequentia similiter est clara. Quia non datur medium inter terminum, vt quo, & vt quod consideratum.

Tertia conclusio. Relationes, quæ fundantur in entibus respectiuis, terminantur ad absoluta, saltem æquiualenter, siue vt modus. Colligitur ex Scoto, in primo sent. d. 30. q. 1. sub G. vbi dicit, quod termino, vt terminus est, accidit referri, vel esse ratio referrendi alteri. Probatur. Quia terminare relationem non est referre, vel esse rationē referrendi alteri, vt dictum est not. sexto, sed solum habet sistere tendentiam relationis ad ipsum; atqui hoc munus nequit competere relationi, vt relatio est; ergo vt relatio est, nequit esse terminus alterius re-

lationis. Minor probatur. Quia relatio, vt relatio est, includit essentialiter rationem referendi alteri; ergo vt talis, nequit terminare dependentiam alterius relationis ad se. Consequentia patet. Quia terminare dependentiam, dicit independentiam ad aliud; sed relatio, vt relatio est, non est independens, cum sit essentialis habitudo inter extrema; ergo vt relatio, nequit terminare dependentiam alterius relationis ad seipsam. Secunda pars probatur. Quia relatio, vt modus, induit modum absoluti; sed absolutum potest terminare dependentiam relationis; ergo si relatio terminat, hoc facit vt absolutum æquiualenter. Maior patet. Quia fundare, & terminare relationem, est munus absoluti; ergo si relatio fundat, & terminat aliam relationem, gerit vicem, vel induit modum absoluti.

Obijcies, contra primam conclusionem. Quia in tãtum potest dici, relationem non mutuam terminari ad absolutum, in quantum illud non refertur ad aliud; sed hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Maior patet. Quia in relatiuis non mutuis, tantum vnum extremum refertur, vt communiter tenetur. Minor probatur. Quia estò relatiuum mensuræ, non referatur ad mensurabile per relationem inexistentem sibi, tamen hoc exercet per relationem inexistentem mensurabili; sed hoc sufficit, vt relatio possit terminare relationem; ergo etiam relatio non mutua terminatur ad relationem. Maior suadetur ex Aristotele, in quinto meth. cap. de Ad aliquid, vbi dicit vnum referri per relationem, quam habet in se, alterum verò per relationem, qua aliud refertur ad ipsum. Minor similiter. Quia relatiua sunt simul cognitione, & diffinitione; ergo sufficit relatio vnius ad alterum, vel intrinsecè, vel extrinsecè, adhoc vt possit vnum, aliud terminare.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, nego maiorem. Si quidem impossibilis est effectus causæ formalis in aliquo, in quo non sit causa formalis, cum sint ad inuicem inseparabiles; at referri, cũ sit effectus formalis relationis, & hæc non sit in mensura, sed tantum in mensurabili, sequitur, solum mensurabile posse referri ad mensuram, & non è conuersò. Ad probationem dico, textum Aristotelis non habere illum sensum, quem sibi Caietanus attribuit, vt intelligenti patet; imò oppositum dicit Philosophus cum ait, intellectum non terminari ad ipsum intelligibile; alioquin idem bis diceretur, & idem per idem explicaretur: idest, intelligibile est, cuius est intellectus, & intellectus est eius, cuius est intelligibile; quod esset nugatio. Restat igitur, quod relationes non mutuæ, non terminentur ad respectiuum, sed tantum ad absolutum.

Contra. Quia estò sit verum, non adesse relationem realem in altero extremo relatiuorum tertij modi, potest nihilominus sibi attribui relatio rationis, quæ sufficiet ad hoc, vt relatio non mutua, non terminet ad absolutum formaliter, sed ad respectiuum.

Respondetur, concesso antecedẽte, negãdo cõsequentiã. Tum quia relatio rationis nequit terminare dependentiam relationis realis; tum quia cum sit posterior ipsa relatione, nequit illam terminare; siquidem terminus debet esse prior, cum per ipsum diffiniatur relatio.

Obijcies secundo, cum Ruuio hic, q.7. Ille est terminus formalis, quo posito, ponitur relatio, & quo remoto, remouetur; sed posita relatione opposita, vt puta serui, ponitur relatio Domini, & ea ablata, aufertur; ergo relatio opposita, est terminus formalis. Maior patet. Quia relatio dicit essentialem habitudinem ad terminum; ergo ille est terminus formalis, quo posito, ponitur relationis essentia, & quo amoto, aufertur. Minor est Aristotelis in hoc cap. de relatiuis, vbi dicit, quod si non ponatur relatio serui, sed tantum fundamentum eius, scilicet hic homo, non ponitur relatio Domini in alio homine; & eius verba sunt clara.

Respondetur, negando minorem, quoad secundam partem. Siquidem, si per impossibile posset auferri relatio à fundamento termini, adhuc terminaretur per absolutum, vt patet in relationibus tertij ordinis. Ad probationem, ex Aristotele, dico ibi esse locutum de conuertentia relatiuorum adinuicem, ita vt vnum possit dici, seu referri ad aliud mutuò de se predicando: in qua requiritur necessariò positio, vel ablatio relationis oppositæ; quandoquidem cum relatio sit ratio referrendi relatiua adinuicem, ad po-

positionem, ponitur conuertentia, & ad remotionem eius, remouetur, vt patet in exemplo de domino, & seruo; non tamen est locutus de terminatione: quia talis cum consistat in positione absoluti, si per impossibile amoueretur relatio serui opposita, vtique poneretur relatio domini, quia hæc non pendet ab illa, quoad sui esse, vt patet in relatiuis non mutuis, sed tantum requiritur quoad conuertentiam: & nil amplius prætendit Aristoteles eo loci, vt patebit consideranti textum, qui incipit. Omnia igitur, quæ ad aliquid dicuntur, conuenienter assignantur, ad conuertentiam dicuntur; quoniam si ad quodlibet aliud assignantur, & non ad id, ad quod dicuntur, non conuertuntur. Dico autem &c.

Obijcies tertio, cum eodem Ruuio. Oppositio relatiua reperitur inter relatiua, vt relatiua sunt formaliter; ergo mutua relatio includit essentialiter mutuam oppositionē; sed mutua oppositio relatiua includit essētialiter, tā rationem referrendi, quam terminandi; ergo vtrumq; officium exercent relatiua per relationes oppositas, & non per absoluta. Minor probatur. Quia oppositio consistit in hoc, vt relatiua se mutuò respiciant, & relationes sint rationes mutuò se respiciēdi; sed mutuò se respicere, est vnum aliud terminare; ergo oppositio relatiua includit essentialiter, & rationem referrendi, & terminandi, & sic per relationes oppositas, & non per fundamenta absoluta.

Respondetur, ex sesto notab. negando minorem, quantum ad rationem terminandi; quia hæc conuenit absolutis, & non relationibus. Ad probationem, nego iterum minorem. Quia mutuò se respicere, nō est terminare relationis dependentiam, sed tantū ad inuicem referri mediante oppositione relatiua relationum oppositarum; & in hoc deceptus est Ruuius, alioquin doctissimus; quia non agnouit differentiam inter vim terminandi, & referrendi, eo quod vna possit separari ab alia, vt etiam ipse fatetur in relatiuis non mutuis.

Obijcies quarto, cum eodē Doctore. Eadem est ratio de relationibus creatis, & diuinis quoad hoc; sed relationes diuinæ oppositæ, exercent vtrumque munus, & referrendi, & terminandi; ergo & creatæ. Maior patet. Minor probatur. Quia pater diuinus refertur ad filium, & filius refertur ad patrem, vt realiter distinguuntur; ergo vterq; terminat relationē alterius, vt abeo realiter distinctus. Consequentia probatur. Quia sicut relatio realis nequit esse eiusdem ad se, ita nec terminari ad se; sed pater, & filius non distinguuntur realiter, nisi per solas relationes reales oppositas; ergo nec refertur vnus ad alterum, nec terminat relationem alterius, nisi per relationem; & sic non per absolutum.

Respondetur negando maiorē. Quia relationes diuinæ sunt constitutiuæ diuinarum personarum: vnde sicut personæ diuinæ antea non intelliguntur in esse, nec distinctæ realiter ab inuicem, sic nec vna referri ad aliam, nec vna terminare relationē alterius, cum huiusmodi rationes habeātur a relatione constitutiua personę in esse personæ ab alia realiter distinctæ: at relationes creatæ, cum sint aduentitiæ, & supponant extrema in esse constituta, & realiter distincta, benè poterunt terminari per absoluta extremorum vt quo; nec requiritur, vt vna terminet aliam, sed solum vt vna sit ratio referrendi extremum ad aliud; & sic argumētū non est contra nos, nec probat suam conclusionem de relationibus creatis.

Contra. Quia relationes creatæ, & diuinæ vniuocantur in essentialibus; ergo si terminant formaliter relationes diuinæ, & creatæ formaliter terminabunt. Antecedēs probatur. Quia conueniunt in esse ad, & tantum differunt in esse in; quia cum diuinæ non sint accidentia, sicut creatæ, non habent esse in alio; cæterum cum ordinentur ad terminum, vtræque benè conueniunt in ad, quod solum essentiale est relationibus.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, tam esse ad, quam esse in, conuenire vtrisque non vt in, dicit ordinem ad subiectum inhæsionis, sed solum vt respicit fundamentum: nec propterea conueniunt in omnibus; quia illæ sunt constitutiuæ, qua ratione possunt referre, & terminare; non sic creatæ, vt dictum est in præcedenti responsione.

Obijcies quinto. Quia si relatio non terminatur formaliter ad relationem oppositam, sequeretur relatiua non esse simul natura, & cognitione; sed consequens est cōtra Aristotelem; ergo & antecedēs. Sequela maioris probatur. Tū quia paterni-

tas terminatur ad filium, non vt relatiuum est, sed vt absolutum; & sic, vt est prior filiatione; ergo & paternitas est prior filiatione; & sic, non simul natura: tum etiam, quia relatio in esse, & in cognosci, pendet a termino; ergo si terminus non est relatio opposita, non postulat illam in eodem signo; & sic relatiua non sunt simul natura.

Respondetur, negando sequelam maioris. Ad primam probationem concedo, absolutum filij, & absolutum patris præcedere, & paternitatem, & filiationem in aliquo signo naturæ, sed positis ambobus in esse, statim resultant ambæ relationes in eodem signo naturæ; & sic dicuntur simul natura: nec indè sequitur, paternitatem terminari ad filiationem, sed tantum ad absolutum filij, ad quod dependet; & non ad filium. Ad secundam probationem, nego consequentiam. Quia licet præsupponant in esse, & in cognosci fundamentum, & terminum, non tamen sequitur posteà, in secundo signo nō esse simul natura; imò totum oppositum; quia ad positionem extremorum simul resultant etiā relationes in vtroq; quoad esse, & cognosci dependenter ab extremis, & nō a se inuicem. Ex quo apparet, quod necessitas huius simultaneæ coexistentiæ inter relationes, non est dependentia vnius ab alia, sed vtriusq; ab extremis simul in esse positis, ex quibus causantur tales relationes in vtroque extremo in secundo signo nostræ.

Obijcies sexto. Quia data veritate nostræ conclusionis, sequitur Patrem non dici ad filium, vt filium formaliter, cum formaliter non terminetur ad illum, quod est falsum. Secundo; quia tunc omnia relatiua essent tertij modi, quia terminantur ad absolutum; quod pariter est falsum, & contra Aristotelem, quinto Methaph. cap. de Ad aliquid.

Respondetur, negando sequelam maioris, si per ly dici, intelligatur referri; & concedendo illam, si dici, idem sit, quod terminari. Vel dicendum, sequelam maioris esse veram reduplicatiuè, non tamen specificatiuè. Quia sic pater dicitur, & terminatur ad filium vt quod, non tamen vt quo; sic enim tantum ad absolutum filij terminatur, ad quod vt sic, non refertur, vt dictum est.

Ad secundum, nego consequentiam. Ad probationem dico, relatiua tertij modi non differre ab illis primi, & secundi modi per terminari; sic enim conueniunt, vt optimè probat Scotus, in primo, d. 30. quæst. 1. sæpius citata: sed tantum per referri; quia nimirum relatiua primi, & secundi modi mutuò referuntur; illa verò tertij modi non mutuo, vt apertè innuit Aristoteles 5. Meth. t. c. 20. & Scotus in primo d. 35. sub lit. F. quæstione vnica.

Obijcies septimo. Quia vnum relatiuum debet diffiniri per reliquum sibi oppositum, ex Aristotele 6. Topic. cap. 2. & relatiuum diffinitur per terminum, ex eodem ibidem, & capite præsenti; ergo & terminus erit relatiuus.

Respondetur, maiorem esse veram circumlocutiuè, fundamentaliter, & vt quod, non tamen formaliter, & vt quo: quia sic solum diffinitur per fundamentum alterius relatiui, vt supra demonstratum est.

Nec valet dicere cum Ruuio, loco cit. n. 73. Aristotelem accipere relatiuum, non vt relatiuum est, sed vt terminus est; quia cum relatiuum formaliter, non importet supra absolutum, nisi relationem oppositam, si hæc non terminat, vt relatio est, nec relatiuum terminabit, vt terminus est, sed tantum secundum eius fundamentum, quod absolutum est.

Ad habendam tamen perfectam notitiam huius resolutionis, notandus est ordo relationum, & extremorum inter se, quem ponit Scotus, in primo sent. d. 35. q. vn. sub lit. K. & L. & in secundo, d. 1. quæst. 2. D. & E. quod nimirum ad absolutum in causa, sequitur in secundo signo originis absolutum in effectu: in tertio, relatio in effectu, & in quarto, relatio in causa. Ex quo habetur, quod relatio effectus ad causam, & è conuersò causæ ad effectum præexigunt in esse, hoc, & illud absolutum, ex quibus resultant relationes in diuersis signis originis, sed in eodem signo naturæ, & propterea dicuntur esse simul natura.

Vel dicendum cum Mayronio, in primo, d. 29. quæst. 4. Difficult. 2. esse simul natura. Quia æqualiter distant a suis absolutis, in quibus fundantur; nàm relatio effectus, distat vno signo a fundamento causæ, & relatio causæ, alio signo a fundamento effe-

ctus.

ctus: modo quæcumque distant æqualiter ab aliquo, ex hoc dicuntur esse simul; propterea sequitur, relationem, & correlationem esse simul natura.

Vtrum sit ponendum vnum Genus Generalissimum, in quo reponantur omnes relationes prædicamentales?

SECTIO V.

Omnes Scholastici, præter Nominales, admittunt Genus generalissimum, in quo collocentur omnes relationes prædicamentales, saltem ab intrinseco, & ex natura extremorum prouenientes. Cæterū in assignanda huius prædicamenti vnitate disentiunt ad inuicem, nedum Thomistæ, & Scotistæ, sed etiam ex his, & ex illis aliquis, vt videre est in Ruuio hic, q. 3. & apud Mastrium q. 9. Siquidem aliqui assignant supræmum genus in abstracto, & non in concreto; alij è conuerso in concreto, & nō in abstracto: aliqui tamdem ordinant huiusmodi seriem prædicamentalem vtroque modo dicentes: sicut datur supręmum genus relationis, debere constitui etiam supręmum genus relatiuorum; quandoquidem relatio, & relatiuum non differunt, nisi penes diuersos modos significandi gramaticales, scilicet in concreto, & in abstracto; at in re sunt idem.

Pro cuius maiori intelligentia, ac fundamento dicendorum, primo notandum est, relationem esse duplicem, scilicet aptitudinalem, & actualem. Prior non requirit terminum in actu, sed tantum in aptitudine existentem; vt risibilitas: & huiusmodi relatio, cum sit identificata realiter suo fundamento, non spectat ad aliquod peculiare prædicamentum, sed reducitur ad illud, in quo est eius fundamentum. Posterior verò, quæ postulat terminum actu existentem; vt paternitas, similitudo, est duplex, scilicet intrinsecus, & extrinsecus adueniens. Relatio intrinsecus adueniens, ex Scoto pluribus in locis suæ doctrinæ, sed præcipuè in 4. d. 6. q. 10. B. & d. 10. q. 1. I. & d. 13. q. 1. C. D. dicitur illa, quæ necessariò sequitur positionem extremorum in actu; vt paternitas, filiatio, similitudo, æqualitas, & huiusmodi. Relatio verò extrinsecus adueniens, ex eodem ibidem, est, quæ non necessariò insurgit positis extremis etiam in actu, sed aduenit ab extrinseco, ex positione nimirum alicuius extrinseci, vt actio, & passio; nam posito igne, & stupa, non sequetur combustio, nisi fiat approximatio ignis ad stupam, quæ est quid extrinsecum illis. Relationes primo modo, spectant ad hoc prædicamentum; secundo verò modo, constituunt sex vltima prædicamenta.

Secundo notandum est, relationem intrinsecus aduenientem esse duplicem, scilicet identificatam realiter, & realiter distinctam à fundamento. Prior dicitur transcendentalis, & reperitur in omni prædicamento. Posterior verò prædicamentalis, quia intra limites vnius prædicamenti continetur, & clauditur. Et hæc est duplex, scilicet ęquiparantiæ, & disquiparantiæ, de quibus egimus in præcedenti sectione. Ex quibus licet colligere seriem prædicamentalem, prout constituunt hoc tertium prædicamentum, sic dicendo. Relationum prædicamentaliū actualium, & intrinsecus aduenientium, aliæ sunt, quę eodem nomine nominantur, vt similitudo, æqualitas; & hæ dicuntur æquiparantiæ: Aliæ, quæ diuerso nomine nominantur, vt paternitas filiatio, causa, & effectus; & hæ dicuntur disquiparantiæ. Relationum æquiparantiæ, aliæ fundantur super vnitate, vt vnitas est, siuè generica, siuè specifica; vt similitudo super qualitate eiusdem speciei, vel æqualitas super quantitate specifica, aut generica. Similitudo, & ęqualitas diuiduntur in hanc, & illam, quæ sunt indiuidua. Aliæ autem fundantur super pluralitate, vt pluralitas est; vt dissimilitudo, inæqualitas, seu difformitas, quæ fundantur in quantitatibus, vel qualitatibus alterius speciei, vel generis. Hæ autem diuiduntur in hanc, & illam, vt in indiuidua. Relationum disquiparantiæ, aliæ sunt superpositionis, vt relationes patris, Domini, causæ, producentis; aliæ verò suppositionis; vt relatio filij, serui, effectus, & producti: & omnes hæ pariter diuiduntur in hanc, & illam, sicut dictū est de relationibus æquiparantiæ. Ex his sequitur, quod cum in relationibus inueniatur coordinatio generum, specierum, & indiuiduorum secundum sub, & supra, posse constitui ex illis vnum prædicamentum ab alijs formaliter distinctum.

Tertio notandum, ex Arist. in textu huius capitis, relatiua esse in duplici differentia;

quædam sunt secundũ dici, & quædam secundum esse. Priora sunt illa, quæ secũdum propriam essentiam sunt entia absoluta, tamen secundum aliquid concomitans, sunt relatiua; vt scientia, potentia, pars corporis, & similia, quæ formaliter sumpta, vel sunt qualitates, vt scientiæ; vel substantiæ, vt potẽtia; vel pars corporis, vt manus, pedes, &c. tũ quia scientia refertur ad scibile, & potentia ad obiectum, vt mẽsurabile ad mensurã, & manus ad corpus totũ, vt pars eius, propterea dicũtur relatiua, licet reuera talia nõ sint. Posteriora verò sunt illa, quæ secũdum propriam essentiam, & formaliter sunt respectiua, & ad aliud ordinantur; vt pater ad filium, æquale ad æquale, & è conuersò; & hæc subdiuiduntur sicut relationes, in relatiua æquiparantiæ, & disquiparantiæ; & hæc, in relatiua superpositionis, & suppositionis; illa verò in relatiua vnitatis, & pluralitatis; & vtraque in sua partiuntur indiuidua, vt dictum est de relationibus. Ex quibus infertur, quod sicut potest constitui genus prædicamentale relationum in abstracto, quia ordinantur secundum sub, & supra, ita pariter debet poni ob eamdem rationem etiam in concreto.

Quarto notandum est, quod sicut essentiale est relationi, vt sic, referre, seu esse rationem referrendi fundamentum ad terminum, ita pariter relatiuo referri ad correlatiuum; vndè sicut conceditur relatio, & relatiuum supremum, quod sit genus generalissimum huius coordinationis prædicamentalis, sic etiam assignandum correlatiuum, seu terminus illius supremæ relationis: hoc autem nequit esse respectiuum, quia, vt supra conclusum est, relatio non terminatur ad relationem oppositam, sed ad fundamentum eius, quod est absolutum vel formaliter, vel æquiualenter in mutuis, vel ad absolutum formaliter tantum in natura mutuis. Erit ergo absolutum, vel formaliter, vel æquiualenter, vel commune vtrique, vt dicit Mayronius, quod ens neutrum nominari potest. Nec indè inferri potest, dari duo suprema capita, scilicet relatiuum, & correlatiuum huius coordinationis; quia cum absolutum sit extrinsecum relatiuo, vt relatiuum est, non spectat ad illud, nisi extrinsecè, vtpotè quia terminat eius dependentiam; at terminus, vt talis, non est de quiditatè relationis, & sic neque de eiusdem coordinatione per se, sed tantum per accidens, eo modo, quo substantia potest dici de coordinatione cuiuslibet accidentis, quia terminat dependentiam eius, prout est eorum vltimatum subiectum.

Quinto notandum est, ad hoc, vt relationes, seu relatiua possint ordinari sub hoc supremo capite. Primo requiritur, vt sint relationes, vel relatiua realia; idest independentia ab opere intellectus, siuè vt res, siuè vt realitates, & hac de causa excludũtur relationes, seu relatiua rationis, vt sunt secundæ intentiones, siue in abstracto, siue in concreto. Secundo, vt sint relationes, siue relatiua actualia; & per hoc excluduntur relationes aptitudinales, quæ non habent determinatum genus, sed reducuntur ad illa, in quibus reponuntur earum fundamenta, quibus idẽtificantur realiter. Tertio, vt sint relationes, vel relatiua intrinsecus aduenientia, siue mutua, siue non mutua; & per hoc excluduntur omnes relationes, seu relatiua extrinsecus aduenientia, quæ constituunt sex vltima prædicamenta. Quarto, vt sint realiter distinctæ a suis fundamentis; defectu cuius, excluduntur omnes relationes transcendentales, quæ identificantur fundamentis, vt relatio creaturæ ad Deum, accidentis ad subiectum, & huiusmodi. Quinto tandem, vt contineantur sub aliquo illorum trium modorum, quos enumerat Aristoteles, quinto meth.t.c.20. defectu cuius, relationes diuinæ, quæ dicuntur originis, excluduntur ab hoc prædicamento. Quia in diuinis non datur propriè potentia actiua, & passiua, super quibus habent fundari paternitas, filiatio, & spiratio passiua; & etiam quia non habent esse in alio, cuiusmodi sunt illæ, quæ continentur sub his tribus modis, sed sunt substantiæ realiter identificatæ Essentiæ Diuinæ.

Ex his, sit prima conclusio. Datur prædicamentum Ad aliquid, in quo reponuntur omnes relationes intrinsecus aduenientes, reales, actuales, & a suis fundamẽtis realiter distinctæ. Est Scoti in cit. locis, & in lib. Præd.q.25. Probatur primo, testimonio Arist. in textu, vbi enumerat hoc prædicamẽtũ ab alijs distinctũ. Secũdo probatur ratione. Vbi datur coordinatio prędicatorũ secũdũ sub, & supra, ibi datur prædicamentũ, vt patet ex eius diffinitione; sed in relationibus rea-

realibus, actualibus, intrinsecus aduenientibus, & a fundamentis realiter distinctis datur huiusmodi ordinatio secundum sub, & supra; ergo datur prædicamentum relationum, seu ad aliquid. Minor est probata not. secundo, & tertio, huius sectionis. Tertio probatur. Quia sicut ex quantitatibus, & qualitatibus coalescunt duo prædicamenta, quia eorum genera, species, & indiuidua ordinantur ad inuicem secundum sub, & supra, ita dicendum est de prædictis relationibus, cum ordinentur ad inuicem secundum sub, & supra.

Secunda conclusio. Datur vnum genus generalissimum in tali prædicamento, quod vniuocè prædicatur de omnibus, quæ directè in eodem collocantur. Est Scoti in logica, in cit. quæst. 25. §. dicendum, quod generalissimum &c. Probatur primo, auctoritate Aristotelis in textu, vbi probat, Adaliquid esse vnum prædicamentum ab alijs distinctum; sed in quolibet prædicamento datur vnum supremum genus, quod dicitur de suis inferioribus; ergo idem dicendum est de prædicamento Adaliquid. Secundo ratione. Si non daretur tale genus, hoc maxime eueniret, quia adaliquid, idest relatiuum, essentialiter ordinatur ad correlatiuū, & hæc non sunt vnum, sed duo realiter distincta; at hoc non officit, quominus adaliquid non sit vnum genus ab alijs distinctū; ergo &c. Maior patet. Quia non videtur posse adduci alia ratio a Doctoribus oppositæ sententiæ. Minor probatur. Quia ordinari ad correlatiuum, non conuenit relatiuo, vt relatiuum est, sed tantum vt mutuum est; ergo relatiuum, vt relatiuum, expostulat vnitatem, & non diuisionem. Maior patet. Quia alioquin relatiua tertij modi, in quibus non est correlatio, non essent essentialiter relatiua, quod est contra Aristotelem, quinto Methaphys. t. c. 20. Tertio sic. Quia relatio tantum essentialiter ordinat fundamentum ad terminum, vt probatum est in præcedēti sectione; sed terminus non tollit vnitatem generis generalissimi ab hoc prædicamento; ergo. Minor probatur. Quia terminus est absolutum, vel formaliter, vel æquiualenter; sed absolutum nequit perturbare relatiuum formale, cum non sit de eius quiditate, imò distinguatur realiter ab eo; ergo datur vnum genus generalissimum relatiuorum. Secunda pars probatur. Quia conceptus quiditatiuus relationis, seu relatiui formaliter, est ordinare subiectum, seu fundamentum ad aliud, vt ad suum terminum; sed talis conceptus reperitur in omnibus relatiuis, quæ sub hoc genere collocantur; ergo dicitur de illis vniuocè. Maior patet. Quia sicut quantitas, & qualitas afficiunt subiectum ad se, ita relatio ad aliud; per hoc enim distinguuntur entia absoluta, & relatiua ab inuicem. Minor patet inducendo in omnibus relatiuis trium modorum, quos enumerat Aristoteles, quinto Methaphys. t. c. 20. quia sub his continentur omnia relatiua, realia, actualia, & intrinsecus aduenientia, ac a fundamentis realiter distincta.

Tertia conclusio. Vnitas generis generalissimi Adaliquid, datur, tam in abstracto, quam in concreto. Est Scoti loco citato §. Ad primum istorum, &c. respondendo ad secundum, & ad quartum argumentum principale. Probatur. Quia relatio, & relatiuum non differunt, nec realiter, nec formaliter, sed tantum ratione; ergo si datur genus generalissimum relationum, dari debet, & relatiuorum. Antecedens probatur. Quia concretum, & abstractum tantum differunt in modo significandi formam, cum concernentia, vel cum abstractione a subiecto; at realiter est eadem forma vtriusque; ergo conceptus generalissimi erit vnus, & idem in vtrisque realiter, & formaliter.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Si relatio esset speciale prædicamentum, sequeretur quod ex propria natura esset accidens; sed hoc est falsum; ergo. Sequela maioris probatur. Quia omnia prædicamenta, vel sunt substantiæ, vel accidentia; ergo si relatio est prædicamentum, & non est substantia, sequitur esse accidens. Minor probatur. Quia personæ diuinæ constituuntur per relationes reales, scilicet paternitatis, filiationis, & spirationis passiuæ; sed tales non sunt accidentia, cum hæc repugnent Deo; ergo sunt substantiæ; & sic, non constituunt speciale genus entis realis distincti realiter à substantia.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem dico, relationes diuinas non pertinere ad hoc prædicamentum. Quia nec sunt accidentia, nec continentur sub aliquo trium modorum, quos enumerat Philosophus, quinto meth. t.c.20. & licet conueniant in conceptu transcendentissimo, qui est esse ratio referendi vnum ad aliud, non tamen vniuocantur in conceptu limitato, qui est referre vnum ad aliud accidentaliter realiter, & ex natura extremorum, quæ referuntur; quia hic conceptus comprehendit tantum relationes prædicamentales intrinsecus aduenientes, à fundamentis realiter distinctas.

Contra. Quia relatio non est accidens; ergo conceptus eius non est referre accidentaliter vnum ad aliud. Consequentia patet. Antecedens probatur. Quia accidentis esse, est inhærere subiecto, saltem aptitudinaliter; sed relatio nullo modo inhæret subiecto; ergo. Maior patet, ex septimo Methaphys. t.c.2. Minor patet ex diffinitione relationis, cuius totum esse est ad aliud; ergo non in alio, & sic non est accidens.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, relationem considerari dupliciter, vel in ratione transcendentali accidentis; & sic sibi conuenit esse in subiecto, sicut cæteris accidentibus absolutis; alio modo in ratione limitata talis entis, scilicet respectiui; & sic competit sibi esse in fundamento, & illud referre ad aliud, vt ad terminum. Modo ad argumentum dico, ad relationem conuenit esse in subiecto transcendentaliter, vt accidens est, & ordinari ad aliud, vt relatio est.

Obijcies secundo. Multæ relationes spectant ad hoc prædicamentum, quæ non sunt intrinsecus aduenientes; ergo hoc prædicamentum non est coordinatio relationum tantum intrinsecus aduenientium. Antecedens probatur. Quia relatio patris ad filium, causæ ad effectum, producentis ad productum, spectant ad hoc prædicamentum, cum contineantur sub secundo modo relatiuorum; sed tales non sunt intrinsecus aduenientes; ergo. Minor probatur. Quia pater non potest generare filium, nisi præcedat actio generatiua; causa non potest producere effectum, nisi fiat approximatio agentis ad passum; ergo huiusmodi relationes non insurgunt ex natura extremorum, sed ab extrinseco, & sic sunt extrinsecus, & non intrinsecus aduenientes.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, nego minorem. Ad cuius probationem dico, huiusmodi dispositiones prærequiri, tam in generatione, quam in causalitate, non vt insurgant relationes, sed vt ponantur extrema, scilicet fundamentum, & terminus in esse, quibus positis in quacumque distantia, statim insurgunt relationes; non sic accidit in illis, quæ dicuntur extrinsecus aduenientes; quia ad hoc, vt insurgant, requiritur approximatio, qua facta, adhuc possunt impediri, vt patet de combustione impedita in fornace Babilonica, de comestione Danielis in lacu leonum, & alijs; quæ virtute diuina impeditæ fuerunt, etiam si fuerint extrema approximata.

Obijcies tertio. Quia omnes relationes, tum intrinsecus, tum extrinsecus aduenientes, conueniunt in conceptu generis generalissimi relationis; ergo omnes pariter, vel nullæ, faciunt hoc prædicamentum. Consequentia patet. Quia ad hoc, vt aliqua ponantur in prædicamento, sufficit, vt participent quiditatiuè conceptum supremi illius prædicamenti. Antecedens probatur. Quia omnes sunt rationes referendi vnum extremum ad aliud; sed in hoc consistit conceptus relationis, quæ ponitur, vt generalissimum; ergo &c.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, omnes relationes, tum intrinsecus, tum extrinsecus aduenientes, conuenire quidem in conceptu transcendentali, qui est esse ratio referendi vnum extremum ad aliud; non tamen in conceptu limitato, qui est esse ratio referendi vnum ad aliud ab intrinseco, & ex eorum natura, necessariò, & inimpedibiliter; sub quo non continentur relationes extrinsecus aduenientes, cum proueniant ab extrinseco, & possint impediri saltem à Deo, ne insurgant, etiam facta vnione extremorum.

Contra. Quæ sunt differentia, & non diuersa, conueniunt in aliquo conceptu generico; sed relationes intrinsecus, & extrinsecus aduenientes, non sunt primo diuersæ, sed tantum differentes; ergo conueniunt

niunt in aliquo conceptu generico, & non nisi in esse rationem referendi vnum extremum ad aliud, & sic argumentum manet in suo robore. Maior est Aristotelis, 10. Meth. t.c. 12. & Scoti, in secundo, d. 3. q. 6. ac in suis Formalitatibus. Minor probatur per Scotum, in quarto, d. 6. q. 10. & d. 10. quæst. 1. & dist. 13. quæst. 1. & quolib. 11. art. 4. quibus in locis ponit differentiam inter relationes intrinsecus, & extrinsecus aduenientes.

Respondetur, minorem esse veram de diuersitate se totis obiectiua, non tamen se totis subiectiua; quia sic sunt primo diuersæ, vt dictum est de distinctione prædicamentorum. Ad probationem dico, differentiam illam, quam ponit Scotus inter dictas relationes, non esse per differentias formales, & specificas, sed tantum per modos intrinsecos, qui, cum non distinguantur formaliter a suis principijs, nequeunt facere differentiam, sed tantum diuersitatem inter dictas relationes. Confirmatur responsio ex modo loquendi Doctoris Subt. in quarto, d. 13. q. 1. D. dum dicit, illa sex vltima prædicamenta, non esse species relationis; quia hæc dicit intrinsecè respectum, illa verò tantum extrinsecè: & in Quol. 11. art. 4. inquit: hæc sex genera distingui a relatione, distinctione secundum genus, & non nisi, quia relatio consequitur extrema posita necessariò, hæc verò non necessariò: quæ consecutiones, solum habent dicere diuersos modos intrinsecos; aliter non distinguerentur secundum genus, sed essent eiusdem generis, quod tamen negat Doctor. Fateor tamen, argumentum esse validum, nec solutionem iam datam ita facilè quietare intellectum, cum, & ipse Scotus hæsitet, & solum hoc dicat ad saluandam illam famosam diuisionem decem Generum. Videatur in his duobus locis vltimò citatis, & dicatur consequenter ad meliorem eius intentionem.

Obijcies quarto, contra secundam, & tertiam conclusionem. Si datur relatiuum in communi, ordinabitur ad terminum; vel igitur ad inferiorem, vel ad superiorem, vel ad æqualem; sed nullum est dicendum; ergo. Maior patet ex natura relatiuorum; & a sufficienti diuisione terminorum. Minor probatur. Non ad inferiorem, neque ad superiorem; tum quia inter extrema debet esse distinctio realis; at inter superiorem, & inferiorem non est distinctio realis, vt patet. Tum quia relatiua sunt simul natura; sed inferius, & superius, non sunt simul natura, vt est notum apud omnes; ergo nequit ordinari ad superiorem, vel inferiorem. Neque ad æqualem; quia tunc, vel essent duo genera generalissima relationum, vel nullum; vtrumque est absurdum; ergo &c. Minor probatur. Quia cum duo repugnent ad inuicem, sequitur nullum esse supremum genus relationis.

Respondetur, ordinari ad æqualem terminum: & cum infertur, quod duo essent generalissima relationum, negatur; quia talis terminus non foret relatiuum quid, sed absolutum, vel quoddam vtrique commune, vt dictum est, not. 4. & conclusione 2. quod cum non veniat in numero cum relatiuo, nequit facere duo relatiua, sed tantum vnum.

Cōtra. Quia Scotus, In primo, d. 21. q. vn. ad tertium argumentum, dicit, relatiuum in communi non referri ad terminum in communi, sed tale exercitium relinquit suis inferioribus, in quibus saluatur sufficienter relatio vnius ad aliud; ergo responsio data, quod referatur ad terminum æqualem, est contra Doctorem, ac propterea non sustinenda.

Respondetur, Doctorem ibidem ponere differentiam inter relatiua æquiparantiæ, & disquiparantiæ; nimirum, quod cum hæc fundentur in absolutis alterius rationis, vt pater, & filius in potentia actiua, & passiua generandi, si abstrahantur ab inferioribus vtriusque conceptus, non possunt conueniri in vno, & eodem conceptu, sed sunt necessarij duo conceptus oppositi; vnus fundatus in Patre, & alter in filio; at relatiua æquiparantiæ, cum fundentur super vnitate specifica, vel generica, a quibus potest abstrahi vnus conceptus vel specificus, vel genericus, non necessario constituuntur duo, quæ se mutuo respiciant, & adinuicem referantur; quia tunc deberent esse distincta realiter; quod est contra suppositum, nempè quod sint vnita specificè, vel genericè: quapropter, si hæc habeant referri, nequeunt hoc exercere in communi, sed tantum in inferioribus, in quibus datur distinctio realis; & sic intelligendus est Doctor citatus. Vndè nō potest inferri, quod neget

absolutè vnitatem relatiui in communi,& referentiam eiusdem ad terminum æqualem,cum hoc apertè asserat in quæst. 25. Prædicam. respondendo ad tertium principale:& in primo,d.21.quęst,vn.ad tertium argumentum, solum hoc neget à relatiuis æquiparantiæ, & non a relatiuo in communi.

Obijcies quinto. Quia si daretur tantum vnum genus generalissimum, sequeretur,tale esse relatiuum æquiparantię; sed hoc non est ponendum; ergo nec relatiuum, quod sit generalissimum. Maior probatur. Quia referretur secundum eamdem formam dicendo, relatiuum relatiui relatiuum; tum quia talis conceptus esset in vnitate generica communi ad omnia relatiua; sed relatiua,quæ fundantur super vnitate, sunt æquiparantiæ, vt dictum est superius;ergo. Minor probatur. Quia tunc omnia relatiua inferiora,essent æquiparantiæ, & sic non darentur relatiua superpositionis, & suppositionis, cuiusmodi sunt pater,& filius,Dominus,& seruus;quod est contra Aristotelem hic,& quinto Meth.t.c. 20.ergo &c.

Respondetur, relatiuum in communi posse dici æquiparantiæ, dupliciter potest intelligi;vno modo,vt quid;alio,vt modus, seu denominatiuè. Primo modo relatiuum æquiparantiæ, est vna species relatiuorum contradistincta a relatiuis disquiparantiæ, scilicet suppositionis, & superpositionis: & sic relatiuum in communi, nequit dici æquiparantiæ, sed abstrahit ab illo, sicut à cæteris. Secundo modo,dicit modum fundandi,& referendi relatiuorum æquiparantiæ:& sic relatiuum in communi potest denominari æquiparantiæ,pro quanto refertur ad modum relatiuorum æquiparantiæ, & fundatur super vnitate conceptus, communis omnibus relatiuis inferioribus;& sic non est inconueniens dicere, omnia relatiua,vt conueniunt in illo supręmo,& in eius conceptu communissimo, esse æquiparantię,cum habeant eumdem modum fundandi, & referrendi, sicut relatiua æquiparantiæ.

Ad argumentum formaliter dico, sequelam maioris esse veram vt modus, non tamen vt quid.Ad improbationem dico, esse veram vt modus,falsam,vt quid; quia cum sint diuersæ species contentæ sub relatiuo, in communi, contractæ per diuersas differentias,consequenter habent, & diuersam rationem fundandi, & referrendi, vt dictum est superius.

Contra. Quia relatiuum in communi non esset reale,sed tantum rationis; consequens est falsum; ergo & antecedēs. Minor patet. Quia omnia decem prædicamenta sunt realia.Sequela maioris probatur.Quia relatio realis requirit extrema realiter distincta; sed conceptus relatiui æquiparantiæ, non haberet extrema realiter distincta cum esset fundatus super vnitate generica, in qua non est distinctio realis;ergo.

Respondetur, negando sequelam maioris.Ad probationem,nego minorem. Quia terminus talis relationis,non esset absolutū prædicamentale,& sic non esset eiusdem generis cum fundamento,sed transcendentale; & pro tanto diceretur eiusdem rationis,pro quanto haberet eamdem rationem fundandi.

Vtrum relationes secundi modi, quem recenset Aristoteles,quinto Meth.t.c.20. fundentur in potentia, vel in actione actiua,vel passiua?

QVÆSTIO II.

Circa hanc difficultatem,multiplex extat Doctorum sententia;siquidē Thomistæ sequuti Magistrum,in 1.p.q.28.art.4. & in 3.sent.d.8.q.1.art.5.& alij,quorū meminit Mastrius hic,q.10.n.157.quibus accedit Caiet.super 3.p.q.35.art.5.docent,huiusmodi relationes fundari super actione, & passione.

Scotistę, ex opposito docent,huiusmodi relationes habere fundamentum in potentia actiua,& passiua:actionem verò,& passionem prærequiri,veluti dispositiones,sine quibus non insurgerent relationes, etiam positis fundamentis.Ita docet Doct. Subtilis in 5.meth.ad t.20.& q.13.in fine:& in 4. d.6.q.10.I. & d.13. q.1. V. sed expręssius in quol.12.C.quem pręter Discipulos,sequuntur nonnulli ex Thomistis, quos citat Mastrius cit.sub numero 160.

Cæterum,moderni quidam putantes vitare posse inconuenientia, quæ vrget Scotus,contra opinionem D. Thomæ, collocant has relationes in substantia nuda, veluti

luti in fundamento radicali. Ita Suarez in meth. disp. 47. sect. 12. Hurtado ibi, disp. 15. sect. 10. cum alijs.

At Mastrius, & Bellutus hic, disp. 8. q. 10. sub n. 162. quamuis videantur sequi opinionem Doctoris Subtilis, collocantes, & ipsi huiusmodi relationes in potentia actiua, & passiua, cum dispositionibus prærequisitis; discordant nihilominus a communi Scotistarum Schola, ac sententia, dum dicunt, relationes effectus ad causã, & è contra, quia important dependẽtiã essentialẽ ad inuicem nedum in fieri, sed etiam in conseruari, fundari in nuda entitate causæ, & effectus. Relationes verò paternitatis, & filiationis, quia mutuò se respiciunt cum essentiali dependẽtia vnius relatiui ab alio, scilicet filij a patre, tantum in fieri, & non in cõseruari, fundari quidẽ in potentia actiua, & passiua, & in primo instanti esse relationes reales, at transacto actu generationis, remanere in suis fundamẽtis, veluti denominationes extrinsecas, nẽpè quod pater generauit, & filius genitus est. Citant pro se Philosophũ, 5. meth. c. 15. & Scotum in 3. d. 8. q. vn. D. §. Respondeo, aut filiatio est præcisè relatio, &c. vbi hunc dicendi modum putat probabilẽ, cum ipsum non refellat, sicut secundum.

Sed quã perperam adduxerint, & Philosophum, & Magistrum in confirmationem suæ sententiæ, quam iactabundi fatentur se priores omnibus defendisse; viderint ipsi, si rectè sapiant, & infrà euidentissimis rationibus demonstrabimus.

Pro declaratione igitur, & fundamento Scoticæ sententiæ, quam conformiorẽ mẽti Aristotelis iudicamus: primo notandũ est ex dictis superius, relationem dicere essentialẽ dependentiam extremorum .s. fundamenti, & termini, cũ in sui quiditate inuoluat essentialẽ habitudinẽ vtriusque; quarè sicut ex hoc infert Philosophus hic, c. de ad aliquid, relatiua mutuò se poni, ac perimi. Sic Scotus concludit, in 4. d. 12. q. 1. D. necessitatem vtriusque extremi ad esse, & cõseruari relationis, vt dixerit, quod sicut tollere terminum, ad quem est respectus, est tollere, vel destruere respectum; ita tollere illud, cuius est respectus, est tollere respectũ, & destruere rationem respectus: siquidem accidens respectiuum, qua tale, requirit vtrumq; extremum ad sui esse, & conseruari. Ex quo licet inferre, quod sicut relatio destruitur ad alicuius extremorum destructionem, ita conseruatur, manentibus in esse fundamento, & termino; cum igitur, trãsacto actu generationis, maneat in patre potentia generatiua, quæ est fundamentũ paternitatis, ipsa pariter manebit viuente filio, ad quem fuit ordinata: & sicut prius in fieri erat vera relatio realis, & intrinsecè denominabat patrem, vt talem, ita posteà manebit secundum eamdem formalitatem intrinsecam, & non tantum, vt extrinseca denominatio.

Secundo notandum, ex Doct. Subtili, in quol. 12. art. 1. sub A. & B quod eiusdem effectus permanẽtis ad eamdem causam, nequit esse alia, & alia habitudo dependentiæ, per hoc, quod dicatur habere esse, & conseruari ab eodem; alioquin cum esset sufficienter terminata dependentia ad illã causam, non posset amplius dependere dependentia eiusdem rationis; aliter dependeret, & non dependeret, quod est manifesta contradictio; per hoc. n. probat Doctor, vna, & eadem dependentia essentiali, dependere creaturam ad Deum, & quoad esse, & quoad conseruari; quandoquidem, cum sit eadẽ existentia creaturæ, super qua fundatur dependentia, & in creatione, & conseruatione, & idem velle diuinum ad quod terminatur, infert non esse aliam, & aliam habitudinem, sed omninò eamdem realiter ad Deum creãtem, & conseruantem. Ad propositum nostrum applicando hãc doctrinã; cum eadem sit substantia filij genita, & eadem potentia generatiua perseueret post actum generationis trãsactũ, sequitur, quod non alia, & alia habitudine filius depẽdeat à patre in fieri, & cõseruari, sed omninò eadem: & è conuersò, quod pater eadem relatione, & habitudine ordinetur post actum generationis, quo in actu eiusdem ordinabatur: vndè sicut in actu dicebatur pater intrinsecè per paternitatem realiter, per eamdem sic perseuerantem, semper denominabitur talis, quousque extrema fuerint vnita, & sibi coexistentia: & tamdem, sicut paternitas dicitur relatio realis in actu generationis, ita talis erit etiam in conseruatione eiusdem subiecti per ipsam denominati, perseuerante etiam eodem fundamento, ac termino.

Tertio notandũ, ex eodẽ Doct. in cit. locis; sed præcipuè in 4. d. 13. q. 1. V. & quolib. 12. art.

art. 1. quod quamuis ad fundandam paternitatem, & filiationem prærequirantur generatio actiua, & passiua, tanquam dispositiones mediç, sine quibus non insurgerent huiusmodi relationes, tamen non licet inferre, generationem passiuam, vel actiuam esse fundamenta proxima, vel rationes fundandi prædictas relationes; aliter transacto actu generationis, non remanerent in patre paternitas, & filiatio in filio, quod non est dicendum; cum ille adhuc dicatur pater, & iste filius, & non nisi per relationes in eisdem perseuerantes. Ex quo sequitur, quod cum maneant, vt optimè demonstrat Scotus, contra D. Thom. in tertio, d. 8. q. vn. sub B. & C. nimirum in eodem patre esse plures paternitates reales ad plures filios terminatas, oportet dicere, quod non fundentur super genuisse, vel super generatione actiua, aut passiua, quæ transeunt, sed super potentia actiua, & passiua, quæ diù perseuerant. Nec per potentiam actiuam intelligit Doctor illam, quæ est coniuncta cum actu secundo, vt dicunt Mastrius, & Bellutus, vel quæ dicat respectum ad actũ; sed absolutum, quod denominatur a tali respectu; quia tale non transit; cum actu generationis, sed perseuerat, vt inquit Doctor Subt. in 4. d. 6. q. 10. sub H. & I. alioquin non rectè probaret, posse fundari in eodem fundamento plures paternitates, sed plures essent in diuersis fundamentis, sicut plures sunt potentiæ actiuæ, coniunctæ cum diuersis actibus generationis ad diuersos filios. Vndè apparet falsitas opinionis eorumdem Magistrorum, qui putantes posse euadere scyllam oblatam à Suarez contra Scotum, inciderunt in caribdim, deuiantes à sententia Doctoris, & semetipsos redarguentes, vt potè qui defenderint contra Thomistas pluralitatem relationum realium, & præsertim paternitatum realium in eodem patre ad plures filios, quod est oppositum huius opinionis, quam hic nouiter probare pertentant, etiam in sententia Doctoris Subtilis.

Quarto notandum, ex Philosopho, 5. Meth. t. c. 17. & 9. meth. t. c. 2. & ex Scoto, quol. 18. art. primo, potentiam esse duplicem, scilicet actiuam, & passiuam: potentia actiua, est principium transmutandi aliud, in quãtum aliud; passiua verò est principium transmutandi ab alio, in quantum ab alio. Exemplum sit in igne comburẽte lignum; in quo est potentia actiua transmutandi formam ligni in formam ignis, & in ligno, est potentia passiua, vt possit mutari ab igne. Potentia actiua, cum sit potentia agẽtis, & agens sit duplex homogeneum, & etherogeneum, aliter sita est in hoc, & in illo; siquidem in priori, cuiusmodi est ignis, non distinguitur à forma eius, sed tota causalitas residet in entitate eiusdem; in posteriori verò, cum sit organicum, vt homo, vel leo, distinguitur formaliter; quandoquidem potentia generatiua in homine, est quædam vis distinctiua eiusdem ab agẽte non generante, & est formaliter distincta ab essentia, seu substantia animç rationalis, in qua multiplicantur denique tot potentiæ actiuæ, quot effectus alterius rationis possunt produci ab homine. Ex quo fit, vt alia sit potentia generatiua, alia nutritiua, alia loco motiua, alia intellectiua, & alia volitiua, cùm homo generet, nutriatur, loco moueatur, intelligat, & velit. Vndè infertur, quod cum relationes secundi modi fundentur in potentia actiua, aliquæ fundantur immediatè in substantia nuda, vt relatio causæ ad effectum; aliæ verò in quadam vi ordinata immediatè ad proprium effectum producendum; vt paternitas in potentia generatiua; & ratio vtriusque est ista; quia cum agentia primi ordinis attingant effectum immediatè per suas entitates, vt probat Scotus, d. 1. q. 2. ad primum argumentum secundi sent. ideò relatio, qua ordinatur causa ad effectum, debet fũdari in illa entitate nuda: & cum agentia secundi ordinis, non attingant effectus immediatè per eorũ substãtias nudas, sed tantũ mediantibus quibusdam principijs, etiam relationes producentis ad productum, & originantis ad originatum, habent fundari in eisdem principijs, & non in substantia nuda.

Ex his, sit prima conclusio. Relationes secundi modi, non fundantur super actione, & passione. Est Scoti locis citatis. Contra D. Thomam, & Sectatores citatos in prima sententia. Probatur. Quia super eo, quod non est, nequit fundari relatio realis; sed relationes secundi modi sunt, quando actio, & passio non sunt; ergo in his nequit fundari relatio secundi modi. Maior patet. Minor probatur. Quia peracta generatione,

ne, nec actio est in patre, nec passio in filio, cum transierint in præteritum; ergo simpliciter non sunt, & tamen paternitas manet in Patre, & filiatio in filio, a quibus intrinsecè denominantur tales; ergo relationes secundi modi sunt, & habent esse, quando actio, & passio non sunt, & consequenter nequeunt fundari super illis. Hoc assumptum probatur. Quia cum relatio sit essentialis habitudo extremorum, nequit esse sine fundamento, & termino, à quibus essentialiter dependent; ergo, &c.

Secunda conclusio. Relationes secundi modi, nequeunt fundari in potentia actiua, & passiua, vt sunt sub actibus secundis reduplicatiuè; hoc est dictu; actio, & passio non sunt rationes fundandi huiusmodi relationes. Est Scoti, in tertio, d. 8. q. vn. sub lit. D. & E. in 4. d. 6. q. 10. sub I. sed expressius dist. 13. q. 1. V. & quol. 12. art. 1. contra Mastrium, & Bellutum citatos. Probatur. Quia fundamentum relationis, non est tantum causa eius in fieri, sed etiam in esse, & conseruari; atqui potētia actiua, vt est sub actu secundo, non est causa in esse, cum transeat cum actu; ergo &c. Maior est Scoti, in 4. d. 6. q. 10 vbi loquens de relatione paternitatis, profert verba formalia, quæ recensui in maiori. Confirmatur ex eodem ibidem. Quia fundamentum paternitatis, est potētia generatiua, non accepta pro respectu, quem dicit, sed pro absoluto, quod denominatur a tali respectu; sed potentia sub actu secundo, importat respectum ad actum, & non tantum absolutum; ergo vt sic, nequit esse fundamentum illius relationis. Maior, & minor sunt Scoti loco citato. Secundo probatur. Quia quando aliquis in creaturis generat, tunc non est pater, sed solum quādo proles formata est, dicitur pater, ita quod sicut proles incipit esse filius, ita qui genuit, incipit esse pater; ergo potentia generatiua patris, dum est sub actu, nequit esse fundamentum relationis paternitatis. Antecedens est Scoti, in quarto, d. 13. q. 1. V. ad literam formaliter, & etiam patet: Quia pater dicitur generare cum discindit semen; sed tunc non est pater, sed solum cum proles est perfectè organizata, & animata, alioquin non generaret sibi simile in natura; ergo. Consequentia patet. Quia tūc solum est fundamentum, dum denominat actu patrem; sed dum est sub actu generationis in illo instanti, non denominatur actu pater; ergo potentia generatiua sub actu reduplicatiuè, nequit esse fundamentum generationis, seu relationis paternitatis.

Tertia conclusio. Relationes secundi modi, & præsertim paternitas, & filiatio increatis, sunt relationes reales, nedum in fieri, sed etiam in facto esse. Est Scoti in citatis locis, & præcipuè in tertio, dist. 8. q. vn. vbi probat, plura accidentia relatiua posse esse in eodem fundamento ad plures terminos: & loquitur de paternitate, & filiatione. Contra illos Neotericos Scotistas; & Poncium hic, disp. 15. num. 64. ac sequentibus. Probatur primo. Quia paternitas, & filiatio manent realiter in patre, & filio, dum actu viuunt; ergo sunt relationes reales. Consequentia patet. Quia quod non est reale, nec realiter manet. Antecedens est Scoti, in loco citato, & in quol. 12. art. primo; vbi per hoc demonstrat in primo loco, plura accidentia relatiua esse simul in eodem fundamento; & in secundo, quod non fundantur in actione, & passione, sed in potentia actiua, & passiua, contra D. Thomā contendentem oppositum; sed Doct. Subt. non haberet intentum, si non essent relationes reales, & in facto esse; ergo sunt relationes reales, etiam in facto esse. Secundo probatur. Quia si sunt relationes reales in fieri, vt conceditur ab illis; ergo etiam in facto esse remanent tales. Consequentia probatur. Quia manentibus eisdem extremis penitus immutatis, manet eadem relatio prorsus immutata; sed potentia generatiua actiua in patre, & passiua ad generari in filio, sunt fundamenta paternitatis, & filiationis, vt concedunt, & eadem penitus immutata perseuerant in facto esse, quę fuerant in fieri; ergo & relationes super ipsis fundatæ, erunt huiusmodi. Minoris secunda pars probatur. Quia potentia generatiua in patre, & passiua in filio, non sunt fundamenta formaliter, secundum habitudinem, quam dicunt ad actum secundum, vt probatum est cum Scoto in præcedenti, sed tantum secundum esse absolutum, quod denominatur a tali respectu; sed absolutū, tam in patre, quam in filio, est semper idem realiter, tam in fieri, quam in facto esse; ergo, & relationes super ipsis fundatæ, erunt sem-

semper eædem. Maior primi syllogismi est Scoti in quol. 12. loco citato, & etiam suadetur. Quia relatio est essentialis habitudo extremorum; ergo ijs manentibus, manet semper eadem habitudo.

Respondent, maiorem esse veram vbi semper perseuerat eadem essentialis dependentia vnius ab alio; vt patet in relationibus effectus ad causam, & è conuersò, de quibus loquitur Scotus; non tamen de extremis in proposito, vbi peracta generatione, non est amplius essentialis dependentia.

Contra. Quia filius, vt talis, semper dependet a patre, dum pater est, ex Philosopho hic; vbi per hoc infert, quod posita se ponunt, & perempta se perimunt, quæcumque sint illa relatiua saltem secundum esse; ergo etiam fundamentum filiationis est in continua essentiali dependentia à fundamento paternitatis. Consequentia probatur. Quia vnum relatiuum non dependeret essentialiter ab alio, si fundamenta non dicerent essentialem dependentiam ad inuicem; siquidem relatio est essentialis habitudo extremorum ad inuicem. Præterea, estò absolutum huius, & illius, peracta generatione, non habeant amplius essentialem dependentiam in fieri, tamen, vt fundamentum, & vt terminus, formaliter, & essentialiter dependent; cum vnum ordinetur essentialiter ad aliud in facto esse.

Respondēt, peracta generatione, patrem, & filium dependere essentialiter quoad denominationem extrinsecam, secundum quam etiam dicuntur se perimere, & ponere ad inuicem, non tamen respectu denominationis intrinsecæ, quia talis, peracta generatione, nulla est.

Contra. Quia denominatio extrinseca in vno extremo, præsupponit semper in altero intrinsecam; ergo si filius dependet essentialiter a patre quoad denominationem extrinsecam, & è conuersò, necesse est ponere in vtroque formam intrinsecam, a qua possit haberi denominatio mutua extrinseca; atqui talis nequit esse, nisi paternitas in patre, & filiatio in filio; ergo. Consequentia patet. Maior probatur. Quia paries visus extrinsecè, præsupponit visionem, vt formam intrinsecam insidentem oculo videntis: tum etiam, quia denominatio extrinseca, fit ab aliqua forma denominante; ergo talis debet inhærere alicui subiecto, & sic erit intrinseca.

Dicent, patrem, & filium denominari a paternitate, & filiatione in fieri; quia vt sic, sunt formæ reales, & intrinsecæ.

Contra. Quia vt sic, non sufficiunt denominare pro semper patrem, & filium extrinsecè; ergo vana responsio. Antecedens probatur. Quia forma intrinseca præbens alicui denominationem extrinsecam in facto esse, debet manere, denominatione extrinseca manente; sed paternitas, & filiatio transeunt cum ipso actu generationis; ergo ex ipsis nequit sumi denominatio extrinseca patris, & filij in facto esse. Maior patet. Quia hæc ab illa essentialiter dependet; ergo manente extrinseca, debet necessariò manere, & intrinseca.

Tertio probatur conclusio ad hominem. Quia disp. 8. q. 6. art. secundo per totum, Mastrius, & Bellutus acerrimè defendunt cum Doctore Subtili, dari plures paternitates in eodem patre ad plures filios ordinatas; sed eorum rationes nihil valerēt contra Thomistas, si non forent relationes reales; ergo &c. Minor probatur. Quia respondere possent, patrem ad plures filios posse denominari talem pluries extrinsecè a prima paternitate, quæ in fieri conceditur realis, & intrinseca. Præterea, data hac opinione, incidunt in sententiam Nominalium de identitate reali relationum prædicamentalium cum suis fundamentis, quam tamen euertere conati sunt, q. 3. art. 1. per totum. Denique sibi contradicunt. Quia in loco nuper citato, conclusione vltima, fatētur cum D. Thom. & Sco. 5. meth. q. 11. relationem prædicamentalem non esse denominationem extrinsecam, sed formam accidentalem superadditam fundamento, abipsoque realiter distinctam, quia potest adesse, & abesse ab illo, sine eius corruptione; sed inter prædicamentales recensent etiam paternitatem, & filiationem; ergo sibi contradicunt, ponendo postea illas tantum denominationes extrinsecas.

Quarta conclusio. Relationes secundi modi, & præsertim paternitas, & filiatio non fundantur in potentia radicali, seu in substantia nuda, vel essentia rei. Est communis contra Auctores tertiæ sententiæ.

Pro-

Probatur primo auctoritate Aristotelis 5. meth. t. c. 20. vbi habet. Actiua, & passiua, secundum actiuam, & passiuam potentiam sunt, & potentiarum actiones. Sed per actiuam potentiam respectu paternitatis, & passiuam respectu filiationis, nequit intelligi potentia radicalis, seu nuda substantia patris; ergo &c. Minor probatur. Quia pater non generat per nudam substantiã, sed per potentiam generatiuam, tamquam per principiũ productiuũ generationis filiorũ; atqui principium productiuũ generationis non est nuda substantia, vt est manifestum apud omnes; ergo talis nequit esse fũdamẽtum paternitatis. Secũdo probatur ratione. Quia relationes paternitatis, & filiationis, sunt relationes originis, vt vnius ab alio .i. filij à patre, tamquam a causa efficiente; sed talis origo, & dependentia est formalis, & non radicalis; ergo fundamentum talium relationum, erit potẽtia formalis generatiua, & non radicalis. Maior est Philosophi loco citato. Minor patet. Quia actio generandi procedit a principio generatiuo; sed tale nequit esse potentia radicalis, seu nuda essentia patris, vt est in confesso apud omnes; ergo relationes paternitatis, & filiationis non fundantur in potentia radicali, seu in substantia nuda patris.

Quinta conclusio. Aliquę tamen relationes secundi modi, fundantur in nuda substantia agentis, aliæ verò in quadam vi productiua, formaliter distincta ab essẽtia eiusdem. Vtraque pars est Scoti. Prima, in secũdo sent. d. 1. q. 2. ad primum argumentum principale. Secunda vero, in 4 d. 6. q. 10. & alibi. Probatur prima pars. Quia relationes huiusmodi fundantur in potentia actiua, & passiua; sed in agentibus homogeneis, sita est in forma radicali, siue in eius entitate essentiali eiusdẽ; ergo aliquæ relationes fundantur in substantia nuda agẽtis homogenei. Maior est Philosophi, 8. meth. t. c. 20. Minor similiter. Quia ignis, aqua, & cætera agentia homogenea .i. eiusdẽ rationis cum toto, agũt per propriam formã, quę non est alia ab eis. Secunda pars probatur. Quia homo agit per principia formaliter distincta a sua essentia; siquidẽ generans per vim generatiuam, nutritur per nutritiuam; phantasiatur per phantasticam; intelligit per intellectiuam, & vult per volitiuam; sed omnes hę virtutes sunt distinctę formaliter ab essẽtia hominis, seu a forma radicali eiusdẽ; ergo relationes generationis, nutritionis &c. fundãtur in illis, & non in forma radicali, aut essentia nuda eiusdem.

Sexta cõclusio, responsiua immediatè ad titulum quæstionis. Relationes secundi modi fundantur immediatè in potẽtia actiua, vel passiua, tãquã in fundamento proximo; in actionibus verò, tãquã in præuijs dispositionibus necessariò requisitis, adhoc vt fundẽtur. Est Scoti, in 4. d. 13. q. 1. V. & quol. 12. art. 1. contra D. Thomã, & sequaces. Probatur prima pars auctoritate Aristotelis 5. meth. t. c. 20. vbi dicit. Actiua, & passiua, secũdũ potentiã actiuã, & passiuã sunt, & potentiarũ actiones. Vbi includit potentiã actiuam, & passiuam, vt fundamenta relatiuorũ actiui, & passiui; & actiones potentiarum subiungit, tãquã dispositiones præuias, sine quibus potentia actiua, & passiua non possent esse fundamẽta. Secũdo probatur ratione. Quia illud est fundamentũ proximũ, quo manẽte simul cũ termino, manet relatio, & quo ablato, & ipsa remouetur; sed potentia generatiua in patre, v. g. est huiusmodi respectu paternitatis; ergo paternitas fũdatur super potentia actiua patris. Maior patet. Quia relatio est essentialis habitudo vtriusq; extremi scilicet fundamenti, & termini. Minor similiter. Quia transacta actione generatiua in patre, manet relatio paternitatis, vnde talis denominetur; siquidem habet adhuc potentiam generatiuam, secundum quam genuit filium, & deperdita potentia generatiua, vt patet in castrato, deperditur quoque paternitas, nec amplius vocari potest pater de præsenti, sed tantum de præterito, idest qui fuit pater; ergo ad positionem potentię ponitur, & ad remotionem potentiæ remouetur quoq; relatio. Secunda pars probatur. Quia actiones potẽtiarum necessario requiruntur, adhoc, vt actiua, & passiua possint agere, & pati; sed huiusmodi actiones nequeunt esse fundamenta relationum secundi modi, vt probatũ est, in prima & secunda conclusione; ergo erunt dispositiones præuiæ necessariò requisitæ ad fundationem relationum huius[illegible] agentis ad passum. Quia approximatio [illegible], vt insurgant relationes actionis, [illegible] passionis; sed ob hoc non ponitur, v[illegible] fundamentum illarum, vt omnes fate[illegible]ur; ergo a simili, quamuis

actio

actio, & passio necessariò requirantur ad fundandas relationes super potentijs, non propterea debent dici fundamentum illarum. Secundo tota conclusio, probatur per rationes factas contra primam, & tertiam opinionem, in duabus primis conclusionibus.

Obijcitur tamen contra primam, & præcedentem conclusionem, primo sic. Illud est fundamentum relationis, quo posito, etiam si cætera non ponantur, relatio ponitur, & quo ablato, quamuis cętera maneāt, non consurgit, aut remanet relatio; sed talis est actio præterita tantum; ergo sola est fūdamentum relationis. Maior patet. Minor probatur. Quia eo ipso, quod verum est, hominem genuisse, vèrum est, ac necessarium habere relationem paternitatis ad filium, & quousque ponatur generatio, etiam si sint potentia, & quæcumque alia, non consurgit relatio, vt ex se manifestum est; ergo actio, & passio sunt fundamentum relationum secundi modi.

Respondetur negando minorem, quo ad primam partem; imò statim ac homo genuit, & transijt actio in præteritum, non dicitur pater, sed solum formata prole, & debitè organizata, & animata, dicitur talis; ac propterea paternitas nequit fundari super actione, quia per multum temporis absuit, & præterijt; vndè restat, vt solum fundari possit in potentia generatiua, vel in substantia essentiali eiusdem hominis, quæ remanent; at cum probatum sit non posse fundari in substantia, superest, vt necessariò dicatur fundari in potentia generatiua patris.

Vel dicendum secundo, negando maiorem absolutè. Quia etiam approximatio agentis ad passum gerit easdem vices respectum actionis, & passionis, quas actio præterita respectu paternitatis; & tamen nemo audet asserere, approximationem esse fundamentum actionis, & passionis, sed benè agens, & passum; igitur à simili dicendum est de actione, & passione respectu paternitatis, & filiationis, quod non fundentur in illis, sed solum sint præuiæ dispositiones ad illas fundandas in potentia, sicut approximatio ad agere, & pati.

Obijcitur secundo, contra easdem. Quia relatio agentis in actu, ad passum in actu, non fundatur in potentia, sed in actione præsenti; ergo nec relatio paternitatis fundabitur in potentia generatiua, sed in actione eiusdem præterita. Consequentia patet. Quia Philosophus in citato loco, eodem modo loquitur de vtraque. Antecedens probatur. Quia agens non dicitur tale à potentia, sed solum ab actione; ergo & relatio agentis non poterit in alio fundari, quam in actione, qua ordinatur ad passum.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, solum inferri posse, actionem esse necessariam, adhoc vt insurgat relatio agentis ad passum, non tamen vt sit fundamentum; quia cum transierit, nequit sustentare relationem, quæ habet fundari super aliquo, & non super nihilo, cuiusmodi est actio præterita; at fundamentum debet manere, quousque manet relatio.

Obijcitur tertio, contra secundam, & tertiam conclusionem. Quia Aristoteles dicit, relationes secundi modi, fundari super potentia, & actione; sed hoc nequit intelligi disiunctiuè; ergo potentia erit fundamentum, vt est coniuncta actui.

Respōdetur, ex Scoto locis cit. in quarto, & quol. 12. quibus addo etiam in 5. Meth. ad tex. 20. numero 114 verum esse antecedens diuersimodè, vt nimirum quod potentia sit fundamentum, & actio dispositio præuia ad relationem in fieri; at in facto esse sufficit potentia, vt probatum est in conclusione.

Contra arguit Suarez citatus pro tertia sententia. Quia Petrus, viuente filio, potest amittere potentiam generatiuam; potest enim castrari, vel a Deo sibi potest auferri; sed hoc admissio, remanet pater; ergo potentia generatiua sola, non est proximum fundamentum relationis paternitatis.

Respondetur, admisso casu, negando minorem. Quia tunc non remanet pater; siquidem relatio requirit ad sui conseruationem, sicut ad suum esse, vtrumque extremum, cum sit essentialis habitudo vtriusque; solum; ergo diceretur pater vocaliter, æquiuocè, & de præterito, denominatione desumpta a relatione, quæ fuit deperdita cum amissione fundamenti, quomodo solemus filium alicuius præmortui patris, vel patrem alicuius defuncti filij, nomina-

nare patrem, vel filium, cum hoc addito de præterito, qui fuit quondam talis, & non de præsenti.

Contra. Quia maneret de præsenti filius; ergo & pater. Quia relatiua posita se ponunt, sicut perempta se perimunt.

Respondetur negando antecedens, admisso casu. Quia sicut Petrus deperderet esse relatiuum patris, ita Antonius esse relatiuum filij, & solum manerent de præsenti, quoad esse absolutum, & substantiale hominis.

Obijcitur quarto. Paternitas in facto esse non dicit nisi denominationem extrinsecam; ergo non est relatio realis. Antecedens probatur, per Philosophum, quinto meth. t. c. 20. Quia iste dicitur pater, quia fecit; & ille filius, quia quid passum est; sed hic modus loquẽdi innuit denominationes extrinsecas, vt patet; ergo paternitas, & filiatio, sunt tantum denominationes extrinsecæ.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, ibi Philosophum non negare esse reale a patre, & filio, sed solum enumerare diuersa relatiua secundum potentiam; nempè, quod aliqua dicuntur relatiua secundum tempus præteritum; vt pater, & filius, quia ille genuit, & hic genitus est; aliqua vero secundum futurum vt facturum ad id, quod faciendum est; at certum est, quod vtraque dum sunt in esse posita, sunt entia realia intrinsecè per veras relationes reales, vt dictum est in tertia conclusione.

Contra. Quia si paternitas, & filiatio essent relationes reales, vtique forent causalitatis, & dependentiæ; sed hoc est falsum; ergo, & id ex quo sequitur. Sequela maioris patet. Quia dicuntur relationes originis. Minor probatur. Quia postquam filius genitus est, non amplius dependet a Patre in esse; ergo nec filiatio, nec paternitas sunt relationes dependentiæ.

Respondetur, negando minorem. Ad probationem, nego illam; imò semper filius dependet in conseruari a patre, quod clarè patet. Quia defuncto patre, non amplius dicitur filius: ex quo infertur, quod ipso superstite, semper dependet ab illo eius conseruatio; & sic filiatio est relatio dependentiæ à paternitate.

Contra. Quia fundamentum filiationis, transacta generatione, non habet amplius dependentiam a fundamento paternitatis, vt patet; ergo nec relatio a relatione. Consequentia patet. Quia relatio sequitur naturam fundamenti.

Respondetur, negando consequentiam. Quia ad dependentiam vnius relationis ab alia, sufficit vt fundamentum vnius in fieri, habuerit dependentiam ab alterius fundamento.

Vel dicendum secundo. Antecedens esse verum secundum esse absolutum simpliciter, non tamen in ratione fundamenti huius, & illius; quia sic, quemadmodum vna relatio est in continua dependentia ab alia, ita pariter fundamentum, à fundamento semper dependet.

Contra. Quia actu nulla esset differentia inter relationes originis in diuinis, & increatis, sed consequens est falsum; ergo, & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur. Quia vtrobique est continua dependentia, & filij a patre, & suppositi à supposito. Minor probatur. Quia in diuinis pater semper generat, ideò filius potest dici esse quodammodo in continua dependentia ab illo; at in creatis cum pater cesset vnica generatione generare eumdem filium, propterea illa transacta, non est amplius dependentia huius ab illo.

Respondetur, negando consequentiam. Imo multipliciter differunt inter se relationes diuinæ, & creatæ: tum quia illæ sunt substantiæ, istę accidentia; tum etiam quia illæ sunt transcendentales, istæ prædicamentales; illæ increatæ, creatæ istæ, illæ identificatæ realiter cum fundamento, istæ realiter ab eodem distinctæ: at in ratione entis realis conueniunt; quia ambæ sunt relationes reales, & habent esse in fundamentis ad proprios terminos. Ad probationem minoris, pro quanto ponitur differentia in fundamentis, dico solum inferri posse infinitudinem in generatione diuina, qua ratione nequit cessare; & finitatem in creata, quia communicatur natura creata, & finita distincta numero per vnam actionem, quæ transit in præteritum: cæterum in ratione relatiui, & correlatiui, vtrobique est, eadem ratio. Differunt etiam fundamenta

hic,

hic, & ibi, quia in creatis filius dependet à patre, nedum in eſſe relatiuo, ſed etiam ſecundum eſſe abſolutum; at in diuinis nulla eſt dependentia, quia ibi nulla eſt imperfectio, quam importat relatio dependentiæ in eo, quod dicitur dependere ab alio; neque alietas naturæ communicabilis, quinimo eadem omninò indiuidua, quæ eſt in patre, communicatur filio per generationem, & per ſpirationem Spiritui Sancto, ſicut melius videbitur in Theologia.

Supereſſent aliæ quæſtiones pertractandæ, ſpectantes ad materiam relationum, & relatiuorum, ſed quia ex dictis faciliter ſolui poſſunt, ideò conſultò omittuntur. Similiter diſcutiendæ forent difficultates, quæ à Recentioribus mouentur ſuper proprietatibus, & affectionibus Relatiuorum; cæterum quia, & iſtæ pendent pro maiori parte a cognitione qualitatum, ſuper quibus fundantur, idcircò ad illas protendimus diſcurſum, ac intelligentiam, & finem facimus huic prædicamento, ac Diſputationi.

De Prædicamento Qualitatis, vel Qualis.

CAPVT IV.

Diuiditur iſtud Capitulum in tres partes; in quarum prima Ariſtoteles diffinit qualitatem in abſtracto, enumeratque quatuor eiuſdem ſpecies, vel genera, & incipit ibi. Qualitatem verò dico, &c. & ibi eſt autem qualitas &c. In ſecunda diffinit qualitatem in concreto, & incipit ibi. Qualia ergo dicuntur &c. In tertia tamdem enumerat aliquas proprietates qualitatis, dicens. Ineſt autem, & contrarietas ſecundum qualitatem &c.

Quoad primam partem, primo ponit diffinitionem qualitatis in abſtracto dicens. Qualitatem verò dico, ſecundum quam quales eſſe dicuntur. Vt albedo, ſcientia, & iuſtitia: nam ſecundum priorem, quidam dicuntur albi, alij ſcientes, ſecundum ſcientiam, & alij ſecundum iuſtitiam iuſti. Secundo, in hac prima parte enumerat quatuor ſpecies, ſeu genera ſubalterna, quibus qualitas manifeſtatur, quorum primum eſt Habitus, & Diſpoſitio. Notificat habitum dicendo, quod ſit qualitas de difficili mobilis a ſubiecto. Diſpoſitio verò, qualitas de facili mobilis a ſubiecto. Exemplum prioris; vt ſcientia, & virtus in aliquo doctore, a quo difficulter amouetur, & niſi fiat grandis permutatio circa ipſum, vel ob infirmitatem, vel ob aliud huiuſmodi accidens. Exemplum poſterioris; vt ſcientia, vel virtus in aliquo tyrone, a quo facilè diuellitur, cum non habeat in ipſo tantam radicalem permanentiam, ſicut in doctore.

Secundum Genus, vel ſpecies qualitatis, dicitur naturalis potentia, vel impotentia, ſecundum quam aliqui dicuntur potentes, vel impotentes ad aliquid agendum, vel patiendum, aut reſiſtendum contrarijs. Et hæc potentia, vel impotentia non dicunt principium agendi, vel patiendi, ſed ſolum habilitatem, vel promptitudinem naturalem in operando, vt curſoris in currendo, pugillatoris in pugnando; vel per oppoſitum impotentia dicit inhabilitatem, vel ſegnitiem in exercendo propria munia; quidam enim dicuntur magis, vel minus apti, & habiles naturaliter, quam alij, vt experientia conſtat. Et dicitur notanter naturaliter; quia promptitudo, & habilitas acquiſita, maior, vel minor, prouenient ab habitu, vel diſpoſitione.

Tertium Genus, ſeu ſpecies ſubalterna, eſt paſſio, & paſſibilis qualitas, quæ nata eſt cauſare paſſionem in ſenſibus. Et huiuſmodi ſpecies, ſeu genus, comprehendit ſub ſe omnes qualitates, quæ ſunt obiecta quinque ſenſuum, vt ſunt caliditas, frigiditas, ſiccitas, humiditas, colores, ſapores, odores, ſoni, & huiuſmodi. Differunt autem paſſio, & paſſibilis qualitas, quia prior citò tranſit à ſubiecto; vt rubedo proueniens ex verecundia, vel palledo ex timore: poſterior verò diu permanet, vt albedo, nigredo &c.

Quartum Genus, ſeu ſpecies ſubalterna, eſt Forma, & Figura: exemplum prioris; vt pulchritudo, ſeu diſpoſitio alicuius ſubiecti conformis, vel deformis; vt ſunt vetuſtas,

vel

vel deformitas alicuius hominis, aut fæminæ, vel statuæ. Exemplum posterioris, vt rectitudo, curuitas, in lineas, concauum, vel conuexum in superficie; rotundum, vel quadratum in corpore, & cætera huiusmodi dicuntur qualitates figurarum.

Quoad secundam partem diffinit qualitatem in concreto dicendo: Qualia verò sunt, quæ secundum has qualitates denominatiuè dicuntur, vt album ab albedine, dulce, à dulcedine, calidum à caliditate, &c. quæ sunt triplicia, scilicet nomine tantum, significatione tantum, & nomine, & significatione simul, vt dictum est in primo. Antepredicamento, de denominatiuis, siquidem qualia, & denominatiua idem sunt.

In tertia parte tamdem enumerat tres proprietates, quarum prima est: Qualitati inest contrarietas, siuè in concreto, siuè in abstracto, vt album contrariatur nigro, albedo nigredini, calidum frigido, iustitia iniustitiæ, iustum iniusto &cæt.

Secunda, qualitas suscipit magis, & minus, vt vnum album dicitur magis, vel minus album altero, aliquis dicitur magis, vel minus iustus, alio. Vndè habeatur autem hæc maioritas, vel minoritas in qualitatibus, dicam in propria quæstione, quia est magna controuersia inter Thomistas, & Scotistas.

Tertia, quod secundum eamdem, idest qualitatem, res dicuntur similes, vel dissimiles, sicut secundum quantitatem, dicuntur æquales, vel inæquales. Et hæc proprietas conuenit omni qualitati in quarto modo, idest inseparabiliter, ad differentiam contrarietatis, quæ non conuenit omnibus qualitatibus, nam colores, vel sapores medij non habent contrarium, vt rubedo, flauedo, &c. Et hæc de textu dicta sufficiant.

De Natura, & Essentia qualitatis.

DISPVTATIO VIII.

Vtrum Qualitas sit Genus Generalissimum ab alijs distinctum?

QVÆSTIO I.

Circa quæstionem in se nulla reperitur controuersia; omnes enim fatentur qualitatem facere vnum prædicamentum, seu esse vnum genus generalissimum à cæteris realiter distinctum; sed in explicanda natura qualitatis litigant Doctores; siquidem aliqui respuunt diffinitionem, seu descriptionem traditam ab Aristotele in textu, tamquam nimis communem, & insufficientem ad notificandam naturam, & essētiam qualitatis, siquidem, vt idemet Aristoteles aduertit quinto Meth. c. 14. qualitas se extendit ad differentiam essentialem cuiuscumq; rei, & ad proprium, & accidens commune, quia omnia, vel faciunt quale, vel prædicantur in quale, & consequenter diffinitio qualitatis, quæ est denominare subiectum quale, non tantum sibi, sed & omnibus accidentibus, & substantiæ aliqualiter conuenit, quod est contra naturam diffinitionis quiditatiuæ.

Alij verò contendunt esse bonam diffinitionem traditam per effectum formalem, sed restringunt illam, ad qualificare tantum accidentaliter, per modum formę disponentis, & sic distinguitur à forma substantiali, seu differentia essentiali, quæ quiditatiuè qualificat, à quantitate, quæ qualificat, extendendo substantiam, & non disponendo iam extensam, & a relationibus, quia istæ qualificant substantiam, non ad se, sed in ordine ad aliud.

Alij tamdem carpunt Philosophum, quia tradidit hanc diffinitionem modo confuso, & quasi circulariter, siquidem qualitatem per quale, & quale per qualitatem describit, & idem erit notius, & ignotius seipso, quod accidit in diffinitionibus circularibus, vt docet idem Aristoteles primo, Poster. c. 6. &c.

Quapropter Moderni nituntur aliam assignare diffinitionem, quæ, vel formaliter, vel circumlocutiuè explicet naturam, & essentiam qualitatis, prout ab alijs prædicamentis distinguitur, vt videre est apud Suarez Disput. 42. sect. 1. Methaphysicæ, & nouissimè apud Mastrium, hic quæst. 3. art. 1.

At relicta multorum diuersa sententia, placet in primis diffinitio Aristotelis declarata à nostro Tatareto, Complutensibus, & alijs, vt potè data per causam, & eius effectum formalem. Deindè illa, quam tradit prædictus Mastrius, per passionem qualitatis intrinsecam, scilicet quod sit accidens absolutum intensibile, & remissibile.

Pro cuius declaratione. Primo notandum est ex Aristotele 5. Meth. cap. 14. qualitatis nomen esse multiplex, & æquiuocum, siquidem, primo modo accipitur pro omni eo, quod informat aliquid, siuè essentialiter, siuè accidentaliter, vel pro eo, quod prædicatur in quale, & sic nomen qualitatis, seù qualis est quid transcendens, comprehenditque sub se omnes formas, siue substantiales, siuè accidentales, & hoc modo differentia quidditatiua dicitur qualitas, quia prædicatur in quale. Secundo modo accipitur, pro omni eo, quod accidentaliter modificat, seù denominat substantiam, & prædicatur in quale accidentale de illa, & sic extenditur ad omnia accidentia, siuè absoluta, siuè relatiua, quarè quantitas, & relatio hoc modo dicuntur qualitates Tertio modo tandem accipitur pro forma denominante substantiam, speciali modo, hoc est dispositiuè, in se, & intensiuè, vel remissiuè, excludendo extensionem, vel relationem ad aliud, & hoc modo, nomen qualitatis, vel qualis, est proprium huius prædicamenti, prout ab alijs distinguitur.

Secundo notandum; qualitatem hoc tertio modo acceptam dupliciter posse diffiniri, seu describi; vno modo per ordinem ad subiectum, quod afficit, alio modo in se. Primo modo diffinitur ab Aristotele per effectum formalem, dicendo: qualitas est forma accidentalis, secundum quam substantia dicitur qualis, ad se accidentaliter; in qua diffinitione ponitur, ly forma accidentalis tamquam superius, siue limitatum, siue nō, quod ad præsens non curo, in quo conueniunt omnia accidentia, siue absoluta, siue respectiua. Dicitur autem qualis, vt distinguant ipsam à quantitate, secundum quam dicitur quanta, idest extensa, & ad se additur vt secernatur à relatione, quæ substantiā determinat in ordine ad aliud, vt ad suū terminum subiungitur tamdem, ly accidentaliter, vt innuat modum prædicandi qualitatis de substantia, qui est in quale accidentale. Secundo modo, si diffiniatur in se, cum ignoretur propria eius differentia quiditatiua, nequit quiditatiuè notificari, sed solum descriptiuè, per eius intimam proprietatem quæ est suscipere magis, & minus, idest intensionem, & remissionem, sic dicēdo: qualitas est accidens absolutum, intensibile, & remissibile, idest aptum natum intendi, & remitti, & huiusmodi diffinitio explicat naturam qualitatis à posteriori formaliter, & circumloquimur quiditatem eius à priori: Nam per hoc quod dicitur absolutum accidēs distinguitur ab accidente respectiuo: Per hoc verò quod additur intensibile, & remissibile, secernitur à quantitate, quæ est accidens extensibile, & non intensibile. Vtraque diffinitio in suo genere est bona, quia explicat naturam qualitatis saltem à posteriori, vel per suum effectum formalem: tum etiam quia competit soli qualitati; & denique omni qualitati reponibili in hoc prædicamento, quandoquidem afficit substantiam qualificando, & est intensibilis, & remissibilis in subiecto.

Tertio notādum est, qualitatem in communi, prout est genus generalissimum, diuidi prima sui diuisione in spiritualem, & corporalem; illam afficere subiectum immateriale, qua ratione spiritualis appellatur, hanc verò materiale, secundum quod corporalis denominatur. Spiritualis, alia est creata, & supernaturalis infusa, vt fides, spes, charitas, gratia, lumen gloriæ, & aliæ, si quæ possint infundi Angelis, & animæ rationali; Alia verò naturaliter acquisita in subiecto, vt sunt habitus intellectuales, scilicet, sapientia, scientia, intellectus, ars, & prudentia, qui subiectantur in intellectu. Aliæ verò dicuntur intellectuales, & aliæ volitiuæ, vel aliæ cognitiuæ, & aliæ appetitiuæ. Hæ in intellectu, vel sensu cognitiuo; illæ verò in voluntate, vel potentia appetitiua sensitiua residentes, & omnes istæ habent suas species, & indiuidua, vt de scientia dictum est in quæstione VIII proemiali

li ad totam logicam; de Arte in proemio Summularum, & de cæteris dicturi sumus in proprijs locis. Qualitas verò corporalis seu materialis diuiditur primo, iuxtà diuisionem quinque sensuum exteriorum, quorum sunt obiecta. Aliæ enim dicuntur qualitates tangibiles, quia sensu tactus percipiuntur, vt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas; Aliæ audibiles, vt soni; Aliæ visibiles, vt colores; Aliæ olfactibiles, vt odores; Aliæ gustabiles vt sapores, & hæ omnes habent proprias species, & indiuidua. Secundo diuiduntur per ordinem ad locum, & positionem, vt sunt formæ, & figuræ, & istæ pariter habent proprias species, & indiuidua: Ex quibus omnibus habetur, quod cum omnes hæ qualitates sint ordinabiles secundum sub, & supra, sub vna qualitate communissima, ex his constitui possit prædicamentum qualitatis, & suprema omnium dici valeat genus generalissimum, tum quia non habet aliud genus supra se; tum etiam, quia ita est genus, vt nequeat esse species.

Ex his fit prima Conclusio. Qualitas, siuè inconcreto, siuè in abstracto sumatur, est genus generalissimum. Probatur quia illud est genus generalissimum, quod non habet aliud genus supra se, & ita est genus, vt nequeat esse species ex Porphyrio cap. de Genere; sed qualitas in communi sumpta, siue inconcreto, siue in abstracto, est huiusmodi: ergo, est genus generalissimum. Minor probatur, quia prædicatur de qualitate spirituali, & corporali, tamquam de differentibus specie subalterna, cum vtraque participet diffinitioné qualitatis in communi, scilicet facere quales, vel spirituales, vel corporales, secundum intensionem, & remissionem, & supra se non habet aliud, quam ens finitum, quod diuiditur immediatè in decem genera generalissima, & non est genus, vt supra probauimus, quia non est limitatum; ergo sequitur ita genus esse, vt non possit esse species, & consequenter esse generalissimum qualitatis.

Secunda Conclusio: Qualitas facit prædicamentum, ab alijs distinctum. Probatur prima pars. Vbi datur coordinatio generũ, specierum, & indiuiduorum secundum sub, & supra, ibi datur prædicamentum ex diffinitione prædicamenti tradita supra in quæstione Proemiali; sed in qualitatibus datur huiusmodi ordinatio, vt patet in tertio Notabili: ergo datur prædicamentum qualitatis. Secunda Pars probatur. Quia omnis qualitas potest separari à substantia, quantitate, & relatione; ergo distinguitur realiter ab illis; consequentia tenet, quia separabilitas est via concludendi distinctionem realem, vt probat Scotus in secundo d. 1. q. 5. & Magister Formalitatum art. de Ident. ac Distinct. reali. Antecedens probatur. Quia omne absolutum prius, potest separari a suo posteriori, vbi non est dependentia essentialis posterioris ad prius; sed substantia, & quantitas sunt duo absoluta, priora qualitate, & hæc non dependet essentialiter ab illis; ergo potest fieri separatio inter illas. Maior patet ex natura terminorum, quia ex opposito antecedentis infertur oppositum consequẽtis. Minor probatur de substantia per Philosophum septimo Meth. t. c. 4. substantia est prior, natura, diffinitione, & tempore quolibet accidente, & consequenter etiam qualitate: De quantitate pariter, quia qualitas subiectatur immediatè in quantitate, & extenditur ad extensionem illius in subiecto, at subiectum est prius eo, cuius est subiectum; ergo, &c. Quod verò qualitas non pendeat essentialiter ab illis, quia distinguitur essentialiter per suam diffinitionem ab eis, vt dictum est in secundo Notab. quod tamdem distinguatur à relatione realiter probatum est in præcedenti Disp. quæst. 1. sectione 1. ergo superest concludere prædicamentum qualitatis esse à cęteris distinctum realiter.

Tertia Conclusio. Si diffinitio qualitatis attendatur in ordine ad subiectum, quod afficit, est bona illa, quam tradit Aristoteles in textu. Probatur quia illa diffinitio, quæ explicat naturam diffiniti, est bona, si distinguat ipsum à quocumque non est ipsum; sed diffinitio data ab Aristotele de qualitate est huiusmodi; ergo est bona. Maior patet ex Aristotele 7. Meth. t. c. 43. Minor probatur. Quia afficit substantiam disponendo illam, non extendendo, nec ordinando eam ad aliud, vt ad terminum; sed in his consistit natura qualitatis, in ordine ad subiectum, vt distinguitur à cæteris accidentibus, vt dictum in secundo Not. ergo explicat naturã qualitatis in ordine ad subiectum. Secundo probatur. Quia diffinitio accidentis per effectum formalem est, bona, cum explicet

naturam in ordine ad subiectum, quod informat, sed diffinitio tradita ab Aristotele de qualitate est huiusmodi, quia qualificare accidentaliter est effectus formalis qualitatis; ergo datur per effectum formalem.

Quarta Conclusio. Si verò qualitas spectetur in se, rectè diffinitur, per hoc, quod sit accidens absolutum, aptum natum intendi, & remitti in subiecto. Probatur. Quia diffinitio data per passionem intrinsecam alicuius subiecti est bona, saltem descriptiuè formaliter, & quiditatiuè circumlocutiuè; sed diffinitio data per accidens absolutum intensibile, & remissibile est huiusmodi; ergo &c. Maior patet ex natura diffinitionis descriptiuæ, præterquamquod est Aristotelis primo Posteriorum, vbi approbat demonstrationem à posteriori, quæ datur per passionem formalem, ad demonstrandam diffinitionem quiditatiuam de subiecto diffinito. Minor probatur. Quia intendi, & remitti, seu suscipere magis, & minus est proprietas, conueniens qualitati, in quarto modo, vt probat Aristoteles in textu, & inferius demonstrabitur: ergo hæc diffinitio est bona formaliter descriptiuè, & quiditatiuè etiam per circumlocutionem.

Obijcies tamen contra primam conclusionem. Nullum æquiuocum est genus generalissimum; sed qualitas tam in concreto, quam in abstracto est æquiuocum quoddam ergo &c. Maior patet. Quia genus debet prædicari vniuocè de suis speciebus ex Aristotele cap. de substantia. Minor est Philosophi hic, & quinto Methaphysic. capit. de quali, vbi dicit qualitatem esse eorum, quæ multipliciter dicuntur: sed quæ multipliciter dicuntur sunt æquiuoca; ergo qualitas est quoddam æquiuocum.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico, qualitatem multipliciter dici, multiplicitate suppositorum, non tamen significatorum, quia omnes qualitates conueniunt in vna diffinitione, seu conceptu quiditatiuo qualitatis in communi, at æquiuocum est multiplex multiplicitate significatorum, & non suppositorum.

Obijcies secundo. Vnius generis generalissimi sunt tantum duę species subalternæ immediatæ; sed qualitatis assignantur quatuor species ab Aristotele in textu; ergo non est vnum genus, sed plura. Maior patet. Quia quodlibet genus diuiditur per duas differentias immediatas, sed vtraque est constitutiua tantum vnius generis, seu speciei subalternæ, vel specialissimæ; ergo vnius generis generalissimi sunt tantum duæ species subalternæ immediatæ.

Respondetur minorem esse veram de speciebus impropriè sumptis, & accidentaliter tantum distinctis, non tamen propriè, & quiditatiuè, quia sic sunt tantum duæ immediatæ, scilicet qualitas spiritualis, & corporalis, sub quibus postea continentur omnes qualitates, ex quibus coalescit hoc prædicamentum. Ad Aristotelem dico assignasse illos quatuor modos, & non species qualitatis, vt in sequenti quæstione videbimus.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionem. Illa diffinitio non est bona, in qua committitur circulus; sed in diffinitione qualitatis tradita ab Aristotele, committitur circulus; ergo non est bona. Maior est Aristotelis primo poster. cap. 3. vbi damnat diffinitionem circularem, & septimo Methap. t.c. 42. vbi probat diffinitionem debere dari per priora, & notiora diffinito; sed diffinitio circularis non datur per priora, & notiora, quia idem diffinitur per seipsum, & idem est prius, & posterius seipso; ergo. Minor patet. Quia qualitas deffinitur per quale, & quale per qualitatem; ergo est circularis; tum quia quale, & qualitas sunt concretum, & abstractum, quæ non differunt, nisi in modo significandi, sed realiter sunt idem; ergo si vnū per aliud diffinitur, idem realiter diffinitur per seipsum; ergo idem esset notius, & ignotius, quod est contra Philosophum loco citato.

Respondetur primo, Maiorem esse veram de diffinitione quæ datur per aliquam causam non tamen per effectum, sicut est ista diffinitio qualitatis; quæ datur per effectum formalem qualitatis.

Vel dicendum secundo, cum Tatareto hic, sciendum primo, diffiniri qualitatem per quale, tamquam per notius nobis, quale verò per qualitatem, vt per notius tantum natura, siquidem abstractum, cum sit simplicius, & immaterialius est no-

notius secundum naturam, concretum verò, quia est materiale est notius nobis, vt videbimus primo Physicorum: Modo quamuis vnum diffiniatur per aliud, non committitur circulus, quia diuersimodè considerata, vnum est notius altero, & sic possunt ad inuicem diffiniri. Per hoc satisfit ad aliam probationem, de concreto, & abstracto, quia licet vnum realiter nequeat diffiniri per aliud, diffinitione propriè sumpta, quæ datur per causam, tamen formaliter vnum potest diffiniri per aliud, quia vnum est notius altero in diuerso genere cognitionis, vt dictum est. Vtraque est bona responsio tamen prima facit effuggere omnem difficultatem.

Dices ergo. Diffinitio Aristotelis non manifestat naturam, & essentiam qualitatis cum non detur per causam, sed solum per effectum.

Respondetur, negando consequentiam, quia sicut à priori probantur effectus per causam, ita à posteriori demonstratur causa per effectum, & vtraque demonstratio est bona, vt docet Aristoteles primo Posteriorum cap. 10.

Vel dicendum per hanc diffinitionem demonstrari naturam qualitatis per ordinem ad subiectum, & non in se, quia sic manifestatur sufficienter à posteriori per secundam diffinitionem, scilicet per passionem eius intrinsecam.

Obijcies quarto contra quartam conclusionem, illa diffinitio non est bona, quę non competit omni contento sub diffinito, sed secunda diffinitio qualitatis non competit omni qualitati; ergo &c. Maior patet. Minor probatur. Quia vna intellectio numero est qualitas, sed talis non est intensibilis, & remissibilis; ergo non competit omni qualitati.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico esse falsam, siquidem dicitur intensibilis, & remissibilis in comparatione ad aliam numero diuersam, quia poterit perfectior, & intensior produci de eodem obiecto, quam alia, & ideò dicuntur adinuicem suscipere magis, & minus in eodem intellectu.

Vel dicendum vnam intellectionem numero posse intendi etiam in se, quia sibi possunt addi alij gradus, dum intellectus maiori conatu ferri potest circa idem obiectū, continuando eamdem numero intellectionem, quod non habeo pro inconuenienti, quia maiori lumine potest ferri in obiectum in fine, quam in principio cognitionis, & sic illam intendere, reddendo eamdem clariorem.

Obijcies quinto. Potentiæ vitales, vt intellectus, & voluntas sunt qualitates; sed hæ non suscipiunt magis, & minus; ergo &c. Minor patet, quia omnes sunt eiusdem rationis.

Respondetur negando maiorem, imò dico intellectum, & voluntatem, vt potè identificatas realiter animæ rationali, quæ est substantia, esse de genere substantiæ, & non qualitatis, vt probabimus in tertio de anima.

Vtrum Diuisio Qualitatis tradita ab Aristotele, sit generis in species subalternas, vel tantum in modos eiusdem Qualitatis?

QVÆSTIO II.

Thomistæ communiter defendunt huiusmodi diuisionem esse generis in veras species subalternas, & fundantur in auctoritate Aristotelis hic, & quinto Meth. c. 14. vbi vocat illas nomine, vel specici, vel generis subalterni. Ita Ruuius hic cap. 8. q. 1. vbi citat D. Tho. 1. 2. q. 49. art. 2. & in sequentibus tribus quæstionibus recenset alios Thomistas.

Ex opposito Doctor Subtilis hic q. 30. & in 4. sent. d. 6. quæst. 10. N. & O. defendit ac probat cum Aristotele, huiusmodi diuisionem esse tantum generis in modos accidentaliter distinctos, & non in veras species, quæ habent differre formaliter, & quiditatiuè. Magistrum sequuntur omnes Discipuli, vel hic in logica, vel in quinto Methaphysicorum ad textum Philosophi. Et quamuis Scotus hic quæst. 36. præbeat modum sustinendi priorem sententiam, ac proindè videatur problematicus, tamen non est recedendum ab allata opinione, quam confirmauit in libris sententiarum, & quam vti propriam recognoscunt, nedum Scotistæ, sed etiam Thomistæ, ac alij.

Pro clara intelligentia igitur huius posterioris sententiæ, & confutatione prioris Primo Notandum est ex Scoto q. 31. Prædicamentorum §. Ad secundam quæstionem. Habitum quadrupliciter posse accipi, vno modo pro quodam transcendenti à quo deriuatur habere, quod constituit vltimum postprædicamentũ, de quo suo loco. Secundo modo limitatè pro respectu extrinsecus aduenienti, qui mediat inter rem habentem & habitam, idest inter vestem, & vestitum, & sic facit vltimum prædicamẽtum, ab alijs distinctum. Tertio modo pro forma positiua, cui opponitur negatio, vel priuatio, & sic visus cui opponitur cæcitas est habitus. Quarto modo tamdem accipitur pro qualitate disponente perfectè subiectum ad operandum, & de difficili mobilis ab eo, & sic scientia Aristotelis, vel cuiuscumque alterius Doctoris, dicitur habitus, quia secundum illam perfectè operabatur discurrendo, disputando, asserendo, refellendo, & approbando, eratq; de difficili mobilis ab eius anima, imò & de presenti etiam eamdem retinet in inferno, & sic accipitur in proposito, diffinitur que ab Aristotele in textu; Habitus est qualitas de difficili mobilis a subiecto.

Secundo Notandum, ex eodem ibidem, & ex Aristotele in textu, Dispositionem dupliciter sumi posse, vno modo absolutè, & sic est quoddam superius ad habitum, & nõ est aliud, quam qualitas dispositiua subiecti, siuè perfectè, siuè imperfectè, siuè talis sit mobilis faciliter, vel difficulter ab illo, & sic prędicatur, tam de habitu, quam de dispositione sibi opposita, sicut exemplificat Philosophus in textu, quod habitus est dispositio quædam, & non è conuersò: Alio modo accipitur cum præcisione, seu specialiter, pro qualitate disponẽte, subiectum ad operandum imperfecto modo, & de facili mobilis a subiecto, & sic scientia alicuius discipuli dicitur dispositio, quia ipsum imperfectè disponit ad discurrendum scientificè, & de facili amouetur ab eo, vt experientia constat, & hoc modo dispositio distinguitur ab habitu accidentaliter, simulque iuncti constituunt primam speciem accidentalem, seu primum modum qualitatis, & se extendunt ad omnes habitus intellectuales, tum speculatiuos, tum practicos, & ad actus potentiarum, speciesque intelligibiles obiectorum omnium, ac denique ad omnes virtutes, siuè naturaliter acquisitas, siuè supernaturaliter infusas de quibus suo loco erit sermo.

Tertio Notandum ex eodem q. 32. potentiam naturalem tripliciter posse accipi; primo modo pro principio naturali alicuius operationis, & sic intellectus est potentia naturalis, quia est principium intelligendi, & sensus dicitur potentia, quia est principium sentiendi, & potentia hoc modo sumpta nõ est qualitas, sed aliquid substantiæ, cũ sit idẽtificata realiter animæ. Secundo modo sumitur pro qualitate, seu habilitate, qua quis potest faciliter operari, siuè talis sit à natura, siuè per artem acquisita, & sic non distinguitur ab Habitu. Tertio modo tamdem pro habilitate insita nobis à natura accipitur, secundum quam faciliter, & promptè possumus aliquid agere, vel contrarijs resistere, vt durities in lapide est naturalis potentia in ipso, secundum quam potest resistere sectioni; & mollities in cera per oppositum dicitur naturalis impotentia, quia secundum ipsam difficulter resistit sectioni, & impressioni sigilli: similiter agilitas in cursore, dicitur naturalis potentia, & crassitudo in alio naturalis impotẽtia, quia sicut secundum priorem ille dicitur expeditus, & velox ad currendum, iste secundũ posteriorem difficulter currere potest, & hoc modo accipitur in proposito, & constituit secundã speciem, seu secundum modum qualitatis, ad quam reducuntur omnes habilitates naturales ad currendum, saltandum, pugnandum, ludendum, &c. & similiter inhabilitates ad huiusmodi operationes egrè exercendas.

Quarto Notandum, ex eodem ibidem §. Ad quartam quæstionem Passionem dupliciter accipi posse, vno modo absolutè, alio modo cum præcisione. Primo modo vel est quoddam superius ad passibilem qualitatẽ & seipsam cum præcisione sumptã, vel conuertitur cum passibili qualitate, & significat qualitatem alterantem subiectum, siuè citò transeat, siuè diù perseueret in illo, & sic non accipitur hic. Secundo modo est qualitas inferens passionem, vel illata à passione, citò tamen transiens à subiecto, vt verecundia, vel rubedo ex illa proueniens; vel timor, aut palledo ex eodem in facie causata, nam verecundia, & timor inferunt

runt passionem, seù alterationem in facie, rubedo verò, & palledo sunt qualitates illatæ ab illis passionibus; Passibilis autem qualitas est qualitas inferens passionem vel illata à passione, diù manens in subiecto, vt ægritudo longa, & macies, seù palledo ab eadem causata in corpore, quia ægritudo infert passionem, & hæc dicitur illata ab ea. Sub hac specie collocantur omnes qualitates sensibiles, vt caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, quæ dicuntur primæ, & inferentes qualitates secundas, cuiusmodi sunt colores, odores, sapores, &c. qui dicuntur qualitates illatæ, siquidem albedo à frigiditate, nigredo à caliditate, inferuntur in sensibus, & ita dicendum est de alijs.

Quinto Notandum, ex eodem quæst. 35. §. Ad quæstionem secundam quod forma dupliciter accipitur, vno modo largè, & transcendentaliter, & dicitur ab informando, comprehenditque omnes formas, siuè substantiales, siuè accidentales, tam absolutas, quam respectiuas; & sic non est species qualitatis, nec reperitur determinatè in aliquo prædicamento. Alio modo strictè, & limitatè pro formositate, decore quodam, seù venustate exteriori rei animatæ, quæ consistit in proportione debita, vel indebita membrorum, seù partium alicuius corporis, & nominatur pulchritudo, vel turpitudo animalis, & sic accipitur in proposito. Similiter figura dupliciter accipi potest, scilicet materialiter, & formaliter, Priori modo dicit superficiem clausam lineis, & sic pertinet ad prædicamentum quantitatis. Posteriori verò modo dicit proportionem debitam, vel indebitam rei artificialis, vt trianguli, vel quadrati, & sic capitur in proposito. Vtraque tamen adhuc potest dupliciter accipi, scilicet quiditatiuè, & modaliter. Primò modo sunt relationes proportionis partium ad inuicem, & ad totum, siuè naturale, siuè artificiale, & sic non spectant ad hoc prædicamentum, sed ad positionem, seu situm. Secundo modo sunt qualitates modales, scilicet denominatiuæ subiectorum ad modum qualitatum, & sic spectant aliquo modo adhoc prædicamentum, saltem accidentaliter, quandoquidem sunt quædam dispositiones exteriores corporis, vel naturalis, vel mathematici, vel artificialis.

Sexto Notandum est, has omnes qualitates sic dispositas dupliciter considerari posse; vno modo quiditatiuè, alio modo accidentaliter, & modaliter. Priori modo non constituunt has quatuor species essentialiter inter se distinctas, quandoquidem sunt ad inuicem permixtæ, vt vna qualitas possit spectare ad plures species, vt patet de caliditate, quæ essentialiter, & quiditatiuè sumpta est in prima specie prout est qualitas de facili, vel de difficili mobilis à subiecto; est in secunda, vt dicit habilitatem agendi, vel resistendi contrarijs, est posteà in tertia, prout est qualitas inferens, vel illata à passione cum permanentia in subiecto; at species essentialiter distinctæ sic se habent, vt quæ continentur sub vna, non contineantur sub alijs, cum opponantur disparatè secundum se totas. Posteriori verò modo possunt dici diuersæ species, vel genere subalterno, quandoquidem differunt per diuersas habitudines, vel ad subiectum, vel in ordine ad actum producendum, vt patet. Quia in prima est maior, vel minor mobilitas à subiecto: in secunda maior, vel minor habilitas ad agendum, vel resistendum contrarijs; in tertia maior, vel minor alteratio in sensu, vel subiecto; in quarta tamdem dispositio exterior partium alicuius corporis vel naturalis, vel artificialis in toto; atqui habitudines diuersæ, cum sint respectus, seù relationes nequeunt distinguere diuersas qualitates, quæ sunt entia absoluta, essentialiter, & quiditatiuè, sed tantum accidentaliter modaliter, igitur concludendum est, per huiusmodi habitudines esse constitutas in ratione speciei tantum modaliter; & non essentialiter, ac quiditatiuè distinctæ.

Ex his fit prima Conclusio. Diuisio qualitatis in illas quatuor series, scilicet Habitum, vel dispositionem; naturalem potentiam, vel impotentiam; passionem, vel passibilem qualitatem, & formam, vel figuram, non est generis generalissimi in species subalternas inter se essentialiter distinctas. Est Scoti in præcitatis locis contra primam opinionem in principio relatam.

tam. Probatur primo auctoritate Aristotelis in textu dicentis: est autem qualitas eorum quæ multipliciter, idest multis modis dicuntur. Deindè explicando, quod per ly multipliciter intelligantur modi qualitatis, subiungit: Fortasse quidem igitur alius quispiam modus apparuerit qualitatis, sed ferè qui maximè dicuntur, hi sunt: Ecce quo modo qualitatum species iam enumeratas, qualitum modos appellat, & non species, vel genera? ergo diuisio iam data non est generis in species. Secundo probatur ratione, quia duæ species essentialiter distinctæ nequeunt prædicari de eodem quiditatiuè, ex Philosopho 10. Meth. t. c. 13. & 24. sed duę species ex iam ennumeratis dicũtur quiditatiuè de eadem qualitate; ergo illæ non sunt propriè species. Minor probatur. Tum quia caliditas, frigiditas, ægritudo, secundum Aristotelem in textu sunt de genere habitus, vel dispositionis, & etiam de genere passibilis qualitatis; ergo prima, & tertia species dicuntur de eadem qualitate: tum etiam quia eadem qualitas est habitus, & dispositio, & naturalis potentia vel impotentia, vt patet in textu; ergo duæ species dicuntur de eadem qualitate. Tertio probatur. Quia forma, & figura quiditatiuè sumptæ sunt species positionis seù situs; ergo non sunt veræ species qualitatis. Consequentia patet, per regulam Antepredicamentalem; Diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species, & differentiæ. Antecedens est clarum ex quinto Notab. quia forma dicit respectum partium corporis naturalis, & figura corporis artificialis, ad partes loci ambientis; sed huiusmodi respectus sunt species situs, vt suo loco dicturi sumus; ergo forma, & figura quiditatiuè sumptæ non sunt qualitates, sed species positionis, seù situs.

Secunda Conclusio. Huiusmodi Diuisio est Generis Generalissimi in species modaliter distinctas, seù in modos qualitatis. Est Scoti vbi supra. Probatur primo auctoritate Aristotelis in textu, relata in probatione præcedentis conclusionis. Secundo probatur ratione: quia quæ differunt tantum accidentaliter, differunt tantum modaliter; sed species primæ differunt tantum accidentaliter; ergo differunt tantum modaliter. Maior patet. Quia ideò homo dicitur esse totum in modo, & homo albus pars in modo, quia differunt accidentaliter, scilicet per albedinem; ergo quæ differunt accidentaliter, differunt modaliter. Minor similiter ex dictis, quia eadem caliditas est in specie habitus, vt est qualitas de difficili mobilis à subiecto, & in secunda vt est habilitas agendi, vel resistendi, & in tertia, vt est passio inferens, vel illata à passione in sensibus; sed talis caliditas non differt a seipsa essentialiter, verum tantum accidentaliter; ergo modaliter. Tertio probatur conclusio de quarta specie, quia quæ habent modum qualitatis, & in essendo, & in prædicando possunt dici qualitates modaliter; sed forma, & figura sunt huiusmodi; ergo sunt qualitates modaliter. Maior patet. Quia genus generalissimum dicitur species, vt modus quia habet modum prædicandi speciei, vt dictum est disput. 2. de Vniuersalibus in communi. Minor probatur. Tum quia forma, & figura denominant corpus naturale, vel mathematicum ad modum qualitatis, idest qualificando ad se, & non in ordine ad aliud, vt faciunt relationes; tum etiam quia prædicantur in quale accidentale, prout quale distinguitur contra quantum, vel quotum, & ad aliud, quod est proprium huius prædicamenti qualitatis: ergo forma, & figura sunt modi qualitatis, & consequenter hæc diuisio est generis generalissimi in species modaliter distinctas, seù in modos qualitatis.

Obijcies tamen primo contra primam conclusionem. Qualitas est genus generalissimum, vt probatum est in præcedenti quæstione; ergo habet sub se species propriè dictas; sed ab Aristotele non assignantur aliæ, quam istæ quatuor ergo sunt species propriè dictæ, & non tantum modi.

Respondetur, concedendo consequentiam, & huiusmodi sunt qualitas spiritualis, & corporalis, quæ posteà diuiduntur in alias, vt diximus in præcedenti quæstione. Ad assumptum dico auctoritatem negatiuè non tenere; secundo dico Aristotelem enumerasse has quatuor species, non vt differant inter se specificè, & quiditatiuè, & sint propriè species, sed

tan-

tantum modaliter, & propterea propriè dicantur modi qualitatis, quibus diuersimodè afficiatur substantia.

Dices ergo Aristoteles fuit diminutus in assignando hoc prędicamentum qualitatis, quia non assignauit veras species, sicut fecit in alijs.

Respondetur negando consequentiam; siquidem Aristoteles non omnia explicitè tradidit, vt patet de prædicamento entis rationis, quod tamen implicitè tantum innuit dum docuit quid sit genus, species, differentia, proprium, & accidens, & quod genus de speciebus, species de indiuiduis prædicantur, ac proindè sunt ordinabilia secundum sub, & supra, nec propterea dicendus est diminutus: igitur à simili cum tradiderit species qualitatis implicitè, dum in illis quatuor modis enumerauerit qualitates spirituales, & corporales, licet non ordinauerit illas, vt species, explicitè, non potest dici diminutus.

Obijcies secundo, ex Ruuio, quia illæ sunt veræ species de quibus genus prædicatur in quid, & essentialiter, at de his quatuor, vel saltem de tribus prioribus, qualitas prædicatur in quid, & essentialiter; ergo sunt veræ eiusdem generis generalissimi species subalternæ. Maior patet, ex Porphyrio cap. de specie. Minor similiter, quia hæ prædicationes sunt quiditatiuæ, & essentiales, habitus est qualitas, naturalis potentia, vel impotentia est qualitas, & passio, vel passibilis qualitas est qualitas.

Respondetur negando minorem, loquendo de illis, secundum diffinitiones datas ab Aristotele, quia cum sint tantum modales, & non quiditatiuæ, nequeunt, vt sic recipere prædicationem essentialem qualitatis, vt est genus generalissimum. Ad probationem dico illas prædicationes esse modales formaliter, licet circumlocutiuè possint esse essentiales, quia cum dicitur habitus est qualitas, supplendum est, ac si diceretur, habitus, vt modus qualitatis, circumloquitur nobis quamdam speciem qualitatis, de qua ipsa prædicatur in quid, & ita dicendum est de alijs.

Obijcies tertio. Quia qualitatis prædicamentum ordinatur secundum sub, & supra ex diuerso modo afficiendi substantiam; sed talis modus sufficienter relucet in illis quatuor speciebus; ergo &c. Maior patet. Quia omnia accidentia ordinantur ad substantiã; ergo, & prædicamenta accidentium sunt ordinabilia ad substantiam. Minor probatur. Quia omnis qualitas, vel est dispositiua substantiæ benè, vel malè, & sic est prima species, scilicet habitus, & dispositio. Vel in quantum substantia est principium operationis, & sic est naturalis potentia, vel impotentia: vel inquantum est actiua, & passiua, & sic est tertia species, scilicet passio, & passibilis qualitas; vel tandem inquantum est extensa per quãtitatem in ordine ad locum, & situm, & sic est tertia species, scilicet forma, & figura: atqui non inuenitur alius modus, quo substantia affici possit dispositiuè per qualitatem; ergo qualitas sufficienter diuiditur in illas quatuor species.

Respondetur totum prædicamentum qualitatis afficere substantiam esse verissimum, at negandum est esse prædicamentũ in quantum genera, vel species, aut indiuidua qualitatis ordinantur ad substantiam; siquidem tale instituitur per respectum ad sua inferiora, & è conuersò: prout indiuidua supponuntur speciebus, species generibus subalternis, & hæc generalissimo, & recipiunt prædicationem ab illo quiditatiuã, & non modalem; modò cum illæ quatuor species non sint ordinatæ ad qualitatem in communi; sed tantum ad afficiẽdam diuersimodè substantiam, concludendum est nõ spectare ad prædicamentum qualitatis essentialiter, sed tantum modaliter. Ad probationem dico accidentia, quidem, vt formæ denominantes, ordinari ad substantiam, at prout subiecta, & prædicata sunt, ordinantur ad inuicem, & sic tantum constituunt diuersa prædicamenta, & non quatenus ordinantur ad substantiam.

Obijcies quarto contra secundã conclusionem quia si forma, & figura sunt qualitates, vt modus, ex eo nimirum, quod habeat modum qualitatis, & prædicentur in quale de substantia: ergo quodlibet accidens erit qualitas, vt modus, cũ vt sic omnia afficiant substantiam, & de ea prædicentur in quale.

Respondetur negando consequentiã, quia forma, & figura habent peculiarem modũ qualitatis, à cæteris accidentibus distinctũ: ex eo n. subiectum dicitur habere formam, quia habet colores cum debita proportione à quibus redditur formosum, & pulchrum, quod non habent alia accidentia: simi-

similiter dicitur habere figuram, prout habet partes ad inuicem, & in toto rectè dispositas, ac benè ordinatas, quibus, & ipsum denominatur figuratum, hoc autem non possunt præstare cætera accidentia, quomodocumque sumantur, & per hoc patet ad argumentum in forma.

Vtrum Qualitati insit contrarietas.

QVÆSTIO III.

CErtum est enim vt aliqualiter adnotauimus in Expositione textus, contrarietatem non conuenire qualitati, vti proprietatem in quarto modo, cum multæ enumerentur ab Aristotele, qualitates, in quibus non reperitur contrarietas propriè dicta; difficultas igitur restringitur solum ad qualitates sensibiles, tam primas, quam secundas, in quibus solum reperitur motus alterationis de contrario in contrarium, an nimirum in eis semper inueniatur contrarietas, vt sint incompossibiles in vno, & eodem subiecto simul, siuè in fieri, siuè in esse quieto.

Gregor. Ariminensis in primo sent. dist. 17. quæst. 3. artic. 2. Durandus in Prologo quæst. 2. Soncin. 10. Methaphysic. quæst. 22. Antonius Andreas ibi quæst. 5. Faber. disputat. 7. cap. 3. & Trombeta 12. Methaphysic. quæst. 3. negant duas qualitates, ex his, quæ appellantur contrariæ, se posse compati in eodem subiecto simul, siuè in gradibus intensis, siuè in remissis, non tantum in ordine ad potentiam naturalem, vel ordinariam Dei, sed nec etiam de potentia absoluta, vnde isti conantur fateri contrarietatem in huiusmodi qualitatibus esse propriam in quarto modo proprij.

Alij verò oppositum omninò sentientes, concedunt quidem posse in eodem subiecto simul consistere duas qualitates contrarias in gradibus remissis naturaliter, & intensis saltem de potentia Dei absoluta; quare, & isti habent restringere contrarietatem propriè acceptam ad qualitates contrarias in gradibus intensis, & de potentia naturali tantum, siquidem in his dumtaxat se expellunt formaliter ab eodem subiecto. Ita communiter Recentiores, quos citant, & sequuntur Ruuius lib. 2. de Gen. & Corr. cap. 3. q. 5. & 6. ac Mastrius disp. 1. q. 5. art. 1. & 2. sequuti in hoc quo ad gradus remissos Doct. Subt. in primo d. 17. q. 3. §. Contra istã opinionem. Quo ad intensos verò nõ est ita certum, quid determinatè sentiat, vt visum fuit Ruuio loco citato sub n. 66. quinimò videtur inclinasse in partem oppositam, dũ loquens de afflictionibus damnatorum in 4. d. 44. q. 3. an sint reales, vel tantum intentionales per ignem, sub lit. F. exponendo illud Iob. cap. 24. Ab aquis niuium ad calorẽ transibunt nimium, inquit: Et licet saluaretur iuxtà superficiem literæ alternatio in istis afflictionibus, tamen non posset probabiliter saluari, quod simul paterentur in summo, & realiter à contrarijs. Et quamuis Mastrius nitatur eum perducere in hãc sententiam, quia subdit sub lit. G. Tamen quæcumque arguuntur in tertio articulo, si ascribantur miraculo, nõ potest improbari, ex quibus verbis videtur quoddamodo approbare, inquit Mastrius, posse damnatos saltem miraculosè affligi à summo calore ignis, & à summo frigore niuium; nihilominus si rectè perpendatur litera Doctoris, non potest deduci talis consequentia, siquidem subiungit post pauca: quod si ponatur, calorem induci in summo, & tamen qualitatem illam mixti stare in eodem, videtur, quod sit formaliter repugnantia, sicut si medium, & extremum similiter fierent in eodem, & an hoc sit possibile Deo, nõ hic, sed alibi, tamen non est ita notum, sicut alterũ duorum prædictorum, &c. ex quo loquẽdi modo nil certi potest inferri de mente Doctoris, sed ad summum fuisse dubium in hac materia, vel potius ad oppositam inclinasse sententiam.

Quid autem secundum veritatem sit dicendum in hac tam multiplici varietate sẽsuum Doctoris, infra subiungemus, dum nostram aperiemus sententiam.

Pro cuius declaratione, ac fundamento primo notãdũ est, vt colligitur ex Aristot. in Postprædicamentis c. de oppositis, cõtrarietatẽ dupliciter sumi posse, vno modo largè, & impropriè, alio modo strictè, & propriè. Cõtrarietas primo modo importat oppositionem, seu repugnantiam duorum extremorum, siue talia sint de genere substantiæ,

tiæ, siue accidētium; siue ambo sint positiua, siue alterum positiuum, & priuatiuum alterum; & hoc modo duæ species, quæ presse loquendo, dicuntur opponi disparatè, possunt appellari contraria, cum se expellant ad inuicem secundum suas rationes formales; similiter sanum, & ægrum, bonū, & malum, pulchrum, & deforme, amor & odium, ac cætera huiusmodi dicuntur contraria, licet secundum veritatem opponantur priuatiuè, siquidem ægritudo secundum Scotum in 2. d. 15. q. vn. sub H. accidit in animali, ex carentia proportionis humoribus debitæ, in qua consistit sanitas; malitia dicit carentiā bonitatis, deformitas, pulchritudinis, & odium amoris, vt idem probat in 1. d. 17. q. 2. O. & quol. 18. art. 1. ac alibi sæpè. Contrarietas verò secundo modo est oppositio, seu repugnantia duorum extremorum, de genere qualitatis, quæ maximè à se inuicem distantia graduali distant, & mutuò se expellunt, siue formaliter tantum, siue formaliter & effectiuè simul, ab eodem subiecto, cui vicissim insunt, & hoc modo contrarietas differt ab alijs oppositionibus, s. relatiua, disparata, priuatiua, & contradictoria, vt latè demōstrat Aristoteles in præcitato loco; & sic reperitur tātum in qualitatibus sensibilibus, seu corporeis, tam primis, quam secundis. s. caliditate, & frigiditate, humiditate, & siccitate, albedine, & nigredine, & cæteris; in his .n. tantumodo datur alterationis motus in quo pugnant; & mutuò se expellunt, vel formaliter, vel effectiuè ab eodem subiecto, cui natæ sunt inesse, & de hac contrarietate dumtaxat est sermo in questione proposita.

Secundo notandum est, quod in huiusmodi qualitatibus, cum detur latitudo gradualis, inuenitur esse intensum, & esse remissū. Per esse intensum harum qualitatum intelligitur summum, quod secundum naturam vniuscuiusq; potest sibi conuenire ex parte agentis naturalis, & habito respectu ad capacitatem subiecti, vt summus calor, summum frigus, &c. quod secundum se consideratum in vltimo gradu, licet consistat in indiuisibili, quia non potest amplius augeri, alioquin non esset summum, tamen infra latitudinem graduum habet suos limites vsq; ad medietatem, vt v.g. si esse summum, spectetur, vt octo, esse intensum poterit dici supra medietatem quatuor graduum, & sic dicetur magis, vel minus intensum. Per esse verò remissum earumdem sumitur reliqua medietas graduum, in quibus consistit esse qualitatis, secundum magis, & minus remissum, vsq; ad infimum, qui in se continet essentialiter rationem formalem qualitatis, habito respectu pariter ad capacitatem maiorem, vel minorem subiecti, & ad esse specificum qualitatis huius, & illius generis proximi. Ex his habetur quod tam esse intēsum, quam remissum in qualitatibus, cum consistant in latitudine graduum, tanta, vel tanta, sunt accidentia qualitatis, siquidem gradus, cum sint veluti indiuidua, non pertinent ad esse specificum qualitatis, licet sine illis minimè reperiri queat. An autem huiusmodi esse specificum sibi vēdicet tot, vel tantos gradus, & quos signatè, non est tam facile diffinire, cum in hoc sint varia Doctorum placita, pro nunc sufficiat scire sine aliquibus illorum consistere non posse, quiqui sint illi.

Tertio notandum ex Doctore Subt. in 4. d. 49. q. 16. ad secundum argumentum pro opinione, duplicem esse repugnantiam, s. formalem, & virtualiter. Prior est inter illa, quæ opponuntur secundum se, & suos effectus, vt inter album, & nigrum, quia & sunt alterius rationis, & oppositos effectus ponunt in subiectis, quę concernunt. Posterior tantum inter effectus ad inuicem, vel inter causam, & effectum oppositum alterius reperitur, vt inter calefactionem, & frigefactionem, vel inter frigefactionem, & calorem; siquidem posito calore cum suo effectu intenso, in aliquo subiecto, vt v.g. in acqua repugnat ibi ponere frigefactionem, & consequenter frigiditatem. Hæc autem repugnantia dignoscitur ab extrinseco, ex vnitate, & capacitate subiecti, quia sicut esse intensum præscribitur in summo gradu, vt non possit amplius augeri, ita taliter commensuratur capacitati vnius subiecti, vt naturaliter non possit secum aliam in se recipere intensionem oppositam.

Quarto notandum est vt colligitur ex eodem ibidem, quod duæ formæ contrariæ possunt considerari, & secundum esse intensum, & secundum esse remissum; & vtroque modo, vel possunt comparari in ordine ad idem, vel plura subiecta adæquata: si duæ formæ contrariæ, vt verbi gratia caliditas, & frigiditas considerentur, vel secundum esse intensum, vel secundum esse re-

remissum in ordine ad plura subiecta adæquata, non repugnant ad inuicem, nec formaliter, nec virtualiter actualiter, sicut nec subiecta, quæ informant, sed tantum aptitudinaliter, seù radicaliter. Si autem spectentur secundum esse remissum, & in comparatione ad idem subiectum adæquatum, nec similiter repugnant formaliter, vel virtualiter, sed sunt compossibiles actualiter in illo, siquidem cum capacitas subiecti commensuretur intensioni in summo, seù vt octo, poterit informari à caliditate quatuor graduum, & similiter à frigiditate quatuor graduum, quia iunctæ dumtaxat adæquant capacitatem subiecti, quæ erat vt octo tantum. Si tamdem accipiantur secundum esse intensum, & in summo, & comparentur ad idem subiectum adæquatum, hoc potest intelligi dupliciter, vel loquendo de potentia agentis naturalis, vel supernaturalis; priori modo repugnant formaliter, & virtualiter, vt non sint compossibiles actualiter in illo, siquidem subiectum cum adæquetur per esse intensum vnius formæ, inducit repugnantiam virtualem cum effectu opposito alterius, vt non possint simul informare idem numero subiectum, ac proindè etiam repugnantiam formalem inter illas formas: at posteriori modo sunt compossibiles in eodem, quandoquidem Deus sua virtute infinita potest auferre repugnantiam virtualem per ablationem expulsionis in alterutra forma, cum sit tantum effectus secundarius earumdem formarum in ordine ad idem subiectum: potest enim, vt inquit Doctor Subtil. ibidem sub lit. C. facere causam naturalem sine suo effectu formali secundario, vt calorem sine calefactione, corpus naturale sine repletione loci, & similia, quibus peractis, inducitur compossibilitas earumdem formarum, in eodem subiecto adæquato: Nec officit, quod capacitas subiecti sit limitata tantum ad octo gradus intensionis, quia hoc est verum in ordine ad agens naturale tantum, non ad supernaturale, tum quia dicitur esse in potentia obedientiali eiusdem, tum etiam quia, vt inquit Doctor in primo sentent. dist. 17. quæst. 3. §. Contra istam opinionem, &c. incompossibilitas formarum in ordine ad subiectum est posterior incompossibilitate earumdem in se, & consequenter extrinseca, & sic potest à Deo tolli, ablata incompossibilitate formarum in se.

Quinto notandum est, quod contrarietas potest dupliciter spectari, vel secundum esse actuale, & aptitudinale simul; vel secundum esse aptitudinale, tãtum. Secũdo modo competit omnibus formis, siuè secundum esse intensum, siuè secundum esse remissum consideratis, tam in ordine ad idem, quam ad diuersa subiecta; siquidem est identificata realiter omnibus qualitatibus, & formis oppositis, & de hac contrarietate intelligitur diffinitio contrariorum data superius de mente Aristotelis. At primo modo non conuenit omnibus qualitatibus oppositis indifferenter, sed tantum illis, quæ habent intensionem graduum in summo, & in ordine ad idem subiectum, ac de potentia naturali, quia vt adnotauimus in præcedenti, sunt compossibiles in eodem, in gradibus remissis naturaliter, & supernaturaliter etiam in gradibus intensis.

Ex his sit prima Conclusio. Qualitates sensibiles, siuè corporales contrariæ, tam primæ, quam secundæ, in gradibus remissis possunt esse simul in eodem subiecto adæquato. Est Doctoris Subtilis, in primo, dist. 17. quæstion. 3. & in secundo dist. 2. quæstion. 9. sub O. vbi probat primam partem, hac validissima ratione, fundata in experientia, quia acqua, dum calefit per ignem, aut solem, recipit successiuè calorem, & statim non deperdit totum frigus; ergo manet sub vtroque in gradibus remissis. Antecedens patet ad sensum, quia tactus paulatim sentit fieri calidam, & deperdere frigiditatem, quam prius intensam habebat. Consequentia probatur ex Philosopho sexto Physicorum, cap. 7. quia omne quod mouetur, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem; sed acqua, dum calefit, mouetur de frigiditate, tamquam de termino à quo, in caliditatem, vt in terminum ad quem; ergo partim est sub vna, & partim sub alia in gradibus remissis. Confirmatur, quia motus alterationis sit inter terminos contrarios; siquidem acquiritur vna qualitas; & contraria deperditur; sed talis sit necessariò succes-

cessiuè in subiecto, quod mouetur de vna in aliam qualitatem contrariam; ergo debet esse sub vtroque termino contrario simul in gradibus remissis. Minor probatur. Quia successio prouenit ex resistentia contrarij; ergo si vnum contrariorum, vt puta caliditas non statim introducitur in aquam, sequitur, quod alterum, vt nimirum frigiditas eidem obsistat, & contranitatur, & consequenter successiuè moueatur aqua de frigiditate in caliditatem. Secunda Pars probatur. Primo testimonio Aristotelis tertio lib. Topic. cap. 4. vbi ait, quæ contrarijs sunt impermixtiora, magis talia, vt albius quidem nigro impermixtius. Deinde septimo Physic. t. 11. enumerat qualitates secundas inter qualitates contrarias, per se terminantes motum alterationis, & lib. 5. Physic. t. 11. asserit in secundis qualitatibus dari motum alterationis, non tantum quando intenduntur, & remittuntur in subiecto, sed etiam quando subiectum, ab vna contraria qualitate, in aliam, vt cum ex albo fit nigrum, & è contra; atqui certum est in motu alterationis mobile esse partem in termino à quo; & partim in termino ad quam: ergo etiam qualitates secundæ contrariæ possunt esse simul in gradibus remissis. Secundo probatur simul cum prima vbicumque non est repugnantia ibi potest esse compossibilitas: sed qualitates contrariæ, siue primæ, siue secundæ, in gradibus remissis non repugnant in ordine ad idem subiectum; ergo possunt esse simul in eodem subiecto. Maior patet. Quia tota ratio incompossibilitatis est repugnantia, vel formalis, vel virtualis ad esse simul in eodem subiecto. Minor probatur. Quia capacitas subiecti commensuratur dumtaxat intensioni graduum in Summo: ergo si accipiantur duæ qualitates contrariæ in gradibus remissis non explent totam capacitatem, ac proindè non habent repugnantiam, vt non possint esse simul in eodem subiecto. Consequentia patet. Quia vtraque qualitas in gradibus remissis inadæquatè tantum informat subiectum: ergo neutra explet capacitatem, vt non possit secum oppositam admittere in eodem subiecto.

Secunda Conclusio. Qualitates contrariæ corporales, seu sensibiles, etiam in gradibus intensis supernaturaliter possunt esse simul in eodem subiecto adæquato. Colligitur ex Scoto in quarto dist. 10. quæst. 1. & dist. 44. quæst. 3. artic. 4. G. & dist. 49. quæst. 16. ad secundum pro opinione, à simili de duabus dimensionibus quantitatiuis ad esse in eodem loco, cum eadem repugnantia videatur vtrobique, & tamen supernaturaliter duo corpora quanta possunt esse simul in eodem loco. Expressè tamen defenditur à Bassolio in tertio dist. 15. quæst. vnic. art. 1. à Tatareto in Postprædicamentis quæst. vn. sciend. 2. & in secundo de Anim. quæst. 2. Dub. 3. Probatur ratione desumpta ex Not. 3 & quarto. Nulla potest adduci repugnantia, quæ supernaturaliter tolli non possit; ergo qualitates contrariæ, etiam in gradibus intensis poterunt esse simul in eodem subiecto adæquato. Consequentia patet. Quia vbi aufertur repugnantia, ibi ponitur compossibilitas. Antecedens probatur. Quia omnis repugnantia ex Scoto in 4. dist. 49. quæst. 16. ad secundum pro opin. vel est formalis, vel virtualis: sed vtraque supernaturaliter potest tolli; ergo &c. Minor probatur. Quia repugnantia formalis ponitur in subiecto propter virtualem; ex eo, enim quod effectus formales caloris, & frigoris in summo pugnant ad inuicem, & mutuò se expellunt ab eodem subiecto, sequitur repugnantia caloris, & frigoris inter se, & suos effectus formales primarios, vt nimirum informare simul nequeant idem subiectum; ergo ablata virtuali, aufertur etiam formalis; sed Deus potest auferre effectum formalem causæ secundæ naturalis, saltem secundarium, quia potest facere calorem in subiecto sine calefactione, vt patet in cammino trium puerorum; in corpore quanto, vt sit in loco, absque repletione, & sic de cæteris: ergo potest tollere repugnantiam virtualem, & consequenter formalem, ac proindè ponere in subiecto duas qualitates contrarias in gradibus intensis.

Dices adhuc esse repugnantiam ex parte subiecti, quia cum sit capacitatis limitatæ ad vnam qualitatem intensam, non poterit recipere oppositam cum simili intensione.

Con-

Contra quia huiusmodi capacitas subiecti est limitata tantum naturaliter, ex eo nimirum, quod agens naturaliter non potest suspendere effectum formalem secundariũ alterius qualitatis oppositæ; siquidem quãtum est ex se est in potentia ad omnes simul si tolleretur repugnantia simultatis, in formis oppositis; cum igitur virtute supernaturali possit auferri, vt probatum est, sequitur nullam adesse repugnantiam ex parte subiecti.

Secundo probatur conclusio, non minus repugnant duo corpora quanta in eodem loco, quàm duæ qualitates oppositæ etiam in summo, in eodem subiecto; sed prior repugnantia potest tolli supernaturaliter, vt probabimus in Physicis; ergo, & posterior. Maior patet. Quia quodcumque corpus quantum commensuratur vni loco tantum, & è conuerso, sicut vna qualitas intensa, capacitati vnius subiecti.

Dices cum Doctore Subtili in quarto d. 49. q. 16. ad secundum argumentum pro 1. opin. maiorem esse falsam, quia duo corpora habent repugnantiam, tantum virtualem ad essendum in eodem loco, quæ cum sit extrinseca potest supernaturaliter tolli; at duo contraria repugnant etiam formaliter circa idem subiectum, & ideò nec vi diuina potest tolli huiusmodi incompossibilitas.

Contra, quia estò sit verum, quod dicit Doctor, tamen non sequitur maior incompossibilitas, in contrarijs, quæ virtute diuina superari non possit, sicut in duobus corporibus quantis respectu eiusdem loci; quãdoquidem repugnantia formalis sicut ponitur in contrarijs ad idem subiectum comparatis ex positione repugnantiæ virtualis, ita aufertur ex ablatione huius: ergo cum tota incompossibilitas, etiam in contrarijs refundatur in repugnantiam virtualem, erit æqualis repugnantia in contrarijs ad idem subiectum, sicut in duobus corporibus quantis ad eumdem locum, & consequenter, sicut hæc potest tolli supernaliter, & illa poterit auferri.

Tertia Conclusio. Si contrarietas sumatur in aptitudine tantum, poterit inesse, vt de facto inest, omnibus qualitatibus oppositis, siue primis, siue secundis, tàm in gradibus intensis, quam in remissis. Probatur quia omnes habent aptitudinem, vt se expellant ab eodem subiecto, nisi aliunde impediantur, vel ab agente supernaturali, vt accidit in gradibus intensis, vel ab inadæquatione informandi subiectum, vt occurrit in remissis; ergo remoto quouis impedimento huiusmodi qualitates erunt contrariæ.

Quarta Conclusio. Si verò sumatur contrarietas in actu, inest tantum naturaliter qualitatibus oppositis in gradibus intensis. Probatur quia vbicumque est repugnantia ad esse simul in eodem subiecto, ibi est contrarietas, ex diffinitione contrariorum; sed qualitates in summo, seu in gradibus intensis habent huiusmodi repugnantiam adesse simul in eodem subiecto; ergo in illis est contrarietas actualis. Minor probatur, quia capacitas subiecti est limitata ad vnam tantum qualitatem intensam, vt diximus Not. 3. & etiam quia effectus vnius pugnant cum effectu alterius; ergo etiam causæ pugnabunt adinuicem, & sic erunt incompossibiles in vno, & eodem subiecto simul, ac proinde contrariæ actu.

Obijcies primo, contra primam conclusionem auctoritatem Aristotelis, D. Augustini, & Doctoris Subtilis; nam Aristoteles secundo de Gener. & Corrup. t. 16. ait, qualitates contrarias in eodem subiecto copulari non posse. Item in logica cap. de substãtia inquit substantiam esse susceptiuam cõtrariorum tantum successiuè. Item D. August cap. 17. ait. Nullus cibus, aut potus simul dulcis est, & amatus; nullum corpus simul vbi album, ibi nigrum, &c. Tandem Doctor pluribus in locis fatetur album, & nigrum, & cætera contraria, ex suis rationibus formalibus repugnare, & incompossibilia esse; ergo nec in gradibus temissis possunt esse simul. Consequentia patet, quia ratio formalis est semper eadem, tam in contrarijs remissis, quam in intensis, si igitur in gradibus intensis nequeunt esse simul, nec in remissis poterunt esse simul.

Respondetur, vnica solutione ad has auctoritates, intelligi, scilicet de gradibus intensis, non de remissis, de quibus loquimur in conclusione, siquidem Aristoteles in primo loco loquitur de qualitatibus elementorum, quæ intensæ concurrunt ad eorumdem constitutionem, & ideò benè infert non debere esse contrarias, quia contraria intensa non possunt esse simul: at in mixtis

t. 48.

t.48. fatetur adesse qualitates contrarias in gradibus remissis. Eodem modo explicandus est Diuus Augustinus, quod loquitur de contrarijs in gradibus intensis, & non in remissis mixtorum. Ad loca Doctoris dicendum accepisse diuersimodè repugnantiam, ex ratione formali, siquidem aliquando sũ psit repugnantiam pro contradictoria; aliquando pro disparata, in ordine ad se inuicem, & de talibus verum est, per nullam potentiam posse coniungi, interdum postea accepit repugnantiam pro contraria in ordine ad subiectum, de qua modo loquimur, & de talibus diximus cum eodem Doctore esse incompossibilia in gradibus intensis, compossibilia verò in remissis, in eodem subiecto.

Obijcies secundò ex diffinitione contrariorum, quorum natura est, vt mutuò se expellant ab eodem subiecto; sed qualitates oppositæ, etiam in gradibus remissis sunt contrariæ ex Aristotele 10. Meth. to. 13. & 14. vbi docet contrarietatem esse oppositionem secundum formam, & essentiam, reperirique in omnibus qualitatum gradibus, tum intensis, tum remissis; eodem modo ergo si qualitates oppositæ sunt incompossibiles in gradibus intensis, in remissis quoque erunt incompossibiles.

Respondetur ex vltimo notabili cum Mastrio, & Ruuio citatis, diffinitionem contrariorum intelligendum esse, de repugnantia, seu expulsione in aptitudine, & sic conuenire æqualiter omnibus qualitatibus oppositis, siue in gradibus intensis, siue in remissis; in actu verò competere tantum qualitatibus intensis ob incapacitatem subiectorum, quæ afficere possunt, & nullatenus remissis, vt superius probatum est in prima, & tertia conclusione.

Obijcies tertio, qualitates in subiectis existentes, in gradibus remissis se expellunt effectiuè; ergo etiam in vno subiecto se expellent formaliter, & sic erunt incompossibiles in illo. Antecedens probatur. Quia calidum, vt tria, agit in frigidum vt duo, expellendo ab illo frigiditatem: ergo effectiuè, quamuis in gradibus remissis, se expellunt. Consequentia probatur, quia habent eandem repugnantiam formalem in vno subiecto existentes, ac effectiuam in diuersis: ergo ratione illius debent se expellere formaliter.

Respondetur qualitates contrarias in gradibus remissis posse dupliciter attendi; vel secundum æqualitatem; vel inæqualitatem graduum; priori modo nec formaliter; nec efficienter possunt agere in se inuicem, siquidem agens, & expellens debet excedere in virtute passum, seu expellendum; at secundo modo conceditur posse agere effectiuè in oppositum debilioris virtutis, vt calidum, vt tria, infrigidum, vt duo, sed negatur posse ipsam expellere formaliter, siquidem cum ambæ sint inadæquatè in eodem subiecto, non habent adinuicem repugnantiam formalem, & consequenter nequeunt se formaliter expellere ab eodem subiecto.

Formaliter ad argumentum respondetur concedendo antecedens, & eius probationẽ effectiuè, cum sint in gradibus inæqualibus; sed nego consequentiam, quia cum inadæquatè subiectentur in eodem subiecto, nullam habent repugnantiam formalem actualem, sed tantum aptitudinalem.

Obijcies quarto, quia data veritate conclusionis sequitur idem simul denominari calidum, & frigidũ; sed hoc non est dicendũ: ergo &c. sequela maioris patet, quia quælibet qualitas informat, & denominat: ergo calor in remisso, calidum, & frigus, similiter frigidum denominabit subiectum. Minor probatur. Quia tunc contradictoria verificarentur de eodem; siquidem calidum idem est, ac non frigidum, & è conuerso frigidum, idem est, ac non calidum; sed calidũ & non calidum; frigidum, & non frigidum sunt contradictoria: ergo de eodem verificaretur contradictoria, quod est impossibile, & contra Aristotelem, primo Post. & 4. Meth. t. c. 27.

Respondetur, negando sequelam maioris, ad probationem dico, si gradus sint æquales, non denominari ab illis singillatim, sed coniunctim sub aliquo nomine vtrumque significãte, vt patet de aqua tepida, quę inuoluit vtrumque simul: Si verò sint inæquales, denominari tantum à prędominante, & sic non sequi contradictionem, quæ infertur in probatione minoris; siquidem contrarium, licet in se includat negationem identitatis cum alio contrario, non tamen sequitur contradictio, cum non sit pura negatio alterius, sed etiam positiuum super quo fundatur, seu cui est annexa huiusmo-

di

di negatio; vnde non sequitur calidum dicit negationem frigidi, & frigidum negationem calidi; ergo subiectum est calidum, & non calidum, frigidum, & non frigidum, quia fit transitus à negatione identitatis vnius contrarij, de altero, ad negationem compossibilitatis vnius contrarij cum alio, in eodem subiecto, quam tamen non importat, sed solum negationem identitatis vnius cum alio.

Obijcies quinto, contra secundam conclusionem; contraria in summo inferunt contradictoria ex Aristotele 4. Meth. t. 27. sed contradictoria per nullam potentiam possunt esse simul; ergo nec contraria in summo.

Respondetur contraria in summo inferre contradictoria in subiecto potest dupliciter intelligi, vno modo ab intrinseco, idest ratione propriæ naturæ, vel effectus formalis, primarij, ita quod calidum ex se, seu ratione informationis excludat à subiecto frigidum, & è conuersò frigidum, vt sic excludat calidum, & sic non inferunt contradictoria, quia cum illa secundum suas rationes formales sint positiua, vnum necessariò non excludit aliud, sicut esse, & non esse, quæ sunt contradictoria. Alio modo ab extrinseco, & ratione virtualis repugnantiæ, quæ reperitur inter effectus secundarios vtriusque contrarij, & hoc modo inferunt contradictoria, quia ad positionem vnius sequitur exclusio alterius; hæc autem, cum sit extrinseca potest tolli a Deo, & sic contraria in summo non erunt amplius contradictoria, ac proindè poterunt se compati simul in eodem subiecto.

Formaliter ad argumentum dico contraria inferrè, contradictoria ab extrinseco tantum, atque adeò non impediri, quod non possint esse simul supernaturaliter remouente Deo illam virtualem repugnantiam, quæ inferebat contradictoria.

Contra quia vnum contrarium essentialiter includit negationem alterius; siquidem calidum essentialiter est non frigidum; ergo inferunt contradictoria ab intrinseco, & sic non poterunt esse simul, nec virtute diuina.

Respondetur Antecedens esse verum de negatione identitatis, quia re vera vnum contrarium non est alterum, cum habeant rationes formales diuersas, falsum tamen de negatione compossibilitatis, vt non possint esse simul in eodem subiecto; & sic nego consequentiam, quia cum talis negatio proueniat tantum ab extrinseco, & ratione effectus secundarij, qui pugnat cum altero contrariorum, potest tolli virtute diuina, vt sint compossibilia in eodem subiecto.

Obijcies sexto, ex Doctore Subtili in 4. d. 44. q. 3. F. vbi inquit non posse probabiliter saluari damnatum pati simul à contrarijs in summo, passione reali, etiam per Dei potentiam; & ibidem sub lit. G. subdit esse manifestam repugnantiam ponere calorem in Summo in corporibus damnatorum, manente in illis qualitate mixti; ergo secundum Scotum contraria in summo nec per potentiam diuinam possunt esse simul in eodem subiecto.

Respondetur, negando consequentiam. Quia vt innuimus in principio conclusionis, oppositum colligitur ex locis citatis ibidem; nec loca adducta vrgent; siquidem in primo locutus est dubitatiuè, & non absolutè, cum sub lit. G. in quarto art. subiungat, tamen quæcumque arguuntur in tertio articulo, si ascribantur miraculo, non posse improbari; ex quibus ad minus habetur, quod ea quæ dixit sub lit. F. intelligenda sunt citra miraculum; & sic per ordinem ad agens naturale, & non supernaturale, vt nos loquimur. Similiter nec secundum dictum aliquid facessit, quia non dixit duas formas in summo repugnare in eodem mixto, sed solum non posse manere qualitatem naturalem mixti, quæ exposcit quãdam proportionem quatuor qualitatum in gradibus remissis, cum calore in summo, à quo talis colligantia destrueretur; vnde manifestè patet Doctorem non esse in oppositum nostræ conclusionis in præcitatis locis, quin potius eidem fauere.

Obijcies septimo contra tertiam, & quartam conclusionem; si qualitati inesset aliquo modo contrarietas, vt putà albedini contra nigredinem, aut esset albedo quę est, aut quę non est, sed neutrum est dicendũ: ergo &c. Maior patet. Minor probatur. Nõ est dicendum primum, quia contraria se expelliunt ad inuicem; sed vna albedo non expellit nigredinem, siquidem albedo Petri non expellit nigredinem Pauli, vt patet per experientiam: ergo &c. Nec secundũ quia oppo-

positio contraria est inter entia positiua; sed quod non est, non est ens positiuum: ergo albedini, quæ non est nihil est contrarium.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico nigredinem contrariari albedini quæ est; Ad improbationem dico albedinem Petri non expellere formaliter actualiter nigredinem, quæ est in Paulo, quia non sunt contrariæ, vt sic nisi in aptitudine, siquidem contrarietas formarum in actu attenditur penes idem subiectum dumtaxat, vt patet ex diffinitione contrariorum, cum igitur illæ sint in diuersis subiectis, ideò non habent se expellere formaliter nisi in aptitudine.

Vtrum Qualitas suscipiat magis, & minus, & quomodo?

QVÆSTIO IV.

1. Circa substantiam quæstionis in se nullam est controuersia, omnes enim fatentur cum Aristotele, qualitatem suscipere magis, & minus per intensionem, & remissionem qualitatis in subiecto; cæterum cum agatur de modo, non est vna omnium sententiam, quandoquidem aliqui docēt qualitatem suscipere magis, seu intendi in subiecto per acquisitionem nouæ partis qualitatis, ita tamen, vt illa pars, vel gradus superueniens corrumpat præexistentem. Ita Gotfredus de Fontibus quol. 11. q. 3. quem posteà secutus est Durandus in primo d. 17. q. 7. nu. 23. & hanc fuisse opinionem etiam Auicennæ, Gilberti Porrectani, & Albertani testatus est Niphus 8. Methaph disput. 11. cap. 3.

Alij verò dicunt intensionem, & remissionem fieri, non per acquisitionem nouæ qualitatis, vel per eiusdem deperditionem, sed per maiorem, aut minorem præexistentis qualitatis radicationem in subiecto. Magis autem vel minus radicari in subiecto est firmius, fortiusque, vel debilius inhærere subiecto: vt v.g. tunc calor in manu dicitur intendi, vel emitti, cum magis, vel minus educitur de eius potentia, eidemque firmius, vel debilius, quam prius adhæret. Siuè vt alij explicant, maiorem, vel minorem radicationem in subiecto, in eo sitam esse, cum qualitas habet maiorem, vel minorem existentiam in subiecto. Vel vt alijs placet, tunc fieri maiorem, vel minorem radicationem, quando subiectum est magis, aut minus dispositum, vel magis, aut minus amouentur opposita impedimenta à subiecto. Ita Thomistæ communiter cum D. Thoma 1. 2. quæst. 52. art. 1. Iuxtà diuersum modum explicandi Sancti Doctoris mentem, relati à Ruuio lib. 1. de Gener. & Corrupt. cap. 4. tractat. 3. quæst. 5. num. 143. & à Mastrio ibi. Disputat. 3. quæst. 2. n. 10.

Alij autem asserunt, tunc fieri intensionem, vel remissionem in qualitatibus, quando habent magis, vel minus de admixtione contrariarum qualitatum. Ita Platonici, & alij relati à Mastrio vbi supra.

Alij tamdem rem melius considerantes, docent qualitatem suscipere magis, & minus, seu intendi, vel remitti per additionem, aut deperditionem nouæ qualitatis, absque corruptione præexistentis; quinimò qualitas præexistens fit maior, cum ei adduntur noui gradus, & fit minor, cum ex antiquis amouentur ab ea. Ita Doctor Subtilis in lib. 8. Methaphysic quæst. 3. & in primo, d. 17. quæst. 3. §. Contra istam opinionem arguo, & §. Ad istam quæstionem sub X x. quem sequuntur præter omnes Scotistas, ac Nominales, etiam Suaretius in Methaphysic. disput. 46. sect. 1. Ruuius vbi supra num. 145. & communiter, tum Recentiores, tum Antiqui ab eodem, ac Mastrio, vbi supra relati.

Pro huius sententiæ declaratione, ac fundamento primo notandum ex Doct. Subt. in primo d. 19. q. 1. sub F. & G. in quol. 5. in fine, & in quol. 6. in principio, nec non ex D. Aug. 5. de Ciuitate Dei cap. 7. & 8. quantitatem esse duplicem, scilicet molis, & virtutis. Quantitas molis pertinet ad prædicamentum quantitatis, & consistit in extensione partium extra partes quantitatiua. Quantitas autem virtutis, idem est, ac perfectio rei; & cum in vnoquoque genere reperiatur sua perfectio, consequenter etiam in illis inuenitur quantitas virtutis; appropriatè tamen conuenit qualitatibus; cū per perfectio, & virtus dicatur qualitas, siuè substantialis, siuè accidentalis. Conueniunt tamen ad inuicem in aliquibus, & in alijs differunt hæ duæ quantitates. Conueniunt quidem primo. Quia sicut in quanti-

tate molis datur latitudo extensionis secũdum quam redditur diuisibilis in partes quantitatiuas, ita pariter in quantitate virtutis reperitur latitudo gradualis secũdum quam, & ipsa est diuisibilis in partes qualitatiuas, seu perfectionales. Conueniunt secundo quia sicut in quantitate molari datur terminus incrementi, & decrementi, qui dicitur summum, & infimum in partibus quantitatiuis, & non proportionalibus, ita etiam in quantitate virtutis datur terminus, tam in summo, quàm in infimo graduum. Conueniunt tertio, quia sicuti in quãtitate molis duplex motus ab imperfecta ad perfectam quantitatem infra summam, & infimam, & à perfecta ad imperfectam infra eosdem limites; ita in quantitate virtutis subiectum potest moueri, de qualitate perfecta ad imperfectam, & è conuersò, de imperfectam ad perfectam, infra summam, & infimam. Differunt verò dupliciter, & primo, quia motus, qui fit in quantitate molis, de imperfecta ad perfectam, dicitur augmentatio, & ille, quò mouetur de perfecta ad imperfectam appellatur diminutio: Motus verò in quantitate virtutis, cum subiectum mouetur de imperfecta ad perfectam nominatur intensio; & remissio cum è conuersò transit de perfecta ad imperfectam. Differunt secundo, quia subiectum in motu augmentationis, & diminutionis dicitur suscipere tantum maius, & minus; at in motu intensionis, & remissionis etiam magis, vel minus.

Secundo notandum, ex eodem Doctor. Subt. in lib. 8. Methaphys. quæst. 3, quod maius, & minus, & magis, & minus conueniunt, & differunt. Conueniunt quidem, quia omnia fundantur in quantitate, siuè molis, siuè virtutis. Differunt verò quia magis, & minus non conueniunt quantitati molis, sed tantum virtutis, non secundum se, sed in comparatione ad subiectum dumtaxat, non enim vna linea dicitur magis, vel minus linea altera, nec vnum quantum magis, vel minus quantum altero, sicut vnum album dicitur magis, vel minus album altero albo, siquidem album vt octo dicitur magis album, quam vt sex: At maius, & minus reperiuntur, tàm in quantitate molis, quàm virtutis, etiam secundum se, consideratis, quia linea bipalmaris est maior palmari; & calor octo graduum est maior calore sex graduum tantum. Ex quo sequitur, quod magis, & minus in subiecto semper præsupponit maius, & minus, informis, quibus afficitur; siquidem subiectum non diceretur magis, vel minus calidum altero, nisi caliditas in vno esset maior in se, quàm caliditas in altero subiecto. Sequitur secundo quod suscipere magis, & minus non conuenit qualitati formaliter, & secundum se, sed tantum vt est in subiecto, & motus terminatur ad ipsam, vel secundum intensionem, vel secundum remissionem; non enim dicitur albedo vna magis, vel minus albedo, quam alia, sed benè vnum album dicitur albius, vel minus album altero, quia habet maiorem, vel minorem albedinem, quàm aliud.

Tertio notandum est maioritatem, vel minoritatem in qualitatibus posse dupliciter attendi, vel secundum extensionem, vel secundum intensionem, & remissionem. Tunc qualitas dicitur maior, vel minor extensiuè, quando afficit plures, vel pauciores partes subiecti, & sic calor, qui est in manibus, & pedibus est maior, quàm qui in vna manu, vel in vno pede tantum. Tunc verò dicitur maior, vel minor intensiuè, cum habet plures, vel pauciores gradus, in eodem loco, & situ subiecti, se inuicem penetrantes, & sic calor, vt octo, existens in manu dicitur maior intensiuè, quàm idem, vt sex in eadem manu consistens. Ex quo sequitur primo, tunc subiectum dici suscipere maius & minus, cum informatur secundum plures, vel pauciores partes, à pluribus, vel paucioribus gradibus qualitatis. Tunc verò dicitur suscipere magis, vel minus, cum recipit in eadem parte plures, vel pauciores gradus qualitatis, se inuicem penetrantes, aut de illis deperdit, & ad pauciores reducitur, sequitur secundo quod sicut subiectũ nequit dici magis, vel minus qualificatum extensiuè, nisi habeat in se, ac suis partibus plures, vel pauciores gradus qualitatis, sic non poterit denominari magis, vel minus intensum, aut remissum, nisi realiter extiterint in eadem parte, & situ omnes illi gradus, vel partes qualitatis.

Quarto notandum ex eodem Doct. Subtil. in primo dist. 17. quæst. 3 sub lit. X x. cuiuscumque formæ, tàm substantialis, quam accidentalis dari duplicem gradum, scilicet

cet quidditatiuum, seu specificum, & indiuidualem. Gradus quidditatiuus, seu specificus est ille, à quo sumitur differentia specifica rei, & ipsam constituit in esse specifico, & indiuisibili, & se habet ex Philosopho 8. Methaphys. t. 10. sicut vnitas in numero, quia si additur, vel subtrahitur ab aliquo variat speciem, vel de non specie, facit speciem, vt patet de rationali, quod si additur diffinitioni leonis, de specie leonis mutat in speciem hominis; si verò coniungitur animali, de non specie facit speciem, quia determinat ipsum animal, quod erat indifferens ad omnia animantia, ad hominem tantum. Gradus verò indiuidualis est à quo sumitur differentia indiuidualis, & importat quandam realitatem, natam coniungi cum alia realitate eiusdem naturæ, quæ si sola sit in subiecto, vel supposito, est indiuiduum in quo saluatur ratio, & essentia ipsius formæ, sicut natura specifica Phoenicis saluatur, in vnico indiuiduo; recipit enim prædicationem quidditatiuam ab illa; quandoquidem, sicut hæc est quidditatiua, phoenix est phoenix, ita hæc, ista albedo est albedo. Si verò essent plures realitates, vt putà plures albedines, vel calores, & per possibile, vel impossibile simul ponerentur in vno, & eodem subiecto, coirent in vnam numero albedinem, vel calorem intensiorem, quam erat vna albedo, vel vnus calor ex illis, sicut hæc aqua, & illa faciunt vnam aquam maiorem; nec tamen variaretur essentia albedinis, vel caloris, ob additionem illarum realitatum, seu graduum, quia cum sint indiuiduales, etiam si multiplicarentur in infinitum, non possent mutare speciem secundum esse quidditatiuum, & essentiale, sed tantum secundum esse indiuiduale, & existens, sicut natura humana non mutatur essentialiter ob multiplicationem indiuiduorum, sed tantum secundum existentiam, quia in pluribus, quam prius existit.

Quinto notandum est ex eodem Doctor. vbi supra, quod forma, v.g. caloris habens gradus qualitatis vt quatuor potest dupliciter considerari, vel secundum esse quidditatiuum, & specificum ab illis abstractum; vel secundum quod existit in illis, sicut natura in suis indiuiduis: Primo modo, non suscipit magis, & minus, sed est vna indiuisibilis essentia, indifferens tamen ad esse in illis simul, vel in aliquo illorum: At secũdo modo suscipit magis, & minus, quia calor, vt quatuor, est maior calore, vt duo tantum, cũ habeat maiorem intensionem in subiecto; ex quo sequitur dari in calore intenso aliquas realitates, quæ non sunt in remisso; ac proindè intensionem formæ fieri per additionem graduum ad gradus præexistentes, nec corrumpi formam in esse remisso per additionem alterius formæ intensioris, sed eamdem simul manere cum superueniente qualitate.

Sexto notandum ex eodem ibidem, §. Ad primum pro opinione Gotfredi, sed clariùs, ac expressius in quarto d. 10. q. 2. sub O. dari in quolibet motu terminos à quo, & ad quem, qui tamen sunt in duplici differentia, siquidem alij dicuntur primi, & formales, alij verò secundi, & concomitantes priores. Termini primi, & formales sunt priuatio, & forma; concomitantes verò sunt, qui iunguntur prioribus; vt v.g. in generatione, termini primi, & formales sunt inanimatio, & animatio; secundarij verò, & concomitantes, corpus organicum, & animatio, quę fit in ipso: nam inanimatio, cum sit priuatio animationis, dicitur terminus à quo formalis, corpus verò organicũ, quod dicitur priuatum animatione appellatur terminus à quo concomitans ipsam priuationem; cæterum animatio, seu introductio animæ in corpus organicum, dicitur terminus ad quem terminatur generatio formaliter. Similiter in motu augmentationis terminus à quo formalis est priuatio quantitatis acquirendæ, & præexistenti quantitati iungendæ, quæ postea dum est sub priuatione nouę quantitatis dicitur à quo concomitans; ipsa quantitas autem, quæ acquiritur dicitur terminus ad quem, dum est in fieri; formalis, concomitans verò, dum est in facto esse acquisita. Similiter in intensionis motu, dum calor intenditur in aqua, termini formales sunt noui gradus caloris acquirendi, & eorum priuationes in aqua; termini verò concomitantes sunt calor remissus præexistens, & gradus de nouo additus. Ad propositum cum Aristoteles dicit terminos motus, scilicet à quo, & ad quem, esse incõpossibiles in eodem, loquitur de terminis primis, & formalibus, quia reuera statim, ac forma est acquisita, & addita præexistenti qualitati, subiectum non est amplius sub il-

tius priuatione; cæterum termini concomitantes, vt calor preexistēs, & de nouo acquisitus sunt compossibiles; vndè sequitur quod in intensione, per aduentum nouæ qualitatis, non corrumpitur qualitas remissa præexistens, sed ipsa intenditur, & fit maior per additionem graduum sequentium eiusdem rationis in subiecto acquisitorum.

Ex his fit prima Conclusio. Qualitas, per generationē nouæ qualitatis intēsæ, & corruptionē qualitatis preexistentis remissę, nō dicitur suscipere magis. Est Scot. in 1. d. 17. q. 5. §. Contra istā positionē arguitur sex vijs, &c. & infra sub lit. Vu. §. Concedo ergo cōclusionē istarum rationū &c. aduersus Gotfred. & alios citatos in 1. sent. Probat. ab eodem sic, omne accidens, quod corrūpitur, vel corrumpitur a suo contrario, vt frigus à calore, vel ex defectu conseruantis, vt calor in aqua ex recessu eius ab igne, vel ad corruptionē subiecti: sed qualitas remissa in intensionis motu à nullo horum corrumpitur: ergo nullo modo corrūpitur, sed manet cum qualitate intensa. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor prob. quia qualitas intēsa, & remissa, cum sint eiusdem speciei, vt puta calor vt octo, & calor vt quatuor, non opponuntur: igitur nequeunt ad inuicē se perdere. Nec potest dici secūdum quia inducens calorē non deficit, sed perseuerat in tota illa intensione. Nec tertium quia subiectum, nimirū aqua, quæ calefit, manet etiam ipsa in tota illa alteratione: ergo cum non inueniatur aliquod agens corrūpens, sequitur alterū è duobus, vel dari actionem corruptiuā sine agente, quod est impossibile, vel qualitatem remissam permanere simul cum intensa, quod negatur. Secundo prob. ratione deducta ab experientia, quia posita aliqua cādela accēsa in cubiculo, illuminatur totum illud spatium secundū esse remissum, apponatur alia candela, magis illuminabitur, & sic lumen erit intensius; sed lumen prioris candelæ in huiusmodi intensione non corrumpitur: ergo datur qualitas intensa in subiecto, absq; hoc, quod corrūpatur remissa præexistens. Tertio prob. quia quātitas molis augetur per additionem quātitatis nouæ quantitati præexistenti, absq; huius corruptione: ergo etiam quantitas virtutis cuiusmodi est qualitas sic augebitur. Antecedēs probatur, ex Aristot. lib. 1. de Gen. t. c. 31. & 35. vbi dicit, in augmentatione auctum, sed quantitas præexistens est, quæ augetur, vt patet ex diffinitione augmentationis: ergo manet, & non corrumpitur in augmentatione. Consequentia patet ex conuenientia vtriusque quantitatis, vt dictum est in primo Notabili. Confirmatur quia dato opposito sequeretur, dum aqua augetur, & fit maior per additionem alterius, quātitatem aquæ præexistentis destrui, quod tamen est contra experientiam: ergo dicendum est, quod sicut in augmentatione, quantitas præexistens manet, ita etiam debere permanere in intensione præexistentem qualitatem remissam, & non corrumpi.

Secunda Conclusio. In remissione qualitatis, vt nimirum caloris, subiectum non suscipit minus per generationem alicuius qualitatis, s. caloris, qui sit eiusdem rationis, cum calore intenso qui remittitur, sed solum per diminutionem graduum caloris intensi præexistentis. Est Scoti vbi supra paulò ante S. Probatur, quia data hypothesi daretur actio generatiua alicuius indiuidui sine generante; sed hoc est impossibile, quia nihil gignit seipsū; ergo &c. Sequela maioris probatur. Quia dū aqua calefit, remittitur frigus, si ergo frigus remissum sit indiuiduum genitum, quæro à quo generante sit genitum? Non à contrario calore, quia contrarium non gignit, sed corrumpit contrarium. Nec à frigore præexistente intenso, quia secundum te corrumpitur in eodem instanti, in quo gignitur frigus remissū; nec à se, quia nihil gignit seipsum ex D. Aug. & constat experientia: nec ab igne inducente, quia non agit mediante frigore, sed medio calore, sed nequit generare frigus; ergo nec ignis potest ipsum gignere; nec tamdem ab aqua, quia cum hæc non agat per se, sed solum mediante frigiditate, quæ per te est corrupta in primo instanti: ergo nec ab ipsa potuit frigus esse genitum. Cum igitur nil aliud reperiatur in tali alteratione, à quo, vel ratione cuius, potuerit generari, sequitur, vel dari actionem generatiuam absque generante; vel dicendum, quod negas, remissionem fieri per deperditionem successiuam graduum frigoris, factam per inductionem successiuam graduum caloris in aquam, quæ calefit.

Tertia Conclusio. Qualitas secundum esse quiditatiuum, & specificum non suscipit

pit magis, & minus. Est Aristotelis 8. Metaphys. t. 10. & Scoti, vbi supra sub lit. X x. §. Respondetur ad primum, & secundũ argumentum. Probatur. Quia essentiæ consistunt in indiuisibili ex Aristotele ibidem: ergo non possunt habere maius, & minus, nec magis, & minus. Consequentia patet. Quia maius, & minus, sicut magis, & minus fundantur in latitudine graduali: ergo vbi non est huiusmodi latitudo, ibi nequit esse maius, & minus, vel magis, aut minus.

Quarta Conclusio. Qualitas non suscipit magis, & minus per maiorem, vel minorem radicationem eius in subiecto. Est Scoti vbi supra paulo antè Xx. §. Tertia etiam via, quæ tenetur à quibusdam de radicatione formæ in subiecto &c. Probatur ab eodem dupliciter, & primo sic, quia illa maior, vel minor radicatio, aut est forma absoluta, aut respectiua, sed neutrum est dicendum: ergo non suscipit magis, & minus, per radicationem maiorem, vel minorem in eo. Maior patet. Quia ens diuiditur adequatè per absolutum, & respectiuum. Minor probatur, non potest dici primum, quod sit absoluta, quia cum illa sit maior, vel minor, consequenter intenditur, & remittitur; vel ergo per additionem gradus ad gradum; vel per aliam maiorem, vel minorem radicationem in subiecto: si dixeris fieri maiorem, vel minorem, per maiorem, vel minorem additionem gradus ad gradum, habetur intentum, quia etiam prior forma sic debet intendi, vel remitti. Si verò dixeris per aliam radicationem maiorem, vel minorem, quæram de illa, sicut prius, & sic dabitur processus in infinitum, quod est contra Aristotelem primo Posteriorum; ergo, &c. Nec potest dici secundum, quod sit respectiua: igitur non poterit in ea dari magis, & minus, nisi ratione qualitatis, super qua fundantur, & sic habebitur intentum, quod à te negatur. Secundo Probatur. Rubor causatus ex verecundia in facie est minus radicatus in subiecto, quam qui est passibilis qualitas, à temperamento causatus; sed ille est intensior, quam iste; ergo intensio in qualitate, maior, vel minor non prouenit ex maiori, vel minori eiusdem radicatione in subiecto. Maior patet. Quia rubor ex verecundia est passio, quæ citò transit; ergo signum est non habuisse formas radices in facie, sicut qui causatur e temperamento, qui diù perseuerat in illa. Minor experientia comprobatur cum pateat ad sensum: ergo intensio qualitatis non fit per maiorem radicationem eius in subiecto, sicut nec remissio per minorẽ.

Quinta Conclusio. Qualitas non suscipit magis, & minus per minorem, vel maiorẽ permixtionem contrariorum. Est Scoti vbi supra. Probatur. Quia multæ sunt qualitates, quæ suscipiunt magis, & minus, & tamen non habent contrarium, vt patet de visione Beatifica, de lumine gloriæ, ac alijs pluribus: ergo suscipere magis, & minus nõ prouenit qualitatibus ex maiori, vel minori admixtione contrarij. Consequentia patet. Antecedens probatur. Quia vnus Beatus habet maiorem gloriam altero; sed maior gloria præsupponit maiorem visionem, & hæc maius lumen gloriæ, vt communiter docetur à Theologis: ergo &c. Cõfirmatur primo. Quia in statu innocentię fuissent habitus virtutum, qui potuissent augeri, & diminui; sed ibi nullus fuisset habitus vitiosus contrarius, quia nec vllum vitium, aut peccatũ: ergo ibi fuisset magis, & minus, absque admixtione contrariorum. Confirmatur secundo. Quia data veritate illius opinionis, nullus posset acquirere scientiam absq; errore, neq; aliquem habitum virtuosum, quin simul acquireret oppositum vel in intellectu, vel in voluntate, quod nemo sanę mentis dixerit; ergo concludendum est, qualitates suscipere magis, & minus ex alia causa, quam ex maiori, vel minori permixtione contrariorum.

Sexta Conclusio. Qualitas nõ suscipit magis, & minus ratione maioris, vel minoris dispositionis in subiecto. Est Scot. vbi sup. §. contra istã opinionẽ arguo, &c. ibi. Pręterea cõtra illos modos &c. Prob. quia huiusmodi præuia dispositio, vel est forma, quæ sit qualitas, vel non: si primũ dixeris cũ secundum illam subiectũ dicatur magis, vel minus dispositum, ergo qualitas suscipit magis & minus, sine præuia dispositione subiecti, quod est intentũ. Si verò dixeris nõ esse formã, per quã subiectũ suscipiat magis, & minus: ergo dabitur alia dispositio in subiecto, de qua quæram sicut de priori, & sic, vel dabitur processus in infinitum in huiusmodi dispositionibus præuijs, vel stan-dum est in aliqua forma, quæ sit qualitas,

secundum quam subiectum suscipiat magis, & minus absque vlla eiusdem præuia dispositione, sed per solam additionem, vel remotionem, respectiuè, in intensione, ac remissione, alicuius realitatis gradualis.

Septima Conclusio. Qualitas suscipit magis per additionem noui gradus qualitati præexistenti factam; & minus per deperditionem graduum, qui erant in qualitate intensa. Est Scoti in primo d.17.q.3.§. Contra istam opinionem arguo; Et quamuis ista conclusio sufficienter probata remaneat ex præcedentibus, nihilominus adhuc clarius, & expressius probatur, & primo sic ex Doctore ibidem: Contraria in summo sunt incompossibilia in eodem, in gradibus verò remissis nequaquam, vt probauimus in præcedenti quæstione; sed hoc non esset, nisi aliquod reale esset in intensione, quod non erat in remissione; ergo intensio fit per additionem gradus ad gradum, & remissio per deperditionem eorumdem graduum. Minor probatur. Quia si tota realitas esset in remisso contrario, quæ erat in intenso, nulla esset repugnantia intensi ad intensum, sicut nulla reperitur inter remissum, & remissum, sed ex suppositione maioris, contraria intensa repugnant, & non remissa: ergo aliquid reale debet esse in intenso, super quo fundetur talis repugnantia, quod non sit in remisso, quod remisso non repugnat.

Dices hanc repugnantiam in non remissis, & compossibilitatem in remissis, prouenire ex capacitate subiecti, respectu contrariorum, in remisso, & incapacitate erga contraria intensa, seu in summo, & non ex aliqua realitate, quæ sit in contrarijs intensis, quæ non sit in remissis.

Contra quia incompossibilitas, vel compossibilitas formarum in ordine ad subiectum, dependet ex incompossibilitate, vel compossibilitate earumdem in se: ergo repugnantia contrariorum in gradibus intēsis ad esse simul non prouenit ex subiecto à priori, sed ex incompossibilitate formarum in se, ac proindè, quia in illis est aliquod positiuum reale, quod non est in contrarijs secundum esse remissum. Antecedens patet. Quia forma dicitur prius habere esse positiuum in se, quam inhæreat subiecto: ergo compossibilitas, vel incompossibilitas duarum formarum prius est in se, quàm dicant ordinem ad subiectum. Secundo probatur motus intensionis est motus realis, distinctus realiter à motu acquisitionis: ergo debet habere terminum realem realiter distinctum à termino acquisitionis; sed motus acquisitionis terminatur ad qualitatem remissam, & motus intensionis ad intensam: ergo in intensione est aliquid positiuum reale, quod non est in acquisitione solummodo. Maior probatur. Quia huiusmodi motus possunt separari, siquidem inducto in aquam primo gradu caloris potest cessare ignis à calefactione, & postea prosequi ipsā calefactionem vsque ad gradum summum, sed motus qui terminatur ad primum gradum dicitur acquisitionis, qui verò terminatur ad summum, intensionis: ergo tales motus, distinguuntur realiter: ergo sunt reales, tum quia distinctio realis, cum sit relatio realis, exigit extrema realia, realiter distincta, vt probauimus in præcedenti Disputatione; tum etiam, quia sunt principia actionum realium vt patet: igitur sunt motus reales realiter distincti. Sequela maioris patet ex Aristotele quinto physicorum, motus habet entitatem, & distinctionem à termino: ergo motus realiter distincti habēt terminos reales realiter distinctos. Minor probatur. Quia si motus intensionis non terminatur ad qualitatem in summo, distinctam realiter à qualitate remissa; igitur ad eamdem remissam; sed hoc est falsum, quia eadem qualitas bis produceretur, semel per motum acquisitionis, & semel per motum intensionis, quod est impossibile: ergo terminatur ad aliam, ac proindè intensio fit per additionem qualitatis nouæ ad qualitatem præexistentem; & remissio per deperditionem gradualem qualitatis præexistentis intensæ. Tertio intensio, & remissio non fiunt per maiorem, vel minorē permixtionem qualitatum contrariarum, nec per maiorem, vel minorem dispositionem subiecti, nec per maiorem, vel minorem radicationem formarum in eodem subiecto, vt probatum est in conclusionibus præcedentibus à quarta vsque ad septimam inclusiuè, sed per acquisitionem qualitatis nouæ, absque corruptione præexistentis antiquæ, vt satis demonstratum est conclusione prima, & secunda; restat ergo à sufficienti enumeratione sententiarum, quas in principio recensuimus, vt fiat per additionem,

nem, & deperditionem graduum qualitatis, vt dicitur in præsenti.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Termini motus sunt incompossibiles in eodem subiecto, sed semper alter illorum, idest terminus à quo corrumpitur ex Aristotele quinto physicorum cap. 36. sed qualitas intensa, & remissa sunt termini motus intensionis: ergo cum fit intensio necessariò qualitas remissa præcedens corrumpitur.

Respondetur ex Not. vltimo, maiorem esse veram de terminis motus formalibus, cuiusmodi sunt priuatio, & forma acquirenda per motum, non tamen de concomitantibus, vt sunt qualitas præexistens, & de nouo acquirenda, quia tales se compatiuntur in eodem subiecto: modo in motu intensionis termini formales sunt gradus acquirendus, & eius priuatio, & isti sunt incompossibiles, quia statim, ac gradus est acquisitus, & additus qualitati præexistenti, priuatio abijcitur; termini verò concomitantes, sunt qualitas remissa præexistens, & qualitas quæ sibi de nouo additur, & huiusmodi termini sunt compossibiles in eodem subiecto, nec prior corrumpitur in aduentu posterioris, sed simul vniuntur in eodem loco, & situ, & quæ erat remissa fit intensa, per additionem nouæ qualitatis.

Obijcies secundo contra secundam conclusionem per motum aliquid acquiritur; sed remissio est quidam motus, sicut & intensio: ergo per remissionem aliquid de nouo acquiritur; sed tale nequit esse qualitas, quæ remittitur, quia hæc non est noua: ergo debet esse indiuiduum qualitatis secundum esse remissum de nouo genitum.

Respondetur maiorem esse veram de motu acquisitiuo, non verò de deperditiuo, quia sicut ille habet pro termino formam, quæ de nouo acquiritur, ita iste terminatur ad non esse formæ, quæ deperditur, modo ad minorem dico remissionem esse motum deperditiuum, & ideò non habet pro termino aliquid positiuum, sed non esse alicuius gradus præexistentis, qui per remissionem deperditur.

Obijcies tertio, si remissio fieret per deperditionem graduum qualitatis intensæ, sequeretur remissionem non esse necessariò motum successiuum; sed hoc est falsum, quia nec intensio foret motus successiuus: ergo dicendum est non fieri remissionem in qualitate per deperditionem graduum successiuè. Maior probatur. Quia agens æquè approximatum duabus medietatibus contrarijs, & pari modo se habentibus, si potest vnam destruere, & alteram poterit corrumpere; sed duo gradus v. g. caloris sunt æquè approximati frigori, vt octo, siquidem, cum sint partes intensiuæ, vna non est remotior altera: ergo si frigus potest destruere nunc primum gradum, poterit simul, & corrumpere secundum, & sic non successiuè.

Respondetur negando sequelam maioris, ad probationem, nego maiorem, quia cum gradus caloris, & frigoris sint contrarij, resistunt ad inuicem, & ex tali resistentia causatur successio in motu, tum intensionis, tum remissionis, maior, vel minor iuxtà maiorem, vel minorem resistentiam.

Obijcies quarto contra tertiam conclusionem, quia suscipere magis, & minus est proprietas conueniens qualitati in quarto modo ex Aristotele in textu: ergo prius cōuenit qualitati in esse specifico, quā in esse indiuiduali; consequentia patet ex Porphyrio in Vniuersalibus tract. 2. cap. 1. accidentia communia prius indiuiduis, & per illa speciebus conueniunt, at accidentia propria se habent è conuersò, prius enim denominant species, & postea indiuidua: ergo si suscipere magis, & minus sit accidens proprium qualitati, prius conueniet qualitati in communi, & secundum esse specificum, & posteà huic, & illi qualitati indiuiduali.

Respondetur quod suscipere magis, & minus potest sumi, vel prout dicit aptitudinem, vel vt dicit actum; priori modo est proprietas, seu passio qualitatis, & conuenit primo qualitati secundum esse specificum; at posteriori modo est accidens commune, & sic conuenit qualitati secundum esse indiuiduale, & non secundum esse quiditatiuum; siquidem competit qualitati, vt dicit ordinem ad subiectum cuiusmodi est qualitas indiuidualis, non verò vt abstrahit ab eo, quia sic habet esse specificum, & quiditatiuum, quod consistit in indiuisibili, vt dicit Aristoteles citatus in conclusione tertia.

Obijcies quinto, contra quartam con-

clusionem quia Aristoteles 4. physicorum cap. 84. inquit, ex calido fieri magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non erat calidum, quando minus erat calidum: ergo subiectum fit magis calidum nullo facto de nouo calore; ergo intensio non fit per additionem gradnum; hæc consequentia à concreto ad ad abstratum probatur, quia calidum fit ex calore; ergo si subiectum fit magis calidum, nullo facto de nouo calido, sequitur fieri tale, nullo facto de nouo calore, & sic intensionem fieri per maiorem radicationem caloris in subiecto, & non per additionem graduum ad gradus præexistentes.

Respondetur negando vtramque consequętiam; siquidem textus Aristotelis sic intelligitur, quod sicut subiectum, quod prius erat sub frigore, fit calidum, non ex noua materia, vel aliquo corpore frigido superueniente, sed solum, quia calor, qui erat potentialiter in subiecto, etiam dum erat sub frigore, educitur de illo, sic subiectum calidum fit magis calidum, subiecto nullo calido eidem superueniente, sed tātum per eductionem caloris, qui erat in potentia in subiecto minus calido; vndè non sequitur intensionem fieri per maiorem radicationem caloris in subiecto, immò per additionem gradus caloris educti de potentia subiecti, minus calidi.

Obijcies sexto contra quintam conclusionem, Philosophum tertio Topic. cap. 4. dicentem, & quæ contrarijs sunt impermixtiora, magis talia, vt albius, dicitur illud, quod est impermixtius nigro: ergo qualitas suscipit magis, & minus, ob maiorem, & minorem impermixtionem contrariorum in subiecto.

Respondetur negando consequentiam, quia antecedens est verum quòad accessum, vel recessum similitudinis, non tamen quòad constitutionem; siquidem contrarium non constituitur ex contrario, vt dictum est cum Doctore Subtili in præcedenti quæstione.

Obijcies septimo, contra sextam conclusionem, quia secundum D. August. hom. 9. in Epistol. Ioan. charitas non crescit, sed homo habens eam crescit; sed homo est subiectum charitatis: ergo charitas augetur ob dispositionem subiecti, & sic qualitas intenditur, & remittitur ob maiorem, vel minorem dispositionem subiecti.

Respondetur, Aliquid crescere, vel augeri potest dupliciter intelligi, vno modo, vt quòd, alio modo vt quò; priori modo subiectum crescit, & augetur, quia denominatur tale per formam, seu qualitatem, quæ in ipso est; at posteriori modo forma crescit, & augetur cum sit ratio formalis, quare subiectum dicatur crescere, & augeri.

Formaliter ad argumentum, dico antecedens esse verum, vt quòd, non tantum, vt quò, quia sic charitas crescit, cum sit ratio formalis, quare homo dicatur magis, vel minus charus Deo.

Obijcies octauo, contra septimam conclusionem, si qualitas susciperet magis, & minus per additionem, vel diminutionem graduum, sequeretur, quod duo accidentia solo numero differentia possent esse in eodem subiecto; siquidem illi gradus qualitatis, vt v. g. caloris, essent accidentia, eiusdem speciei, & solo numero differentia; sed hoc est falsum, quia accidens indiuiduatur à subiecto: ergo vnius subiecti nequeunt esse plura accidentia, solo numero differentia. Minor probatur. Quia accidentis esse est inesse: ergo in vnitate subiecti non possunt multiplicari accidentia eiusdem rationis, solo numero differentia.

Respondetur concessa maiori, negando minorem cum sua probatione, siquidem accidentia non indiuiduātur à subiectis, sed à proprijs hæcceitatibus, vt superius demonstrauimus in Disp. de Principio Indiuiduationis; Ad probationem dico, esse veram de inhærentia aptitudinali, non actuali, quia hæc est separabilis ab accidente, vt patet in Sacramento Eucharistiæ.

Obijcies nono, contra eamdem: Nulla forma potest habere partes integrantes ex se, sed solum per quantitatem; sed si qualitas susciperet magis, & minus per additionem, vel diminutionem graduum, forma haberet partes integrantes, & non per quantitatem: ergo &c. Maior probatur. Tum quia de ratione formæ est, quod sit principium simplex, & non principiatum, aut compositum; atqui si haberet partes integrantes, esset principiata, & composita; tum etiam quia partes integrantes sunt materiales; ergo si fieret ex illis additio, esset secundum

ma-

materiam, & non secundum formam, & sic non intenderetur forma, sed tantū materia.

Respondetur, negando maiorem, loquēdo de formis accidentalibus, & de quantitate virtutis. Ad probationem primam dico esse veram de principio simplici, prout simplex opponitur composito ex materia, & forma physica, non tamen vt opponitur principiato, & composito integrali, quia cum quilibet gradus qualitatis, habeat entitatem indiuidualem, possunt vniri ad faciendam vnam formam totalem. Ad secundam probationem, dico huiusmodi gradus qualitatis posse dici materiales, & formales; dicuntur materiales, quia sunt indiuiduales, dicuntur verò formales, quia quilibet includit esse quiditatiuum qualitatis, contractæ per differentiam indiuidualem propriam, vndè si vniantur in vnitate qualitatis intensæ, fiet additio secundum formam, non in abstracto, & secundum esse quiditatiuum, sed in concreto, & secūdū esse contractū per differentias indiuiduales.

Dices ergo gradus cōponēs erit perfectior tota qualitate integrali, quia simplicior.

Respondetur negando consequentiam; siquidem gradus habet rationem partis, modo pars est imperfectior suo toto.

DE SEX VLTIMIS PRAEDICAMENTIS.

De his vltimis Prædicamentis, parum, aut nihil disseruit Aristoteles; siquidem in vno capite omnia recenset; vel quia de aliquibus acturus est in libris physicorum, cuiusmodi sunt. Actio. Passio, & Quando; vel quia de nonnullis egit in præteritis prædicamentis, sicut de Positione, & Situ in prædicamento Ad aliquid: vel tamdem dicit, se reliqua omittere, quia sunt clara, & manifesta, & sufficit de illis exemplificasse, sicut fecit, c. 5. tract. 1. & in hoc 2. c. 5. Cæterum, quia quæ clara, & manifesta visa sunt intellectui Aristotelis, non fuerunt omnibus ita peruia, propterea Gilbertus Porretanus Peripateticus, nostræ, ac multorum aliorum consulens imbecillitati, de illis peculiarem composuit tractatum, ex principijs Aristotelis excerptum, qui de sex principijs inscribitur, vndè, & sex Principiorum Auctor ab omnibus appellatus est. Hæc autem principia, quæ complent numerum denarium prædicamentorum Aristotelis, sunt Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs, & Habitus, de quibus hoc eodem ordine agendum erit in sequentibus.

De Actione, & Passione, ac earum Proprietatibus.

CAPVT. V. & VI.

Ab Actione Auctor exorditur Tractatum sex Principiorum, tamquam à nobiliori; siquidem quemadmodum agens est præstantius passo, sic & actio est passione nobilior. Diuiduntur autem hæc duo Capitula in duas partes principales, in quarum prima traditur diffinitio, tam actionis, quam passionis, & incipit ibi, Actio verò est &c. & ibi Passio est effectus, &c. In secunda verò enumerat proprietates Actionis, & passionis, & incipit ibi proprium actionis &c.

Quoad primam partem diffinit actionē in c. 1. dicens: Actio est secundum quam in id, quod subijcitur, agere dicimur, vt secans in eo, quod secat, secans dicitur; quæ diffinitio secūdum mentem Doct. Subt. qui docet hæc sex vlt. prædicamenta esse respectus extrinsecus aduenientes, sic explicatur: Actio est respectus extrinsecus aduenιens agentis ad passū, quo agens denominatur formaliter agere in passum, vt sectio, calefactio; nam sectio dicit respectum secantis ad sectum, calefactio verò importat formaliter respectum v. g. ignis calefacientis ad aquam calefactam.

Differunt autem Actio, & Factio inter se, quia effectus actionis non remanet, post ipsam at effectus factionis perseuerat; siquidē cantatio, & sonatio dicuntur actiones, quia cantus, vel sonus, illis transactis non manent; cæterum ædificatio, & calefactio dicuntur factiones, cum post ipsa perseuerent, & calor, & domus ædificata.

Actionis duo sunt genera, vel species subalternæ, scilicet transiens, & immanens; vel

vel vt inquit Gilbertus, corporalis, & spiritualis. Actio transiens est, quæ terminatur ad passum extra ipsum agens existens, vt calefactio, sectio, nam prior terminatur ad acquam calefactam, posterior verò ad lignum sectum. Actio verò immanens, seu animæ est, quæ terminatur ad passum immanens agenti, vt intellectio, visio, siquidem prior terminatur ad obiectum existens in intellectu, posterior ad speciem obiecti inexistentem oculo.

Actio vtraque diuiditur in successiuam, & instantaneam, & hæ in suas species specialissimas; & indiuidua, ex quibus ordinatur prædicamentum, seù generalissimum Actionis, de quibus erit sermo in tertio libro physicorum.

Deindè in principio cap. 2. Diffinit Passionem, tamquam correlatiuum Actionis dicens. Passio est effectus, illatioque actionis, secundum quam hæc quidem patiuntur magis, illa verò minimè, quæ sic exponitur: Passio est respectus extrinsecus adueniens passi ad agens, quo formaliter passum, pati dicitur ab agente, vt calefieri infertur ex calefacere, denominatque aquam v.g. pati ab igne calefaciente, per calorem in ea inductum, contra eius naturam.

Passionis tot sunt species subalternæ, & specialissimæ, ac indiuidua, quot actionis, ex quibus pariter possunt ordinari prædicata secundum sub, & supra, & constitui prædicamentum passionis ab actione, & cæteris distinctum.

Quoad secundam partem enumerat tres proprietates conuenientes actionibus, & passionibus, quarum.

Prima est, quia actio, & passio suscipiunt contraria, nam calefactio contrariatur frigefactioni, dealbatio nigrefactioni, similiter calefieri contrariatur frigefieri, & albefieri, ei, quod nigresit opponitur.

Secunda Proprietas: Actio, & passio suscipiunt magis, & minus, nam vnus ignis dicitur magis, vel minus calefacere, altero, similiter vna aqua, dicitur magis, vel minus calefacta, altera. Hæ autem proprietates, non conueniunt actioni, & passioni formaliter, cum sint relationes, quæ non habent contraria, nec suscipiunt magis, & minus, sed tantum ratione qualitatis super quibus fundantur respectus actionis, & passionis.

Tertia Proprietas. Actio est in agente, & passio in patiente, idest actio est respectus fundatus in agente, & terminatus ad passum; & passio est respectus fundatus in patiente & terminatus ad agens; nam sicut agens denominatur agere in passum, ita patiens dicitur formaliter pati, passione illata ab agente.

De quando, & Vbi, ac eorum Proprietatibus.

CAP. VII. & VIII.

Explicatis duobus principijs, scilicet actione, & passione, sequitur Gilbertus in cap. 4. & 5. expendere naturam, & proprietates tertij, & quarti principij, scilicet quando, & vbi, & diuiduntur in duas partes principales; in quarum prima ponit diffinitiones; in secunda vero proprietates eisdem conuenientes.

Quoad primam partem in suo cap. 4. diffinit quando dicens: Quando verò est, quod ex adiacentia temporis relinquitur, quæ sic exponitur secundum mentem Scoti: quando est respectus extrinsecus adueniens temporis ad rem, quæ fit in eodem, vel rei temporalis ad tempus, vt esse in hora, in die, in mense, in anno. Ex quo patet, quando esse duplex, scilicet actiuum, & passiuum, & neutrum constituit prædicamentum quando, sed quod est commune abstractum ab vtroque.

Huius prędicamenti tria sunt genera subalterna, quæ supplentur per esse, fore, & fuisse: species vero sunt in die, in septimana, in mense, in anno, &c. Indiuidua autem in hac die, in hac septimana, in hoc mense, in hoc anno, &c. & similia.

Deindè in capite quinto, ponit diffinitioné. Vbi dicens: Vbi verò est circumscriptio corporis à circumscriptione loci prouenientis, quæ pariter, sic expenditur, de mente Doctoris:

Vbi

Vbi est respectus extrinsecus aduenienslo ci ad rem locatam, vel rei locatæ ad locum, vt respectus, quem dicit meum corpus ad aerē ipsum ambientem, dicitur vbi passiuum; vel respectus, quem importat aer ad meum corpus circumdatum dicitur vbi actiuum, ex quo sequitur, quod Vbi, quod constituit octauum prædicamentum, neutrum horum est, sed quoddam commune ab ipsis abstractum.

Genera subalterna eiusdem sunt sursum, & deorsum: Species verò, in domo, in aula, in theatro, in foro, &c. Indiuidua in hac domo, in hac aula, in hoc theatro, in hoc foro, &c.

Quoad secundam partem assignat duas proprietates sibi conuenientes, ratione suorum fundamentorum, quarum.

Prima est: quando, & Vbi non habent contrarium, nam quando fundatur in tempore, quod est de genere quantitatis, Vbi vero in loco, qui, vel est substantia, vel quantitas, at substantiæ, vel quantitati nihil est cōtrarium, & consequenter, nec quando, nec vbi, habebunt contraria. Probat etiam exemplis, quia dies non contrariatur septimanæ, nec septimana mensi, &c. similiter vna domus non contrariatur alteri, nec aula theatro, &c.

Secunda Proprietas: Quando, & Vbi, non suscipiunt magis, & minus, sed tantum maius, & minus, quia vna hora non est magis quando, quam septimana, licet benè minus, cum hora sit minor die, & dies septimana: Similiter vnus locus non est magis locus, quam alter, licet sit maior, quia forum est maius theatro, & theatrum aula, & hæc minor domo: Ratio autem vtriusque est, quia quantitas in qua fundantur, non suscipit magis, & minus, sed tantum maius, & minus.

(.·.)

De Situ, vel Positione, & Habitu, ac eorum Proprietatibus.

CAPVT. IX. & X.

Circa Situm, vel Positionem, quæ constituit nonum Prædicamentum, duo facit Auctor in cap. 6. primò enim ponit eius diffinitionem, & incipit ibi: Positio est quædam &c. secundò enumerat tres proprietates eiusdem, & incipit ibi: Suscipere autem videtur situs contrarietates, &c.

Quo ad primum diffinit Positionem dicēs: Positio est quædam partium situs, ac generationis ordinatio, vt ordo, quem tenet homo sedendo, stando, iacendo, secundum partes sui corporis, ad partes loci, quæ diffinitio sic exponitur à Scoto in quarto d. 10. quæst. 1. art. 2. §. Dico ergo aliter, quod positio &c. sub lit. M. §. Positio autem quæ ponitur prædicamentum, &c. est respectus extrinsecus aduenìens partium loci, ad partes locati, vel è cōuerso, partium locati ad partes loci, vt sessio, statio, accubitus, &c. quarè infertur situm esse duplicem, scilicet actiuum, & passiuum, sicut dictum est de vbi, & quod neutrum constituat genus generalissimum, sed tantum aliquod commune ab illis abstractum.

Vterque autem est multiplex, sicut, & locus in quo fit, scilicet sursū, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, & hi habent species, & indiuidua, vt sedere, stare, iacere, hoc sedere, hoc stare, & hoc iacere, quæ ordinantur secundum sub, & supra, ad constitutionem huius prædicamenti.

Quoad secundum ponit tres proprietates situs quarum prima est: Situi nihil est contrarium. Secunda Situs non suscipit magis, & minus, licet benè maius, & minus, tertia proprietas: proprium situs est primæ substantiæ assistere, quia prima substantia in generatione sua habet partes ordinatas, secundum quantitatis extensionem, super quibus, ad partes loci potest fundari respectus positionis, seu situs.

Circa Habitum etiam duo facit. Primò enim ponit eius diffinitionem, & incipit ibi Ha-

centis suam formam in ligno, vel educentis illam de lapide: Vel tamdem respicit subiectum, seu passum, & sic dicit respectum transmutantis ad transmutatum, vt ignis transmutantis lignum de eius forma, ad formam ignis, vel transmutantis aquam, de frigiditate, in caliditatem. Hic non est sermo de actione productiua, vel inductiua, aut eductiua, quia huiusmodi sunt respectus intrinsecus aduenientes, & spectant ad prædicamentum Ad aliquid, sed tantum de trãsmutatiua, quæ cum importet respectum extrinsecùs aduenientem, constituit hoc prædicamentum actionis à cæteris distinctum, diffiniturque à Gilberto, & exponitur à Doctore, vt vidimus in textu, pro respectu extrinsecus adueniente agentis transmutantis ad passum transmutatum.

Secundo notandum est, Actionem hoc vltimo modo consideratam esse duplicem, scilicet immanentem, & transeuntem. Actio immanens est illa, quæ manet in agente, idest cuius terminus non est extra agens, sed est subiectiuè, vel obiectiuè in agente, vel est etiam ipsum agens, vt actio trãsmutatiua intellectus de non intelligente ad esse intelligens, siquidem manet in intellectu, nec terminatur ad aliquid extra ipsum. Actio verò transiens est illa, quæ transit in passum idest terminatur ad passum distinctum realiter ab agente, vt calefactio, quæ procedit ab igne, & terminatur ad aquam calefactam. Hic est sermo de actione transeunte, quia an immanens spectet ad hoc prædicamentum, vel ad prædicamentum qualitatis est controuersia inter Doctores. Actio verò transiens est duplex, scilicet materialis, & immaterialis. Prior est transmutatiua subiecti materialis, vt transmutatio aquæ de frigiditate in caliditatem. Posterior verò est transmutatiua subiecti immaterialis, vt transmutatio Angeli de non motu, ad motum, vel de non intellectione, ad intellectionē. Actio materialis adhuc est duplex; scilicet substantialis, & accidentalis. Substãtialis est per quam acquiritur substantia, vt fit in generatione, vel nutritione, Accidentalis, per quam acquiritur accidens, vt in augmentatione, vel diminutione, in quibus acquiritur, vel deperditur quantitas, aut in alteratione, in qua acquiritur, vel deperditur qualitas; aut in loci mutatione, per quam acquiritur, aut deperditur vbi: quælibet harum actionum habet proprias species, & indiuidua, quæ possunt ordinari secundum sub, & supra, & constitui prædicamentum actionis.

Tertio notandum est, quod passio hic nõ accipitur pro qualitate inferente, vel illata à passione, quia sic est species, vel modus qualitatis: Nec pro realitate pullulante à principijs intrinsecis, quia sic est proprium fundamentaliter, prout facit quartum prædicabile; nec pro respectu, quem dicunt pro ductum ad producens, inductum ad inducens, vel eductum ad educens, quia sic pertinet ad quartum prędicamentũ relationis, sed pro transmutatione passiua, illata, seu causata ab agente per actionē in passũ, quæ vt aduertit Scotus, in 4. d. 13. q. 1. loc. cit. dicit respectũ extrinsecùs aduenientem, passi transmutati, ad agens ipsum transmutans: Et passio hoc modo sumpta dupliciter accipitur; vno modo formaliter, & sic dicit respectum passi ad formam, vt aquæ calefactę ad calorem; alio modo effectiuè, & sic importat respectum passi, ad agens, idest aquæ ad ignem calefacientem. Vtraq; etiam est duplex sicut dictum est de actione, scilicet materialis, & Immaterialis; prior est transmutatio passiua, seu respectus transmutati materialis ad agens materiale; posterior verò est transmutatio passiua, seu respectus transmutati immaterialis, ad agens. Materialis adhuc est duplex, scilicet substantialis, quæ denominat passum substantiale, vt genitum, vel corruptum, & accidentalis, quã denominatur passum accidentaliter, cuiusmodi sunt auctum, diminutum, intensum, remissum, vel motum localiter, de vno ad aliud vbi. Vtraque diuiditur in proprias species, & indiuidua, ex quibus conficitur prædicamentum passionis, sicut dictum est de actione.

Quarto notandum, actionem fundari in agente, & terminari ad passum; & è cõuersò, passionem in passo, & terminari ad agẽs; siquidem agens actione dicitur formaliter agere, sicut passum passione pati: cum autem agens, & passum, prout important transmutationem actiuam, & passiuam, saltem materialiter, sint distincta realiter, sequitur actionem fundatam in agente distingui realiter à passione, quæ fundatur in passo.

Ex his sit prima Conclusio. Actio, & Pas-

& Passio transmutatiua, formaliter acceptæ, prout dicunt respectus extrinsecus aduenientes agentis ad passum, & passi ad agens, sunt duo genera generalissima. Est communis omnibus Scotistis, & ferè omnibus Philosophis realibus. Probatur, quia; non habent aliud genus supra se, & ipsæ prædicantur de pluribus differentibus specie in quid: ergo sunt genera generalissima. Consequentia patet à diffinitione ad diffinitum. Prima pars antecedentis est nota, quia non habent supra se præter ens, quod non est genus, vt alibi probatum est. Secunda pars antecedentis etiam est manifesta, quia actio prædicatur de actione substantiali, & accidentali, materiali, & immateriali, sicut, & passio de passionibus materialibus, & immaterialibus, substantialibus, & accidentalibus, ac de earumdem indiuiduis secundum eamdem diffinitionem; sed huiusmodi actiones, & passiones differunt specie; ergo prædicantur de pluribus differentibus specie in quid.

Secunda Conclusio. Actiones, & Passiones huiusmodi constituunt duo prædicamenta. Probatur. Quia vbi datur ordinatio prædicatorum secundum sub, & supra, ibi datur prædicamentum: sed in huiusmodi actionibus, & passionibus datur ordo secundum sub, & supra; ergo &c. Maior patet, ex descriptione prædicamenti. Minor similiter, quia actiones, & passiones materiales prædicantur de substantialibus, & accidentalibus, & hæ de proprijs speciebus, ac indiuiduis: ergo ordinantur secundum sub, & supra.

Tertia Conclusio, Actio, & Passio distinguuntur realiter. Est Scoti in 4. d. 13. q. 1. sub D. & E. ac omnium Scotistarum, vt fusius videbitur in tertio physicorum. Probatur. Quia agens, & passum, saltem materialiter, distinguuntur realiter: ergo, & actio, & passio super eis fundatæ. Antecedens patet. Quia idem materiale non agit in se, nec patitur à seipso, loquendo de actione transeunte, & transmutatiua. Consequentia probatur, tum quia actio est in agente, & passio in passo, a quibus denominantur intrinsecè, vt demonstrabimus in tertio physicorum: tum etiam, quia respectus oppositi nequeunt fundari super vno, & eodem fundamento; sed Actio, & Passio sunt huiusmodi: ergo, &c. Confirmatur. Quia si actio esset in passo denominaret illud agere, & non pati, quod esset contra passi, & agentis naturam.

Objicies primo contra primam conclusionem. Quia si Actio, & Passio essent duo genera generalissima, aut essent absoluta, aut respectiua; sed neutrum istorum dici potest: ergo non sunt duo generalissima. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur. Non absoluta, quia non sunt, nec substantia, nec quantitas, nec qualitas, vt patet ex earum diffinitionibus. Nec respectiua, quia nullus respectus est principium agendi, aut patiendi; sed Actio, & Passio sunt huiusmodi ex diffinitionibus Gilberti, in textu: ergo &c. Maior patet. Quia relationes sunt de genere sterilium.

Respondetur negando minorem quoad secundam partem, ad probationem dico, maiorem esse veram de principio elicitiuo, quia sic agens non agit actione, sed per propriam formam intrinsecam, falsam verò de principio denominatiuo, quia sic agens dicitur actione agere, & passum passione pati.

Contra, quia tunc actio esset in agente, & non in passo, sed hoc est contra Philosophum tertio physic. t. c, 21. vbi vult, quod Actio, & Passio insunt eidem motiui, sed motus est in passo ex eodem ibidem tex. com. 18. ergo, &c. Sequela maioris probatur. Quia forma denominatiua debet esse subiectiuè in eo, quod denominatur agere.

Respondetur concessa. Sequela maioris, negando minorem, ad probationem, dico Philosophum ibi loqui de actione acta, non tamen de actione pro respectu, seu pro formali, de qua nos loquimur, quia sic distinguitur realiter à motu, & à passo, vt dictum est Notab. 1.

Objicies secundo. Relationes oppositæ pertinent ad idem genus; sed Actio, & Passio sunt huiusmodi; ergo, actio non est genus distinctum à passione. Maior patet, inductiuè de paternitate, & filiatione, similitudine, & dissimilitudine, æqualitate, & inæqualitate, quæ sunt relationes oppositæ, & tamen omnes spectant ad generalissimum relationis.

Respondetur maiorem esse veram; de relationibus intrinsecùs aduenientibus, non tamen de extrinsecùs aduenientibus, cu-

cuiusmodi sunt Actio, & Passio.

Obijcies tertio. Quia concretum, & abstractum sunt eiusdem generis, sed actiuũ, & actio, & passiuum, & passio sunt concretum, & abstractum, & actiuum, & passiuũ sunt eiusdem generis, ex Philosopho primo, de Gener. tex. c. 5. ergo, & Actio, & Passio sunt eiusdem generis. Maior patet, tum quia concretum, & abstractum sunt idem re, & differunt solum in modo significandi; tum inductiuè, quia quantum, & quantitas, quale, & qualitas relatiuum, & relatio sunt eiusdem generis.

Respondetur Assumptum in minori esse verum de genere physico, non tamen de logico, de quo nos loquimur in proposito, quia sic actiuum, & passiuum, sicut actio, & passio spectant ad diuersa prædicamenta.

Obijcies quarto. Contraria sunt eiusdem generis ex Aristotele in Postprædicamentis cap. de oppositis; sed actio, & passio, sicut actiuum, & passiuum sunt contraria: ergo sunt eiusdem generis, non tantum physici, sed etiam logici.

Respondetur negando minorem, quia Actio, & Passio, sicut actiuum, & passiuum opponuntur relatiuè, & non contrariè.

Vel dicendum, maiorem esse veram de contrarijs propriè, modò Actio, & Passio, actiuum, & passiuum, sunt contraria impropriè, idest repugnantia in eodem.

Vtrum Vbi, & Positio, siuè situs sint duo Genera Generalissima inter se realiter distincta?

QVÆSTIO II.

NOminales cum nonnullis Recentioribus, contendunt de medio tollere, hæc duo prædicamenta, asserentes vel solũ dicere denominationes extrinsecas totius loci, vel partium eius, in toto locato, aut in eiusdem partibus; vel negationem distantiæ loci cum re locata. Cæterum opposita sententia communiter defenditur à Thomistis, & Scotist. & præsertim à Doct. Subt. in 4. d. 10. quæst. 1. §. Dico aliter &c. art. 2 & quol. 11. per totum.

Circa distinctionem etiam Situs ab Vbi Doctores litigant, siquidem Nicolaus Bonetus, & alij, quos citant, & sequuntur Mastrius, & Bellutus hic q. 12. art. 2. n. 213. & 214. putant positionem, seu situm non facere distinctum prædicamentum ab Vbi, cum positio nil aliud importet, quam respectum partium locati ad partes loci, & consequenter tot partialia Vbi, quot sunt partes corporis locati.

Verum oppositum est omninò sustinendum, tum propter famosam illam diuisionem decem prædicamentorum, tum propter auctoritatem Doctoris Subtil. in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 2. §. Dico ergo aliter &c. vbi disertis verbis distinguit hæc duo prædicamenta inter se.

Pro solutione igitur vtriusque difficultatis, Primo Notandum est ex Scoto loco citato, & ex Tatareto hic, Vbi dupliciter capi posse, vno modo prout est quoddam interrogatiuum, vt vbi habitas? Cui respondetur per locum dicendo, Vicentiæ, vel Patauij. Alio modo prout significat esse in loco, & sic accipitur in proposito, & hoc est duplex scilicet materiale, & formale. Vbi materiale est superficies vltima corporis ambientis scilicet aeris, & sic non distinguitur à quantitate. Formale verò est respectus extrinsecùs adueniens superficiei circumdantis aliquod locatum, ad ipsum circumdatum, & sic est respectus entrinsecùs adueniens, quia non resultat, nisi facta debita approximatione extremorum, scilicet corporis ad superficiem aeris, & vbi hoc modo diffinitum dicitur vbi actiuum, vndè sequitur dari duplex vbi; passiuum, & actiuum; & passiuum adhuc esse duplex, materiale, & formale, Materiale est corpus locatum; formale verò est respectus extrinsecus adueniens fundatus in corpore locato, & terminatus ad superficiem aeris locantis. Vtrumque autem est duplex, scilicet remotum, & propinquum; Remotum actiuum, est locus continens superficiem aeris continẽtis, passiuum verò corpus, quod denominatur locatum; Propinquum actiuum est superficies circũdans, seu ambiens, & passiuum est superficies corporis locati, seu ab actiuo ambiti. Hic est sermo de Vbi pro formali, vtroque modo accepto.

Secundo notandum est, quod vbi pro formali, cum diuidatur in vbi actiuum, & passiuum, non habet propriam diffinitionem, siqui-

siquidem ignoratur proprius modus intrinsecus, per quem contrahitur ens reale in communi ad ipsum, sed circumloquimur eius naturam per illam diffinitionem disiunctiuam, quod sit respectus extrinsecus adueniens, vel loci ad locatum, vel locati ad locum; cæterum, vt sic in communi conceptum facit prædicamentum ab alijs distinctum, quod posteà diuiditur in vbi sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsũ, antè, & retrò, tamquam in species subalternas: Hęc verò habent species specialissimas quæ possunt circumscribi per esse sursum in domo, in camera, deorsum in cellaria, in carcere, & sic de alijs, quarè inferendum est, quod cùm vbi in communi habeat genera subalterna, & species specialissimas, ac indiuidua, ordinabilia secundum sub. & supra, quod sit, & genus generalissimum; & prędicamentum.

Tertio notandum, ex Scoto in 4. sent. loco cit. Situm, seù positionem dupliciter cõsiderari posse, vno modo, vt dicit ordinem partium ad inuicem, & in toto, & sic non spectat ad hoc prędicamentum, sed est quędam relatio circumlocutiua differentiæ quantitatis corporeæ, quæ est extẽsio ordinata partiũ alicuius totius, vt quod caput sit super collum, collum super humeris, humeri super thorace, brachia hinc indè distenta. Alio modo prout dicit ordinem partium totius, ad partes loci, vt quod nimirum caput respondeat parti aeris ambientis ipsum, & non alteri, brachia partibus loci sibi correspondentibus, & sic distinguitur à situ, seù positione; primo modo considerata, facitque prædicamentum ab alijs distinctum; qui posteà diuiditur in actiuum, & passiuum. Prior fundatur in partibus loci, & terminatur ad partes corporis locati, posterior verò se habet è conuersò, quia fundatur in partibus locati, & terminatur ad partes loci: Vterque autem adhuc est duplex, scilicet innatus, cuiusmodi est situs elementorum, & cęlorum, qui inest eis à natura; & acquisitus, qui inest locato ab arte, vt est situs domus, aulæ, & huiusmodi, qui posteà diuiditur in species subalternas, & specialissimas, ac indiuidua, vt dictum est de loco, seù vbi, ex quibus coalescit hoc prædicamentum ab alijs distinctum, cum habeat genera, species, & indiuidua ab alijs distincta.

Quarto notandum ex eodem ibidem, situm, & vbi in quibusdam conuenire, & in nonnullis differre ab inuicem. Conueniunt equidem, quia ambo sunt respectus extrinsecus aduenientes, resultantes ex coexistentia duorum extremorum, quæ sunt locus, & locatum. Differunt verò, quia vbi respicit totum integrale locatum, & totum locum, situs verò partes integrales, non ordinatas inter se, sed ad partes loci, prout partes distinguuntur à toto. Ex quibus infertur primo quod respectus importatus per situm præsupponit respectum importatum per vbi, non vt inferius suum superius, sed tamquam effectum necessariò prærequisitum, sine quo fundari non posset relatio situs, in partibus locati, ad partes loci. Secundo infertur, cum isti respectus fundentur in fundamentis, & terminentur ad terminos ab inuicem realiter distinctos, vt sunt totum, & partes integrales, sicut probabimus in primo physicorum, quod ipsi sint pariter realiter distincti.

Ex his sit prima Conclusio. Vbi, & Situs sunt genera generalissima. Probatur. Quia quod est genus, & non habet aliud genus supra se est generalissimum, sed vbi, & situs sunt huiusmodi: ergo sunt genera generalissima. Maior patet per locum à diffinitione ad diffinitum. Minor probatur. Quia vbi prædicatur de actiuo, & passiuo, similiter situs, de Situ actiuo, & passiuo, quæ sunt species subalternæ, vt patet ex Not. secundo, & tertio, & super ipsis non datur aliud præter ens, quod non est genus, vt aliàs probatum est: ergo, &c.

Secunda Conclusio. Vbi, & Situs constituunt duo prædicamenta. Probatur. Quia prædicata ordinabilia secundum sub, & supra constituunt vnum prædicamentum; sed omnia Vbi, & omnes Situs sunt huiusmodi: ergò &c. Minor patet. Quia Vbi in communi prædicatur de vbi actiuo, & passiuo, & vtrumque de vbi sursum, deorsum, dextrorsum, ergo &c. & hæc de suis speciebus, & indiuiduis: Similiter Situs dicitur de Situ actiuo, & passiuo; & hi de situ innato, & acquisito; hi posteà de situ sursum, deorsum, &c. & isti tandem de suis speciebus specialissimis, ac indiuiduis; ergo sunt, prædicata ordinabilia secundum sub, & supra, & sic coalescunt duo prædicamenta.

Tertia Conclusio. Vbi, & Situs sunt duo præ-

Prædicamenta inter se realiter distincta. Est contra Bonetum, vt alios citatos pro secunda sententia. Probatur primo, auctoritate Aristotelis ennumerātis illa tamquam diuersa prædicamenta. Secundo ratione fundamentali; quia respectus, quorum extrema sunt realiter distincta, sunt realiter distincti, sed extrema vbi, & Situs sunt realiter distincta: ergo &c. Maior patet. Quia respectus est habitudo essentialis extremorum: ergo qualem naturam, & conditionem sortiuntur extrema, talem pariter sortiri debent etiam respectus. Minor probatur. Quia Vbi dicit respectum, vel totius loci ad totum locatum, vel è conuersò totius locati ad totum locum; Situs verò dicit respectum partium loci, ad partes locati, vel è conuersò partium locati ad partes loci; sed totum integrale, & eius partes distinguuntur realiter: ergo extrema respectuum vbi, & situs distinguuntur realiter. Maior patet ex Doctore in 4. d. 10. quæst. 1. loco citato. Minor probabitur ex professo in primo physicorum, pro nunc suadetur sic, causa, & effectus distinguuntur realiter, cum nil causet se, sed aliud ex diffinitione causæ tradita ab Auctore libro de Causis; sed totum integrale causatur à partibus integrantibus: ergo, totum integrale, & eius partes distinguuntur realiter. Tertio probatur. Quia Vbi, & situs possunt separari: ergo distinguuntur realiter. Consequentia patet. Antecedens probatur, Quia inuariato vbi, mutatur situs: ergo possunt separari. Antecedens patet. Quia vinum agitatum in vase retinet semper eumdem locum, & tamen mutatur secundum partes, quia partes eius respondent diuersis partibus loci, idest vasis, sed in tali correspondentia partium locati, ad partes loci, consistit ratio formalis situs; ergo inuariato vbi mutatur situs. Possent conficiali æ rationes ex Doctore loco citato, sed pro nunc iam allatæ sint satis.

Obijcies primo, contra primam conclusionem, quod vbi non sit genus generalissimum, quia quod habet genus supra se, non est generalissimum, sed vbi diffinitum in textu est huiusmodi; ergo non est generalissimum. Maior est nota. Minor probatur. Quia diffinitum est vbi circumscriptiuum; vt distinguitur ab vbi diffinitiuo, sed datur vbi commune vtrique, quod prædicatur de illis, vt de differentibus specie: ergo supra vbi diffinitum, datur aliud genus.

Respondetur Gilbertum diffiniuisse tantum vbi circumscriptiuum, quod est vbi corporale, secutus doctrinam Aristotelis, qui non agnouit vbi diffinitiuum, & alia vbi spiritualia in quibus locantur Angeli, & animæ separatæ, de quibus in quarto physicorum, Deo dante, erit sermo, sed in rei veritate, tale vbi non est generalissimum, cum habeat genus supra se, quod est commune ad vbi diffinitiuum, & circumscriptiuum; tamen non propterea dicendum est, vbi absolutè sumptum, non esse genus generalissimum, quia pro tali collocatur in supremo loco, illud vbi communissimum, cum contineat sub se omnia vbi spiritualia; & corporalia, tamquam species subalternas, & sic subire rationem generis generalissimi, & supremi illius coordinationis prædicamenti Vbi.

Obijcies secundo, contra eamdem, quod situs non sit genus generalissimum, quia nulla differentia constitutiua vnius prædicamenti potest constituere aliud, prædicamentum, distinctum ab illo, cuius est differentia; sed situs est huiusmodi, quia est differentia quantitatis permanentis, vt docet Aristoteles c. de quantitate; ergo &c.

Respondetur minorem esse veram de situ, seu positione, vt dicit ordinem partium in toto, non tamen vt dicit ordinem partium totius ad partes loci, quia sic non est differentia quantitatis, sed prædicamenti situs, vel positionis.

Contra instat Magister meus Pater Franciscus à Catharo, quia nullus respectus potest esse differentia absoluti, sed ordo partium ad inuicem, & in toto est respectus, vt patet: ergo non potest esse differentia quantitatis, quæ est ens absolutum.

Respondetur, maiorem esse verā formaliter, non tamen circumlocutiuè, modò per illum respectum, quem importat ordo partium in toto circumloquimur differentiam accidentalem quantitatis permanentis, vt inquit Tataretus, ab ipso citatus; & hæc est vera mens Doctoris Subtilis in 4. d. 10. q. 1. sub M. vbi dicit positionem, quæ est prædicamentum, præsupponere vtique illam, quæ est differentia quantitatis, non esse tamen illam, nec ambas contineri sub positione, illis communi, vt ipse, respondet, cum ille

respectus potiùs spectet ad vbi, à quo, secundum Doctorem, specificatur, vt sit vbi corporale, & non diffinitiuum. Vide eum sub O. & apertè percipies hanc esse eius mentem.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionem, quia vbi circumscriptiuum importat respectum, nedum totius locati s ad totum locum; sed etiam partium ad partes: ergo includit etiam in se positionem, seu situm. Consequentia patet, per diffinitionem situs. Antecedens patet, quia non potest vbicari aliquod corpus, quin, & partes eius dicantur esse in loco.

Respondetur, ex Doctore loco citato, negando antecedens ad probationem, concedo illam, sed nego tales respectus esse indistinctos, quandoquidem inquit Scotus, respectus, quem dicit positio, præsupponit illum; importatum per vbi, vt effectum præuium, sine quo nequiret poni situs illarum partium, in loco, non tamen sunt vnus, & idem respectus, cum fundentur in fundamentis diuersis, ac realiter distinctis, vt diximus Notab. vltimo.

Obijcies quarto, omnes respectus vbi sunt collocandi in prædicamento Vbi; sed respectus, quos dicunt partes locati ad partes loci, sunt partialia Vbi; ergo, sunt in prędicamento Vbi, & sic positio non distinguitur, sed reducitur ad illud. Minor probatur. Quia sicut respectus totius locati ad totum locum est Vbi, totale, ita respectus partium locati, ad partes loci, erunt Vbi partialia.

Respondetur negando minorem, ad probationem nego secundam partem, quia nō valet, si respectus totius locati ad totum locum sit vbi, quod respectus partium locati ad partes loci sint plura vbi partialia, quia non sunt plures respectus, sed tantum vnus, qui consistit in coextensione partium locati, ad partes loci.

Vel dicendum, maiorem esse veram de Vbi totalibus, non de partialibus, quia ista non collocantur in prædicamento vbi; sed positionis, ob rationem iam dictam, in vltimo notabili.

Contra quia, quæ dicunt præsentiam ad locum sunt vera Vbi, sed sedere, stare, iacere, quæ sunt species situs, seù positionis dicunt præsentiam ad locum: ergo sunt vbi. Maior patet, quia de ratione vbi est facere locatum præsens loco, formaliter. Minor probatur. Quia est prorsus inintelligibile aliquem sedere, vel iacere, aut stare, & non habere præsentiam ad locum, in quo sedet, iacet, vel stat.

Respondetur, maiorem esse veram formaliter, non tamen præsuppositiuè, modo sedere, iacere, & stare, quæ sunt modi situs, non dicunt formaliter præsentiam ad locum, sed tantum præsuppositiuè, quia vt inquit Scotus loco sæpiùs citato, positio, quæ est prædicamentum, præsupponit in loco respectum importatum per vbi, à quo potest separari, vt patet in Sacramento Altaris, in quo est corpus Christi localiter, præsentialiter, non tamen cum positione, quæ dicitur modus quantitatiuus, seu respectus partium totius corporis, ad partes loci.

Vtrum Quando, & Habitus sint duo Genera Generalissima?

QVÆSTIO III.

Circa constitutionem prædicamenti. Quando nulla est controuersia; siquidem omnes concedunt esse vnum è decem generibus Generalissimis ab Aristotele enumeratis; cęterum in explicanda eius natura diffident Moderni, nedum inter se, sed etiam ab Antiquis, quandoquidem aliqui putant, Quando non dicere aliquid reale intrinsecum, superadditum tempori, vel rei temporali; sed solum denominationem extrinsecam. Ita ex nostris Mastrius, & Bellutus hic Disput. VIII. quæst. 12. art. 3. num. 218.

Oppositum nihilominus defenditur communiter à Scotistis, & Thomistis, vt videri potest apud Complutenses hic q. 4. & Sanchez lib. 6. quæst. 9. vbi multos citat asserentes, Quando superaddere tempori, accidens reale.

Nec minor est controuersia inter Scholasticos loquendo, de Habitu prædicamento, quandoquidem Mastrius, & Bellutus loco citato, sequuti Nicolaum Boneti, & Bassolium in 4. d. 11. q. 1. art. 1. videntur extendere prædicamentum Habitus ad omnem habitionem, qua subiectum dicitur habere for-

formam, siuè sit absoluta, siuè respectiua: vndè inferunt omnem vnionem absoluti ad absolutum, qualis est materiæ ad formā, omnes respectus subiecti ad formam, & formæ ad subiectum, & omnem connexionē inter partes ad inuicem, siuè sint essentiales siuè integrales, spectare ad hoc prædicamētum, & sic, inquiunt, intelligendus est Aristoteles, cum dicit armatum esse, & calceatum esse, constituere hoc prædicamentum, vt sit sensus, quod vnio, & connexio inter arma, & corpus, inter calceos, & pedes sint modi constitutiui prædicamenti Habitus.

Cæterum opposita sententia (quam vti ludicram, & philosophia indignam desident prædicti Magistri) est verior, & Aristoteli conformior, vt inferius demonstrabimus.

Pro intelligentia igitur, & fundamento verioris sententiæ, circa constitutionem vtriusque prædicamenti. Quando, & Habitus. Primo notandum, quod quando dupliciter accipi potest, vt dictum est de Vbi, scilicet pro quæsitiuo temporis, vt quando hæc erunt? Cui respondetur per aliquam differentiam temporis futuri, dicendo, crastina die, vel mense, aut anno sequenti, & sic non accipitur hic, cum sit quoddam sincathegorema, quod per se nihil significat. Alio modo sumitur prout significat tempus, vt putà horam, diem, mensem, annum, lustrum, & huiusmodi, & sic facit ad propositum, quod tamen adhuc dupliciter accipitur, scilicet materialiter, & formaliter. Quando materialiter sumptum, non est nisi tempus, & cū tempus sit quantitas, hoc modo spectat, ad prædicamentum quantitatis. Quando formaliter acceptum importat respectum extrinsecus aduenientem, temporis ad rem temporalem, vel è conuersò, rei temporalis, ad tempus, vt dictum est in expositione textus, & sic accipitur in proposito. Quando hoc modo sumptum est duplex, scilicet diuisibile, & indiuisibile. Quando diuisibile est respectus temporis diuisibilis ad rem temporalium, vel è conuersò, vt respectus mensis ad rem durantem per mensem. Quando verò indiuisibile est respectus extrinsecus adueniens instantis indiuisibilis, ad rem instantaneam; vel è conuersò. Et vtrumque est duplex, actiuum, & passiuum, vt diximus in textu, & habent sub se multas species, & indiuidua; scilicet horam, diem, mensem, annum, lustrum &c. hanc horam, hunc diem, hunc mensem, hunc annum, hoc lustrum, &c. quæ sunt indiuidua. Et quamuis Scotus in primo d. 8. q. 3. sub O. videatur dubitare de speciebus, Quando, dum dicit, prædicamentum quando est generalissimum, quia non habet aliud genus supra se, licet paucas habeat species, aut nullas, tamen cum concedat aliquas, inferendum, esse genus generalissimum, ratione vtriusque respectus, & consequenter, ex speciebus, ac indiuiduis eiusdem, constitui vnum prædicamentum.

Secundo notandum ex Gilberto in textu Habitū dupliciter accipi posse, scilicet materialiter, seu fundamentaliter, & formaliter. Primo modo importat quodlibet genus indumenti quo totum corpus, vel eius partes vestiri, seu tegi possunt. Secundo modo dicit respectum extrinsecus aduenientem vestis, seù indumenti ad corpus vestitum, siue inductum, vel è conuersò, respectum passiuum corporis induti ad indumentum, & sic sumitur in proposito, & habet duas species subalternas; scilicet habitum totius; & habitum partis, exemplum prioris, vt tunica, posterioris, vt calceus, & chiroteca. Habitus totius, habet species, specialissimas scilicet tunicatum esse, loricatum esse, & huiusmodi, indiuidua pariter, s. hoc tunicatum esse, istud loricatum esse: Eodem modo diuiditur habitus partis. Cum igitur in habitibus assignentur genera, species, & indiuidua, ordinabilia secundum sub, & supra, & detur supremus habitus, in quo, & sub quo continentur omnes habitus, tum actiui, tum passiui, dicendum est dari prædicamentum Habitus à cæteris distinctum.

Tertio notandum est ex Scoto in 4. d. 12. q. 2. concl. 1. sub C. quod respectus inhærentiæ accidentis ad subiectum, sicut, & quælibet vnio formæ ad materiam, si est substantialis, vel ad subiectū si sit accidentalis, possunt considerari dupliciter, vel secundum esse transcendens, quod importāt omnibus formis, tum prædicamentalibus, tum transcendentalibus cōmune, & sic non spectant ad aliquod determinatum genus, sed reduci possunt ad illa prædicamenta, in quibus reponuntur formæ vnibiles, & sic vnio materiæ ad formam ad prædicamentū substātiæ, quantitatis ad quantitatem, qualitatis, ad qualitatem, & sic discurrendo de omnibus: Vel accipiuntur secundum esse limita-

tum formatum prædicamentaliũ, siue sint substantiales, siue accidentales, & sic inquit Doctor, cum sint respectus extrinsecus aduenientes, vel agentis ad formam, aut è conuerso, formæ ad agens, vel formæ ad passum, aut passi ad formam, possunt reponi in prædicamento actionis, si sint vniones actiuæ, vel passionis si passiuæ.

Quarto notandum, vt colligitur ex eodẽ Scot. ibid. has vniones, seu respectus posse dupliciter accipi, s. effectiuè, & formaliter. Primo modo non distinguuntur à respectibus extrinsecus aduenientibus, importatis per actionem, & passionem, & sic considerantur secundum esse limitatum, spectantq; ad prædicamentum actionis, si sint actiuæ, vel passionis, si fuerint passiuæ, quia sic sũt vnitiones actiuæ, & passiuæ; Secundo modo distinguuntur ab actione, & passione, & non spectant ad aliquod prædicamentum determinatum, cum sint transcendentales respectus, sed sunt in illis prędicamentis, quorum sunt formæ ab eis denominatę formaliter. Ex his infertur, quæ huiusmodi respectus non possunt constituere prædicamẽtũ Habitus, cum spectent ad actionem, & passionẽ si fuerint limitati, vel ad nullũ genus, si cõcipiantur formaliter, quia sic sunt transcẽdentes, quare dicendũ est prædicamentũ habitus cõstitui dũtaxat ex respectibus, quos dicũt vestes, seu indumẽta ad corpora, & è conuerso corpora ad indumẽta, seu vestes.

Ex his fit prima conclusio. Quando, & habitus sunt duo Genera Generalissima, inter se realiter distincta. Probatur prima pars. Primo auctoritate Aristotelis, & Gilberti, vt patet in textu. Secũdo ratione, quia prædicantur de pluribus differentibus specie, & non habent aliud genus supra se: ergo sunt genera generalissima. Consequentia patet, per locum à definitione ad definitum. Antecedens etiã est manifestum ex dictis not. 1. & 2. Secunda Pars probatur. Quia quæ habent diuersa genera, & species subalternas sunt diuersa ex Aristotele in Antepraedicamentis Tertia Regula: Diuersorũ generũ, &c. sed quando, & habitus sunt huiusmodi: ergo. Minor prob. Quia species, & genera quãdo fundantur in quantitate, illa verò habitus in substãtia, vt dictũ est: ergo, &c. Consequentia est nota, quia respectus sortiuntur naturã extremorũ, cum igitur extrema vtriusq; prædicamẽti sint distincta realiter: ergo, & respectus erunt realiter distincti.

Secunda Conclusio. Quando, & Habitus sunt duo prædicamenta. Probatur. Quia eorum genera, species & indiuidua sunt ordinabilia, secundum sub, & supra, vt est demonstratum in not. 1. & 2. ergo sunt prædicamenta. Consequentia tenet, per locum à diffinitione ad diffinitum.

Tertia Conclusio. Habitus prędicamẽtũ non constituitur ex respectibus vnionis informatiuæ, siue substantialis, siue accidentalis, sed ex respectibus extrinsecus aduenientibus importatis per adiacentiam actiuam vestium ad corpora, vel passiuam corporum ad vestes, seu indumenta. Est cõmunis omnium Expositorum Aristotelis contra Mastriũ, & Bellutũ, & alios ab eis relatos. Prob. 1. pars, quia, vel tales vniones sũt transcendentales, vel limitatæ, & prædicamentales; sed neutrum cogit vt ex illis constituatur prędicamentum habitus: ergo, &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur. Quia vniones trãscendentales nõ spectant ad aliquod genus determinatũ, sed in illo sunt, in quo ponuntur eorum formæ ab ipsis denominatæ: si verò sunt limitatæ, vel sunt effectiuæ, & sic spectant ad prædicamentũ actionis; vel passionis si sint passiuæ: ergo non est cur assignare debeamus illis prædicamentũ Habitus. Antecedens, & cõsequens sunt nota ex dictis in not. 3. & 4. Secunda Pars probatur, quia Habitus prædicamentũ importat adiacentiã, cũ vt sic distinguatur ab Habitu, vt est Postprædicamẽtũ, ex Arist. & Gilb. sed vt sæpiùs demõstratũ est, omnia prædicamẽta relatiua, præter Adaliquid, dicũt respectus extrinsecus aduenientes: ergo prædicamentũ Habitus cõstituitur ex huiusmodi respectibus importãtibus adiacentiam, vel actiuam vestium ad corpora, vel passiuam corporum ad vestes.

Obijcies primo, contra primam conclusionem. Quia sicut se habet calefactio actiua ad passiuam, ita quando actiuum ad passiuum, sed calefactio actiua, & passiua sunt in diuersis prædicamentis; ergo Quando actiuum; & passiuum erunt in diuersis prædicamentis, & sic non erit vnũ prædicamẽtum quando, sed duo, sicut actio, & passio.

Respondet. negando maiorẽ, & similitudinẽ, quia in tãtũ calefactio actiua, & passiua constituunt duo prædicamenta, in quantum habent, & differentias, & proprietates di-

diuersas; at Quando actiuum, & passiuum, cùm conueniant in eisdem proprietatibus, & differentijs communibus, idcircò non distinguuntur tanta distinctione, vt possint constituere duo prædicamenta.

Vel dicendum cum Mastrio, & Belluto negando paritatem, quia quatuor prædicamenta, s. Vbi, & Situs Quando, & Habitus, quamuis diuidantur in actiuum, & passiuũ, nequeunt facere diuersa prædicamenta, sicut Actio, & Passio, quia non sunt propriè actiua, & passiua, sed tantum gramaticaliter, & per quamdam similitudinem, vt patet discurrendo per singula.

Valeat hæc responsio, quantum valere potest: fateor æquidem argumentum esse validum, & non ita facilè posse assignari rationem, quare potius Actio, & Passio constituant duo prædicamenta, & non quando actiuum, & passiuum, sed de his fusius in physicis.

Obijcies secundo. Si quando esset genus generalissimum, aut esset respectus intrinsecus, aut extrinsecus adueniens, sed neutrum est dicendum: ergo non est genus generalissimum. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur, non esset respectus intrinsecus adueniens, quia non insurgit ex natura extremorum, sed facta debita approximatione: Nec extrinsecus adueniens, quia implicat, quod ponatur res temporalis in tempore, & non mensuretur eodem; sed vt sic insurgit respectus quando: ergo non est extrinsecus adueniens, quod est contra Doctorem.

Respondetur negando minorem, ad probationem nego maiorem, & probationem eius, posset. n. Deus creare lapidem extra vniuersum, & Angelum ipsum mouere; sed ibi esset motus, quia est res temporalis, & tamen non esset quando respectus, quia requiritur approximatio rei temporalis ad vniuersum, in quo est tempus.

Obijcies tertio, contra tertiam conclusionem, quia vnio informatiua est digna, vt ei assignetur speciale predicamentum; sed hoc nequit esse præter Habitum: ergo, &c. Maior patet, quia est perfectior, quã Actio, & Passio; sed hæ habent proprium prædicamẽtum: ergo & vnio debet habere. Minor probatur inductiuè, non possunt sibi assignari prædicamenta substantiæ, quantitatis, vel qualitatis, quia hęc sunt absoluta, vnio verò relatiua. Nec ad aliquid, quia nõ resultat ex natura extremorum, sed requirit approximationem formæ ad materiã, vel subiectũ: Non ad actionem, & passionem, quia vnio actio, & vnio passio, quibus connectuntur extrema, sunt aliæ ab vnione formali, cũ hęc sit terminus per actionem productus: tum quia à passione dicitur substantia calefacta, sed ab vnione caloris dicitur calidum: tum etiam quia à passione denominatur subiectum pati in fieri, ab vnione verò in facto esse. Nec ad vbi, quia vnio informatiua superaddit aliquod maius, quam præsentialitas importata per vbi. Nec ad situm, ob eãdem rationem; restat ergo, vt spectet ad Habitum, cum talis dicat adiacentiam formæ, vel ad materiam, vel ad subiectum.

Respondetur, maiorem esse veram de vnione limitata, non tamen de transcendentali; quia talis non est reponibilis in aliquo determinato prædicamento. Ad minorem dico spectare ad prædicamentum actionis, si sit actiua, vel passionis, si passiua; Ad improbationem, concedo vnionem formalem esse aliam ab vnione actione, & passione, sed nego illam spectare ad aliquod prædicamentum determinatè, quia cum sit forma relatiua trãscẽdens, est reponibilis in illo prędicamẽto, in quo est forma denominata.

Contra quia Auctor sex Principiorum, exprimendo ea in quibus potest reperiri habitus, exemplificat; nedum in vestibus & corporibus, sed etiam de formis, & subiectis, vt quantum esse, album esse; sed est certum, ista importare vnitatem accidentium ad subiecta: ergo, signum est, vnionem informatiuam spectare ad hoc prędicamẽtũ.

Respondetur habitum dupliciter spectari posse, vel vt prædicamentum est, vel vt post prædicamentum, & de vtroq; loquutus est Gilbertus; de priori; dum dixit, Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia, & sic exemplificauit de vestibus & corporibus, & non de accidẽtibus, ac eorum subiectis; de posteriori verò dum dixit Dicitur autẽ habere multis modis, & in primo horũ collocat habere alterationẽ, albedinẽ, quantitatẽ: in secundo contentũ in cõtinente, vt vinũ in vase: in tertio annulũ in digito, in quarto vxorẽ in viro, & sic de cęteris; at quis nõ videat hæc nõ spectare ad prędicamẽtũ habitus, sed ad habere post prædicamẽtũ? Sileant ergo Mastrius, & Bellutus

de secundo, & contenti sint de respectibus adiacentiæ indumentorum ad corpora, & è conuersò, nec velint plus sapere, quàm oporteat sapere, nè in Magistro descipiant.

Multa alia pertractantur à Recentioribus circa hæc nouissima prædicamenta; an nimirum sint realia, vel rationis tantum? Vel an sint denominationes intrinsecæ, aut tantum extrinsecæ? vt videri potest apud prædictos Magistros, & Ruuium hic; sed quoniam ex dictis facillimo negotio dissolui possunt, ideò breuitati studentes, consultò omittuntur, & eò maximè, quia ferè de omnibus iterùm in physicis redibit sermo.

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

TRACTATVS TERTIVS.



Explanato secundo Tractatu, in quo cum Aristotele, ac Doctore Subtili sufficienter dedimus omnium decem Prædicamentorum doctrinam, nunc, vt huic libro finem imponamus, aggrediendum nobis esset tertium, & vltimum Tractatum, in quo Aristoteles agit de Postprædicamentis, seù de quibusdam Documentis, valentibus, à posteriori ad eorumdem Prædicamentorum cognitionem plenè, ac perfectè habendam, quæ sunt quinquè, nempè Oppositio, Prius, Simul, Motus, & Habere: Cæterùm, quia horum diuisiones, diffinitiones, & ad quid singula valeant, satis superque dedimus in Summulis Tractat. primo, sect. quinta per totam, ideò ne idem toties, ac inutiliter repetere contingat, abstinebimus in præsenti ab Expositione Textus, & quæstiones super eodem agitari solitas cum nostro Subtilissimo Doctore de more examinabimus.

De Postprædicamentis.

DISPVTATIO X. & VLT.

Vtrum Diuisio, ac Natura oppositorum, sit rectè, ac sufficienter assignata ab Aristotele in textu?

QVÆSTIO I.

Circa primam Partem Quæstionis ferè omnes conueniunt cum Aristotele, approbantes diuisionem oppositorum iam factam ab eodem, in opposita Relatiua, Contraria, Priuatiua, ac Contradictoria, quorum sufficientiam peroptimè deducit, etiam Scotus in Prædicamentis quæstion. 38.

Verùm oppositum cum Doctore Subtili nobis asserendum est, siquidem in primo d. 11. q. 2. ferè per totam, sed præsertim sub lit. D. præter enumerata genera oppositorum, agnoscit etiam opposita disparata, quandoquidem aliqua sunt incompossibilia formaliter, vt albedo, & dulcedo, alia verò etiam subiectiuè, vt duæ formæ substantiales, & tamen non opponuntur aliquo prædictorum quatuor modorum, igitur dandum est quintum genus ab illis distinctum, quod Disparatorum oppositorum ab ipso appellatur.

Pro cuius intelligentia, ac fundamento. Primo notandum est, oppositionem esse duplicem, scilicet complexam, & incomplexam, prior est repugnantia duarum propositionum participantium vtroque termino, ordine eodem; de qua Philosophus agit in lib. Perihermenias, & nos in Summulis, Tract. 1. sect. 5. cap. 1. & Tract. 2. sect. 1. posterior verò est repugnantia duorum terminorum non verificabilium de se inuicem, neque de aliquo tertio singulari, simul, & se-

semel, ac respectu eiusdem, & hæc est triplex, scilicet Disparata, relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria, quarum diffinitiones dedimus in Summulis Tractat. 1. sect. 5. cap. 1.

Secundo notandum ex Scoto, in 1. d. 11. q. 2. D. quod oppositio disparata est duplex, scilicet formalis, & subiectiua; oppositio disparata formalis est inter illa; quæ repugnāt ad inuicem, seu sunt incompossibilia secundum suas rationes formales, vt albedo, & dulcedo, quæ non repugnant in aliquo tertio, cum ambæ reperiantur in lacte, & Sacharo depurato, sed tantum ratione identitatis formalis, cum ratio formalis vnius nō sit ratio formalis alterius. Oppositio verò disparata subiectiua est inter illa, quæ dicunt incompossibilitatem, seu repugnantiam ad esse in eodem subiecto, vel supposito, vt duæ formæ substantiales in eadem materia, vel duæ relationes constitutiuæ in eodem supposito, vt filiatio, & spiratio passiua in diuinis, quæ non sunt compossibiles in eodem supposito diuino, sed necessariò causant distinctionem realem inter supposita. Hic est sermo de vtraque, quia conueniunt in oppositione disparata in communi, quatenus ab alijs distinguitur.

Tertio notandum ex eodem in 4. d. 49. q. 16 ante lit. C. §. Ad secundum dico, quod aliqua possunt esse repugnantia dupliciter, vel formaliter, vel virtualiter, siuè effectiuè. Illa virtualiter, seu effectiuè repugnant, quorum vnum potest producere effectum contrarium alteri, & sic sol dicitur habere repugnantiam cum frigore, quia potest producere calorem sibi contrarium. Illa verò formaliter repugnant, quæ opponuntur secundum se, & suos effectus, vt album, & nigrum, calidum, & frigidum; siquidem ratio vnius excludit rationem alterius, vt effectus albi, qui est dealbare excludit effectum nigri, qui est nigrefacere, ab eodem subiecto, simul, & semel. Repugnantia autem formaliter sunt in quadruplici differētia, siquidem alia repugnant simpliciter, vt nec per potentiam diuinam possint esse simul in eodem instanti, & talia sunt contradictoria, quorum rationes formales se excludunt, vt nullo modo possint esse simul, vt esse caloris, & non esse caloris, & de hac repugnantia locutus est Scotus in 2. d. 2. q. 9. sub lit. Q Alia verò formaliter repugnant, quia non possunt esse simul secundum suas rationes formales, in vnitate identitatis, neque in vnitate compositionis per se, & sic disparata repugnant vt puta homo, & lapis, quia hæc est falsa homo est lapis; & è conuersò, lapis est homo, similiter ex eis non potest componi aliquod tertium, quod includat ambas rationes formales disparatas, & talia à Doctore Subt. in primo d. 43. q. vn. sub E. appellantur impossibilia, quia eorum incompossibilitas non est in ordine ad subiectum, sed in ordine ad se inuicem, & ad constitutionem vnius per se. Alia verò dicuntur formaliter repugnantia, nedum secūdum suas rationes formales, sed etiam secundum suos effectus in ordine ad idem subiectum simul, & in eodem tempore, & sic contraria, vt album, & nigrum, calidum, & frigidum in summo, dicuntur formaliter repugnare, cum sint incompossibilia in eodem subiecto, & de his locutus est idem Doctor in 4. d. 1. q. 5. sub F. §. Probatur etiam propositum, &c. & in 4. d. 49. q. 16. B. & C. Alia tandem formaliter repugnant, non quia ratio vnius sit incompossibilis cum alterius ratione, sed solum, quia se excludunt ab eodē, & sic sūt duę formę substantiales respectu eiusdem materiæ, & duæ dimensiones quantitatiuæ totales respectu eiusdem loci, siquidem non pugnant formaliter, immò conueniunt in eadem ratione formali, sed tantum, quia cum vna expleat capacitatem naturalem; vel materiæ, vel loci, nequit alteram secum simul admittere; cæterum hæc repugnantia dicenda est potiùs actiua, seu virtualis, quam formalis, vt aduertit Doctor in locis, proximè citatis, in proposito de dimensionibus. Ex his habetur, qua ratione ingrediatur repugnantia in diffinitionibus oppositorum Disparatorum, Contrariorum, & Contradictoriorum, quas dedimus in Summulis, tract. 1. sect. 5. cap. 1. Ex Aristotele, hic cap. de Oppositis.

Quarto notandum ex Mastrio, & Belluto hic q. 1. in principio, quod repugnantia, cum ingrediatur, tamquam genus, in quacumque oppositione, est relatio duorum extremorum simplicium, quatenus nequeunt habere identitatem quamdam formalem, aut realem, vel quatenus eidem rei singulari, simul, secundum eamdem rationem, & respectu eiusdem nequeunt inesse;

in qua descriptione ponitur relatio, quia diuersitas, & distinctio sunt relationes, at repugnātia importat diuersitatem, vel saltem distinctionem, quæ si habeat extrema realia, & realiter existentia, vt repugnantia disparatorum, relatiuorum, & contrariorum, est relatio realis simpliciter; si autem alterū est priuatio, vel negatio, vt accidit in priuatiuis, & contradictorijs, est quidem realis, sed non simpliciter, verum tantum secundū quid. Dicitur quatenus nequeunt habere identitatem formalem, aut realem, vt comprehendat disparata, quæ vt diximus in precedenti, nequeunt vniri aut formaliter, aut realiter ad inuicem, vel in vno per se composito. Additur quatenus eidem singulari, &c. propter disparata, & contraria, quæ possunt vniri vniuersali, vt rationale, & irrationale animali, albedo, & nigredo colori; Subiungitur secundum eamdem rationem, quia res diuisibilis in vna parte potest esse alba, & in alia nigra. Dicitur simul ob contraria, quæ si ponantur in diuerso tempore in eodem subiecto, non repugnant; & tamdem ponitur particula respectu eiusdem, propter opposita relatiua, & contradictoria, siquidem idem potest dici pater, & filius respectu diuersorum, similiter idem potest dici calidum, & non calidum respectu diuersarum partium.

Quinto notandum, præter ea quæ diximus in Summulis loco sæpius citato, quod oppositio contradictoria est repugnantia duorum extremorum, secundum affirmationem, & negationem infinitantem, absolutè, de eodem, respectu eiusdem, similiter, & eodem tempore non verificabilium, vt homo, & non homo contradicunt, quia opponuntur secundum affirmationem, & negationem infinitantem, quod dicitur ad differentiam negationis priuantis, per quam negatur tantum actus, & non aptitudo, vt patet in negatione importata per cæcitatem, at negatio infinitans tollit vtrumque; siquidem non homo tollit esse hominis, nedum actu, sed etiam aptitudine, & ponit repugnantiam ad esse hominis, vel in lapide, vel in ligno importatis, per ly non homo. Additur ly absolutè, quia negatio, & affirmatio cum aliquo addito non contradicunt, vt homo est per se albus, & per se non albus, quia esse album, nec per se, nec pariter per se non album inest, aut negatur ab homine, alioquin si per se inesset albedo, numquam posset esse non albus; idest niger, vel rubeus. Dicitur de eodem respectu eiusdem, quia huius defectu, istæ non contradicunt Petrus est albus, & Petrus non est niger, quia non affirmatur, vel negatur idem prædicatum de eodem Petro, sed aliud, & aliud. Ponitur secundum idem, quia defectu huius particulæ, istæ non contradicunt, Petrus est albus secundum dentes, & est non albus secundum faciem. Subiungitur illud aduerbium similiter, quia si diuersimodè accipiatur subiectum, vel prædicatum non contradicunt, vt hic homo in communi est species, & homo in particulari non est species, quia in affirmatione ly homo supponit simpliciter, & in negatione personaliter. Dicitur tamdem eodem tempore quia in diuerso tempore non est contradictio, vt hic mea manus nunc, est clausa, & ante non erat clausa quia in prima respicit tempus præsens, & in secunda præteritum.

Sexto Notanda sunt omnia, quæ de diffinitione, & diuisione in communi diximus, in Summulis tract. 1. sect. 3. cap. 1. & 3. Insuper, quæ adnotauimus in eodem tract. sect. 5. c. 1. circa primum Postprædicamentum, huc enim reducenda sunt, & ad propositum applicanda, vt ex illis probare possimus, & bonitatem diuisionis oppositionis, ac eius sufficientiam, & rectitudinem diffinitionum cuiuslibet oppositionis in particulari.

Ex his sit prima Conclusio. Oppositio in communi non est sufficienter diuisa ab Aristotele in textu, in illas quatuor oppositiones, scilicet relatiuam, contrariam, priuatiuam, & contradictoriam. Colligitur ex Doctor. Subtil. in primo sent. dist. 11. quæst. 2. sub lit. D. Probatur. Quia Diuisio, cuius membra diuidentia non euacuant diuisum non est bona, neque sufficienter assignata, sed illa quatuor membra oppositionum non euacuant oppositionem in communi ergo non est sufficienter assignata. Maior patet, per secundam conditionem requisitam ad bonam diuisionem. Minor probatur, quia albedo, & dulcedo in lacte; similiter duæ relationes disparatæ opponuntur formaliter, cum habeant diuersas rationes formales; sed tales non opponuntur aliqua prædictarum oppositionum: ergo prædictæ op-

oppositiones non euacuant oppositionem in communi. Minor probatur inductiuè in omnibus non enim opponuntur relatiuè, quia albedo, & dulcedo sunt qualitates, quæ sunt entia absoluta: Nec relationes disparatę, cuiusmodi, sũt filiatio, & spiratio passiua in diuinis, vt patet: Nec cõtrariè, quia non se excludunt ab eodem subiecto, sed sunt simul in eodem lacte. Nec priuatiuè, aut contradictoriè, quia alterum membrum non est priuatiuum, vel negatiuum, sed ambo positiua: ergo dicendum est opponi alia oppositione ab illis quatuor distincta, & consequenter illas non euacuare oppositionem in communi, quæ est diuisum.

Secunda Conclusio. Oppositio in communi est sufficienter, & adæquatè diuisa in oppositionem disparatam, relatiuam, contrariam, priuatiuam, & contradictoriam. Est Scoti, quinto Methaphysic. in Expositione cap. 10. num. 78. & in primo sentent. d. 11. quæst. 2. sub D. & in logic. hic quæst. 38. & probatur earum sufficientia ab ipso in quinto Methaphysic. loco citato sic, quia opposita, vel ponunt se, vel excludunt se; si primo modo sic sunt opposita relatiua, quæ ratione mutuæ dependentiæ simul sunt, & non sunt, hoc est posita se ponunt, & perempta se perimunt; si secundo modo, vel vtrumque extremum ponit aliquod, vel nihil; si vtrumque extremum ponit aliquid, vel continentur necessariò sub vno, & eodem genere, & sic sunt contraria, vel possunt esse diuersorum generum, aut si sint eiusdem generis opponuntur tantum secundum suas rationes formales, & sic sunt disparata. Vel si vtrumque extremum non est positiuum, sed alterum negatiuum, vel dicit negationem simpliciter, & sic sunt contradictoria, vel dicunt negationem in subiecto apto nato, & sic sunt opposita priuatiuè; cum igitur non inueniatur aliud genus oppositionis, sequitur oppositionem in communi esse sufficienter, & adæquatè diuisam in illa quinque genera oppositionum. Secundo probatur, ex Tertio Notab. Quia omnia opposita propriè dicta sunt formaliter repugnantia, vel ergo repugnant simpliciter respectu cuiuscumque potentiæ, & hoc dupliciter vel vtrumque extremorum repugnantium, est positiuum, vel alterum simpliciter negatiuum; si dicatur primum, sic sunt opposita disparata, quæ pugnant ad inuicem, in ordine ad quamcumque potentiam; si detur autem secundum & sic sunt contradictoria; si autem non repugnant simpliciter hoc potest contingere dupliciter vel ambo sunt positiua, vel alterum est priuatiuum. Si ambo sunt positiua, vel vnum dicit mutuam dependentiam ad aliud, & sic sunt relatiua; vel repugnant cum dependentia ad aliquod tertium, scilicet ad subiectum, & sic sunt contraria, quæ mutuò se expellunt ab eodem subiecto, cui nata sunt successiuè in esse: Si tamdem alterum repugnantium est priuatiuum, & alterum positiuum; & sic sunt opposita priuatiuè, cum ergo non inueniatur aliud genus repugnantiæ formalis, sequitur quod oppositio sit sufficienter, & adæquatè diuisa in ista quinquè membra.

Tertia Conclusio. Diffinitiones quatuor oppositorum, quas recensuit Aristoteles in textu, sunt benè, & sufficienter assignatæ. Probatur. Quia omnes explicant naturam huiusmodi oppositorum per genus, & differentiam; ergo sunt bonæ, & sufficienter assignatæ. Consequentia patet, ex Aristotele septimo Methaphysic. t. com. 43. Antecedens probatur. Quia in omnibus ponitur repugnantia formalis, tamquam genus, cum prædicetur de repugnantibus relatiuis, contradictorijs, contrarijs, & priuatiuis, siquidem omnia repugnant formaliter, vt patet ex Not. secundo, & tertio. Minor probatur, quia relatiuà repugnant cum dependentia mutua vnius ad aliud, per quam differt à cæteris, quæ carent tali dependentià, non enim posita se ponunt, & perempta se perimunt, sicut relatiuè opposita, vt patet discurrendo per singula. Differunt etiam contraria, quia mutuò se expellunt ab eodem subiecto, cui positiuè nata sunt successiuè inesse, quod non contingit in alijs, quæ non respiciunt subiectum, vel si respiciunt, non sunt ambo positiua. Differunt insuper priuatiuè opposita à contradictorijs, quia ista dicunt negationem vnius de alio cum aptitudine in subiecto, contradictoria verò se excludunt simpliciter ab eodem simul, pro quolibet etiam instanti, absque aptitudine ad illud; ergo cum quælibet diffinitio horum opposito-

torum habeat genus, & differentiam propriam, sequitur, quod sit bona, & sufficienter assignata.

Quarta Conclusio. Diffinitio disparatorum etiam est bona, & sufficienter assignata. Probatur, quia expendit naturam disparatorum per genus, & differentiam: ergo est bona, & sufficienter assignata. Consequentia patet, ex Philosopho septimo Methaphysic. t. c. 43. vbi in diffinitione nil aliud requirit præter genus, & differentiam. Antecedens probatur: Quia opposito disparata est repugnantia duorum extremorum, siuè sint substantiæ, siuè accidentia; siuè absoluta, siuè respectiua; siuè contineantur sub eodem, siuè sub diuersis generibus, quorum alterum de altero nequit verè prædicari, aut formaliter, aut realiter; sed in hac diffinitione continentur genus; & differentia; ergo expendit naturam disparatorum per genus, & differentiam. Maior colligitur ex diuersis locis Scoti, sed præsertim ex distinct. 11. primi sent. q. 2. Minor probatur. Quia ly repugnantia gerit locum generis, cum in ipsa conueniant omnes oppositiones, vt dictum est superius. Aliæ autem particulæ tenent locum differentiæ; siquidem per illas distinguuntur disparata à cæteris oppositis, quia oppositio relatiua est tantum inter accidentia relatiua; contraria verò, inter absoluta, idest inter qualitates, quæ continentur sub eodem genere, priuatiua tantum inter habitum, & priuationem, & contradictoria inter affirmationem, & negationem, quæ cum non sint positiua, sub nullo genere continentur; ergo per talem diffinitionem disparata manifestantur differentia à cæteris oppositis, ac proindè expenditur eorum natura per genus, & differentiam.

Obijcitur tamen primo, contra primam conclusionem, quia omnis oppositio, aut est positiua, aut negatiua, si positiua, aut dicit mutuam dependentiam vnius ad aliud, & sic est relatiua; aut non dicit dependentiam, sed vnum expellit aliud, & sic est contraria: si verò sit negatiua, aut extremum negatum connotat aptitudinem in subiecto, & sic est priuatiua, aut non connotat, & sic est contradictoria, cum igitur non reperiatur alius modus oppositionis: ergo diuisio data in ista quatuor membra est sufficiens.

Respondetur negando minorem, immò sub oppositione positiua continentur non tantum relatiua, & contraria, sed etiam disparata; vndè sufficientia illa de oppositione positiua supplenda est hoc modo, si verò alterum extremorum non dependet ab alio, aut ambo sunt qualitates, contentæ sub eodem genere, & maximè distantes, & ab inuicem se expellentes ab eodem subiecto, & sic est oppositio contraria, aut non sunt qualitates, sed vel substãtiæ, vel quantitates, aut relationes, etiam diuersorum generum, quarum vna excludat aliam formaliter, vel realiter, & sic est oppositio disparata; patet enim quod albedo, & dulcedo in lacte opponuntur formaliter, & non contrariè, quia sunt in eodem subiecto simul, nec relatiuè, quia sunt qualitates; ergo disparatè.

Obijcitur secundo. Quia sequeretur Aristotelem fuisse diminutum in assignandis oppositionibus, siquidem hic, & 5. methaph. cap de oppositis, meminit tantum harum quatuor oppositionum: ergo de mente eius, vel non datur oppositio disparata, vel si sit admittenda, dicendum est fuisse diminutum illam ommittendo.

Respondetur negando sequelam maioris, siquidem in assignatis locis, cum describerit opposita tantum in ordine ad subiectum, vt patet ex verbis, eiusdem 5. Meth. cap. de oppositis, vbi inquit quæcumquè susceptiuo amborum non contingit simul adesse, hæc opponi dicuntur, & talia sunt tantum quatuor recensita, non debuit meminisse oppositorum disparatorum, quæ opponuntur tantum formaliter, & non in ordine ad susceptiuum: nec indè inferri potest non esse admittenda opposita disparata, cum eorumdem meminerit in eodem capite sub nomine contrariorum, quæ sunt diuersa specie, & exemplificat de homine, & equo, qui opponuntur disparatè.

Obijcitur tertio contra secundam conclusionem, omnis bona diuisio debet dari per opposita; sed diuisio oppositionis in relatiuam, contrariam, priuatiuam, & contradictoriam non est huiusmodi: ergo non est bona. Maior est Boetij in lib. de Diuisionibus. Minor probatur, quia oppositiones non sunt oppositæ, sed relatiua, contraria, priuati-

ti-

tiua, & contradictoria sunt oppositiones: ergo, &c. Maior probatur, quia si essent oppositæ: ergo per alias oppositiones, & istæ per alias, & sic daretur processus in infinitum.

Respondetur maiorem esse veram de oppositione disparata, quia vnum membrũ diuisionis nequit prædicari de alio, vel formaliter, vel realiter, non tamen loquendo de aliqua illarum quatuor oppositionum, quia sic certum est illas quatuor oppositiones non esse oppositas aut relatiuè, aut contrariè, aut contradictoriè, esse tamen oppositas disparatè, quia ad inuicem se excludunt formaliter, & realiter, vt patet ex suis diffinitionibus.

Contra, quia vnum membrum dictæ diuisionis sequitur ad aliud: ergo non opponuntur disparatè, nec diuisio est sufficiens ex Philosopho 10. Meth. t. c. 15. Antecedens probatur. Quia valet ista consequentia album, & nigrum opponuntur contrariè: ergo, & contradictoriè. Consequentia probatur. Quia album, & non album, nigrum, & non nigrum opponuntur contradictoriè: sed album est non nigrum, & nigrum est non album: ergo si album, & nigrum opponuntur contrariè, & etiam contradictoriè, contradictoria oppositio infertur ex contraria, & sic vnum membrum, sequitur ad aliud, ac proindè diuisio oppositionis est insufficiens.

Respondetur, negando antecedens, ad probationem, dico minorem esse veram per accidens, pro quanto vnum contrariorum connotat negationem alterius, non tamen per se, quia contraria sunt ambo positiua, contradictoria verò habent alterum extremum negatiuum, vndè album per se, est tantum album, & non nigrum, & nigrum tantum nigrum, & non album, licet per accidens alterum alterius connotet negationem, quarè contradictoria, tantum per accidens consequuntur ad contraria, at per se disparata sunt.

Obijcies quarto, contra tertiam conclusionem, quia relatiuè opposita dicuntur de eodem, siquidem idem potest dici simile, & dissimile, magnum, & paruum, comparatum ad diuersa: ergo non sunt opposita; consequentia patet, quia secundum Aristotelem quinto Methaphysic. cap. de oppositis, &c. omnis oppositio fit circa idem susceptiuum cui opposita nata sunt in eo.

Respondetur antecedens, & eius probationem esse verã si comparentur ad diuersa, quia vnum corpus dicitur paruum comparatum ad aliud maioris magnitudinis, & magnum respectu alterius, quod habeat minorem magnitudinem; cæterum sic comparata licet sint relatiua, non tamen relatiuè opposita, cum oppositio sit ad idem.

Obijcies quinto, contra quartam conclusionem oppositio disparata prædicatur de quatuor oppositis ab Aristotele ennumeratis: ergo non constituit secundum membrũ ab alijs distinctum. Consequentia patet, quia genus non venit in numerum suarum specierum, cum includatur potentialiter in illis. Antecedens probatur. Quia opposita relatiua, contradictoria, contraria, & priuatiua ad inuicem comparata sunt disparata, cum de se inuicem prædicari nequeant: ergo oppositio disparata prędicatur de illis.

Respondetur Antecedens, & eius probationem habere veritatem de oppositione disparata, vt modus, non tamen, vt quid, quia vt sic non prædicatur de cæteris, sed est vna species contenta sub oppositione in communi à cæteris formaliter saltem distincta; vndè in hoc sensu negatur consequentia, ad cuius probationem dico verum esse de genere sumpto, vt quid, falsum, vt modus, vt patet de genere applicato vniuersali in communi, quod tamen venit in numerum cum cæteris vniuersalibus, sumptum in ratione speciei vniuersalis in communi.

Obijcies sexto. Contraria non necessariò sunt eiusdem generis ex Aristotele, hic in quarta proprietate contrariorum, & 5. Meth. cap. de oppositis, Contrarijs, & Diuersis, & decimo Methaph. cap. 9. vbi exemplificat de bono, & malo, de iusto, & iniusto, de corruptibili, & incorruptibili, quæ sub diuersis generibus continentur: ergo contraria coincidunt cum Disparatis, quæ non necessariò sunt eiusdem generis, vt diximus in probatione quartæ Conclusionis.

Respondetur ex Scoto in prædicamentis in Expositione quartæ proprietatis contrariorum, contraria esse duplicia, scilicet limi-

mitata, & ista spectant ad idem genus prædicamenti qualitatis, vt album, & nigrũ ad colorem, amarum, & dulce ad saporem, calidum, & frigidum, humidum, & sicum ad qualitatem sensibilem, inferentem passioné vocanturq; propriè cõtraria: Alia verò sunt transcendentia, quæ consequuntur ens, vt sunt bonum, & malum, iustum, & iniustũ, & cætera huiusmodi, & hæc spectant ad diuersa genera sicut ens reale, quod sequuntur, dicunturq; abusiuè contraria, cum in rei veritate opponantur priuatiuè, malum .n. importa priuationem boni, & iniustũ iusti, seu iustitiæ Modo Aristoteles cũ dixit contraria posse contineri sub diuersis generibus, intellexit de contrarijs transcendentibus, non de limitatis, quinimò hæc necessariò coarctat ad idem genus proximum, vt videri potest, hic in diffinitione contrariorum, & 10 Meth. t. c. 24. & 5. Meth. loco sæpius citato.

Vel dicendum, Aristotelem fuisse locutũ de genere moris, vel de genere physico, siquidem malum, & bonum, iustum & iniustum, continentur sub diuersis generibus moralibus, & corruptibile, & incorruptibile, differunt genere physico, & non logico; vt alibi diximus, cum Aristotele in 10. Meth. c. 9. Modo hic nos loquimur de genere logico, cum dicimus contraria respicere idem genus, disparata verò posse contineri sub diuersis, vt homo, & lapis, scientia, & planta, ac cætera huiusmodi.

Vtrum Modi, Prioris, Posterioris, ac simul sint sufficienter enumerati ab Aristotele in textu?

QVÆSTIO II.

Circa numerum horum modorum nulla est controuersia, omnes .n. conueniunt fuisse enumeratos ab Aristotele, si nõ omnes, saltem eos, qui sufficienter iuuant ad cognitionem prędicamentorum, & sunt quinq; Prioris, & Posterioris. s. prius, & posterius tẽpore, natura, ordine, honore, causa & effectu; simul verò tres . s. natura, tempore, & diuisione, quorum omnium diffinitiones vidimus in Summulis tract. 1. sect. 5. ca. 2. & 3. Cæterum in explicanda prioritate naturæ diffident ad inuicem Scot. siquidem aliqui dicunt prioritatem, naturæ dicere dumtaxat præsuppositionem huius ab hoc in alteritate naturæ, & ideò negãt ordinem naturæ inter diuinas personas, quia licet vna præsupponatur, ab altera, siquidem Pater præsupponitur à filio, & Pater, & Filius præsupponuntur à Spiritu Sãcto, tum, quia sunt omnes in eadem natura diuina, vna persona nequit dici prior altera natura, sed tantum origine. Ita docet Io. Canonicus in 1. Phys. q. 4. art 2 & videtur sequi etiam Nicolaus Bonett. lib. 6. suæ Meth. c. 2. Alij verò vt Anton. Trombeta in Formalit. art. 4. de identitate, & distinctione reali, Franciscus Aret. ibid. §. quo ad tertium Faber in 1. disp. 25. n. 21. & Io. Dudonet in Form. loc. cit. probant ordinem, seu prioritatem naturæ, non tantum præseferre præsuppositionem vnius ab alio, sed etiã versari inter extrema, quorũ prius sit in aliquo signo positiuo, in quo non sit posterius. Tamdem alij censent totã cõtrouersiam esse potius de nomine, quam de re, quod clarè demonstrant ex diuersis acceptionibus prioritatis naturę Ita Mastr. & Bellut hic disp. 9. q. 2. art. 1. quod an sit verum, & nobis probetur, inferius dicemus.

Pro totius quæstionis intelligentia, ac huius litis diremptione. Primo notandum est ex Philosopho 5. Meth. t. c. 16. & ex Doctor. Subt. ibid. quod prius dicitur illud, quod est primo propinquius, posterius verò, quod est ab illo remotius, & sic cum inter omnia entia creata ponatur primitas in substantia quia in eadem saltem vltimatè subiectãtur omnia accidentia, ordinatè tamen; possumus dicere quantitatem esse priorem qualitate, cum propinquius illa, hæc verò remotius adhæreant substantiæ; & sic prius diffinitum diuiditur ab eodem Aristotele in priora secundum quantitatem, secundum rerum cognoscibilitatem, & secũdum substantiam, seu quiditatem; & hæc omnia iterum subdiuidit, nempe in priora secundum quantitatem continuam, & discretã; priora secundum quantitatem continuam in priora secundum locum, & tempus, & secundũ motum, similiter priora secundum cognitionem, partiuntur in priora, secundum cognitionem sensitiuam, & intellectiuam, illa dicis esse singularia, ista verò vniuersalia. Tamdem diuidit priora secundum entitatem, & quiditatem, quæ dicuntur priora secundum naturam, de quibus in sequentibus erit sermo, de reliquis verò agemus in Physicis,

ficis,& præsertim in quæst.de primo cognito;pro nunc autem sufficiat illa innuisse.

Secundo notandum est prioritatem,& posterioritatẽ præseferre habitudinẽ quamdã, illã prioris ad posterius, vt subiecti ad accidens,hanc verò posterioris ad prius,vt accidentis ad subiectũ.Vtraq;tamen est quintuplex .s. prioritas,& posterioritas temporis, naturæ, ordinis, honoris, vel dignitatis, & causalitatis,de quibus omnibus sufficienter egimus in libro Summularum tract. 1. sect. 5.ca.2. quare nè inanis repetitio grauet legentem,hic silendam duximus, & illuc remittimus lectorem.

Tertio notandum est ex Doct.Sub.in 2.d. 1.q.2.A. aliquid posse dici prius natura alio dupliciter.s.priuatiuè,& positiuè.Illud dicitur prius natura alio priuatiuè,quod secũdũ se non conuenit alicui secundum suã entitatẽ,in aliquo priori,conueniret tamen,& inesset illi,nisi per aliud impediretur,& sic priuatio in materia dicitur esse prius natura, quam forma inducẽda, tũ quia materia intelligitur esse prius sub priuatione, quã sub forma,tum etiam,quia semper sibi inesset, nisi ab aliquo agẽte induceretur forma opposita,exẽplum sit de materia ligni, & forma ignis; Illud verò est prius natura altero positiuè, cuius entitas intelligitur prius in esse alicui,quam entitas illius,quod dicitur posterius, & sic in homine, animal dicitur esse prius natura rationali,in cõposito,prius natura intelligitur esse substantia,quã accidẽs,similiter in toto per se intelligitur prius natura materia,quam forma; & ista priora secundum Arist.5.Meth.t.c.16.diffiniuntur esse,quæcunq; contingunt esse sine alijs,& alia non sine his,i.illa dicuntur priora secũdum naturam,quibus quantum est de se nõ repugnat esse sine suis posterioribus, nõ tamen è conuerso posteriora possunt esse sine prioribus, & sic omnia superiora dicuntur esse priora secundum naturam suis inferioribus,non tamen è conuersò, quia licet superiora sint de conceptu quiditatiuo suorũ inferiorum,non tamẽ è conuersò, vt patet. Dicitur etiam notanter quantum est de se, propter subiectum,& passionem Deum, & creaturæ depẽdentiam ad ipsum, quia licet ratione identitatis realis creatura nequeat esse,quin depẽdeat ad Deum, & subiectum non possit esse sine sua passione,tamen non sibi repugnat esse sine illis, quia sicut passio non est de quiditate subiecti, sic nec dependentia, quam dicit creatura ad Deum, est de cõceptu formali eiusdem.

Quarto notandũ est,vt colligitur ex Doct. Sub. in 1.d.7.q. vn.in fin.& in 3.d.2. q.2. sub H.& I.& in 2. d.25.q.vn.ad 3 pro opi. quod prioritas naturæ est duplex inconuertibilitatis secundũ cõsequentiam,& causalitatis. Prioritas inconuertibilitatis est inter illa in quibus non cõuertitur subsistendi cõsequentia dũ arguitur,ab est 2.adiacẽte,ad est secũdũ adiacens, vt si homo est,animal est, non tamẽ è cõuersò si animal est;ergo homo est, quia posset esse asinus, vndè infertur quod animal sit prius natura homine, & cæteris inferioribus. Prioritas verò causalitatis est duplex,s.causalitatis formalis,& virtualis. Prioritas adhuc est duplex.s.physica,quæ reperitur inter causam,& effectum physicũ,si quidẽ entitas effectus præexigit inesse entitatẽ causę,vt patet de calore,& igne;& metaphys.& hæc inuenitur inter subiectũ, & eius passionẽ;siquidẽ risibilitas est posterior natura homine, cum pullulet ab eius principijs quiditatiuis, vt à causa methaphisica. Prioritas tãdẽ causalitatis virtualis est inter illa,quæ se prȩexigũt in causãdo,seu operãdo,& sic dicimus sensũ esse priorem natura intellectu,& intellectũ volũtate, quia sicut hęc in sui operatione dependet ab operatione intellectus saltẽ ostẽsiuè,cũ nihil sit volitũ,quin sit præcognitũ,ita ille præsupponit sensum,siquidem(saltem pro statu isto)nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.

Quinto notandum ex eodem Doct.Subt. hic q.43.§. Ad quæstionem dicendum, &c. quod modi Prioris,& Posterioris, non sunt omnes enumerati hic ab Arist. cum manifestum sit ex 5.Meth.c.de Priori plures esse, quam quinq;sed tantum recensuit illos,qui faciunt ad propositum ostendendum,nimirum quomodo se habeant prædicamẽta ad inuicẽ,& similiter ea,quæ ponuntur in vno & pluribus prædicamentis, quem ordinem seruare teneantur, at certum est hos quinque modos sufficere;siquidem substantia est prior tempore, natura, ordine, dignitate,& causalitate cæteris prædicamentis, vt tradit Aristoteles septimo Methaphysic.t.4. similiter quodlibet superius est prius natura suis inferioribus, & genus speciebus, valet n.consequentia arguendo ab est secũdo adiacente ad est secundũ adiacẽs de infe-

rio-

riori ad superius, sed non è conuersò, vt dictum est etiam in præcedentibus. Insuper substantia in composito per accidens est prior, quam accidens; deinde est honorabilior omnibus accidentibus, & eorumdem causa; igitur hi quinq; modi prioris, & posterioris sufficiunt ad intentum Philosophi, ac proindè non debuit alios recensere.

Sexto notandum est, Aristotelem in textu ennumerasse dumtaxat tres modos simultatis, s. temporis, naturæ, & diuisionis, etiãsi multo plures esse possint sicut dictum est de modis, prioris, & posterioris, quibus opponuntur, quia & in his respexit tantum ad eos qui erant necessarij ad cognitionem prædicamentorum habendam; at certũ est ex illis tantum tres modos ennumeratos sufficere; quandoquidem per primum modum indicatur ordo passionum cum suis subiectis, vt nimirum simul tempore incipiant, & coexistant, non tamen simul natura, cum subiectum sit prius natura sua passione. Per secundum verò ostenditur vna proprietas relatiuorum, vt dicantur ad cõuertentiam, & alterum alterius non sit causa; siquidem, vt inquit Scot. in 1. d. 28. q. 3. sub F. vnum nequit esse sine alio, absq; contradictione, & hoc ab intrinseco, posita .n. se ponunt, & perempta se perimunt, ex quo infertur simultas naturæ inter illa. Per tertium tamdem demonstratur ordo, quem tenent differentiæ lacterales in vnoquoq; prædicamento, quia sunt simul diuisione, & constitutione; siquidem rationale, & irrationale simul diuidunt animal, & constituunt species hominis, & bruti: & quamuis vna differentia possit esse, in dignitate, & perfectione, prior alteras vt aduertit idẽ Doct. Subt. loco cit. sub lit. G. ex Aristotele 4. Meth. t. c. 10. siquidem vna species est dignior, & perfectior altera, tamen quòad munus diuisionis, & constitutionis nõ datur prioritas inter illas, sed sunt simul. Ex quibus infertur, quod cum prædicti modi sufficienter indicent intentum Aristotelis, indicare, s. simultatem, & passionum cum subiectis, & relatiuorum inter se, & differentiarum in vnoquoq; prædicamento, non debuisse alios simultatis modos recensere, quamuis plurimi extent.

Ex his fit prima Conclusio. Postprædicamentum prioritatis, & posterioritatis est sufficienter assignatum ab Aristotele in textu, quo ad illosquinq; modos. Probatur. Quia illud est conuenienter assignatum, quæ sufficit ad aliquod propositũ ostendendum non .n. sunt multiplicanda entia sine necessitate, ex Aristotele 1. Physicorum; sed modi prioris, & posterioris assignati sufficiunt ad propositum Aristotelis: ergo sunt conuenienter assignati. Minor probatur. Quia ideò Aristoteles subiunxit hoc postprædicamentum, vt melius innotescat ordo substantiæ ad cætera prędicamenta, & eorũ omnium, quę directè ponuntur in vnoquoque prædicamento, vt patet ex litera; sed hi quinq; modi contenti in hoc postprædicamento, sufficienter demonstrant talem ordinem: ergo, &c. Minor probatur, quia secundum Aristotelem 7. Meth. t. c. 4 substantia, ita ordinatur ad cætera prædicamenta, vt sit prior illis, tempore, natura, diffinitione, dignitate, & causalitate, insuper ea, quæ directè ponuntur in vnoquoq; prædicamẽto, sic se habent, quod superius est prius natura quocumq; inferiori; sed tales ordines sufficienter exprimuntur in his quinq; modis prioritatis, & posterioritatis, vt probatum est Not. 5. ergo postprædicamentum prioritatis, & posterioritatis in his quinque modis expressum est benè, & conuenienter assignatum ab Aristotele in textu.

Secunda Conclusio. Prioritas, & posterioritas naturæ, non tantum dicunt præsuppositionem vel postpositionem alterius ad alterum, sed innuunt aliqua signa naturæ, à parte rei, in quibus possit esse illud, quod dicitur prius, & non sit posterius. Ita Doctores citati, pro secunda opinione, contra primam. Probatur, 1. ex Aristotele 5. meth. t. c. 16. c. de Priori: Priora secundum naturam sunt quæcumq; contingunt esse sine alijs, & alia non sine his .i. quorum vni non repugnat esse sine alio, saltem quoad esse suum quiditatiuum: ergo quantum est de se prius potest esse sine posteriori, & sic esse in aliquo signo, in quo non est posterius. Confirmatur ex eodem 7. Meth. t. c. 3. & 4. Substantia est prior accidente, natura, tempore, & diffinitione, & per hoc probat Philosophus posse separari ab omni accidente: ergo secundum eumdem prius natura est in aliquo signo, in quo non est posterius, alioquin non posset intelligi hæc separabilitas. Secundo probatur ratione quãdocumque dantur à parte rei duo, quorum vni non repu-

pugnat esse in eodem, instanti temporis sine alio, necesse est ponere aliquod signum, seu instans naturæ in quo sit prius, & nō sit posterius; sed in eodem instanti temporis dantur subiectum, & eius passio, vt homo, & risibilitas, & tamen in aliquo priori non repugnat homini esse sine risibili, cum risibile non pertineat ad eius esse quiditatiuum; ergo necesse est ponere aliquod signum, seu instans mensurans hominem, in illo priori secundum esse quiditatiuum, in quo non mensuretur secundum esse risibilitatis. Maior patet. Quia instans temporis non est diuisibile, nisi in instantia naturæ. Minor probatur. Quia intellectus concipit in aliquo priori hominem secundumquod est animal rationale tantum, non concipiendo ipsum risibile: ergo in illo priori nulla est repugnantia, vt esse non possit absq; risibilitate, ac proindè cogimur ponere aliquod signum naturæ, in quo sit prius, & non sit posterius.

Tertia Conclusio. Controuersia ista inter Scotistas de prioritate naturæ, non est tantum de nomine, vt astruunt Mastrius, & Belluttus, sed reuera de realitatibus à parte rei existentibus. Probatur. Quia in tantum isti Magistri docent esse controuersiam de nomine, in quantum putant reperiri ordinē naturæ, qui dicat tantum præsuppositionē huius ab hoc; sed hoc est falsum; ergo, & id ex quo sequitur. Maior patet ex eorum dictis loco citato sub n. 31. §. Ex his facilè resolui potest controuersia illa superius insinuata, &c. Minor probatur. Quia si quis ordo reperiri possit, qui dicat tantum præsuppositionem huius ab hoc, maximè esset inter intellectum, & voluntatem, & inter intellectionem, & volitionem, ac inter sensū, & intellectum, in quibus non est ordo causalitatis, sed tantum præsuppositio effectus ad effectum ordinatum, vt docet Scotus in secundo d. 25. q. vn. sub lit. O. sed hoc non impedit; tum quia, & si inter illos non sit ordo causalitatis formalis, vt benè probat Doctor citatus, est tamen ordo causalitatis virtualis, & sine qua non: Tum etiam, quia concesso, nullum adesse ordinem causalitatis, tamen negari non potest, quin sensatio sit in aliquo priori naturæ, quàm sit intellectio, & hæc in alio priori naturæ, quam sit volitio: ergo his omnibus non obstantibus dantur signa in quibus, inter sensum, & intellectum, & inter sensationem, & intellectionem; similiter inter intellectum, & voluntatem, & inter intellectionem, & volitionem, & non tantum præsuppositio vnius ad alterum.

Quarta Conclusio. Postprædicamentum simultatis est benè, & conuenienter assignatum in illis tribus modis ennumeratis in textu. Probatur. Quia hoc postprædicamentum est positum, ad ostendendum, quem ordinem seruant inter se subiectum, & passio, relatiuum, & correlatiuum, & differentiæ laterales cum suis generibus, & speciebus, sed certum est subiectum, & passionem esse simul tempore, relatiuum, & correlatiuum, simul natura, & differentias simul diuisione, ac constitutione: ergo hi tres modi sufficiunt, ad hoc postprædicamentum constituendum. Minor, & etiam maior, sunt manifestæ ex dictis not. 6.

Obijcies primo contra primam conclusionem ex Doct. Subt. q. 43. in Prædicam. Modi prioris, & posterioris sunt multo plures, quam quinque ex Aristotele 5. Meth. c. de Priori, vbi assignantur priora secundum locum, cognitionem, & secundum motum, quæ in his non continentur: ergo postprædicamentum prioris, & posterioris per hos quinque modos, non est benè, & sufficienter assignatum.

Respondetur negando consequentiam, quia hic assignantur modi prioris, & posterioris, in quantum sunt passiones prædicamentorum, & eorum quæ in prædicamentis collocantur, & hi ad propositum ostendendum sufficiunt iam ennumerati, vt diximus not. 5. Cæterum 5. meth. cap. recensuit priora, & posteriora, vt sunt passiones entis, & ideò plura ennumerauit, quam quinque, & ab illis diuersa, iuxtà diuersitatem entiū, in quæ partitur ens.

Obijcies secundo, contra secundam conclusionem Si prioritas naturæ diceret esse in aliquo signo, in quo non sit posterioritas, & non sufficeret præsuppositio huius ab hoc sequeretur in eodem instanti temporis indiuisibili, posse dari contradictoria, sed hoc est impossibile, quia contradictoria non possunt esse simul ex Philosopho, primo Post. & 5. Meth. & in Postprædicamentis c. de oppositis: ergo &c. Sequela maioris probatur. Quia verū est dicere in primo signo naturæ est prius natura, & non est posterius,

rius, & ambo sunt in eodem instanti temporis: ergo in eodem instanti temporis sunt simul prius, & non prius, posterius, & non posterius, & sic contradictoria.

Respondetur concedendo sequelam maris cum sua probatione, quia ponendo eiusmodi signa naturæ in eodem instanti temporis, de necessitate infertur contradictio duorum, secundum esse naturæ, non tamen secundum esse durationis. Ad minorem dico esse inconueniens ponere simul in eodem instanti temporis duo contradictoria secundum esse durationis; non tamen secundum esse naturæ.

Contra quia sequeretur indiuisibile, esse diuisibile, quod est falsum. Probatur sequela, quia accipiatur id, quod est posterius natura, vel igitur coexistit toti instanti temporis, vel parti, si detur secundum: ergo indiuisibile habet partes, & sic fit diuisibile, quod est indiuisibile. Si verò dicatur primum: ergo cum etiam id, quod dicitur prius sibi coexistat, sequitur prius, & posterius esse simul, & sic prius non esse in aliquo signo, in quo non sit posterius.

Respondetur instans temporis esse indiuisibile, secundum esse durationis, diuisibile tamen secundum esse naturæ; nam sicut in eodem signo naturæ ponuntur plura signa origonis, vt patet de Patre, & Filio in diuinis, qui sunt simul natura, cum sint relatiua, sunt tamen in alio, & alio signo originis, quia Pater à se, & Filius à Patre accipit esse; ita pariter dicendum est in eodem signo, seu instanti temporis dari plura signa, siue instantia naturæ, in quorum vno sit prius, & non sit posterius, & ambo sint simul in eodem instanti temporis.

Contra, quia tunc sequeretur in eodem instanti temporis posse genus esse sine specie, & speciem sine indiuiduis, quæ sunt absurda valdè dissona. Probatur. Sequela maioris, quia superius est prius natura inferiori: ergo si prius natura dicit aliquod signum in quo non sit posterius, sequitur in illo priori esse genus, & non speciem, & similiter speciem, & non indiuiduum.

Respondetur Totum esse verum si ly esse sine, dicat ordinem naturæ, non tamen si dicat ordinem durationis; nec hoc est inconueniens, quia in vno instanti temporis fundantur plura instantia naturę, vt dictum est in præcedenti.

Obijcies tertio, Scotum in 2. d. 1. q. 2. sub A. & in 3. d. 3. q. 1. sub F. dicentem, priuationem non esse priorem natura forma, quia prius insit materiæ, quam forma sibi opposita, sed tantum quod prius sibi inesset, nisi impediretur à forma: ergo secundum ipsum prioritas non dicit aliquam mensuram in essendo, sed tantum in præsupponendo vnum ad aliud.

Respondetur ex Scot. ibid. quod ordo naturæ, quando est inter positiuum, & positiuum, sicut inter subiectum, & accidens, materiam, & formam, quod est prius natura, potest esse prius in essendo, sed quando est inter opposita priuatiuè, prioritas per comparationem ad tertium, non est, nisi quia hoc inesset, si aliud non impediret, vel est prioritas in intellectu, quia, s. Istud intelligitur prius, vt priuatum, quam sub forma.

Formaliter ad argumentum dico esse verum de prioritate priuatiua, non positiua, quia Doctor loquendo de ista, in 2. d. 1. q. 2. A. inquit, quod prius natura positiuè dicitur, quia ipsum inest alicui, & prior est entitas eius, quam illa, quæ dicitur posterius natura inesse illi, sicut de animali, & rationali in homine, de substantia, & accidente in composito per accidens, & de materia, & forma, respectu compositi per se. Hæc Scotus. Quæ mirabiliter comprobatur, & responsiones ad secundum, & secundam, & tertiam conclusionem.

Obijcies quarto contra quartam conclusionem. Prioritas, & simultas opponuntur, vt patet; sed prioritas dicitur pluribus modis, quam tribus: ergo, & simultas. Consequentia patet ex Philosopho 1. Top. quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis habet dici, & reliquum.

Respondetur, totum argumentum esse verum in se, quia reuera simultas dicitur tot modis, quot prioritas; tamen tantum tres fuerunt assignati, quia illi dumtaxat erant necessarij ad ostendendam simultatem temporis inter subiectum, & passionem; naturæ inter relatiuum, & correlatiuum, & diuisionis inter differentias, & species diuidentes genus.

Vtrum

Vtrum Postprædicamenta Motus, & habere sint conuenienter assignata in textu?

QVÆSTIO III.

QVid,& quotuplex sit motus, & habere dictum fuit sufficienter in Summulis tract. 1. sect. 5. cap. 4. & 5. & insuper ex superabundanti dicendum erit in tertio, & quinto Physicorum, idcircò prout ad presens attinet.

Primo notandum est ex Doctore Subtili in Prædicam. q. 44. Motum dupliciter sumi posse vno modo strictè, & sic diffinitur ab Aristot. 5. physic. t. c. 6. 7. & 9. per id quod fit de contrario in contrarium, & in tempore, & sic comprehendit sub se tantum quatuor species .s. augmentationem, diminutionem alterationem, & secundum loci mutationē, quia solum isti motus sunt continui, & successiui, & fiunt in tempore; Alio modo largè, prout comprehendit sub se, ne dum motus enumeratos, sed etiam mutationes instantaneas, .s. generationem, & corruptionem, quę non fiunt in tempore, sed accidunt in instanti eiusdem, & sic diffinitur ab Aristotele in tertio physicorum t. c. 6. per esse actum entis in potentia, vt in potentia, & sic accipitur hic, diuiditurque in sex species, seu significationes vnius vocis .s. in Generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionē, alterationem, & secundum locum mutationem, quorum sufficientia potest sic haberi: Omnis motus ex Aristotele tertio physicorum, vel est ad substantiam, vel quantitatem vel qualitatem, vel ad vbi: si ad substantiam, vel est motus, de non esse ad esse eiusdem, & sic est generatio, vel de esse ad non esse, & sic est corruptio. Si ad quantitatem, vel fit acquirendo maiorem extensionem, & sic est augmentatio, vel tendit ad minorem extensionem, & sic est diminutio. Si verò ad qualitatem, & sic est alteratio; si tamdem ad vbi, & sic est loci mutatio: cum igitur non inueniatur alius terminus, ad quem possit fieri motus, præter ennumerata prædicamenta, nec adsit alius modus terminandi motum vltra sex recensitos, sequitur motum largè sumptum esse sufficienter diuisum in illas sex species positas ab Aristotele hic in textu.

Secundo notandum, ex eodem ibidem respondendo ad vltimum principale, motum dupliciter considerari posse, vel ratione principij à quo habet esse, & sic cum originetur à materia, & forma, quæ sunt partes corporis naturalis, dicitur passio eiusdem, spectatque ad philosophiam naturalem, & non ad logicam. Vel potest considerari ratione termini, & sic cum terminetur ad quatuor prædicamenta, vt dictum est, & consideratio prædicamentorum, pertineat etiam ad logicum, sequitur motus tractationem spectare etiam ad logicam, & non tantum ad philosophiam.

Tertio notandum ex eodem ibidem in fine, quod cum esse in alio, inferat illud haberi ab illo in quo est, sequitur modos habendi aliud, posse multiplicari, sicut modi essendi in alio; ex quo deducitur, quod cum modi essendi in alio, ennumerati ab Aristotele in quarto physicor. t. c. 23. sint octo, & non necessariò reducantur ad hos octo modos habendi aliud, quorum meminit Philosophus hic in textu, modos habendi fore plures, quam octo ennumeratos; Cæterum hos tantum recensuit, & non omnes, quia isti sufficiunt ad ostendendum, quibus modis substantia dicatur habere, in se accidentia, tum absoluta, tum respectiua, & quomodo habitus, qui facit vltimum prædicamentum, distinguatur à substantia, quod est propositum ab eodem intentum, & ideò non debuit alios ennumerare, nè videretur multiplicare entia sine necessitate.

Ex his igitur fit prima Conclusio. Postprædicamentum motus in illis sex acceptionibus expressum, est conuenienter, & sufficienter positum ab Aristotele hic in textu. Probatur, quia omnis motus largè sumptus in ratione termini, vel est ad substantiam, vel quantitatem, vel qualitatem, vel ad vbi ex Aristotele 3. physicor. t. c. 4. Si terminatur ad substantiam, vel tendit de non esse simpliciter ad esse simpliciter, & sic est Generatio; vel de esse simpliciter ad non esse eiusdem; & sic est Corruptio: si autem terminatur ad quantitatem vel tendit ad acquisitione maioris quantitatis, & sic dicitur Augmentatio; vel ad deper-

ditionem præexistentis quantitatis,& sic est Diminutio. Si verò terminetur ad qualitatẽ transeundo de vna qualitate contraria in aliam contrariam, aut mediam, & sic est alteratio: Si tamdem tendit de vno loco ad alium locum,& sic dicitur loci mutatio,cum igitur non inueniatur alius terminus, nec alius mouendi modus, sequitur motum esse sufficienter diuisum in illas sex species, & consequenter hoc postprædicamentum esse sufficienter assignatum.

Secunda Conclusio. Postprædicamẽtum Habere,expressum in illis octo modis ennumeratis in textu, est conuenienter assignatum. Probatur, quia hoc postprædicamentum est assignatum ab Aristotele ad cognoscendum, quomodo substantia dicatur habere in se accidentia, & quorum modo Habitus constituat decimum prædicamentum à cæteris distinctum, sed hæc omnia ostenduntur sufficienter in illis octo modis: ergo hoc postprædicamentum est conuenienter assignatum. Maior patet. Minor probatur. Quia aut substantia habet in se quantitatem, aut qualitatem,& sic habetur primus, & secundus modus, aut dicit habitudinem ad ea, quæ circa primam substantiam insunt, vt sunt vestimenta partium;& totius corporis, & exprimitur tertius & quartus modus, aut prima substantia dicitur habere in se partes integrales, vt membra corporis, & sic indicatur sextus modus; aut dicitur habere in se aliam substantiam, sicut locus locatum,& sic datur septimus; aut denique habet in se substantiam quò ad dominium, sicut vir dominatur vxori,& sic habetur octauus cum igitur non inueniatur in prima substantia alius habendi modus, sequitur, quod habere sit sufficienter expressum in his octo modis.

Obijcies primo contra primam conclusionem tot sunt species motus, quot sunt species entis ex Aristotele tertio Physicorum,t. c.5.sed species entis sunt plures, quam sex,vt patet.Quia diuiditur in decem prędicamenta:ergo &c.

Respondetur ex Commentore Auerroe super cit.textu; maiorem esse veram de ente acquisibili per motum, & cum talia entia non sint omnia, sed tantum quatuor scilicet substantia, quantitas, qualitas,& vbi sequitur species motus multiplicari,ad multiplicationem horum entium:siquidem substantia viuens acquiritur per generationem, & mortua per corruptionem: similiter quantitas maior, per augmentationem, & minor per diminutionem;& qualitas per alterationem & vbi denique per loci mutationem, quæ constituunt sex species motus, & non possibiles, quia sex duntaxat sunt entia acquisibilia per motum,& propria acquisitione.

Obijcies secundo contra secundam conclusionem, id quod est in aliquo habetur ab ipso, sed plures sunt modi essendi in aliquo, vt dicit Aristoteles 4.Physicorum,t.c.23. qui tamen non recensentur in his modis habendi:ergo plures sunt modi habendi quam hic enumerentur ab Aristotele, ac proindè hoc postprædicamentum non est sufficienter assignatum.

Respondetur ex vlt. Notab. concedendo totum argumentum, & negando vltimam consequentiam,quia Aristoteles tantum recensuit modos habendi, qui erant necessarij ad perfectè cognoscendum, quomodo substantia dicatur habere cætera prædicamenta in se,& cum tales sint tantum octo, vt demonstrauimus,ideò tantum illi erant ennumerandi,& non omnes.

Obijcies tertio contra tertium modum habendi, qui constituit vltimum prædicamentum, quia si habitus haberetur: ergo per alium habitum,& iste per alium,& sic daretur processus in infinitum, quod est contra Aristotelem primo Posteriorum.

Respondetur ex Doct. Subtili hic in cap. Habere, quod habitus, vt est genus generalissimum non habetur sed est habitudo media inter habentem, & adiacentia corpori, quæ habentur per illum habitũ,& sic non sequitur haberi per alium habitum, & in infinitum,sed est ita ratio habendi,vt nullo modo habeatur per alium,sed seipso habetur. Et hæc,de Prædicamentorum libro,dicta sufficiant.

FINIS.

COM-



COMMENTARIA VNA CVM QVÆSTIONIBVS

Super Libris Aristotelis de Posteriori Resolutione ad mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti feliciter incipiunt.

De Inscriptione huius operis, ac de modo procedendi.

CAPVT VNICVM.

HI duo libri Aristotelis inscribuntur communiter; Analyticorum Posteriorum, idest de posteriori resolutione; siquidem Analysis verbum græcum, in latinum versum, resolutionem sonat, ad differentiam Librorum Priorum Analyticorum, qui de priori resolutione intitulantur. Cæterum cur hi, & illi Resolutorij appellentur, & quare hi posteriores, illi verò priores dicantur, non est vna Expositorum sententia; quandoquidem aliqui putant libros Priorum de priori resolutione nominari, quia in illis fit resolutio in formam syllogismi; hos verò de posteriori, quia fit resolutio in materiam eiusdem syllogismi. Et quia forma est prior perfectione materia, idcircò illos præcedere, hos verò sequi congruum putant.

Alij verò autumant hos, & illos agere de forma syllogistica, & in hoc conuenire; differre verò ab inuicem, quia in libris Priorum agitur de forma syllogistica in communi, seu generica; in his verò de eadem contracta ad peculiares Regulas, quibus concluditur necessariò ex præmissis necessarijs; Et quia genus est prius natura speciebus, ideò illos appellari de Priori Resolutione, hos verò de Posteriori.

Vtraque tamen expositio est bona , & nobis probatur , quidquid incontrarium dicat Ruuius in principio librorum Priorum , quandoquidem distinctio logicalis non attenditur ex parte formæ tantum , sed etiam ex parte materiæ , vt patet de syllogismo Topico , Demonstratiuo , & Falsigrapho , seu Sophystico , qui distinguuntur inter se , non tantum ex parte formæ, sed etiam ratione materiæ, quia Demonstratiuus ex necessarijs , Topicus ex probabilibus , & Sophysticus ex apparentibus procedit . Et confirmatur hæc ratio , quia vt inquit Aristoteles in principio Libri Elenchorum , aliqui Syllogismi peccant in forma tantum ; aliqui in materia tantum , & aliqui in materia , & forma simul ; quod non esset , si illorum distinctio attenderetur dumtaxat ex parte formæ .

Dicuntur autem omnes Resolutorij , vel quia conclusiones resoluuntur , Priorum , in formam tantum, & non in materiam; vel in formam genericam, & non in specificam : Posteriorum autem, vel in materiam necessariam, vel in formam specificam , ac materiam necessariam simul .

Quomodo autem fiat vtraque resolutio , an realiter , vel tantum per intellectum aduertendum est, duplicem esse resolutionem, scilicet physicam , & realem , cum nimirum totum compositum physicum reducitur ad illas partes, ex quibus fuit compositum, vt homo in animam, & corpus; Alteram logicam , & rationis secundum quam intellectus reducit conclusionem in præmissas, quibus probatur, vel secundum formam tantum , vel secundum materiam tantum, vel secundum materiam, & formam simul; vt cum quærimus, per quid demonstretur hæc conclusio, omnis homo est risibilis, & inuenimus probari per has duas præmissas, dispositas in primo modo primæ figuræ: omne animal rationale est risibile , & omnis homo est animal rationale: tunc fit resolutio eiusdem conclusionis, quæ dicitur prior : Cum verò intellectus considerat illas duas propositiones esse necessarias, quia in prima prædicatur passio de diffinitione subiecti, in secunda autem de subiecto diffinito , in secundo modo dicendi per se, dicitur posterior resolutio , quia intellectus iudicat illam conclusionem probari per suas causas necessarias. Hic non est sermo de priori resolutione , quia talis spectat ad Philosophum realem, sed tantum de logicali , seu rationali: Nec de resolutione, in formam tantum , quia hanc sufficienter examinauimus in Summulis tract. 3. sect. 1. per totam , sed de Resolutione Posterioristica , scilicet conclusionum in formam , & materiam necessariam simul , quia hæc dumtaxat specificat hos Libros , prout ab alijs distinguuntur .

Ordo autem seruandus erit conformis ei quem in alijs libris præscripsimus ; siquidem prius aliqualiter , & quoad facilius, ac breuius fieri poterit, textum Aristotelis explanabimus , deinde quæstiones super eodem emergentes , iuxtà Diuersorum Doctorum placita examinabimus , & tamdem mentem Doctoris Subtilis , vt nostrum est , diligenter aperiemus , & probabimus , quod vt consequi valeamus , adsit nobis sua Diuina gratia , ille qui illuminat homines in hunc venientes mundum . Amen .

(† †)

De

De Subiecto horum librorum.

QVÆSTIO PROEMIALIS.

MVltæ sunt opiniones inter se diuersæ circa constitutionem huius subiecti; siquidem cum in primo libro agatur principaliter de demonstratione, & in secundo de Diffinitione, aliqui putant vtramque debere esse subiectum sub vnitate modi sciendi demonstratiuè,& diffinitiuè.Ita Auerroes, Alexand. Apodisæus, & Theophrastus in Proemium huius operis, quos sequuntur nonnulli ex Modernis.

Alij considerantes diffinitionem subiecti, esse medium in Demonstratione, & consequenter demonstrationem,seu syllogismum demonstratiuum;esse principaliter consideratum in his libris,ac cætera propter ipsum, dicunt illum tantum esse hic subiectum. Ita D.Th.cum suis Thomistis, & Scotus cum Scotistis,ac Moderni ferè omnes.

Pro declaratione, ac fundamento huius posterioris sententiæ, primo notanda sunt omnia,quæ diximus de subiecto logicæ, & præsertim,quod subiectum alicuius scientiæ potest esse duplex, scilicet prædicationis, & attributionis. Hic est sermo de subiecto attributionis, & quæritur an sit syllogismus demonstratiuus, vel Diffinitio,vel ambo simul.

Secundo notandum ex Scot,q.3. Vniuersalium tres conditiones requiri ad hoc vt aliquid possit esse subiectum alicuius scientiæ.Prima quod habeat quid est, & quia est, idest diffinitionem, & existentiam in rerum natura,saltem in esse possibili. Secũda quod per ipsum quod quidem demonstrentur passiones de ipso;& tertia quod omnia considerata in scientia habeant attributionem ad ipsum aliquo ex prædictis modis, quos recensuimus in illa quæstione de subiecto totius logicæ.

Tertio notandum est syllogismum dupliciter considerari posse, vno modo in communi,antequam contrahatur,seu descendat in suas species. Alio modo in particulari,seu secundum esse contractum ad suas species. Priori modo attenditur præcisè secundum quod constat ex tribus terminis, & duabus propositionibus,dispositis in modo,& figura,siuè tales propositiones sint illatiuæ conclusionis necessariò, vel probabiliter vel apparenter, & sic est subiectum in libris priorum.Secũdo modo,præter modum,& figuram,attenditur,quatenus constat ex propositionibus,vel necessarijs, vel probabilibus, vel apparentibus, & sic consideratur secundum esse specificum, & contractum, vel ad necessitatem, vel ad probabilitatem, vel ad apparentiam. Hic est sermo de Demonstratiuo tantum, (siquidem syllogismus probabilis est subiectum in lib. Topic.& Sophysticus in libris Elenchorum)qui adhuc dupliciter consideratur ;s. pro prima, & pro secũda intentione. Syllogismus demõstratiuus primo modo sumptus est oratio cõstans ex tribus terminis,& duabus propositionibus necessarijs,cognita ab intellectu actu recto,vel reflexo.Secundo modo est cognitio cõparatiua,seu ipsa cõparatio passiua, qua illæ duæ propositiones dicuntur cognitæ;& cõparatæ in ordine ad tertiam,inquãtum sunt illatiuæ illius necessariò,& sic accipitur in proposito, dũ quæritur,an syllogismus demonstratiuus sit subiectũ in libris Posteriorũ Aristotelis.

Quarto notandum est diffinitionem subiecti esse medium in demonstratione potissima,vt inferius probabimus de mente Scoti, quod manifestè patet in hac demõstratione: omne animal rationale est risibile;sed omnis homo est animal rationale, in qua animal rationale,quod est diffinitio hominis,est medium concludendi de ipso risibilitatem;quarè inferendum est, quod cum diffinitio sit pars essentialis demonstrationis, ab ipsoquè inseparabilis, non possit vllo modo assignari pro subiecto horum librorum.

Ex his fit prima Conclusio. Diffinitio siue per se sumpta,siue simul cum Demõstratione,nequit esse subiectum huius scientiæ Posterioristicæ.Probat. prima pars,quia subiectũ debet habere quid est exArist.1.Post.c.1. sed diffinitio non habet quid est:ergo nequit esse subiectũ.Minor prob. tum quia si diffinitio haberet quid est: ergo diffinitionis esset diffinitio, & sic processus in infinitum, tum quia diffinitio constat ex genere,& differentia ex Arist.7. Meth.t.c.43.atqui diffinitio nõ habet genus,quia modus sciendi,sub quo recensetur diffinitio ab Auerroe, non est genus,quia est æquiuocum,vt probatum est in citata quæstione de subiecto totius logicæ : tum tandem quia diffinitio includit conceptum quid, & qualis, qui cum sint oppositi modi prædicandi, non possunt vni-

rem accidentibus,quia substantia dicit quid, & accidentia qualiter,seu quale;ex quo non licet inferre diffinitionem esse nobiliorem demonstratione,ex eo, quod diffinitio dicatur quid, seu sit modus dignoscendi quid, idest substantiam,quia non tantum substantiæ, sed etiam accidentia cognoscuntur per diffinitiones.

Vel dicendum secundo. Demonstrationem posse dupliciter considerari, vno modo in actu secundo,idest in quantum concludit passionem de subiecto; alio modo in actu primo, prout importat præmissas illatiuas conclusionis mediante diffinitione subiecti. Primo modo est ignobilior diffinitione, & sic non est subiectum. Secundo modo est nobilior,cum sit quoddam totum coalescens ex diffinitione,& diffinito pars eiusdem, & sic est subiectum.

Obijcies quarto. Nullum complexum potest esse subiectum in aliqua scientia, siquidem subiectum debet diffiniri, quod non competit complexo,sed syllogismus demonstratiuus est quoddam complexum, cum sit oratio constans ex tribus terminis, & duabus propositionibus ex Arist.primo Priorũ: ergo Syllogismus nequit esse subiectum.

Respondetur minorem cum sua probatione, esse veram de syllogismo demonstratiuo, seu demonstratione pro prima intentione, non pro secunda, quia sic est quoddam incomplexum, cum sit respectus rationis causatus ab intellectu, comparante præmissas ad conclusionem, & sic est subiectum in hac scientia Posterioristica, & hæc de hac quæstione proœmiali.

LIBRI I. POSTERIORVM ARISTOTELIS
Breuis Expositio Textus.

IN hoc primo libro acturus Aristoteles de Demonstratione, & eiusdem diuisione, duo facit de more. Primo præmittit aliqua necessaria ad essentiam Demonstrationis in primo c.quod est quasi proœmium libri dicens:Omnis doctrina, & omnis disciplina,&c.Secundo accedit in 2.cap.ad diffinitionem scientiæ,quæ est effectus demonstrationis dicens: Scire autem opinamur vnumquodque simpliciter,&c.

De Præcognitionibus, & Præcognitis ad demonstrationem requisitis.

CAPVT. I.

INtendens Aristoteles in hoc capite refellere duos errores Antiquorum circa scientiam,scilicet Academicorum, quorum Antesignani fuerunt Eraclitus,& Cratillus, & Platonicorum, quorum Auctor fuit Plato,qui vel absolutè negabant posse dari sciẽtiam,vt Academici,vel si illam admittebãt, dicebant tamen non esse nouam,sed antiquã vt potè congenitam in cuiuscumque generatione,duo facit. Primo demonstrat posse dari scientiam, & de nouo, & incipit ibi. Omnis doctrina,& omnis disciplina, &c. Secundo ennumerat præcognitiones, & præcognita, & incipit ibi. Dupliciter autem est necessarium præcognoscere,&c.

Quo ad primum, vt ostendat dari scientiam in rerum natura,& illam non esse antiquam,sed de nouo acquisitam,profert hanc propositionem vniuersalem dicens: Omnis doctrina,& omnis disciplina intellectiua ex præexistenti fit cognitione, quam probat tripliciter, & primo in Mathematicis facultatibus, quæ sunt scientiæ speculatiuæ in quibus cognitio conclusionis fit ex cognitione præmissarum,vt cognitio huius conclusionis, omnis numerus est par vel impar fit ex præexistenti cognitione harum præmissarum: omne diuisibile in partes æquales, & inæquales est par,vel in par,sed omnis numerus est diuisibilis in partes æquales, & inæquales;ergo omnis numerus est par, vel impar. Deinde probat illam in omnibus Artibus, tum mechanicis,tum liberalibus, & practicis, quia conclusiones illarum habentur ex præexistenti cognitione suorum principiorũ.

Secundo probat illam in scientijs Dialecticis, nimirum quod Syllogismus habeat tres terminos,& duas propositiones, cognoscitur ex præexistenti cognitione harum præmissarum:omnis oratio in qua quibusdam positis.

Ideſt diſpoſitis in modo, & figura, habet tres terminos, & duas propoſitiones, ſed omnis ſyllogiſmus eſt oratio in qua quibuſdam, &c. ergo omnis ſyllogiſmus habet tres terminos, & duas propoſitiones.

Tertio probat illam inductiuè, quia iſta omnis ignis eſt calidus habetur ex cognitione harum ſingularium: hic ignis eſt calidus, ille ignis, eſt calidus, ille ignis eſt calidus, & ſic de alijs; ergo omnis ignis eſt calidus.

Quarto probat illam in Rethoricis, concluſiones habentur ex præexiſtenti notitia antecedentis, vt accidit in Exemplo, & Enthimemate, in quibus cognitio conſequentis pẽdet à cognitione antecedentis: ergo omnis Doctrina, & omnis diſciplina intellectiua fit ex præexiſtenti cognitione.

Ex his refellitur primis error Academicorum, quia ſi cognitio concluſionis habetur ex præexiſtenti cognitione præmiſſarum: ergo datur ſcientia in omnibus doctrinis, tum ſpeculatiuis, tum practicis, quia ſcientia non eſt niſi notitia intellectiua concluſionis habita per diſcurſum ex præexiſtenti cognitione præmiſſarum.

Refellitur etiam ſecundus error Platonis, quia quod fit non eſt antiquum, ſed nouum, at omnis doctrina, & omnis diſciplina intellectiua fit ex præexiſtenti cognitione præmiſſarum: ergo talis doctrina, & diſciplina intellectiua non eſt antiqua, ſed de nouo acquiſita.

Quoad ſecundum principale, vt oſtendat quomodo cognitio concluſionis fiat ex præexiſtenti cognitione præmiſſarum, notat duas eſſe præcognitiones, & tria præcognita Præcognitiones ſunt quid eſt, & quia eſt, ideſt diffinitio, & exiſtentia ſubiecti, in rerum natura. Præcognita verò ſunt tria, ſ. dignitas, ſubiectum, & paſſio eiuſdem. Dignitates dicuntur præmiſſæ, vt omne animal rationale eſt riſibile, & omnis homo eſt animal rationale. Subiectum verò eſt minor extremitas, vt omnis homo: Paſſio autem eſt maior extremitas, vt riſibile, quod concluditur de homine in concluſione, nimirum: ergo omnis homo eſt riſibilis.

Vndè infert hæc tria debere præcognoſci ante concluſionem in demonſtratione ad hoc vt poſſit cognoſci concluſio, alioquin eiſdem ignoratis, neceſſe ignorari, & concluſionem, cum ex illis pendeat, & quo ad eſſe, & quo ad cognoſci: niſi .n. quis cognoſceret omne animal rationale eſſe riſibile, & hominem eſſe animal rationale, nec poſſet cognoſcere, hominem eſſe riſibilem, quæ eſt concluſio illata ex illis præmiſſis, in quibus continentur ſubiectum, & paſſio, quæ conſtituunt concluſionem.

Secundo infert huiuſmodi concluſionẽ ante demonſtrationem aliquo ſciri, & aliquo modo ignorari. Scitur quidem in vniuerſali, & confuſè, pro quanto virtualiter continetur in illis præmiſſis; ignoratur verò in particulari, & diſtinctè, quia nondum habet eſſe ſub propria forma concluſionis.

Ex his facili negotio poſſemus ſoluere argumentum Platonis, quo probabat non dari ſcientiam de nouo acquiſitam; ſed noſtrum ſcire eſſe quoddam reminiſci: Cæterum quia illud adducendum eſt cum prædicta opinione in propria quæſtione, propterea breuitati ſudentes, conſulto illud hic omittimus, & ad quæſtiones accedimus.

DISPVTATIO I.

Vtrum hæc Propoſitio: omnis doctrina, & omnis diſciplina ex præexiſtenti fit cognitione, ſit vniuerſaliter vera in omni cognitione intellectiua?

QVÆSTIO I.

Laborant valdè Interpretes Ariſtotelis in exponenda eius mente circa hanc propoſitionem; ſiquidem aliqui per doctrinam, & diſciplinam intelligunt omnem notitiam intellectiuam, ſiue complexam, ſiue incomplexam, quia omnis talis notitia fit ex præexiſtenti cognitione, ſaltem ſenſitiua. Ita Moderni quidam, quos ſine nomine referunt Toletus, Conimbric. & Ruuius.

Alij verò per doctrinam, & diſciplinam intelligunt omnem notitiam intellectua- com-

complexam, siuè mediatam, siue immediatam; siquidem talis habet fieri ex præexistenti cognitione, illa præmissarum, & hæc terminorum. Ita D. Thom. hic sequutus Thomistium, & Philoponum.

Alij denique restringunt doctrinam, & disciplinam ad notitiam complexam, & mediatam, cuiusmodi est notitia conclusionis, quia talis duntaxat fit ex præexistenti cognitione præmissarum: & fundant eorum sententiam in textu græco, vbi, loco illius verbi intellectiua, ponitur hoc verbum Dianoetica, quæ sonat discursum, vt innuat se loqui solum de omni doctrina, & disciplina discursiua, & sic excludit notitiam incomplexam, quæ fit ex præexistenti cognitione sensitiua, & complexam immediatam, quæ habetur ex intuitione terminorum. Ita Doctor. Subtilis hic quæst. 2. Apollinaris, Paulus Venetus, Ægidius de Roma, & alij.

Recentiores quidam apud Ruuium hic qu. 1. extendunt propositionem Aristotelis ad omnem cognitionem per modum iudicij habitam ab intellectu, & sic ad opinionem, & fidem humanam.

Alij verò, limites humanæ cognitionis exeuntes, putant huiusmodi propositionem verificari posse etiam de notitia Angelorum, quæ duo an habeant veritatem, vel ab eadem aberrent, examinabimus in conclusionibus, & notabilibus.

Pro intelligentia igitur harum opinionum, ac fundamento Scoticæ sententiæ, Primo notandum est per doctrinam, & disciplinam intelligi vnam, & eamdem notitiam actualem, quæ vt à Doctore procedit dicitur doctrina, & disciplina prout recipitur in discipulo. Huiusmodi autem notitia est duplex, scilicet sensitiua, & intellectiua, sensitiua pariter duplex interior nimirum, quæ habetur per sensus interiores, scilicet sensum communem, cogitatiuam, æstimatiuam, phantasiam, & memoriam, ac exterior, quæ per sensus exteriores gignitur, scilicet per visum auditum, gustum, olfactum, & tactum. Intellectiua etiam est duplex, scilicet incomplexa, cuiusmodi est notitia terminorum, & complexa, qua cognoscitur oratio, & propositio, seu aliud complexum; & hæc est duplex, scilicet mediata, & immediata, mediata est illa, quæ habetur de aliquo complexo media cognitione alterius complexi, vt cognitio conclusionis, quæ fit ex cognitione præmissarum; vel notitia consequentis, quæ habetur ex antecedenti in syllogismo imperfecto. Immediata verò est illa, quæ habetur ex intuitione terminorum, vt cognitio huius omne totum est maius sua parte; nam cognita ratione totius, & partis, statim intellectus iudicat totum esse maius sua parte. Cognitio immediata est notitia principiorum, quæ non habetur per aliam priorem propositionem, sed solum ex terminis, ex quibus constant. Mediata verò est notitia conclusionis, quæ habetur ex cognitione præmissarum, vel ex antecedenti, & hæc dicitur discursiua.

Secundo notandum est notitiam mediatam, seu discursiuam posse dupliciter haberi, vel per syllogismum perfectum, vel per imperfectum cuiusmodi sunt Enthimema exemplum, & inductio. Si habeatur priori modo dicitur notitia mediata strictè sumpta, quia ex præmissis dispositis in modo, & figura habetur euidentior notitia conclusionis; si verò secundo modo, appellatur notitia mediata largè sumpta, cum in ea non habeatur perfecta euidentia, nisi reducantur Syllogismi imperfecti ad perfectum, vt notauimus in summulis Tractat. tertio sect. prima. Hic tamen est sermo de vtraque notitia discursiua, & præsertim de posteriori, quia Aristoteles probauit suam propositionem inductione, enthimemate, & exemplo, quæ generant notitiam discursiuam imperfectam, seu largè sumptam.

Tertio notandum est, quod illa præpositio, ex, posita in conclusione Aristotelica: omnis doctrina, & omnis disciplina fit ex præexistēti cogoitione potest, quadupliciter accipi primo modo, vt dicit terminū à quo, seu priuationem alicuius, quo sensu dicimus diem fieri ex nocte. Secundo modo, vt dicit subiectum, seu materiam ex qua, & sic dicitur formam fieri ex materia, seu domum ex lapidibus, & cemento. Tertio modo, vt dicit formam, seu causam formalem, quo sensu homo dicitur fieri ex anima, vel album ex albedine. Quarto modo denique, vt notat causam efficientem, quo sensu filius dicitur fieri ex patre, seu ignis ex igne generante, & sic accipitur in propo-

posito dum dicimus notitiam conclusionis fieri ex præexistenti cognitione præmissarum, quia præmissæ dispositæ in modo, & figura, vel antecedens dispositum in syllogismo imperfecto pariunt effectiuè notitiam conclusionis.

Quarto notandum ex Scoto in Prologo 1. lib. sent. q. 4. ac alibi, discursum esse processum intellectus à prius natura, noto ad posterius natura notum, ita quod ad notitiam discursiuam, non requiritur ordo temporis, sed sufficit ordo naturæ scilicet, vt vnum obiectum præsupponat aliud, secũdum esse naturæ, quod explicatur per tres conditiones requisitas ad discursum, scilicet quod intellectus cognoscat hoc post hoc idest cõclusionem post cognitionem præmissarum: hoc per hoc, idest conclusionem per præmissas, & hoc sine hoc, idest vno actu feratur in præmissas, & altero actu in conclusionem: quod autem non requiratur ordo temporis, sed tantum naturæ habetur à Philosopho hic tom. 4. vbi dicit, cognita maiori, & minori prius natura, & simul tempore cognoscitur conclusio: Ex quibus infertur, quod cum Angeli cognoscant vnum obiectum, post aliud, vnum per aliud, idest conclusionem per præmissas, & post præmissas, & præmissas sine conclusione, diuersis actibus, & eodem tempore præmissas, vt illatiuas cõclusionis, possunt vtiq; discurrere, & per cõsequẽs etiã eorundem notitiam fieri ex præexistenti cognitione, sicut & hominis notitia, licet modo perspicaciori, ob perfectiorem vim intellectiuam.

Quinto notandum est fidem humanam, sicuti diuinam non haberi per rationem, sed inniti testimonio, & auctoritati dicentis; siquidem Sancti Patres loquendo de diuina inquiunt: Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum, quod & humanæ aptari potest. Ex quo infertur, quod cùm fides humana non habeatur ex præexistenti cognitione, sed solùm ex testimonio, & auctoritate dicentis, non contineri sub illa propositione vniuersali Aristotelis: omnis doctrina, & omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione.

Ex his fit prima Conclusio. Illa propositio Aristotelis, vt exposita fuit primo, & secundo. Notab. continet veritatem. Probatur primo rationibus Aristotelis in textu adductis. Secundo sic, quia præcognitum prius cognoscitur, sed conclusio cognoscitur per præmissas: ergo notitia conclusionis fit ex præexistenti cognitione præmissarum. Tertio sic sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci per Arist. 4. meth. t. c. 4. sed præmissę quo ad esse sunt causæ conclusionis: ergo etiam quoad cognitionem.

Secunda Conclusio. Prædicta propositio secundum mentem Aristotelis non intelligitur de notitia incomplexa, nec de complexa immediata, sed tantum de mediata complexa. Est Scoti contra primam, & secundã opinionem: Probatur quia mens Aristotelis in tali propositione fuit refellere errorem antiquorum negantium dari scientiam, & Platonicorum negantium pariter scientiam de nouo; sed notitia quæ dicitur scientia, est tantum cognitio mediata habita per discursum syllogisticum, vt patet ex eodem Philosopho hic cap. 2. t. c. 5. ergo prædicta propositio intelligitur tantum de notitia mediata complexa. Maior est nota cuilibet inspicienti textum.

Tertia Conclusio. Secundum mentem Aristotelis huiusmodi propositio nequit extendi ad opinionem, vel fidem humanam. Probatur eodem modo, quia fides, & opinio non sunt generatiuæ scientiæ; sed per talem propositionẽ Aristoteles intendebat astruere dari scientiam, & de nouo acquisitã: ergo eius propositio non potest extendi ad opinionem, & fidem humanam.

Quarta Conclusio. Talis propositio tamen potest extẽdi ad notitiam complexam, & mediatam Angelorum. Est Scoti in Prologo 1. sent. q. 4. & in 2. sent. De loquutione Angelorum, ac quorundam modernorum, quos sine nomine citat, & nititur refellere Ruuius hic q. 1. n. 8. & 9. Probatur quia Angelus habet, veram scientiam per causam, vt nimirum, quod homo sit risibilis, quia est rationalis; sed talis est notitia complexa mediata: ergo propositio Aristotelis extenditur ad notitiam complexam mediatam Angelorum. Secundo Angeli habẽt notitiam discursiuam, saltem per enthimema, dum cognoscunt vnum obiectum ex alio, post aliud, & vnum sine alio, vt notauimus quarto, sed huiusmodi notitia cadit sub illa propositione Aristotelis ergo, &c. Minor patet ex Aristotele in textu, vbi probat suam propositionem instrumentis, seu medijs Rhetoricis scilicet enthimemate & exemplo.

Obij-

Objicies tamen contra primam conclusionem, quia si omnis doctrina, & omnis disciplina fieret ex praexistenti cognitione, vel talis esset sensitiua, vel intellectiua; sed neutrum est dicendum: ergo, &c. Maior patet, quia non datur alia. Minor probatur, & primo de sensitiua, quia multa cognoscuntur, quae non cadunt sub sensu, vt sunt Deus, Angeli, virtutes supernaturales, & huiusmodi; sed talis non fieret ex praexistenti cognitione sẽsitiua ergo &c. Nec intellectiua, quia tunc daretur processus in infinitum in cognitionibus intellectiuis, cum non sit maior ratio de vna, quam de alia, ergo danda est aliqua notitia, quae non sit ex praexistenti cognitione intellectiua.

Respondetur negando minorem quo ad secundam partem: Ad probationem nego consequentiam, quia datur Status in cognitione immediata praemissarum, & in complexa immediata ex cognitione terminorũ, & sic non esset processus in infinitum in cognitionibus intellectiuis.

Contra quia cognitio sensitiua nõ fit mediante alia cognitione sensitiua: ergo nec intellectiua. Antecedens probatur, quia tunc daretur processus in infinitum in cognitionibus sensitiuis, quod non est dicendum. Consequentia probatur, quod est perfectionis in potentia inferiori, non est denegandũ potentiae superiori; sed perfectioris est in sensu non habere cognitionem mediãte alia: ergo talis perfectio non est denegando intellectui, qui est potentia superior, & perfectior sensu.

Respondetur notitiam sensitiuam interiorem praesupponere notitiam sensitiuam exteriorem in qua datur status, quia sensus externi immediatè intuentur obiecta, & ex illis hauriunt cognitionem possibilem: sic etiam intellectiua mediata praesupponit cõplexam immediatam, & haec incomplexam in qua datur status; nec istud debet arguere perfectionem in sensu, & imperfectionem in intellectu, quia talis ordo prouenit in vtrisque ex natura potentiarum, vt inquit Philosophus, vel ex peccato originali, vt placet D. Augustino lib. 15. de Trin. cap. 27.

Objicies secundo contra quartam conclusionem: Iudicium intellectus fieri ex pre existenti cognitione dicit distinctione cognitionum; sed Angeli non cognoscunt effectum, & causam distinctis cognitionibus: ergo cognitio Angelica non fit ex praexistenti cognitione. Minor patet, quia non discurrunt.

Respondetur Negando minorem, & probationem simul, quia Angeli discurrunt, in cognitione acquisita saltem, siquidem cognoscunt effectum post causam, & per causam, & causam siue effectu, quae sufficiunt ad discursum, vt dictum est.

Objicies tertio contra tertiam conclusionem. Fides humana, & opinio innituntur praexistenti cognitioni: ergo fiunt ex praexistente cognitione. Antecedens patet de fide humana, quia credo hoc esse verum, cũ sciam hominem mihi dicentem esse fide dignum: ergo, &c. Probatur etiam de opinione, quia ideò astruitur dari indiuisibile in cõtinuo, quia corpus perfectè sphericum nequit tangere in plano, sed tantum in puncto: ergo vtraque fit ex praexistenti cognitione.

Respondetur concedendo totum discursum, sed nego consequentiam, nimirum tales cognitiones cadere sub illa propositione Aristotelis, quia cum ipse intenderit per illam probare dari scientiam, nõ debuit illam extendere ad cognitiones non scientiales, cuiusmodi sunt fides, & opinio.

Vtrum Praecognitiones, & Praecognita sint benè assignata ab Aristotele in textu?

QVAESTIO II.

OMnes Expositores concedunt praecognitiones esse tantum duas, scilicet quid est, & quia est, & tria praecognita, nimirum dignitates, subiectum, & passionem: caeterum in explicando mentem Aristotelis disconueniunt; siquidem aliqui volunt de subiecto non praecognosci quid rei, sed tantum quid nominis, ex eo quod Aristoteles non fecerit mentionem de illo, sed tantum de isto. Insuper de subiecto praesupponendam esse actualem existentiam, nec sufficere possibilem, siuè in causa secunda siue in prima causa. Ita Toletus, hic q. vn. vbi citat Caiet. & alios.

Alij verò defendunt de subiecto praesupponendum quid rei, & quia est, non actuale, sed sufficere existentiam secundum esse possibile, vel saltem, quod non dicat repugnantiam ad esse in rerum natura. Ita Doctor.

ctor. subt. quæst. 3. Vniuers. & hic quæst. 4. & 7. §. Ad quæstionem.

Litigant etiam Doctores, quid nomine dignitatum intellexerit Aristoteles; siquidē Toletus in expositione tex. 7. inquit quod per dignitates intellexit Philosophus principia communissima metaphisica. f. De quolibet verum est dicere, quod est, vel non est; Et non contingit idem esse, vel non esse:

Cæterum oppositum tuentur ferè omnes Aristotelis Interpretes, asserentes per dignitates intelligi debere, & principia illa, & etiam præmissas formaliter ingredientes demonstrationem. Ita Tataret. hic quæst. 1. art. 2. Dub. 1. Conimbric. quæst. 2. Aretirus lect. 2. punct. 3. & supponitur à Scoto hic quæst. 5. & 8. vbi dicit præmissas ingredientes demonstrationem, esse actu applicatas conclusioni, quod non esset verum, si tantum ingrederentur virtualiter, vt faciunt prima principia.

Pro intelligentia igitur huius tam multiplicis difficultatis, ac fundamento nostræ sententiæ. Primo notandum præcognitionem posse dupliciter accipi: Vno modo largè pro omni eo, quod necessariò requiritur ad formationem cuiuslibet syllogismi, & ad illationem cuiuscunque conclusionis, & sic non capitur in proposito, quia alioquin etiam modus, figura, probabilitas, vel necessitas, aut apparentia propositionis, quæ debet ingredi syllogismum ad inferendam conclusionem, posset dici præcognitio. Alio modo strictè pro omni eo, videlicet, quod debet necessario præcognosci, adhoc vt syllogismus demonstratiuus sit illatiuus conclusionis necessariò scientificæ, & sic præcognitio accipitur ab Aristotele dum dicit: Dupliciter autem necesse est præcognoscere, scilicet, quid est, idest quiditatē, seù diffinitionem, & quia est, seù an est hoc est existentiam in rerum natura, quia quod nō est, causare non potest notitiam conclusionis.

Secundo notandum est præcognita similiter dupliciter accipi posse, scilicet largè, & strictè. Primo modo sumuntur pro omnibus illis, de quibus aliqua debent necessariò præcognosci siue talia sint necessariò requisita ad syllogismum demonstratiuum, siuè dialecticum, siuè sophysticum. Secundo modo pro illis de quibus debent aliqua præcognosci, tamquam necessaria ad inferendam conclusionem syllogismi demonstratiui, & sic accipiuntur in proposito, dignitas, seù præmissæ, subiectum idest diffinitum, & passio idest prædicatum conclusionis, vel sub alijs terminis, maior, & minor extremitas,

Tertio notandum est, quod dignitates ingredientes demonstrationem sunt in duplici differentia, quædā n. dicūtur virtuales, quædam verò formales. Virtuales sunt duæ scilicet de quolibet verum est dicere, quod est, vel non est; & non contingit idem inesse, & non inesse, quæ dicūtur etiam prima principia metaphysicalia. Formales verò sunt duæ præmissæ, ex quibus formatur syllogismus demonstratiuus, vt istæ: omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale, ex quibus infertur hæc conclusio: ergo omnis homo est risibilis. Ambæ dignitates ingrediuntur quamlibet demonstrationem, sed diuersimodè, quia duæ priores ingrediuntur virtualiter, duæ verò posteriores formaliter, cum ex illis, reuera formetur demonstratio. Illæ duę priores dicuntur ingredi virtualiter, quia illis innituntur duæ posteriores, vt patet in hoc exemplo: omne animal rationale est risibile: si quis enim illam negaret, posset probari per illam dignitatem virtualem sic: De quolibet verum est dicere, quod est, vel non est, sed de animali rationali non est dicendum, quod non sit risibile, cum experientia constet animal rationale ridere, & generaliter habere aptitudinem ad ridendum: ergo verum est: omne animal rationale esse risibile: Hæc autem cōsequētia tenet virtute alterius dignitatis virtualis, scilicet non contingit idem inesse, & non inesse, sed vt probatum est, non est dicendum animal rationale non esse, non risibile: ergo necessariò debet esse risibile, quia non contingit idem inesse, & non inesse. Aristoteles dū dicit ante demonstrationem esse præcognoscendas dignitates, loquitur de vtrisque, sed illas virtualiter, has verò formaliter eo modo, quo demonstrationem ingrediuntur.

Quarto notandum est quod quid est, esse duplex scilicet quid nominis, & quid rei: Primum est diffinitio, seu interpretatio nominis, vt Philosophus dicitur amator sapientiæ. Secundum est diffinitio rei, vt animal rationale respectu hominis. Philosophus non est locutus de alterutro singillatim.

tim, sed de vtroque simul; vel vt melius dicam, de quid est communi vtrique, quia de aliquo præcognito vtrumque debet præcognosci, de aliquo vero alterum tantum, scilicet vel quid nominis, vel quid rei. Similiter quod est, seu quia est, duplex esse sciendum est, scilicet actuale, quia est existentia rei extra suas causas, vt existentia ranæ, extra virtutem Solis, & luti, & possibile, quod est duplex æternum nimirum, & temporale. Prius est existentia rei in mente diuina, idest antequam crearetur: Posterius vero est esse, quod habet res in sua causa secunda, seu creata vt esse rosæ, quod habet in radice hyemis tempore; quod pro tanto dicitur temporale, quia quamquam abstrahat à tempore præsenti, non tamen abstrahere potest à futuro, siquidem veris tempore erit verum dicere, rosa est, seu existit, An autem Philosophus intellexerit de omnibus, vel tantum de possibili, dicendum est in conclusionibus.

Quinto notandum est ex Scoto hic quæst. 5. ad primum argumentum principale dignitates posse dupliciter accipi, vno modo secundum esse complexum, prout important formaliter tres terminos, & duas propositiones, dispositas in modo, & figura, qua ratione dicuntur syllogismus pro prima intentione. Alio modo secundum esse incomplexum importatum per præmissas sic dispositas, & comparatas ad conclusionem, quod est syllogismus pro secunda intentione; Si accipiantur priori modo non habent quid nec rei, nec nominis, quia diffinitio est tantum rei incomplexæ, sed tantum habent quia est, scilicet veritatem secundum quam verificant conclusionem; si verò sumantur posteriori modo sic diffiniuntur vt patet de syllogismo pro secunda intentione; ceterum sic consideratæ non sunt dignitates, nec illatiuæ conclusionis, sed potius appellantur subiectum conclusionis, quia tunc de illis habetur scientia, vt diximus in quæstione de subiecto totius logicæ; ex quo patet quod in demonstratione de dignitatibus nō præcognoscitur quid est, vel nominis, vel rei, sed tantum quia est, hoc est earum veritas ad inferendam conclusionem veram, & necessariam.

Ex his sit prima conclusio. Præcognitiones ante demōstrationem sunt tantum duę, & solum tria præcognita. Est Aristotelis c. 1. t. c. 2. Probatur prima pars quid est, & quia est sufficiunt ad hoc, vt præcognita inferant conclusionem per demonstrationem: ergo non sunt aliæ multiplicandæ. Antecedens probatur, quia præcognita sunt dignitates, subiectum, & passio, sed de dignitatibus precognoscitur, quia est, de passione quid est nominis, & de subiecto quid est rei, & quia est: ergo sufficiunt tantum duæ precognitiones. Antecedens probabitur in sequentibus conclusionibus. Consequentia patet quia de dignitatibus sufficit scire, quod sint veræ, cum demonstratio procedat ex veris, sed huiusmodi veritas dicitur quia est illarum: ergo &c. De subiecto verò quid est, & quia est, quia quid est præsupponit, quia est, & quid est, subiecti est medium in demonstratione igitur, &c. De passione pariter sufficit scire quid nominis, quia per ignotum nihil scitur: ergo sufficiunt hæ duę præcognitiones ad inferendam conclusionem. Secunda pars probatur, quia illa sunt præcognita, de quibus aliqua debent necessario præcognosci, sed hæc sunt tantum tria, scilicet dignitas, subiectum, & passio: ergo &c. Maior patet ex secundo notabili. Minor probatur, quia ad habendam perfectam cognitionem alicuius rei, sufficit eius principia cognoscere ex Aristotele hic cap. 1. & primo physicorum tex. com. 1. sed talia sunt tria, scilicet duæ premissæ, & duo extrema conclusionis, scilicet subiectum, & prædicatum, quod est eius passio: ergo hæc tria sufficiunt.

Secunda conclusio. De dignitatibus, siuè virtualiter, siue formaliter ingredientibus demonstratione precognoscitur solum quia est, & non quid est, siuè nominis, siue rei. Est Scoti hic quæst. 5. §. Ad quæstionem dico. Probatur prima pars quia dignitates pariunt notitiam conclusionis ex Aristotele hic cap. primo, sed per ignotum nihil cognoscitur, ex eodem in hoc primo libro Posteriorum, & ex diffinitione demonstrationis: ergo &c. Secunda pars probatur, quia principia demonstrationis debent esse vera ex Aristotele hic cap. 2. sed eorum veritas est quia est ipsorum: ergo de illis præcognoscitur, quia est. Tertia pars probatur, quia nullum complexum habet vnum quid est, sed plura, & consequēter non diffinitur; sed dignitates sunt complexæ, quia sunt propositiones: ergo &c. Maior est Aristotelis septi-

mo

mo metaph. vbi dicit, quod aggregatum ex pluribus, vt homo albus non diffinitur; sed dignitas, & complexum dicit maiorem aggregationem, quã sit homo albus, ergo &c. Quarta pars probatur, quia complexum cõplectitur plura nomina, & non vnum tantum ergo nequit habere diffinitionem quid nominis.

Tertia conclusio. De passione non præcognoscitur quid est rei, nec quia est, sed tantum quid nominis. Est Scoti hic qu. 6. Probatur quia quid rei præsupponit, quia est; sed de passione non præsupponitur, quia est in demonstratiõne, cum in conclusione per demonstrationem cõcludatur: ergo nec quid est rei. Maior patet quia non entis non est diffinitio, nec quid: ergo quod habet quid est debet prehabere quia est idest existẽtiã in rerum natura, vel actualem, vel possibilem. Secundo sic, quod non ponitur in genere, nisi reductiuè, non habet proprium quid rei: sed passio ponitur in genere tantum reductiuè, hoc est ratione subiecti, cui identificatur realiter: ergo &c. Maior patet, quia diffinitio constat ex genere, & differentia: ergo quod tantum ponitur reductiuè cum carent genere, caret quoque diffinitione, & quid. Secunda pars probatur, quia de passione debet haberi aliqualis cognitio ante conclusionem ex Aristotele hic cap. primo. Sed talis nequit esse, quid rei, nec quia est, vt extat probatum: ergo erit, quid nominis.

Quarta Conclusio. De subiecto præcognoscitur quid est rei, & quia est. Est Scoti hic quæst. 7. Probatur, quia quid est subiecti est medium demonstrandi passionem de subiecto in conclusione: ergo ante conclusionem præcognoscendum est de ipso quid rei simpliciter. Antecedens patet, quia medium est causa conclusionis; sed per quid rei causatur principaliter inherentiа prædicati cum subiecto, in qua consistit conclusio: ergo &c. Confirmatur, quia eo modo debet præcognosci de subiecto in demonstratione, quomodo ponitur in ea: sed ponitur in ea secundum quid rei: ergo Quid rei de quo præsupponendum est. Secunda pars probatur quia non entis non est diffinitio, neque quid est rei, sed de subiecto præcognoscitur quid rei: ergo est ens, & consequenter habet quia est.

Quinta Conclusio. De subiecto non est præsupponendum quia est actuale, sed sufficit illud in esse possibili, vel non repugnantia ad esse in rerum natura. Est Scoti hic qu. 7. Probatur, quia illud esse est præsupponendum de subiectum, per quod diffinitur, & scitur, sed subiectum non diffinitur, aut scitur secundum esse actualis existentiæ, cum tale sit corruptibile: ergo secundum esse possibile, vel cognitum in mente diuina. Maior patet, quia quid rei sequitur quia est, & scientia supponit vtrumque, ex Aristotele hic cap. primo, & secundo. Minor similiter, quia diffinitio, & scientiam est æternorum, & impossibilium aliter se habere; sed res secundum esse actualis existentiæ, non sunt æternæ, & possunt aliter se habere, vt experientia constat: ergo de subiecto non est præsupponendum quia est actuale, sed sufficit, esse possibile, vel non repugnans.

Objicitur tamen contra primam conclusionem, quia tot sunt præcognitiones, quot sunt quæstiones; sed hæc sunt quatuor, ex Aristotele secundo post. cap. 1: ergo, & præcognitiones erunt quatuor. Maior probatur, quia quæstio vnum quærit, & aliud supponit sed quod supponitur est præcognitio, quia primo cognoscitur: ergo tot debent esse præcognitiones, quot sunt quæstiones.

Respondetur Quæstiones sumi dupliciter scilicet in genere, & hæ sunt tantum duæ, s. quia est, & quidẽ est, & in specie, & sic sunt quatuor, quia illis adiungitur si est, quod tamen reducitur ad quia est; & propter quidẽ, quod reducitur ad quid est. His quæstionibus respondent etiam præcognitiones, vel in genere, vel in specie, sed hæc in specie reducuntur ad illas in genere, vt dictum est de quæstionibus.

Formaliter igitur ad argumentum concedo maiorem pariformiter, scilicet vel in genere, vel in specie, modo Aristoteles loquendo de præcognitionibus in hoc primo capite enumerauit illas tantum in genere, & quæstiones in secundo. Post in specie, & sic non contradicit sibipsi hic, & ibi.

Objicitur secundo contra eamdem de præcognitis, quia medium demonstrationis debet esse præcognitum ante conclusionem: Ergo quatuor erunt præcognita, & non tantum tria. Antecedens probatur, quia in tantum dignitas, subiectum, & passio sunt præcognita, inquantum ingrediun-

tur

tur demonstrationem: ergo cum etiam medium ingrediatur demonstrationem, ipsum erit vnum ex præcognitis.

Respondetur. Aliquod esse præcognitum potest dupliciter intelligi, scilicet vt quod, & vt de quo aliquid præcognoscitur; primo modo medium dicitur præcognitum cum sit diffinitio subiecti, non tamen secundo modo, quia nihil de ipso præcognoscitur, nec quid est, nec quia est, alioquin daretur processus in infinitum in præcognitis.

Formaliter ad argumentum respondetur antecedens esse verum vt quod, non tamen de præcognito, vt de quo, quia sic sunt tantum tria, scilicet dignitas, subiectum, & passio.

Obijcitur tertio contra secundam conclusionem, quia si de dignitatibus formaliter præcognosceretur, quia est ante demonstrationem sequeretur conclusionem, & scientiam haberi posse ante demonstrationem; sed hoc est falsum, quia sunt effectus demonstrationis. Ergo, & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quia secundum Philosophum hic tom. 3. Maiore, & minore simul cognitis, in eodem instanti cognoscitur conclusio; sed per te maior, & minor debent præcognosci ante demonstrationem: ergo & conclusio.

Respondetur. Negando sequelam maioris, ad probationem, dico illam maiorem esse veram, si cognoscantur simul, non tamen si seorsim, idest maior secundum se, & minor etiam per se, idest inquantum continent veritatem, & non inquantum sunt dispositæ, in modo & figura, ad inferendam conclusionem. Modò nos dicimus præcognoscendas esse dignitates ante demonstrationem secundo, non primo modo, & sic non sequitur cognitio conclusionis, & scientiæ antecedens demonstrationem. Ad probationem ex Aristotile dico loqui de cognitione maioris, & minoris simul, vt sunt dispositæ in modo, & figura, quia vt sic sunt ipsa demonstratio cognita.

Obijcitur quatuor contra tertiam conclusionem. De non ente nihil potest præcognosci, sed passio est huiusmodi: ergo &c. Maior patet, quia quod non est, nequit sciri: ergo neque præsciri, sed illud de quo aliquid præcognoscitur præscitur: ergo debet esse ens. Minor probatur, quia passio secundum se non est ens distinctum à subiecto: ergo secundum se est non ens, & sic si de illa aliquid præsupponitur, debet esse, vt est eadem cum subiecto, & non vt ab illo distincta.

Respondetur. Negando minorem, ad probationem dico passione non esse verum ens distinctum ab esse subiecti, & ideò de illa nequit præcognosci, quia est, distinctum à subiecto; cum autem aliquo modo distinguatur, scilicet formaliter ab eo, benè potest de illa præcognosci quid importetur per nomen, licet non quid rei, cum non sit res distincta ab illo.

Obijcitur quinto contra octauam conclusionem. Quod quæritur, non præsupponitur, sed de subiecto quæritur quid rei: ergo de illo non præsupponitur quid rei: Maior patet aliter idem sciretur, & nō sciretur; quia quod præsupponitur scitur, & quod quæritur nescitur. Minor est Aristotelis secundo post cap. 1. vbi inter quæstione sex numerat etiam, quid est subiecti.

Respondetur. Maiorem esse veram in eodem processu, scilicet inquisitiuo, vel demonstratiuo; modo in processu demonstratiuo, de subiecto præsupponitur quid est, cum sit medium demonstrationis; in processu verò inquisitiuo quæritur de subiecto ân habeat quid rei, & sic non præsupponitur. Aristoteles cum dixit hic de subiecto præsupponi quid est subiecti, locutus est de processu demonstratiuo, dum verò subiunxit in secundo post illud esse quærendum de subiecto; intelligendus est in processu inquisitiuo, & sic non inconueniet de eodem aliquid esse quærendum, & præsupponendum in alio, & alio processu, vt dictum est.

Obijcitur sexto, contra quintam conclusionem, Ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa; sed hoc esse, vel non esse, nequit esse possibile, sed tantum actuale: ergo de subiecto, si presupponitur quia est, debet esse actuale, & non sufficit possibile. Maior est Aristotelis in prædicamentis cap. de substantia. Minor est nota ex eodem. Secundo post. 2. 8. vbi habet hæc verba: quærere autem quod est, non habentis quia est, nihil est quærere, idest non est quærenda diffinitio, vbi non est existentia actualis; sed de subiecto secundum, ipsum quæritur diffinitio actualis; ergo, & existentia actualis.

Re-

Respondetur. Negando minorem, quia ad verificandam propositionem, sufficit esse possibile, vel aptitudinale subiecti, vt patet de hac, homo est animal, quæ est semper vera, etiamsi nullus existeret homo. Ad probationem, dico Aristotelem non esse locutum de existentia actuali, sed tantum de possibili, quia nec subiectum diffinitur secundum esse actuale, sed secundum esse possibile, & quiditatiuum tantum.

Obijcies septimo, iterum contra quartam conclusionem, sufficit de subiecto præcognoscere quid nominis: ergo superfluit quid rei. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia ad demonstrandum effectum per causam, non requiritur præcognoscere quid sit causas, & effectus, sed solum effectum procedere à causa; atqui hoc est quid nominis causæ, & effectus: ergo &c. Maior probatur, quia Astrologi demonstrant eclypsim de Luna, per suam causam, ignorantes diffinitionem Lunæ, & cælorum. Similiter Mathematici multa demonstrant de figuris, & numeris, ignorantes eorum diffinitiones: ergo non est necesse præcognoscere de subiecto quid rei, sed sufficit quid nominis.

Respondetur. Negando antecedens, quia cùm diffinitio subiecti sit medium in demonstratione, fieri nequit, vt aliqua demonstrentur absque diffinitione. Verum quia demonstratio est duplex, scilicet propter quid, & quia, non erit semper idem medium, sed interdum est diffinitio subiecti, & interdum passionis; interdum quiditatiua, & interdum descriptiua, cum his tamen stat, vt semper sit diffinitio subiecti conclusionis, qualecumque sit illud, quare negandum est Astrologos, & alios Mathematicos potuisse demonstrare quidpiam de aliquo, ignorantes illius quid rei, sed de his fusiùs in sequenti capite.

Vtrum Præmissis simul cognitis, necesse sit simul natura, vel tempore cognoscere conclusionem?

QVÆSTIO III.

Loquendo de simultate temporis non defuere, qui dixerint assensum præmissarum necessariò debere præcedere conclusionis assensum.

Cæterùm communis opinio sustinet simul tempore intellectum assentiri præmissis, & conclusioni. Ita Doctor Subtilis hic quæst. 8. & 9. quem sequuntur omnes eius Discipuli, & D. Thomas cum suis.

At si sermo sit de simultate naturæ distinguunt Doctores, quia possunt præmissæ considerari, vel in ratione causæ formaliter, & conclusio in ratione effectus, & sic cum sint relatiua, sunt simul natura: Vel possunt considerari in ratione causæ, & effectus fūdamentaliter, & sic assensus præmissarū præcedit natura assensum conclusionis. Ita communiter Doctores cum Doctore Subtili hic q. 8. & 9.

Verùm circa necessitatem huius cognitionis extat controuersia inter Modernos, siquidem Ruuius hic quæst. 8. & alij relati à Mastrio, & Belluto quæst. 5. num. 31. dicunt intellectum non necessitari ad assensum conclusionis, etiam habito assensu permissarum, cum virtute, voluntatis possit ad alia obiecta diuerti, quo casu intellectus intelligeret præmissas, & non conclusionem.

Oppositum tamen defenditur à Scoto loco citato, Mastrio, & Belluto, & ab alijs ab ipso recensitis, nimirum intellectum cogi ab assensu præmissarum applicatarum ad conclusionem, ad eiusdem cognitionem, nec vllo modo impediri posse à voluntate, quin eliciat assensum circa conclusionem, supposita elicitione assensus circa præmissas, sic applicatas, & dispositas in modo, & figura; Vnde pro intelligentia harum opinionum, & fundamento sententiæ nostræ, quam infra aperiemus.

Primo. Notandum est ex Doct. Subtili primo Post. quæst. 8. Præmissas posse dupliciter considerari, vno modo seiunctim prout sunt quædam propositiones, seu enunciationes, veritatem de per se præseferentes absque habitudine ad conclusionem; alio modo coniunctim, prout sunt dispositæ in modo, & figura, ac ad conclusionem inferendam applicatæ. Priori modo, ne dùm prius prioritate naturæ. Sed etiam temporis cognoscuntur ab intellectu, quam conclusio, siquidem, vt sic nullum habent ordinem ad conclusionem; at secundo modo simul tempore cognoscuntur cum conclusione, quia vt sic dicunt vnam, eandemque habitudinem, secundum quam illæ dicuntur causæ, & conclusio effectus earum: & quia cogni-

cognitio conclusionis dependet à cognitione præmissarum; vt inquit Aristotele hic propterea dicendum est assensum, seu cognitioné intellectus prius natura terminari ad premissas, & posterius natura ad cõclusioné cum hoc tamé stat, vt ambo assensus sint in eodé instanti temporis simul in intellectu.

Secundo notandum ex eodem ibidem quod conclusio potest dici cognita, & scita, dupliciter scilicet in vniuersali, & in particulari: tunc conclusio potest sciri in vniuersali cum cognoscitur maior propositio, sub qua potest inferri, non considerando de minori, vel de conclusione, vt e.g. scio hominem esse risibilé, dum cognosco omne animal rationale esse risibile, quia hæc est maior propositio, ad inferendam illam conclusionem: ergo omnis homo est risibilis. In particulari autem potest adhuc dupliciter sciri scilicet in habitu, & in actu. Tunc conclusio aliqua dicitur sciri in particulari, & in habitu, quãdo cognoscuntur maior, & minor seiunctim absque earum dispositione in modo, & figura, & sic dum cognosco. Has duas propositiones, omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale, cognosco pariter habitualiter hãc omnis homo est risibilis, quæ eliceretur euidenter ab eis, si forent dispositæ in modo, & figura. Tunc verò cognoscitur conclusio in particulari, & in actu, cum cognoscuntur premissæ applicatæ, & dispositæ in modo, & figura ad inferendam conclusionem, vt patet in eodem exemplo: Cognitio præmissarum in vniuersali, & in particulari habitualiter potest esse prius tempore cognitione conclusionis; at cognitio conclusionis in particulari, & in actu est in eodem instanti temporis cum cognitione præmissarum, licet in diuersis signis naturæ.

Tertio notandum est ex eodẽ ibidem premissas esse causas conclusionis in duplici genere causæ. s. materialis, & efficientis. Tunc dicuntur causæ materiales, quum præbent conclusioni maiorem, & minorem extremitatem, ex quibus coalescit tãquam ex materia. Tũc verò causant effectiuè, cum cognitio præmissarum efficiẽter causat cognitionem conclusionis simul cum intellectu. Hoc autem potest dupliciter intelligi vno modo sumendo causam formaliter, alio modo fundamẽtaliter. Primo modo cognitio premissarum, nec tẽpore, nec natura præcedit cognitionem cõclusionis, quia sic cum sint relatiua, quæ sunt simul natura, & cognitione, consequenter vna nequit alteri præire, nec naturaliter: at secundo modo, cum considerentur secundum esse absolutum, quod habent, quamuis tale absolutum ordinetur ad aliud in ratione causę benè cognitio pręmissarum potest esse prior cognitione conclusionis, quia inter causam, & effectum, cũ sit depẽdentia huius ab illa, & hæc arguat prioritaté, & posterioritatem naturæ, consequẽter dicendum est cognitionem conclusionis esse naturaliter posteriorem cognitione præmissarum.

Quarto notandum est cognitionem intellectus esse duplicem. s. apprehensiuam, & adhæsiuam: Priori cognoscit intellectus obiectũ cum aliqua hæsitatione. Posteriori verò cũ certitudine, & sine aliquo dubio, sit exẽplum de tyronibus, qui addiscũt logicã cum aliqua hæsitatione, quapropter apprẽhẽdere potius, quã eam scire dicendi sunt: Magistri verò, quia pollent logica certitudinaliter, dicuntur eam scire, & illi certo adhærere: Cognoscentes maioré, & minorem primo modo, non est necesse, vt simul assentiuntur cõclusioni, quia cũ firmiter non illis adhæreãt, possunt suspendere, ex imbecillitate, discursus, & conclusionem, & eius assensum ceterum qui habent notitiam de premissis; secũdo modo, conantur simul elicere conclusionis assensum, quia nullum habent impedimentum, vnde retardari possint in eius elicitione.

Quinto notãdum est intellectum, & volũtatem esse duo principia disparata inter se, quamquam in operando, alterum altri subordinetur. Dicuntur disparata, quia intellectus est potẽtia naturalis, quę positis omnibus requisitis ad operandum, non potest nõ operari: nam præsentato sibi obiectu, & nullum habeat impedimentum, ex parte sui, non põt non illud intelligere: At voluntas est potentia libera, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest agare, & non agere, velle, & non velle sicut sibi libet. Sunt autem principia subordinata, quia voluntas, cũ sit cęca nõ põt quicquam velle, aut nolle, nisi fuerit sibi preostensũ ab intellectu, siquidé volũtas ferri nequit in incognitum: cum autem intellectus viderit præmissas in modo, & figura, & conclusionem ex eis inferendam necessariò, nequit illis non assentiri, alioquin

non esset potentia naturalis, sed libera, nec assentiendo præmissis, potest imperio voluntatis auerti à consideratione conclusionis, quia non prius potest ostendi conclusio inferenda per intellectum voluntati, vt esset possit obiectum eius, quã fuerit cognita ab ipso intellectu, igitur inferendum est, quod cognita per intellectum maiori, & minori cognitione adhæsiua, seu iudicatiua, non potest non cognosci simul tempore, etiam conclusio.

Sexto. Notandum ex Scoto loco præcitato, conclusionem posse esse obiectum voluntatis, ita quod possit diuertere intellectum ab illius consideratione potest dupliciter intelligi: Vno modo auertendo intellectum à cõsideratione præmissarum, ex quibus debet inferri conclusio; alio modo auertendo ipsum à consideratione conclusionis, post cognitionem adhesiuam, seu iudicatiuã præmissarum: Primo modo cõclusio potest cadere sub obiecto voluntatis, ac proterea impedire eius assensum, post apprehensionẽ præmissarum: Secundo modo nequit esse obiectum eiusdem, quandoquidem in eodẽ instanti cum sit cognoscenda conclusio cognitione adhæsiua cum præmissis, nõ potest assignari instans in quo seorsim ab assensu præmissarum præsentetur voluntati, & cõsequenter impedire intellectum quominus eliciat assensum, etiam circa conclusionem, cum ipsum præhabuerit circa præmissas.

Ex his fit prima conclusio. Cognitis præmissis in ratione causæ, hoc est prout sũt dispositæ in modo, & figura, & cognitione adhæsiua, non potest simul non cognosci conclusio. At si cognoscantur seorsim, vel tantum appræhensiuè non opportet simul tempore cognoscere conclusionẽ. Est Scoti hic qu. 8. Probatur, quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, sed tãtum primo modo cognitæ sunt causa conclusionis quoad esse: ergo etiam tantum primo modo sunt causa cognoscendi conclusionem. Maior est Aristotelis lib. 2. & 4. Meth. t. 4. quod eadem sunt principia essendi, & cognoscendi. Minor est nota ex 1. & 4. notab. Cõfirmatur quia causæ, & effectus, simul sunt, & non sunt; sed præmissæ primo modo sumptæ sunt causæ conclusionis, & secundo modo non sunt causæ eiusdem: ergo priori modo cognitæ erunt simul cum conclusione, & nõ secundo modo. Consequentia patet, quia priori modo tantum, & non posteriori sunt essentiæ conclusionis.

Secunda Conclusio. Si præmissæ cognoscãtur ab intellectu, vt causæ fundamẽtales conclusionis, prius naturæ cognoscuntur, quàm cõclusio: ceterum simul natura cum illa, si formaliter sumatur nomen causæ. Est Scoti ibidem q. 9. Probatur prima pars, quia præmissæ, vt sic sunt prius natura in esse cõclusione: ergo, & prius natura cognoscũtur. Consequentia patet ex Aristotele 2. & 4. Meth. t. 4. Antecedens patet similiter, quia præmissæ sunt causæ, & conclusio effectus: sed causa precedit effectum saltem natura: ergo præmissæ sunt prius in esse, quam sit conclusio. Secunda pars probatur quia relatiua sunt simul natura, & in esse, & in cognosci, sed præmissæ, & conclusio, secundo modo sumptæ sunt relatiua: ergo sunt simul natura. Maior patet ex Philos. cap. de ad aliquid. Minor similiter ex tertio Not.

Tertia Conclusio. Habito per intellectũ assensu adhæsiuo, seu iudicatiuo præmissarum dispositarum in modo, & figura nõ potest non sequi necessariò assensus conclusionis. Est Scoti loco citato contra Ruuium, & alios citatos pro secũda opinione. Probatur quia potentia naturalis, & non impedita, positis omnibus necessariò requisitis ad agendum, non potest nõ agere, sed intellectus est potentia naturalis, & non potest impediri in elicitione assensus circa conclusionem habito assensu adhæsiuo præmissarum: ergo cognitis, vt sic, premissis, necessitatur ad cognitionem conclusionis. Maior patet ex Not. 5. quia hæc est differentia inter potentiam naturalem, & liberam. Minor probatur, quia intellectus, & voluntas sunt duo principia disparata: ergo quod est de quiditate vnius, nequit esse de ratione formali alterius; sed voluntas est principium, seu potentia libera, & nullo modo naturalis: ergo intellectus erit solum potentia naturalis, & nullo modo libera: quoad autem nequeat impediri, habito assensu adhæsiuo præmissarum, ad eliciendũ assensum conclusionis probatur quia si posset impediri, maximè hoc esset ex parte voluntatis, imperantis alterius obiecti considerationem, ratione cuius auerteretur à cognitione conclusionis; sed hoc dici nequit: ergo nequit impediri ab aliquo. Maior patet per aduersarios. Minor probatur, quia conclusio in tali casu non posset esse obiectum vo-

voluntatis: ergo voluntas non posset imperare intellectu; vt sibi oblatam cũ premissis non consideret. Antecedens probatur, quia nequit assignari aliquod instans temporis in quo intellectus assentiat præmissis, & non conclusioni: ergo non potest illam incognitam ostendere voluntati, & consequenter nequit esse obiectum eius distinctum à præmissis.

Dices verum esse, quod intellectus nequeat ostendere voluntati conclusionẽ seorsim à præmissis, sed simul cum ipsis, quo casu poterit voluntas imperare intellectui cognitione præmissarum tantum, & non conclusionis.

Contra, quia quando intellectu ostendit voluntati conclusionem cum præmissis, aut ostendit illas seorsim, aut coniunctim, & dispositas in modo, & figura; si dicatur primũ non est contra nos, quia loquimur, de præmissis applicatis ad conclusionem: Si verò dicatur secundum cum intellectus ostendat illas sub vna, & eadem habitudine, nequit voluntas illas diuidere, & imperare cognitionem præmissarum, absque notitia cõclusionis. Concluditur ergo intellectum cogi ab assensu præmissarum ad assentiendũ cõclusioni, nec per volũtatem impediri posse.

Obijcitur primo contra primam conclusionem. Multa nequeunt simul cognosci, sed præmissæ, & conclusio sunt multa: ergo &c. Maior patet ex Aristotele 2. de Anima t. c. 18. potẽtiæ distinguuntur per actus, & actus per obiecta: ergo si actus intellectus est vnus idest vna cognitio, & obiectum debet esse vnum, & non plura. Minor de se est nota.

Respondetur primo ex Doct. subt. loco citato qu. 8. Maiorem esse veram de multis, vt multa sunt, non tamen de multis, vt vnum; idest quæ conueniant in aliqua vna habitudine, modo præmisse antequam disponantur in modo, & figura, & inferatur conclusio ex illis dicuntur multa, & sic nequeunt simul intelligi, cęterũ prout sunt dispositæ, & ordinatæ ad conclusionem inferendam sunt vnum, quia sub vna, & eadem habitudine considerantur, & sic cognoscuntur simul tempore.

Vel dicendũ secundo cum Tatareto Maiorem esse veram de actu recto intellectus, falsam de comparatiuo, quia sic, ea quæ sũt multa cadũt sub vna comparatione passiua, & sic possunt intelligi simul, nedum simultate temporis, sed etiam naturæ: modò præmissæ cum conclusione cognoscuntur simul vnico actu comparatiuo, non tamen recto. Vtraque responsio est bona, ex doctrina Doctoris deprompta.

Obijcitur secundo, quia cognita causa materiali tãtum non cognoscitur eius effectus; sed præmissæ sunt causæ materiale conclusionis: ergo cognitis præmissis, nõ cognoscitur conclusio. Maior patet, quia compositũ non tantũ pendet à materia, sed etiam à forma in esse: ergo etiam in cognosci. Minor similiter quia conclusio constat ex maiori, & minori extremitate, quæ sunt materia præmissarum.

Respondetur præmissas non cognosci simul cum conclusione in ratione causæ materiali, sed tantũ in ratione causæ efficientis, & ideò argumentum non militat cõtra nos.

Obijcitur tertio, sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci; sed præmissæ sunt simul natura in esse cum conclusione: ergo & in cognosci. Mai. est Aristotelis 2. & 4. Meth. t. 4. Minor probatur, quia relatiua sunt simul natura, ex Aristotele cap. de ad aliquid; sed prẽmissæ, & conclusio sunt relatiua, cum se habeant vt causa, & effectus: ergo simul natura cognoscuntur, & non tantum simul tẽpore.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico maiorem esse veram de relatiuis formaliter, non fundamẽtaliter; modò præmissæ, & conclusio acceptæ, vt relatiua formaliter, sunt simul natura, nõ tamen fundamentaliter, qua ratione præmissæ dicũtur causæ efficientes conclusionis, & sic prius natura habent cognosci.

Obijcitur quarto Aristoteles 2. Phys. c. 26. inquit contingere posse, vt quis cognoscat omnem mulam esse sterilẽ, & hanc esse mulam, & tamen dubitet, an hæc habeat aliquid in ventre, sed in tali casu cognosceret præmissas, & non conclusionem: ergo assensus præmissarum non est simul tempore cum assensu conclusionis.

Respondetur Maiorem esse verã de præmissis seorsim sumptis, non tamen de eisdẽ applicatis, & dispositis in modo, & figura, quia sic cognoscens præmissas cognitione adhæsiua, debet simul cognoscere etiam conclusionem.

Obijcies quinto præmissæ nequeunt inferre conclusionem, nisi distinctiuè concipiantur; sed non possunt distinctè concipi

in eodem instanti simul cum conclusione: ergo assensus præmissarum nō potest esse in eodem instanti cum assensu conclusionis. Minor probatur, quia præmissæ non possunt distinctè concipi, nisi distinctè concipiantur termini, principia enim cognoscimus inquā tum terminos cognoscimus ex Aristotele 1. Post. t. 6. & t. 34. & 35. sed cognitio terminorū nequit esse simul in eodē instāti: ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico minorem esse veram de præmissis seorsim sumptis, non tamen de eisdē dispositis in modo, & figura, quia sic qua ratione disponuntur, & applicantur ad conclusionem, eadem ratione cognoscuntur distinctè simul cum conclusione.

Obijcies sexto contra tertiam conclusionem, quia sicut se habet bonum particulare ad voluntatem, ita verum particulare ad intellectum, sed nullum bonum particulare determinat, voluntatem, quo ad exercitiū: ergo nec vllum verum poterit determinare intellectum: sed præmissæ etiam dispositæ in modo, & figura, seu applicatæ ad inferendā conclusionem sunt verum particulare: ergo cognitio præmissarum non determinat intellectum ad assensum conclusionis.

Respondetur maiorem esse veram, quò ad rationem obiecti, non tamen quò ad modū, seu quò ad tēdentiam huius, & illius potentiæ in obiectum, quia cum voluntas sit potentia formaliter libera nō determinatur ab vllo bono, saltem particulari: at intellectus cum sit potentia formaliter naturalis determinatur à quocunque, verò, sibi euidenter præsentato, & consequenter præsentatis sibi præmissis dispositis in modo, & figura, ita illis assentitur cum conclusione, vt non possit suspendere assensum circa illas, vel seorsim, vel coniunctim præsentatis.

Obijcitur septimo, quia voluntas potest imperare intellectui, vt cesset à consideratione cuiuscunque veri: ergo etiam poterit impedire, nè consideret conclusionem, etiā consideratis præmissis. Antecedens patet, quia intellectus in sui operatione subditur imperio voluntatis. Consequentia est nota, quia præmissæ, & conclusio sunt duo vera realiter distincta.

Respondetur. Antecedens esse verum de veris seorsim sumptis, quorum vnum non habet dependentiā ab alio essentialiter falsū cum adesset essentiales dependentia, vt est in proposito, quia conclusio dependet essentialiter à præmissis applicatis, quā ratione nequit conclusio esse obiectū diuersum à præmissis, vt dictum est.

De Diffinitione scientiæ, demonstrationis, & Principij.

C A P. II.

Expedito primo capite, veluti parte proemiali, in quo præmisit quædam necessaria ad intelligentiam demonstrationis in præsenti aggreditur partem executiuā, quæ diuiditur in quatuor Tractatus, in quorum primo agit de Demonstratione quoàd eius diffinitionem finalem, & materialem. In secundo de ingredientibus demonstrationem virtualiter. In tertio de Figura apta ad conficiendas demonstrationes. In quarto tandē de fine demonstrationis.

Primus Tractatus habet quatuor capitula, in quorum primo tradit diffinitionem sciētiæ in concreto dicens: scire autem opinamur &c. Deinde diffinit demonstrationem, per causam finalem, & materialem: Posteà indicat quid, & quotuplex sit principium, et tandem probat principia debere esse notiora conclusione.

Quòad primā partem huius capituli exorditur tractum Demonstrationis ab eiusdem effectu, qui est scientia, & diffinit illam in concreto dicens: Scire autem opinamur vnūquodque simpliciter, & nō sophystico modo, qui est secundum accidens, cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, quod illius causa est, & non est contingere hoc aliter se habere. Ex qua diffinitione eliciuntur quatuor cōditiones requisitæ ad sciētiam propriè acceptam, de quibus satis egimus in illa quæstione. An logica sit scientiā & acturi sumus in sequenti, quare nè idem toties repetamus, hic eas cōsultò omittimus, & breuiter dicimus, tunc rem propriè dici posse scitam, cum eius causam per se cognoscimus, & applicationem illius causæ ad cōclusionem per discursum syllogisticum, vt dum cognoscimus hominem esse risibilem, quia

quia est animal rationale, & hæc causa applicata sit ad scitum, idest conclusionem per hunc discursum: omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis, tunc propriè habemus scientiam de homine, quod sit risibilis, per eius causam. s. per animal rationale applicatum ad illam conclusionem, per illum discursum syllogisticum, idest per dispositionem præmissarum in modo, & figura.

Scire autem est duplex scilicet incomplexum, & complexum, scire incomplexum habetur per primam operationem intellectus, idest per apprehensionem quidditatis alicuius rei, hoc est per diffinitionem, & sic cognoscimus hominem esse animal rationale, & scitum hoc modo acceptum nil aliud est quam diffinitũ, & diffinitiuo eius causas.

Scire autem complexum est duplex. s. per se, & per accidens. Scire per se est quod habetur ex propositionibus per se dispositis in modo, & figura, vt patet in exemplo allato de homine risibili, quia ambæ propositiones sunt per se, vel secundo modo, vt est maior, in qua prædicatur passio de diffinitione subiecti, vel primo modo, sicut minor, cuius prædicatum est de quiditate subiecti cum sit eius diffinitio quiditatiua. Scire autem per accidens est quod habetur per propositiones, per accidens dispositas in modo, & figura, vt patet, in hoc exemplo: omnis ædificatur ædificat, sed omnis ædificator est albus: ergo album ædificat, siquidem notitia huius conclusionis album ædificat dicitur scientia per accidens, quia minor propositio est per accidens, accidit enim ædificatori, vt sit albus, vel niger, aut rubeus. Hic diffinitur scire complexum, & non incomplexum; per se, & non per accidens, quod scire ab Aristotele vocatur simpliciter scire, idest perfectum, vt distinguitur contra secundum quid seu imperfectum. Et vocatur scire per se, vt distinguitur contra scire per accidens.

Probat Aristoteles hanc diffinitione esse bonam dupliciter, & primo, quia illa diffinitio in qua conueniunt scientes, & non sciẽtes est bona, sed in hac diffinitione cõueniũt scientes, & non scientes: ergo est bona. Maior est nota. Minorem probat quia tam scientes, quam non scientes arbitrantur se aliquid scire, cum causam se putant cognoscere, vt dum scientes cognoscunt hominẽ esse risibilem, per rationalitatẽ, quod sciunt esse causam, putant se scire. Dum verò rustici putant hominem esse risibilem, quia habet dẽtes, linguam, & os arbitrantur se scire, & ipsi, licet re vera talis non sit causa. Secundo probat quia illa diffinitio, quæ habet genus, & differentiam est bona, sed hæc diffinitio scire est huiusmodi: ergo &c. Maior supponitur vera ex alibi dictis. Minor probatur, quia cognoscere est genus ad scire, opinari, & credere: igitur habet genus. Habet etiam differentiam, quia ly per causam est differentia per quam distinguitur scientia à notitia principiorum, quæ non est per causã, & à scientia à posteriori, quæ non est per causam, sed per effectum.

Explicata priori diffinitione scire, seu sciẽtiæ, subiungit posteriorem dicens: Scire est per demonstrationem intelligere. In qua diffinitione ly intelligere est genus, quia prædicatur de intelligere opiniatiuo, per fidem, & sophystico. Ly verò per demonstrationem est differentia per quam differt scientia à notitia principiorum, quæ dicitur intellectus, et à scire incomplexo, quod habetur per diffinitione tantum.

Quoad secũdã partẽ huius capitis assignat duas diffinitiones demõstrationis, alterã per causam finalẽ, & per causam materialem alterã. Diffinitio per causa finalem est ista: demonstrationẽ autẽ dico syllogismũ epistemonicon idest faciẽtẽ scire; vel vt alij vertũt ex greco, apodyticon, secundum quã in habendo scimus. i. Demonstratio est syllogismus scientialis, seu faciens scire. In qua diffinitione ponitur ly syllogismus tanquã genus cũ sit quid cõe ad syllogismũ dialecticum, sophysticũ, et demonstratiuum. Ponitur ly faciens scire, vt ostendat causã finalẽ demõstationis esse causare sciam, et vt per hanc particulã ponat differentiam inter syllogisticũ demonstratiũ, & dialecticum, ac sophysticũ, nam hic non causat scientiam, sed deceptionem, ille verò opinionem, & non scientiam.

Diffinitio verò per causa materialē subiungitur, dum inquit. Si igitur scire est vt posuimus, necesse est demonstratiuam scientiā ex veris esse, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, causisque conclusionis, idest Demonstratio constat ex primis, veris, & immediatis propositionibus, quæ debent esse necessariò notiores, & priores, & causæ conclusionis: vt omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis, dicitur demonstratio, seu syllogismus demonstratiuus, quia eius præmissæ sunt veræ, cum opposita sint falsæ: sunt primæ, & immediatæ, quia non egent probari per alias propositiones priores: & sunt priores, & notiores ipsa conclusione cum sint eiusdem causæ, tam in genere causa materialis, quam efficientis; materialis, quia prabent conclusioni maiorem, & minorem extremitatem, ex quibus constat, & efficientis, quia ratione medij termini, idest animal rationale, causant notitiam conclusionis, quod nimirum homo sit risibilis.

Probat veritatem huius diffinitionis, quia syllogismus faciens scire debet procedere ex primis, veris, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis; sed demonstratio est syllogismus faciens scire ex præcedēti diffinitione: ergo &c. Maiorem probat secundum omnes particulas, quia scientia non potest esse ex falsis, cum obiectum scientiæ nequeat aliter se habere: ergo præmissæ debent esse vera; Secundo quod procedat ex primis, & immediatis, alioquin daretur processus in infinitum, siquidem non essent immediata, sed probaretur per alias priores, & istæ per alias, & illæ per alias, & sic in infinitum, & de infinito non potest esse scientia: ergo standum in primis, & immediatis, quæ faciunt scire. Tertio quod tales præmissæ debent esse priores, & notiores conclusiones, quia causæ sunt priores, & notiores suis effectibus; sed scire est rem per causam cognoscere: ergo syllogismus faciens scire debet procedere ex causis prioribus, & notioribus ipsa conclusione.

Hæc diffinitio insuper probatur esse bona, quia & ipsa constat ex genere, & differentia; nam syllogismus est genus, vt dictum est; & ly ex veris, primis, &c. sunt differentiæ per quas differt demonstratio à syllogismo dialectico, & sophystico, quia non procedunt ex veris, sed ex apparentibus, vt sophysticus, neque ex primis, & immediatis, quæ sunt necessariæ, sed ex probabilibus, vt Dialecticus: igitur cum hæc diffinitio constet ex genere, & differentia, est bona.

Quò ad tertiam partem, cum Aristoteles probauerit demonstrationem procedere ex primis, & primum, & principium sint idem, ponit diffinitionem principij dicens. Est autem principium demonstrationis propositio immediata. Propositio autem immediata est quæ non est altera prior per quam probari possit, & demonstrari; idest propositio immediata est illa, quæ est ita clara ex terminis, vt non egeat alia declaratione, vt hæc: omne totum est maius sua parte, similiter ista: de quolibet verum est dicere, quod est, vel non est. Vel non contingit idem inesse, & non inesse, quæ omnes sunt immediatæ, cum sint ita manifestæ ex inspectione terminorum, vt non indigeant alia declaratione.

Deinde diffinit propositionem dicens; Propositio est enunciationis altera pars; Enunciatio verò est, quæ inuoluit vtramque partem contradictionis: fit exemplum; Omnis homo est doctus, & quidam homo non est doctus, dicitur enunciatio, quia continet duas propositiones contradictorias; vtraque tamen, tam affirmatiua, quam negatiua dicitur propositio; Contradictio verò est oppositio, cuius secundum se non est dare medium, vt homo, & non homo, quia omnis res mūdi aut est homo, aut non homo; Dicitur tamen notanter secundum se absolutè sumpta, quia si partes contradictionis sumantur cum aliquo addito, posset esse medium, vt patet in hac. Homo nec per se est albus, nec per se non albus, datur medium, quia neutrum de per se est homo, cum albedo sibi accidat, sed homo per se est animal, rationalis, risibilis, vt infra dicemus in propositionibus per se.

Diuidit autem propositionem in Dialecti.

cam, & Demonstratiuam. Propositio dialectica est quæ accipit vtramque partem contradictionis, idest in qua vtraque pars contradictionis successiuè potest esse vera, vt mater diligit filium suum, & mater non diligit filium suum, quia verum est diligere dum parit, & non diligere dum occidit. Demonstratiua verò accipit tantum vnam partem, vel affirmatiuam, vel negatiuam, sed verã determinatè, vt in hac, omne animal rationale est risibile, & aliquod animal rationale non est risibile in qua prima pars dicitur propositio demostratiua, quia est vera, & secunda falsa: Ratio autem huius est, quia propositio demonstratiua generat scientiam, & dialectica opinionem, illa debet accipere tantum veram partem, ex qua sequatur verum, & hæc vtramque, quia probabile est matrem diligere, & non diligere filium, cum fuerint inuentæ matres educantes, & occidentes filios.

Declarata diffinitione principij diuidit illud in duo membra, scilicet in dignitatem, & positionem. Dignitas est propositio immediata vniuersalis, & adeò clara, vt declaratione non indigeat, vt supra exemplificatum est de toto, & partibus &c. Positio verò est propositio immediata, & indemonstrabilis, sed non ita vniuersalis, nec ita clara sicut dignitas, vt hæc omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale, & huiusmodi principia particularia cuiuslibet scientiæ.

Dignitates verò dicuntur tales, quia dignum est, vt illis omnes præbeant assensum absque vlla probatione: Positiones autem quia formaliter ponuntur in demonstratione, dignitates verò tantum virtualiter, vt supra tactum est in præcedenti capite.

Positio verò diuiditur in veram, vel falsam seù suppositionem, & diffinitionem, quod idem est dicere in maiorem, & minorem propositionem, nam maior dicitur positio, quia est prima præmissa posita in demonstratione. Minor verò suppositio, quia supponitur maiori, & quia semper altera illarum est diffinitio subiecti propterea diuiditur positio in diffinitionem, & suppositionem.

Quò ad quartam partem tamdem subiungit veritatem, & euidentiam principiorum, seu præmissarum, ingredientium demonstrationem, debere esse maiorem, quam sit veritas, & claritas conclusionis, & profert illud axioma toties decantatũ in Scholis: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: sed assentimur conclusioni, ob veritatem, & claritatem principiorum, seu præmissarum: ergo talia debent esse magis vera, & clara, quam conclusio.

Principia autem sunt duplicia, scilicet vniuersalia in omnibus scientijs, & sunt illa duo. De quolibet verum est dicere, quod est, vel non est, & non contingit idem inesse, & non inesse. Alia sunt particularia, & propria in vnaquaque scientia, vt in physica: omne compositum ex materia, & forma est corruptibile, vel omne corpus naturale est mobile. Principia primo modo sumpta debent esse notissima in omni scientia, quia per illa probari possunt omnia principia particularium scientiarum, & propterea dicuntur dignitates, quia dignissimum locum sibi vendicant in omni scientia, & facultate. At secundo modo accepta, sufficit, vt sint nota, & manifesta in illa scientia cuius sunt principia, qua ratione etiam non dicuntur dignitates, sed positiones. Axioma illud, propter quod vnum quodque tale, & illud magis, verificatur de omnibus principijs, sed cum hac differentia, vt priora dicantur simpliciter nota, et indemonstrabilia in omnibus scientijs: posteriora verò tantum in illa scientia, in qua sunt principia, quibusdam adiectis conditionibus, de quibus dicemus in propria quæstione.

gēte, & hoc modo Angeli, & primus Parens Adā habuerunt scientia omnium rerum, saltē creatarum, siquidē pijssimus Conditor in eorum creatione, concreauit illis species intelligibiles, vt absq; conuersione ad obiecta sensibilia, possent omniū rerū habere euidētē notitiam: Tunc verò aliquid cognoscitur, secundo modo, cū per species acquisitas ab eo, mediante intellectu agente, producuntur in intellectu possibili species intelligibiles, quæ simul cum illo pariant suipsius notitiā. Hanc cognitionē quotidiè experimur in nobis, siquidē cū omnia existāt in singularibus, & hæc præbeant species intelligibiles omniū quiditatū, cōsequenter intellectus in illis, & cū illis producit notitiam omnium per diffinitionē, quę dicitur sciētia incōplexa, & quiditatiua, ac per demonstrationē, quę est notitia conclusionis cōplexa, & qualitatiua, cum in ea demonstretur passio de suo subiecto, quæ cū non sit de eius essentia, dicitur qualitas eiusdē. Plato, & Auic. putauerūt dari sciētiā tantū priori modo, s. per species congenitas, at Aristot. probauit admitti debere, etiā secūdo modo, hoc est per species acquisitas.

Quarto notādū est ex Scot. hic q. 2. Sciētiā pro statu isto posse acquiri in nobis, & ab intrinseco tantū, & ab intrinseco, & ab extrinseco simul, sicut patet etiam de sanitate, quæ tunc acquiritur ab intrinseco tantū, quando pars sana alterat partē infirmā, & eā reducit ad pristinā sanitatē, vt sæpè sæpiùs accidit in brutis: tunc autē acquiritur partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco, cū virtute medicorū, ac medicinarū iuuatur par sana, vt valeat agere in infirmā, ipsāq; alterando reducere ad salutē, quo casu pars sana se habet vt agens principale, & medicus, & medicina vt potē extrinseca, sunt agētia minus principalia, & dispositiua, sine quibus operari non posset agens principale: Ita etiam dicendum est de scientia, quę tunc acquiritur ab intrinseco tantū, cū intellectus est benè dispositus, & ex præmissis notis virtute intellectus agētis potest deuenire in cognitionem cōclusionis absq; doctore, ac magistro, vt accidit in primis Inuentoribus scientiarum: Tūc verò acquiritur partim ab intrinseco, & ab extrinseco etiam, quando virtute doctoris, & Magistri disponitur intellectus per ordinationem præmissarū in modo, & figura, & earū applicatione ad conclusionē inferendam, vt valeat cognoscere inhærentiam prædicati cum subiecto in conclusione, & scientia hoc modo addiscitur cōmuniter in Scholis hisce nostris temporibus. Ex quibus infertur, quod quatuor requiruntur ad gignendā sciētiam de nouo pro statu isto, & primo. Deus suo concursu, vt causa præcipua, secundo intellectus vt causa secunda principalis, subordinata tamē Deo in operando. Tertio obiectū incōplexū, si est scientia incōplexa, vel si fuerit cōplexa, cōplexū, .i. præmissæ dispositæ in modo, & figura inferentes conclusionem. Quarto tādē Magister, vt causa minus principalis, & coadiuuās, seu ordinans premissas in modo, & figura, ostendensq; illationē cōclusionis ex illis, sic dispositis, quibus suppositis, sequitur scientia in intellectu de obiectis, quæ prius ignorabantur, & sic dari sciētiam de nouo contra Platonem, & Auicenam.

Quinto notandū ex dictis in præced. Disp. scientiā cōclusionis posse haberi ante demonstrationē, & post demonstrationē priori modo dicitur haberi in vniuersali, & in habitu, cognoscendo maiorem tantum, vel maiorē, & minorem sine earum dispositione in modo, & figura. Secundo modo habetur in actu & in particulari, quia nimirum præmissæ sunt dispositæ, & applicatæ ad inferendam conclusionem, sicut supra declaratum est.

Ex his fit prima conclusio. Est dabilis sciētia in rerū natura pro statu isto de rebus secūdū esse quiditatiuū, non tamen secundū esse actualis existentiæ. Est cōmunis cōtra Academicos, & præcipuè Scot. in 1. sent. d. 3. q. 4. vbi ab ipso probatur multis rationibus, quas omittimus, breuitati studentes, vnica tantum probatione, eaq; fundamentali, contenti, quę talis est. Dabilis est notitia; certa; & euidēs de obiecto necessariò, & causata ab intellectu, applicataq; ad scitū per discursū syllogisticū: ergo dabilis est scientia. Cōsequētia patet ex diffinitione scientiæ, traditæ in textu c. 2. Antecedēs probatur, quia notitia, quæ habetur de homine, quod sit risibilis, est sine dubio certa, & euidēs, cū hoc cōstet ratione, & experientia; siquidē videmus omnē hominē ridere, vnde inferimus esse risibilē, & hoc est obiectū necessariū, quia impossibile est hominem non esse risibilem, cum risibilitas sit sibi identificata realiter; huiusmodi etiam notitia habetur per discursum syllogisticum scilicet omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis, igitur dabilis est no-

notitia certa,& euidens, &c. Secunda pars probatur,quia res secundum esse quiditatiuũ sũt incorruptibiles,& necessariæ,vt potè habentes esse in mente diuina, in qua nihil reperitur,quod sit corruptioni obnoxiũ. Tertia pars probatur,quia sciẽtia est de rebus æternis,& impossibilibus aliter se habere, sed res secundum existentiam actualem non sunt huiusmodi, cum experientia constet esse subiectas ortui, & interitui: ergo de illis nequit esse scientia.

Secunda Cõclusio. Datur scientia de nouo per species acquisitas virtute sensuum,& intellectus agentis,& non infusas, seu influxas ab Ideis,vel intelligentia est contra Platonẽ, & Auicenam citatos. Probatur Auctoritate Aristotelis in c.& textu 1.vbi dicit,omnẽ doctrinam, & omnem disciplinam fieri ex præexistenti cognitione. Item omnem nostram cognitionem oriri à sensibus; ergo scientia, quæ est cognitio conclusionis,nõ est per species infusas seu influxas, sed per acquisitas. Secundo sic si nostra sciẽtia esset per species infusas,& non acquisitas, sequeretur cæcos habere cognitionẽ de coloribus,sicut videntes:sed hoc est contra experientiam, & communẽ,ac vulgatum prouerbiũ,cæcus nõ iudicat de coloribus.ergo,&c.Maior probatur quia si Idæa vel Intelligentia influit species omniũ rerũ in omnes homines,nõ est cur solũ videntibus,& non cęcis,debeant influere, cum,&ipsi sint homines:ergo si videntes habent scientiam de coloribus per species infusas,& cæci pariter habebũt, & sic possidebũt cognitionem de coloribus sicuti videntes.

Obijcitur tamen contra vtramq;conclusionem simul,quia si aliquid sciremus,& de nouo,esset per viã intellectus tantũ,aut per via intellectus,& sensus simul,sed neutrũ est dicendũ:ergo &c.Maior patet,quia omnis nostra cognitio,vel est intellectiua,vel sẽsitiua. Minor prob. non via sensus, quia hic potest decipi circa suũ obiectũ: ergo nequit haberi scientia,quæ est notitia certa via sensus.Nec per viã intellectus,quia nihil est in intellectu quin priùs fuerit in sẽsu ex Arist.2.de anima, & lib.de sẽsu,& sensibile,sed per viã sẽsus nequit haberi sciẽtia:ergo nec per intellectum.

Respondetur negando minorẽ,ad probationẽ dico veram esse de sẽsu indisposito, vel impedito,ex eo, quod non habet obiectũ in approximatione debita, vel proportionata distantia,falsam verò si sensus sit perfectè dispositus,& non impeditus,quia sic potest habere notitiã certam de suo obiecto, & vt sic repræsentare intellectui,qui si nõ fuerit, & ipse impeditus; eliciet de eodẽ obiecto notitiã certã,& euidẽtẽ,quæ scientia appellatur.

Obijcitur secundo, quia scientia est rerum immutabilium:sed nulla res pro hoc statu est immutabilis:ergo de nulla possumus habere scientiam. Maior est Aristotelis in hoc 1. lib. Post.c.7.Minor probatur quod est in re mutabili,est mutabile;sed omnes res sunt in singularibus, quæ sunt mutabilia, vt patet per experientiam:ergo,&c.

Respondetur negando minorem,ad probationem dico minorem esse verã de rebus secundum existentiam actualem non tamen secundum esse quiditatiuum;quia sic habent esse in mente diuina immutabiliter.

Cõtra quia res pro statu isto habent esse in speciebus intelligibilibus, sed species intelligibiles sunt mutabiles; quia deperduntur, & delentur ab intellectu :ergo &c.

Respõdetur ex Doct.Subt.in 1.d.3. q.4.sub I.K.L.Minorẽ esse verã secundũ se,cum sint accidentia;nõtamen in ratione repræsentãdi,quia sic sunt immutabiles;tũ quia repræsentant obiectũ secundũ esse quiditatiuum; tum etiam quia repræsentant semper eodẽ modo, hoc est dictu species hominis hominem,& non asinum,& species asini;asinum, & non hominem repræsentat, & in hoc consistit immutabilitas earumdem specierum intelligibilium, qua ratione etiam sunt productiuæ sciẽtiæ;simul cum intellectu.

Obijcitur tertio contra secundã conclusionẽ sciẽtia perficit animã:sed anima nostra est creata à Deo perfecta:ergo cũ omni sciẽtia; & sic nulla scientia erit acquisita de nouo.

Respondetur maiorẽ esse verã accidentaliter,nõ substantialiter, minorem verò è conuersò substantialiter,non accidẽtaliter; quia sic perficitur per acquisitionem scientiarum & aliorum habituum intellectualium.

Obijcitur quarto, quia si volo aliquid scire de nouo,aut uolo scire,quod prius sciebam; aut quod nesciebam,sed neutrum dici potest ergo,&c.Maior patet à sufficienti diuisione. Minor prob. quod non primũ quia tunc idẽ bis sciretur:nec secũdũ quia sicut quis frustra quærit hominẽ,quẽ non nouit,quia si etiam illum offenderit,non nosset,ita etiam frustra quærimus scientiã de re,quã prius ignorabamus:vndè concludendum est non posse vllo mo-

modo acquiri scientiam de nouo, sed omnem esse antiquam per species infusas.

Respondetur maiorem esse verã cũ distinctione, nos velle scire id quod prius sciebamus in vniuersali, & virtualiter, non tamen quod sciebamus in particulari, & actualiter, quia tūc idem bis sciretur: & etiam nos velle scire id, quod nesciebamus in particulari, & in actu, sed tãtũ in vniuersali, & in habitu: ad probationẽ minoris dico esse verã, si conclusio scibilis esset omninò ignota, falsã tamẽ, si esset partim nota, & partim ignota; nota in quã in vniuersale & in habitu; ignota verò in particulari, & in actu, quia sic nõ frustra, sed vtiliter querimus sciẽtiã in particulari, q̃ pri⁹ habebamus tantũ in vniuersali, & in habitu.

Vtrum Diffinitiones scire sint benè assignata ab Aristotele in textu.

QVÆSTIO II.

CVm nulla extent iurgia, aut dissidia inter expositores circa huiusmodi diffinitiones, idcircò non est immorandũ in titulo quæstionis, sed ad eiusdem declarationẽ statim accedendũ, quarẽ P. Notand. est diffinitione esse duplicem, s. aliam quid nom'nis, & aliam qu i d rei, & vtrãq; posse fieri simpliciter vel cũ admixtione alterius vt dicẽdo: Philosophia est amor sapiẽtiæ, & humanarũ, diuinarũq; rerũ cognitio, inuoluitur vtraq; diffinitio simul, quia per priorẽ explicatur nomen, & per posteriorem natura, & quiditas Philosophiæ expenditur: Hic est sermo de vtraq; quia prima diffinitio scire est mixta, nã per ly cognoscere expenditur nomen scire; cum verò additur per causam, & propter quam res est, & quoniam illius est causa explicatur, & essentia scientiæ quæ est cognitio rei complexæ per causam, idest per præmissas dispositas in modo, & figura.

Secũdo notandum est ex Scot. hic q. 10. scire accipi po'se quadrupliciter: vno modo cõmuniter, & sic sciuntur contingẽtes propositiones, vt omnis homo currit: Petrus dormit, Paulus studet &c. Secũdo modo propriè & sic sciuntur contingentia nata; i. quæ frequẽter accidũt, vt nimirũ in hyeme esse futurã copiã pluuiarũ, in æstate tonitrua, & grãdines, & huiusmodi: terti o modo magis propriè, & sic sciũtur principia demonstrationis per intuitionẽ terminorũ: quarto modo tãdẽ proprijssimè, & sic sciuntur conclusiones per præmissas dispositas in modo, & figura: Diffinitiones scire datæ ab Aristotele in textu sunt de scire quarto modo tantum, quia tale habetur per causam primam, & immediatam, idest per præmissas dispositas, & applicatas ad conclusionem inferendam.

Tertio notandũ ex eodẽ ibid. & in Prolog. sent. q. 3. & 4. laterali, & in 3. d. 23. q. 1. D. quod ad scire proprijssimè dictum quatuor conditiones requiruntur: prima quod sit certũ; secunda quod sit necessarium, tertia quod sit euidens, quarta quod sit per causam applicatam, idest per præmissas dispositas in modo, & figura; vt sæpè sæpiùs diximus, & præcipuè in illa quæstione. Vtrum logica sit scientia ad quam habendus est recursus, nè idem totiès repetatur.

Quarto notanda sunt ea, quæ de scire dicta sunt in Expositione textus, & præcipuè scire esse duplex, scilicet complexum, & incomplexum: complexum duplex nimirum per se, & per accidens, quia hic est sermo de scire complexo per se, non de incomplexo, vel per accidens alias dictum est.

Ex his fit prima cõclusio. Prima diffinitio, scire opinamur simpliciter, &c. est bona, & sufficiẽter assignata. Probatur quia diffinitio habens omnes conditiones requisitas ad bonã diffinitionẽ est bona, sed hęc est huiusmodi: ergo est bona. Maior patet, & Minor probatur, quia habet genus, & differentiã, & cõuenit soli, & omni scire strictissimè sumpto: ergo &c. Antecedens probatur, quia per ly cognoscere innuitur genus, cum sit cõmune ad omnes notitias, siue incõplexas, siue complexas. Per ly simpliciter denotatur vna differẽtia, per quam distinguitur à scire per accidens, seu sophystico. Per ly nõ est contingere aliter se habere demonstratur differẽtia, qua differt à scientia contingentium: Per ly per causam euidẽtem intellectui innuitur differentia à scire principiorum, quod non habetur per discursum syllogisticum, sed immediatè ex intuitione terminorũ. Habet etiam secũdam, & tertiam quia solum scire, & omne scire proprijssimè sumptum est per se, de obiecto necessario, & causatũ à causa euidẽte intellectui, & applicata ad conclusionẽ per discursũ syllogisticũ, vt patet ex secũdo not.

Secunda Cõclusio. Diffinitio secunda, i. scire est rẽ per causã demonstratiuã intelligere est bona, & sufficienter assignata. Probatur quia

quia diffinitio, quæ habet genus, & differentiā est bona ex Arist. 7. Meth. t.c. 43. sed hæc secunda diffinitio est huiusmodi: ergo est bona, & sufficienter assignata. Minor probatur quia ly intelligere est genus cum sit comune ad scire complexum, & incōplexū, & ly per demonstrationē, seu causā demonstratiuā, est differentia, per quā differt à scire principiorum, & terminorum, quæ non habentur per demonstrationem, alioquin daretur processus in infinitum: ergo diffinitio ista habet genus, & differentiam, & consequenter bona.

Obijcies tamen contra vtramq; simul, quia eiusdem rei nō possunt esse plures diffinitiones quiditatiuæ, & sufficienter assignatæ: sed scire est vna res: ergo ambæ diffinitiones nō possunt esse quiditatiuę, nec sufficienter assignate. Maior patet, quia eiusdē rei nequeunt esse plures quiditates sed quælibet diffinitio, quiditatiua indicat vnam quiditatem: ergo eiusdem rei nequeunt esse plures diffinitiones quiditatiuæ.

Respondetur maiorē esse verā eodē modo nō tamen diuerso modo, vt accidit in proposito, quia per primā diffinitionē diffinitur scire proprijssimē sumptū à priori, & per causā tantum; per secundam verò diffinitur quodcūq; scire siue per causam, siue per effectū, & à posteriori; cum etiam tale habeatur per demonstrationem à posteriori, seu quia, vt inferius videbimus.

Obijcitur secundo, quia Deus habet sciētiā proprijssimam; sed illam non habet per demonstrationem, cum discursus dicat imperfectionem, quæ procul est à Deo: ergo scire proprijssimum non habetur per causam demonstratiuam, vel saltem diffinitio non competit omni scire proprijssimo.

Respondetur Deum habere scientiā proprijssimam de sua Diuina essentia primo, & virtute eius etiam de cæteris obiectis necessarijs creatis, quasi secūdario; talis autē sciētia nō cōtinetur sub his diffinitionibus, quia Aristot. diffiniuit tantū sciētiā creatā, limitatam, & humanitus acquisitam; modo sciētiam, quam habet Deus est increata, illimitata, & essentialis ipsi intellectui Diuino.

Obijcies tertio, quia si scire est rē per causā cognoscere, quæro, aut principia sciūtur, aut non, neutrum est dicendum: ergo &c. Minor probatur, quia si sciuntur: ergo per causā, & sic processus in infinitum in principijs, quod non est dicendum: si verò dicatur, quod non sciantur, est contra Aristotelem hic c. 2. in fine dicentem principia esse magis scita, quam conclusiones, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Respondetur principia sciri scientia magis propria, quæ dicitur intellectus, non verò proprijssima, vt dictū est not. 2. modo diffinitio Arist. intelligitur de scientia proprijssima quia hec sola habetur per demonstrationem.

Obijcies quarto contra illam particulam, quoniā illius est causa, &c. si ad scientiā proprijssimam requiritur cognitio causę, vt applicatæ ad scitum, sequitur nō cognosci conclusionem sub priora ratione, sed sub ratione applicati, idest relatiui, atqui consequens est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Minor patet, quia tunc omnis scientia strictissimè sumpta esset tantū de relatiuis, & non de absolutis, quod nemo facilè concederet: Sequela maioris probatur, quia applicatio dicit relationem: ergo cognitio sub ratione applicationis esset sub ratione relatiui, & sic conclusio non sciretur sub propria ratione.

Respondetur negando sequelam maioris, ad probationem dico conclusionem inferri ex premissis posse dupliciter intelligi, vel formaliter. i. in ratione effectus à causis formaliter, & sic cognoscitur sub ratione relatiui, quā importat ratio causæ, & effectus formaliter: vel fūdamētaliter, & sic quēadmodum premissę, nō sūt relatiuę, sed absolutę, sic nec cōclusi. illata, & eius cognitio erit relatiua, sed absoluta: Modò ratio applicationis formaliter dicit relationem, non fundamentaliter.

Obijcies quinto, cōtra aliā particulam, impossibile est aliter se habere, &c. De his, quæ frequentur accidunt, fiunt demonstrationes, sed manifestū est, talia posse aliter se habere: ergo illa particula nō rectè ponitur in diffinitione scire. Prima Maior probat. quia demōstratur lunā eclypsari, in hyeme pluuias, & in æstate tonitrua fieri in magna copia: sed talia sunt ex his, quæ frequenter accidunt: ergo de his fiunt demonstrationes.

Respondetur minorē esse veram secundū se, non tamē posita causa in esse, siquidē luna secūdū se potest ecclypsari, & non ecclypsari, cū sibi accidat, at posita interpositione terræ inter solem, & lunam; lunam ecclypsari est necessarium, & sic de ea fiunt demonstrationes, & non de ecclypsi secundum se, quia sic est quoddam contingens. Idem dicēdum est de omnibus, quæ frequenter accidunt.

Obij-

Obijcies sexto, de ratione scientiæ non est euidentia ex parte intellectus: ergo malè ponitur illa particula, & quoniam illius est causa, &c. Consequentia patet, per illam particulam communiter intelligitur euidentia illationis conclusionis ex præmissis, & consequenter scientiæ. Antecedens probatur, quia Theologia nostra est vera scientia, quia notitia, certa, de obiecto necessario .s. de Deo, habita per discursum syllogisticum duarum præmissarum, quarum altera est de fide, & altera naturaliter nota, & tamen non est euidens in intellectu nostro pro statu isto: ergo ad veram, & perfectam scientiam, non requiritur euidentia.

Respondetur negando antecedens, cum Doct. Subtil. in Prologo primi sent. q. 3. & 4. collat. in principio, & in 3. d. 24. q. vn. §. Ad quæstionem loquendo de scientia, prout diffinitur hic ab Aristot. c. 2. immò euidentia est conditio essentialis huius scientiæ: si verò accipiatur scientia, prout diffinitur ab eodem, 6. & hic c. 4. quatenus nimirum distinguitur solum contra opinionem, & suspicionem, tunc verum est ad scientiam nō requiri euidentiam, quia talis stat cum fide, quæ est obscura notitia, licet certissima, & de obiecto necessariò: Ad probationem dico cum eodē Doct. in 1. loc. cit. Theologiam nostram non esse scientiam propriissimè sumptam, quia caret euidentia, sed solum secundo modo prout distinguitur contra opinionem, & suspicionem.

Vtrum Diffinitiones Demonstrationis sint benè, & conuenienter assignatæ ab Aristotele?

QVÆSTIO III.

Circa hanc quęstionem nulla videtur adesse controuersia, siquidem omnes adhærent Philosopho diffinienti demonstrationem per causam finalem, & materialem, & ambas diffinitiones esse conuenienter assignatas.

Pro declaratione tamē vtriusq; primo notandum est, quod sępè sępius notauimus syllogismum in communi diuidi in demōstratiuum, dialecticum, & sophysticū, vti genus in suas species. Syllogismum autem demonstratiuum, de quo est sermo, duplicem esse .s. ostensiuum, & ad impossibile. Ostensiuus est qui procedit ex præmissis veris, ac necessarijs, siuè tales sint mediatæ, siuè immediatæ, vt hic omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal rationale, & dicitur ostensiuus, quia ostendit verum ex veris procedere. Ad impossibile verò est qui ex falso infert manifestè falsum, ex cuius interemptione, tandem concluditur verum, vt si quis negaret hanc propositionem, omnis homo est risibilis, probatur ad impossibile sic: quidam homo non est risibilis, omnis homo, est rationalis: ergo quoddam rationale non est risibile: cōclusio ista est falsa. ergo aliqua præmissarum, non minor, quia in ea, differentia essentialis prædicatur de eo, cuius est differentia; ergo maior. s. hæc quidam homo non est risibilis, igitur sua contradictoria est vera, omnis homo est risibilis. Hic est sermo de syllogismo demonstratiuo, seu de demonstratione ostensiua non ad impossibile.

Secundo notandū est syllogismum ostensiuum, seu demonstrationem ostēsiuam esse duplicem, s. à causa, seu à priori, & ab effectu siue à posteriori. Demonstratio à causa fit, quando medium est causa demonstrādi eius effectum de aliquo, vt omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis: hic. n. per animal rationale, quod est causa ostenditur risibilitas; quæ est eius effectus, inesse homini. Demonstratio verò ab effectu, est quādo per effectum, vt per medium ostenditur eius causa inesse alicui vt omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal rationale; nam per risibile, quod est effectus animalis rationalis ostendimus eius inhærentiam suo subiecto .i. diffinito. Demonstratio à causa est duplex .s. à causa propinqua, & remota. Demonstratio à causa propinqua est quando demonstratur effectus de aliquo per eius causam propinquam, vt patet in exēplo proximè allato Demonstratio verò à causa remota est quando per causam remotam, vt per mediū demonstratur eius effectus de aliquo: vt omne non respirans est non animal, sed omnis lapis est non respirans: ergo omnis lapis est non animal: respirare. n. nō est causa propinqua animalitatis sed sensibilitas: ergo non respirare non erit causa propinqua, sed tantum remota, non animalitatis. Demonstratio à causa propinqua etiam est duplex .s. potissima, seu

propter quid, & non potissima Demonstratio potissima propter quid est quæ constat ex præmissis primis veris, immediatis, vniuersalibus, & conuertibilibus, vt omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis. Demonstratio verò non potissima est cuius præmissæ non sunt ambæ vniuersales, nec conuertibiles, vt hæc omne animal rationale est risibile, Petrus est animal rationale: ergo Petrus est risibilis in qua minor, nec est Vniuersalis, nec conuertibilis, ista enim est falsa, omne animal rationale est Petrus.

Tertio notandum est totum id, quod de diffinitionibus diximus superius in Vniuersalibus, ac Prædicamentis, & præsertim tres esse conditiones requisitas ad bonam diffinitionem nimirum, quod competat soli diffinito, omni contento sub diffinito, & quod expendat naturam diffiniti per genus, & differentiam.

His prænotatis sit prima Conclusio. Prima diffinitio demonstrationis in qua dicitur Demonstratio est syllogismus apoditicon, seu vt alij vertunt, Epistemonicon. idest faciens scire, est quiditatiua, & conuenienter assignata. Probatur, quia diffinitio constans ex genere, & differentia est quiditatiua ex Aristotele septimo Meth. t. c.43. sed huiusmodi diffinitio constat ex genere, & differentia: ergo est quiditatiua. Minor probatur, quia ly syllogismus est genus, vt alibi probauimus, quia prædicatur de syllogismo demonstratiuo, topico, & Sophystico, tamquã de differentibus specie: & ly faciens scire est differentia, quia per hoc differt à topico, cuius finis est generare opinionem, & à Sophystico, qui non facit scire, sed apparenter scire, seu decipere. Secunda pars probatur. Quia illa diffinitio, quæ habet omnes conditiones bonæ diffinitionis, est conuenienter assignata; sed hæc diffinitio est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet, quia nihil aliud requiritur. Minor probatur, quia demonstratio sola, & omnis demonstratio, facit scire, vt inferius probabimus, & expendit naturam syllogismi demonstratiui per genus; & differentiam, vt demonstratum est: ergo habet omnes conditiones requisitas ad bonam diffinitionem.

Secunda Conclusio. Secunda diffinitio, in qua dicitur, demonstratio est, quæ procedit ex primis, veris, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis, est pariter quiditatiua, & conuenienter assignata. Probatur eodem modo, sicut prior; siquidem in illa subintelligitur syllogismus, qui est genus, & per illas particulas, ex primis, veris, immediatis, &c. subiunguntur partiales differentiæ, vnam integrantes totalem, per quam materialiter differt syllogismus demonstratiuus à topico, & Sophystico, quandoquidem vt dictum est in expositione textus topicus constat ex probabilibus, & Sophysticus ex falsis, vel saltem solum apparenter veris: ergo &c. Similiter huiusmodi diffinitio est conueniens, quia habet omnes conditiones requisitas ad bonam diffinitionem datam per causam materialem; conuenit .n. soli, & omni demonstrationi, & exprimit eius naturam per genus, & differentiam, vt probatum est: ergo est benè, & conuenienter assignata.

Obijcies tamen contra primam conclusionem, quia nullum ens rationis est causa scientiæ; siquidem scientia est ens reale, & causa non debet esse imperfectior saltem suo effectu; sed demonstratio, de qua hic agitur, est ens rationis, cum sit vna secunda intentio: ergo nequit causare scientiam, quæ est ens reale.

Respondetur, maiorem esse veram secundum se, & formaliter, falsam ratione sui fundamenti; modo demonstratio quamuis formaliter sit ens rationis, & secunda intentio, tamen fundamentaliter est ens reale, & sic causat scientiam; quæ intrinsecè est ens reale.

Vel dicendum secundo, negando maiorẽ, siquidem syllogismus pro secunda intentione est subiectum in tota logica, quæ est sciẽtia. Ad probationem dico scientiam intrinsecè esse ens reale, extrinsecè verò ratione sui subiecti, posse esse etiam ens rationis; modò demonstratio pro secunda intentione est syllogismus faciens scire, quod est ens rationis extrinsecè, & ens reale intrinsecè.

Objcies secundo, quia scire diffinitur per demonstrationem, dum dicitur cap. secundo scire est per demonstrationem intelligere: ergo demonstratio nequit diffiniri per scire, aliter huiusmodi diffinitiones essent circulares, & non bonæ.

Respondetur negando consequentiam, quia non inconuenit aliqua à se inuicem diffini-

finiri secundum diuersa genera causarum, vt patet in proposito, quia scire diffinitur per demonstrationem, vt per causam efficientem, demonstratio verò per scire, vt per causam finalem, siquidem finis demonstrationis est parere scientiam, & sic non sequitur circulus, quia vtraque datur per priora, & notiora in alio, & alio genere causæ.

Obijcitur tertio, contra secundam conclusionem, quia in Mathematica sunt plures demonstrationes potissimæ; sed tales non procedunt ex primis, & immediatis, quia ex his procedit tantum prima demonstratio Geometrica: ergo non omnis demonstratio procedit ex primis, & immediatis.

Respondetur maiorem esse veram ratione euidentiæ non tamen ratione causalitatis quia sic non sunt omnes potissimæ, sed solum illæ, quæ procedunt ex primis veris, & immediatis.

Obijcies quarto. Hæc diffinitio in se continet superflua: ergo non est bona, & conuenienter assignata. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia omnia prima sunt immediata, & è conuersò: ergo si dicitur ex primis, superfluit subiungere ex immediatis. Similiter omnia prima, & immediata sunt etiam priora conclusionibus ergo superfluum fuit addere ly ex prioribus, & notioribus. Antecedens patet, quia conclusiones sunt effectus, & principia prima sunt causæ, modo causa est semper prior saltem natura suo effectu.

Respondetur, ex Doctore Subtili in primo Post. q. 11. negando antecedens, ad probationem, dico esse falsum quod omnia principia sint immediata, quia hæc est per se primo. Homo est animal, & tamen non est immediata, cum possit probari per animal rationale, & per alia media; similiter posito etiam, quod prima, & immediata sint eadē, adhuc non superfluunt, quia in ordine ad conclusionem accipiuntur sub diuersis proprietatibus, si quidem dicuntur prima, quia non habent alia priora; dicuntur verò immediata, quia non applicantur ad conclusiones per alia media. Ad secundam probationem dico principia dici prima in se, & absolutè, priora verò per ordinem ad conclusiones, quæ tamquam effectus, dicuntur posteriores, & hac ratione dicuntur etiam causæ, quatenus de esse communi, quod habent, appropriantur ad inferendas has, & non omnes conclusiones, & sic nulla ex particulis positis in diffinitione secunda demonstrationis superfluit, vt prætendebat argumentum.

Obijcies quinto, si demonstratio esset ex primis veris, & immediatis, sequeretur nullam dari demonstrationem ab effectu ad causam, sed hoc est contra Aristotelem, vt inferius demonstrabimus, tum in hoc libro, tum in secundo Post: ergo, &c. Sequela maioris est clara, quia prima, & immediata sunt causæ, & non effectus: ergo nulla esset demonstratio procedens ab effectu ad causam.

Respondetur, maiorem esse veram de demonstratione propter quid, & simpliciter, quia nulla talis datur, quæ non sit ex primis veris, & immediatis, falsam tamen de demonstratione, vt sic, quia cum ista compræhendat sub se etiam demonstrationem, quia quæ datur per effectum ad ostendendam causam, sequitur dari demonstrationem aliquam, quæ non procedat ex primis, & immediatis, vt inferius probabimus; nec indè sequitur hanc diffinitionem non esse bonam, quia non compræhendit omnem demonstrationem, sed tantum illam, quæ facit scire simpliciter.

Vtrum de non Ente possit haberi scientia?

QVÆSTIO IV.

CVm Aristoteles dixisset in principio huius secundi capitis scientiam non posse esse de eo, quod contingit aliter se habere; & intulisset, quarè cuius simpliciter est scientia, hoc est impossibile aliter se habere, dedit occasionem inuestigandi, an propositio sit vera solum in entibus; vel possit extendi etiam ad non entia, cum ex illis aliqua non contingat aliter se habere, & possint dici non entia necessaria.

Pro cuius intelligentia primò notandum, est ex Aristotele, 5. meth. t.c. 14. & 6. Meth. t. c. 8. & 12. Meth. t. c. 11. & 5. physicor. t. c. 8. & colligitur ex Doct. Subt. in Quolib. q. 3. in principio, quod tam ens, quàm non ens potest tripliciter accipi, vno modo secundum compositionem, & diuisionem, & sic propositio actu

in qua prædicatum conuenit subiecto, vt homo est animal, vel homo non est asinus dicitur ens, & per oppositum propositio in qua prædicatum repugnat subiecto, vt homo est asinus, vel homo non est animal, dicitur non ens complexum. Secundo modo dicitur secundum actum, & potentiam, & sic illud, quod existit dicitur ens, & illud quod non existit, potest tamen existere dicitur non ens, vt rosa in vere dicitur ens, quia actu existit, in hyeme verò appellatur non ens, cum actu non existat, licet possit existere, tertio modo dicitur ens, quod habet esse aliquo modo, vel extra, vel in intellectu, & sit quælibet entitas, siue creata, siue increata, siue substãtialis, siue accidentalis dicitur ens, & res, & per oppositum illud, cui repugnat simpliciter esse, siue in anima, siue extra animam dicitur non ens incomplexum: Hic est sermo de vtroque, sed præcipuè de non ente primo modo accepto, quatenus dicit falsitatem propositionis, siuè affirmatiuæ, siue negatiuæ, & est sensus, vtrum de propositione falsa, seu includente repugnantiam prædicati cum subiecto possit haberi scientia per demonstrationem?

Secundo notandum est veritatem esse duplicem scilicet complexam, & incomplexã. Veritas complexa est passio propositionis dicentis connexionem prædicati cum subiecto; vndè cum intellectus iudicat aliquod prædicatum debere conuenire subiecto, est veritas necessaria, vt in hac homo est animal quando verò iudicat posse conuenire, & nõ conuenire, vt in hac homo est albus dicitur veritas contingens: Huic duplici veritati opponitur duplex falsitas, scilicet necessaria, & est quando prædicatum repugnat subiecto, vt in hac propositione, homo est lapis, vel homo non est animal, & contingens, cum prędicatum potest non conuenire subiecto, seu eidem non repugnare, vt in hac Petrus volat, vel non volat, siquidem hoc prædicatum volat, non repugnat Petro abintrinseco, & ideò non facit propositionem falsam necessariò, sed tantum contingenter. Veritas autem incomplexa est passio simplex cuiuslibet entis, & diffinitur per hoc; quod sit adæquatio rei ad intellectum cognoscentem rẽ sicuti est, vndè cum intellectus cognoscit aliquod obiectum sicut est à parte rei, vt hominem esse album, vel risibilem, quia sic se habet in re, tunc dicitur verus intellectus, sicut per oppositum, si conciperet hominem irrisibilem, vel Petrum album sub nigredine intellectus esset falsus. Hic agendum de vtraque veritate, & falsitate, sed præcipuè de complexa.

Tertio notandum est Veritatum necessariarum alias esse euidentes, & alias non euidentes. Veritas euidens dicitur illa cuius alter terminus notus, alterum necessariò, & euidenter includit, vt ista animal rationale est risibile, siquidem cum sit immediata habet suam euidentiam ex mera inspectione terminorum. Veritas necessaria non tamen euidens est in qua subiectum includit necessariò prædicatum, non tamen immediatè, vt ista, homo est risibilis, quę fit euidens mediate hoc discursu, omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo, omnis homo est risibilis. Huic duplici veritati necessariæ, scilicet euidenti, & non euidenti opponitur duplex falsitas necessaria, scilicet euidens, & non euidens: tunc propositio necessariò falsa dicitur euidenter falsa, cum subiectum secundum se excludit prædicatum, vt ista omne animal rationale est rudibile, nam cognita natura huius subiecti, animal rationale, statim intellectus iudicat sibi repugnare esse rudibile: tunc verò propositio non est euidenter falsa, cum eius falsitas non habetur ex terminis, sed potest demonstrari per propositionem priorem, vt ista homo est audibilis, quia eius falsitas potest demonstrari per hanc omne animal rationale est rudibile, quæ habet immediatam euidentiam falsitatis.

Ex his fit prima Conclusio. De non Ente complexo, seu secundum compositionem, & diuisionem, nequit haberi scientia. Probatur quia scientia est verorum, & impossibilium aliter se habere, ex Aristotele hic cap. 2. sed non ens complexum, seu secundum compositionem, & diuisionem est falsum, vt patet ex primo Not. ergo de tali non ente nequit haberi scientia.

Secunda Conclusio. De non Ente incomplexo, cui repugnat simpliciter esse, nequit esse scientia. Probatur, quod non est intelligibile non est scibile; sed huiusmodi non ens, non est intelligibile: Ergo nec scibile. Maior patet, quia scire est rem per demonstrationem intelligere, ex Aristotele hic cap. 2. ergo quod non est intelligibile, non est scibile. Minor probatur, quia intelligibilitas est pas-

sio

sio entis; sed non ens cui simpliciter repugnat esse nequit esse vllo modo ens: ergo &c. Secundo probatur per demonstrationẽ non scitur nisi verum; sed scientia est effectus demonstrationis: ergo scientia est tantum verorum; atqui non ens importat falsitatem: ergo &c. Maior patet, quia ex veris dispositis in modo, & figura non scitur nisi verum, ex primo lib. Priorum; sed demonstratio procedit ex veris, vt probat Aristoteles hic cap. 2. ergo per demonstrationem non scitur nisi verum.

Tertia Conclusio. De non ente in actu potest esse scientia. Probatur, quia non ens in actu est verum ens in potentia, vt patet de rosa in hieme, quæ actu non est potest tamen esse, & existere; sed verum ens est intelligibile: ergo, & scibile. Minor patet, quia intelligibilitas est passio entis. Consequentia probatur, quia scire est per demonstrationem intelligere, ex diffinitione ipsius scire, tradita hic cap. 2. Sed verum ens potest per demonstrationem intelligi: ergo, & sciri.

Obijcies primo contra primam, & secundam conclusionem, quia de necessarijs, & impossibilibus aliter se habere; potest esse scientia; sed non entia primo, & secundo modo sunt huiusmodi: ergo de illis potest esse scientia. Maior est Aristoteles, primo Post. cap. 2. 7. & 8. vbi probat demonstrationem esse de necessarijs, & impossibilibus aliter se habere; atqui scientia est effectus demonstrationis: ergo scientia debet esse de necessarijs, & impossibilibus aliter se habere. Minor probatur, quia accipio aliquod non ens; quod secundum te est falsum, & impossibile, vt verbi gratia. Deum non esse, & quæro an tale possit esse verum, aut non; si dixeris primum: ergo impossibile poterit esse possibile, quod implicat contradictionem; sin autem concesseris secundum sequitur tale non ens esse falsum necessarium, & non posse aliter se habere.

Respondetur, maiorem esse veram addito tamen glossemate, vt si talia sint entia necessaria, & positiua, de illis posse haberi scientiam primariò, & positiuè; si verò sint non entia, & necessaria; posse huiusmodi sciri negatiuè; hoc est dictu, cognoscuntur euidenter talia non esse, & esse impossibile, vt sint, ex quibus infertur esse necessariò non entia, & falsa.

Obijcies secundo, infinitum in actu est impossibile etiam de potentia Dei absoluta; ac proindè est, non ens simpliciter; sed de tali potest haberi scientia: ergo, &c. Maior probatur in tertio physicorum in propria quæstione. Minor probatur, quod diffinitur potest sciri; sed infinitum in actu diffinitur in tertio Physic. t. c. 3. ergo potest sciri.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico maiorem esse veram, si tale habeat diffinitionem quid rei, & quidditatiuam, quia talis dumtaxat est medium sciendi, vt probabimus in secundo Post. non tamen si tantum quid nominis, & descriptiuam; modo infinitum in actu in præcitato loco habet solum diffinitionem secundo non primo modo.

Obijcies tertio, vbi adest euidentia veritatis per demonstrationem, ibi est vera scientia, sed de non ente potest haberi huiusmodi euidentia per demonstrationem: ergo ibi potest esse vera scientia. Maior patet per diffinitionem scientiæ traditam ab Aristotele, hic in principio secundi Capitis. Minor probatur, quia hæc est falsa homo est rudibilis, & eius euidentia habetur per hanc demonstrationem: omne animal rationale est rudibile, sed omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est rudibilis; ex qua infertur nos cognoscere euidenter hanc veritatem, nimirum falsum esse hominem esse rudibilem.

Respondetur negando minorem, ad probationem concedo vtique discursum, quod nimirum ostendatur euidenter falsitas illius propositionis, homo est rudibilis, sed nego, cognitionem euidentem illius falsitatis terminari ad ipsam falsitatem; siquidem terminatur solum ad illam veritatem, per quam cognoscitur euidentia illius falsitatis, vt per demonstrationem deducta, non verò ad illam falsitatem, quam illud non ens importat, & sic cognitio illa cadit super ens, & non supra non ens.

Vtrum Axioma Aristotelis, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, sit vniuersaliter verum?

QVÆSTIO V.

ARistoteles ostendere volens necessitatem principiorum ad inferendam cõclusionem in demonstratione, & quam certitudinem debeant habere, vt certam, ac manifestam inferant conclusionis notitiam, profert illud axioma, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, cum igitur conclusiones reddantur certæ, notæ ac manifestæ ex principijs, infert horum notitiam, ac certitudinem debere esse maiorem, quam sit certitudo, ac notitia conclusionum: Cæterum quia talis propositio vniuersaliter sumpta patitur multas difficultates, quæritur in quo sensu sit accipienda, ac intelligenda, vt intentum Aristotelis probare valeat.

Pro cuius declaratione primo notandum est, quod ad hoc, vt talis propositio sit vera tres conditiones requiruntur, prima quod prædicatum in quo fit comparatio; vniuocè conueniat vtrique extremo comparabili, defectu cuius non sequitur, terra est calida formaliter propter solem: ergo Sol est magis calidus formaliter; siquidem caliditas in qua fit comparatio, non competit vniuocè soli, & terræ, sol enim est calidus tantum virtualiter, terra verò formaliter. Secunda conditio quod tale prædicatum suscipiat magis, & minus, & ideò non sequitur Bucephalus est equus propter patrem suum: ergo pater eius est magis equus, quia equus, cum sit substantia, non suscipit magis, & minus. Tertia conditio, quod fiat in causis totalibus; vndè non sequitur, ferrum est calidum propter ignem: ergo ignis est magis calidus, quod est contra experientiam; siquidem ignis non est causa totalis caloris in ferro, cum concurrat ad eius intensionem etiam aer in poris eiusdem repertus, ex cuius accensione sequitur maior calor in ferro.

Secundo notandum est scientiam dupliciter sumi posse, vno modo strictè, alio modo largè. Primo modo diffinitur ab Aristotele primo Post. cap. 2. quod sit notitia, certa, & euidens, de obiecto necessario, causata à causa euidenti intellectui, & applicata ad scitum per discursum syllogisticum, idest per demonstrationem, & sic tantum dicitur notitia conclusionis per demonstrationem deductæ, & non principiorum, quia hæc non sciuntur per demonstrationem, sed per inspectionem terminorum. Secundo modo diffinitur ab eodem sexto Ethic. cap. 4. per habitum intellectualem, vel notitiam, qua determinatè verum dicimus, siuè talis habitus, aut notitia habeatur per demonstrationem, siue non, & hoc modo, scientia est communis scientiæ propriè dictæ notitiæ principiorum, quæ vocatur intellectus, & fidei, distinguiturque solum ab opinione, & suspitione, vt probat Doct. Subt. in Prologo primi sent. quæst. 3. princip. & 4. & 5. Laterali, & in 3. dist. 24. quæst. vnica Sub. D. ex quibus infertur, quod quando Aristoteles dicit principia magis sciri, quam conclusiones, quia hæ sciuntur propter principia, dicendum est loqui de scientia hoc secundo modo accepta tantum, alioquin non esset verum illud axioma, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, cum scientia propriè dicta non conueniat vniuocè, sed tantum æquiuocè principijs, & conclusioni, ex illis deductæ.

Tertio notandum est, Principia esse in duplici differentia, alia sunt immediata, & alia mediata. Immediata sunt illa, quæ à se, & ex se, idest ex proprijs terminis, quæ sunt eorum, habent notionem & certitudinem, vt hæc, omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale; siquidem in primo prædicatur passio de diffinitione subiecti, & in secundo diffinitio de diffinito, & hæ prædicationes sunt immediatæ, cum nullum sit medium per quod probari possit prædicatum conuenire subiecto. Mediata sunt illa, quæ per immediata demonstrari possunt, vt hæc propositio: omnis homo est capax disciplinæ potest sic demonstrari; omne animal rationale est capax disciplinæ; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est capax disciplinæ. Aliqui dicunt prædictum axioma verificari tantum de cõclusionibus comparatis ad principia immedia-

diata, non verò ad mediata, siquidem illa cū sint causæ equiuocę conclusionis, & sint nota, ac certa ex se, & à se, conclusio verò non ex se, aut à se, sed ex principijs, sequitur magis esse nota principia, quam conclusio; cæterum mediata cum, & ipsa sint demonstrabilia, quemadmodum, & conclusio, & consequenter eiusdem cognitionis vniuocæ, ac certitudinis eiusdem rationis, necessariò inferri debet, quod principia mediata non sint magis, sed solum æqualiter nota, cum conclusione. An autem hæc sententia sit vera, & nobis probanda, vel reprobanda, videbimus in conclusionibus sequentibus.

Ex his: ergo sit prima Conclusio. Axioma Aristotelicum, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, est verissimum, si obseruentur illæ tres conditiones, positæ in primo Notabil. Est Scoti in primo Post. quæst. 12. & 13. Probatur, quia causa vniuoca totalis est excellentior suo effectu, saltem in his, quæ possunt suscipere magis, & minus; sed in tali propositione, seu axiomate ly tale exponit effectum, & ly illud causam totalem vniuocam: ergo est verum. Maior patet, si quis amet Magistrum propter discipulum, sequitur magis diligere discipulum, atqui amor inter illos est causa vniuoca, & suscipit magis, & minus, cum sit qualitas: ergo, &c. Confirmatur, quia illud quod reperitur in effectu, & causa, nobilius, & excellentiùs reperitur in causa quam in effectu, cum de ratione causæ sit, quod excellat effectum: ergo si aliqua proprietas reperitur in effectu per causam vniuocam, sequitur excellentius debere reperiri in causa, quam in effectu, aliter causa non excelleret effectum.

Secunda Conclusio. Illud Axioma tenet in comparatione ad omnia principia, tam immediata, quam mediata: Est Scoti in primo Post. quæst. 13. Probatur prima pars, quia principia immediata habent à se, & ex se, quod sint nota, & certa, quia ex terminis, & non aliundè, conclusiones verò non sunt notæ, aut certæ à se, & ex se, sed ex virtute principiorum: ergo principia debent esse magis nota, ac certa quam conclusiones. Consequentia probatur, quia quod conuenit aliquibus, & vni eorum per se primo, alijsque per ordinem ad ipsum tantum, conuenit magis illi, quam cæteris, sed notitia, & certitudo conuenit, tam principijs, quam conclusionibus, sed principijs à se, & ex se, conclusionibus verò tantum per ordinem ad principia: ergo his magis, quam illis, conuenire debet. Secunda Pars probatur, quia principia mediata in ordine ad conclusionem agunt in virtute principiorum immediatorum: ergo si principia immediata sunt magis nota conclusione, etiam mediata erunt magis nota. Antecedens probatur, quia principia mediata non sunt nota, & certa ex se, & à se, sed totam notitiam, ac certitudinem habent deriuatam à principijs immediatis: ergo dum causant notitiam, & certitudinem in conclusionibus, agunt in virtute illorum, alioquin haberent ex se, & à se aliquam certitudinem per quam causarent, & sic non essent demonstrabilia, sed immediata, & indemonstrabilia. Secundo Probatur, tota conclusio simul ratione Doctoris Subtil. loco citato, quia si omnia principia, siuè immediata, siuè mediata non essent magis nota conclusione; ergo essent minus, vel æquè nota, sed neutrum horum est dicendum: ergo, &c. Maioris sequela patet à sufficienti diuisione. Minor probatur non essent minus nota, quia nihil agit vltrà suam virtutem, cum virtus sit vltimum potentiæ; sed principia per suam virtutem sunt causæ conclusionis: ergo maiorem cognitionem nequeunt facere in conclusione, quam ipsa de se habeant. Neque æquè nota, quia de ratione causæ est, quod quicquid reperitur in effectu, & causa, excellentius reperiatur in causa, sed principia, quocumque modo considerentur, semper sunt causæ vniuocæ conclusionis: ergo notitia, & certitudo, quæ repetitur vniuocè in illis, excellentius habet reperiri in principijs, quam in conclusione.

Tertia Conclusio. Si scientia accipiatur propriè, pro notitia conclusionis habita per demonstrationem per euidentem illationem præmissarum, axioma Aristotelicum non est verum, comparando conclusionem ad principia, siue mediata, siue immediata. Est Scoti ibidem. Probatur, quia illud axioma habet solum veritatem, vbi comparabilia vniuocè conueniunt, ex

prima conditione posita in primo notandum, sed conclusio, & principia, quęcumque illa sint, non sunt comparabilia in notitia, quæ sit scientia propriè dicta, vt aduertimus secundo Not. ergo illud axioma non verificatur in illis. Minor probatur, quia notitia principiorum, quæ vocatur intellectus, non habetur per causam, sed immediatè ex terminis, notitia verò conclusionis, quæ appellatur scientia propriè dicta, habetur per causam, scilicet per demonstrationem: ergo non conueniunt vniuocè, & consequenter non sunt comparabilia, quia comparatio ex Aristotele 7. Physicorum, solum est in vniuocis.

Obijcitur primo contra primam conclusionem, si illud axioma esset verum vt sic expensum in primo Not. sequeretur conclusionem non esse ita veram, ac certam, sicut principia, sed hoc non est dicendum: ergo tale axioma non est verum, etiam seruatis illis conditionibus. Maioris sequela probatur, quia cum conclusionis veritas, ac certitudo habeatur à veritate, & certitudine principiorum, si est verum propter quod vnumquodque tale, illud esse magis, sequitur veritatem, & certitudinem conclusionis esse minorem veritate, & certitudine principiorum. Minor probatur, quia veritate, ac certitudine necessaria nihil est verius, ac certius: sed veritas, & certitudo conclusionis, cum habeatur per demonstrationem est necessaria, siquidem demonstratio est ex necessarijs, vt probabimus inferius cum Aristotele: ergo non datur veritas, ac certitudo verior, ac certior, quam conclusionis, & consequenter principia per illud axioma non sunt magis vera, & certa.

Respondetur negando minorem, ad probationem negatur maior; siquidem cum veritas, & certitudo, etiam in necessarijs, non consistat in indiuisibili, sed habeat latitudinem; iuxtà maiorem, & minorem necessitatem, fatendum est dari maiorem, & minorem veritatem, ac certitudinem, cum igitur necessitas principiorum, quæ est à se, sit maior, quam illa conclusionis, quæ est ab alio, sequitur veritatem, & certitudinem principiorum esse maiorem, quam in conclusione.

Obijcies secundo, contra secundam conclusionem quia illud axioma Aristotelis non valet nisi in causis vniuocis, vt explicat Scotus hic q. 12. §. Ad quæstionem, &c. Sed principia immediata non vniuocantur cum conclusione: ergo non valet comparando conclusionem ad principia immediata. Minor probatur, quia notitia principiorum, cum sit intellectus, differt specie à notitia conclusionis, quæ appellatur scientia: ergo, &c.

Respondetur, negando minorem, ad probationem dico vniuocari in scientia, quatenus est tantum notitia verorum necessariorum, quia talis abstrahit à scientia proprijssimè dicta, quæ est notitia conclusionis necessariæ, & ab intellectu, qui est notitia principiorum: & cum probatur, quod differunt specie, ac proindè non posse vniuocari in aliquo, est falsum, quia illa, quæ differunt specie vniuocantur in conceptu generis, vt alias probatum est.

Obijcies tertio, contra secundam partem eiusdem conclusionis, quia in vniuocis non datur magis, & minus; sed assensus principiorum mediatorum vniuocatur cum assensu conclusionis, quia vterque habetur per demonstrationem: ego assensus principiorum mediatarum non recipit magis, ac proindè in his non valet, propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Respondetur maiorem esse veram. Si talia vniuoca non suscipiant magis, & minus, sicut accidit in substantijs, quantitatibus, ac relationibus fundatis in illis, falsam in vniuocis prædicamenti qualitatis, quia duæ albedines vniuocantur, & tamen in illis potest dari magis, & minus, vt experientia constat, modo licet assensus principiorum mediatorum sit demonstrabilis, sicut ille conclusionis, & per consequens vniuocentur, non propterea neganda est maior excellentia in illo, cum habeat rationem etiam causæ, & iste tantum effectus.

Vel dicendum secundo Principia mediata posse considerari, & in quantum sunt demonstrabilia per principia immediata, vel in quantum virtute illorum causant conclusionem; primo modo sunt eiusdem rationis cum conclusione, & sic non susci-

suscipiunt magis; secundo modo sunt alterius rationis, & sic dicuntur magis nota, vera, & certiora conclusione.

Obijcies quarto, contra tertiam conclusionem. Eodem genere scientiæ debent esse magis scita principia, quo conclusiones sciantur per principia; sed conclusiones sciuntur per principia scientia proprijssimè sumpta: ergo eadem scientia debent esse magis scita, etiam principia, ac proindè axioma illud, propter quod &c. habet verificari etiam in scientia proprijssimè accepta. Maior patet, quia aliter principia, & conclusiones non essent comparabilia, siquidem comparatio solum fit in vniuocis ex Aristotele, septimo Physicorum. Minor probatur, quia conclusiones sciuntur per principia ex Aristotele hic cap. secundo; sed sciuntur proprijssimè, quia per demonstrationem, per quam causatur proprijssima scientia: ergo per principia sciuntur, scientia proprijssima, & consequenter eadem scientia debent, & illa magis sciri, quod tamen est falsum.

Respondetur minorem, & probationem esse veras virtualiter, non tamen formaliter; siquidem in proprijssima scientia continetur euidentia illationis, quæ non habetur formaliter à principijs, sed ab illorum dispositione, in modo, & figura; vndè sequitur, quò ad hanc conditionem non deberi comparari principia, & conclusionem, sed solum in scientiam magis propria in qua vniuocè conueniunt.

Vtrum omnis Propositio immediata sit, per se nota?

QVÆSTIO VI.

Circa hanc quæstionem extat duplex opposita sententia, quarum prima est D. Thomæ 1. p. Sum. q. 2. art. 1. De Verit. q. 10. art. 12. & lib. 1. contra Gent. ca. 10. & 20. Caiet. ad primum locum D. Thomæ, & primo Post. cap. 2. Ferrarien. ad tertium locum D. Thom. Scoti hic cap. 1. q. 2. ad 9. Capreoli in primo sent. d. 2. art. 1. & 2. Ricardi in primo d. 3. art. 1. q. 2. Durandi ibidem, Ruuij hic q. 2. & communiter Thomistarum, asserentium partem affirmatiuam, siquidem dicunt omnem propositionem, quæ scitur absque adiutorio alterius propositionis esse per se notam, atqui omnis propositio immediata est huiusmodi; igitur inferunt omnem propositionem immediatam esse per se notam, & è conuersò, & hanc esse mentem Aristotelis hoc loco censet Ruuius loco citato sub num. 13.

Secunda sententia est Scoti in 1. d. 2. q. 2. sub A. Licheti, & Tatareti ibidē, ac 1. Post. q. 2. art. 2. Dub. 2. Bargij, & Fabri super primum sent. Scoti loc. cit. & in Philosophia Theoremate septimo asserentium partem negatiuā, nimirum, non omnem propositionem immediatam esse per se notam, sed illam dumtaxat, quæ habet euidentem veritatem ex conceptione terminorum, vt sunt eius. Doctorem Subtil. sequuntur omnes eius discipuli, quamquam aliqui dicant hanc esse controuersiam potius de nomine quam de re.

Pro cuius declaratione, ac fundamento primo notādum est, propositionem posse dici immediatam quintupliciter. Primo immediatione subiecti, quando, scilicet prædicatum inest subiecto immediatè, & non per aliud subiectum, vt homo est risibilis. Secundo immediatione causæ, vt animal rationale est risibile; siquidem risibilitas originatur immediate ab animali rationali, tertio immediatione illationis, vt omnes propositiones contingentes, de subiecto singulari, vt Petrus dormit, Paulus studet. Quarto immediatione demonstrationis, vt omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale, & summatim omnes propositiones confectæ ex diffinitione subiecti, ac eius passione, & ex diffinitione ac diffinito, dicuntur hoc modo immediatæ, cum sint indemonstrabiles à priori. Quinto, & vltimò immediatione cognitionis, & est illa, quæ scitur ex terminis, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius termini, vt omne totum est maius sua parte, & de propositionibus immediatis his duobus vltimis modis, est præsertim sermo in proposito.

Secundo notandum ex Scoto loco citato sub A. quod propositio per se nota est illa, quæ, est nata habere euidentem veritatem ex conceptione terminorum, vt

per se notæ. Secunda Pars patet ex diffinitione propositionis per se notæ relata, ac declarata in secundo Notabili.

Secunda Conclusio. Ad propositionem per se notam non requiritur necessariò distincta cognitio terminorum, sed sufficit confusa. Est Scoti ibidem sub A. Probatur prima pars, quia tunc sequeretur quamlibet propositionem per se primo modo esse per se notam; sed hoc est falsum: ergo, &c. Sequela maioris probatur, quia cuiuslibet talis propositionis terminus subiecti, includit essentialiter terminum prædicati, si distinctè concipiantur: ergo quælibet esset per se nota. Minor probatur, quia hæc, homo est animal, est per se primo modo, & tamen non est per se notæ, cum probetur per istam, omne corpus animatum sensibile est animal; sed homo est corpus animatum sensibile: ergo homo est animal. Præterea Geometra dicit hanc propositionem, linea est longitudo, sine latitudine, & profunditate, esse sibi per se notam; & tamen non cognoscit terminos distinctè, aliter exiret limites suæ scientiæ, cum huiusmodi distincta cognitio pertineat ad Methaphysicum, cuius est considerare omnium entium quidditates. Secunda Pars probatur à sufficienti diuisione, quia omnis cognitio terminorum, aut est confusa, aut distincta; sed hæc non requiritur, vt probatum est: ergo sufficit confusa.

Tertia Conclusio. Non est tamen absolutè negandum dari propositiones per se notas ex cognitione etiam distincta terminorum. Est Scoti ibidem. Probatur, quia propositiones in quibus prædicantur passiones de subiecto simpliciter simplici, vt hæc ens est verum, ens est bonum, &c. sunt per se notæ, sed termini talium propositionum nequeunt cognosci, nisi distinctè, quia aut totaliter sciuntur, aut totaliter ignorantur: ergo &c. Maior patet, quia conceptus simpliciter simplex est; qui non est resolubilis in alios conceptus priores: ergo nequeunt dari propositiones priores, quibus tales demonstrari possint, & sic erunt per se notæ.

Quarta Conclusio. Omnis propositio, quæ est per se nota terminis confusè acceptis, est etiam per se nota, si termini distinctè concipiantur, non tamen è conuersò. Est Scoti ibidem. Probatur prima pars, quia termini sunt eiusdem, immò purioris significationis, & naturæ si distinctè concipiantur, ac si tantum confusè, sed confusa conceptio sufficit ad veritatem euidentem complexionis: ergo multò magis si termini distinctè concipiantur. Secunda Pars probatur, quia aliter hæc esset per se nota, & consimiles, homo est animal, terminis confusè cognitis, quod superius probauimus esse falsum. Consequenquentia patet, quia si termini distinctè concipiantur, hæc, & similes sunt per se notæ, cum constent ex terminis seinuicem essentialiter includentibus igitur, &cet.

Quinta Conclusio. Si Diuina Voluntas causaret notitiam huius propositionis, animal rationale est risibile, immediatè in meo intellectu, non propterea esset mihi per se nota, sed solum, quia termini eiusdem sunt nati facere euidentiam, vt sic concepti, in eodem meo intellectu. Colligitur ex Doctor. Subtili citato, vbi ad propositionem per se notam excludit apertè quamcumque notitiam ab extrinseco venientem. Probatur, quia per se euidentia propositionis habetur intrinsecè ab illa terminorum connexione intrinseca; sed voluntas diuina nequit causare talem connexionem, licet possit causare notitiam, quæ haberi possit ex tali connexione, cum hæc habeatur effectiuè, illa verò formaliter, quæ nequit per eamdem suppleri: ergo &c. Præterea, Scotus in 1. dist. 3. quæst. 4. sub R. ait, quod licet Diuinus Intellectus, vel Diuina Voluntas coagat terminis ad eorum compositionem, vt autem compositio sit conformis terminis, videtur sequi necessariò rationem terminorum, sed euidentia habetur ex illa conformitate prædicati cum subiecto: ergo ratio euidentiæ, quæ facit propositionem per se notam, non potest haberi à voluntate Diuina. Confirmatur, quia Scotus ibidem dicit quod sicut intellectus Diuinus, ante quemcumque actum diuinæ voluntatis producit obiecta in esse intelligibili, itaut quodammodo prior quocumque actu eiusdem, videtur coopera-ri ad conformitatem, & euidentiam; er-

go etiam si voluntas diuina causaret in aliquo intellectu notitiam alicuius, propositionis per se notæ, non propterea ex hoc diceretur per se nota, sed solum, quia termini illius, prout illius, sunt nati facere euidentiam in illo intellectu, si ab ipso concipiantur, vt sunt eius. Concluditur: ergo totam rationem propositionis per se notæ pendere à cognitione terminorum, vt sunt eius, & non ab extrinseco, quæcumque sit illa causa.

Obijcies primo, contra primam conclusionem quælibet propositio indemonstrabilis est per se nota: sed quælibet propositio immediata est indemonstrabilis: ergo quælibet propositio immediata est per se nota.

Respondetur primo, maiorem esse falsam, quia hæc, nix est alba est indemonstrabilis, & tamen non est per se nota, cum possit probari per sensum.

Vel dicendum secundo, negando minorem, hæc enim est immediata immediatione subiecti, homo est risibilis, & tamen est demonstrabilis per istam, omne animal rationale est risibile.

Obijcies secundo, contra secundam conclusionem. Prima principia sunt per se nota, & tamē termini non concipiuntur confusè: ergo falsa secunda conclusio. Antecedens quoad primam partem est Philosophi secundo Meth.t.c.5.& 1.Post.cap.3.quò ad secundam verò est Scoti in Prol.q.1.& in 1.d.2.q.2.& d.3.q.3.

Respondetur concedendo totum discursum, cum probet tertiam conclusionem, esse nimirum aliquas propositiones per se notas ex terminis distinctè cognitis.

Dices: ergo diffinitio, quam ponit Scotus de propositione per se nota non est sufficiens, sed hoc non est concedendum: ergo. &c. Sequela probatur, quia secundū Scotū ad propositionem per se notam sufficit conceptus confusus terminorum, & non necessariò requiritur distinctus, sed prima principia nequeunt confusè concipi: ergo aut diffinitio tradita non est sufficiens, aut prima principia non sunt per se nota, vtrum concedatur, taxandus erit, vel Scotus, vel Philosophus.

Respondetur negando sequelam, ad probationem dico, quod actualis conceptio terminorum, siue confusa, siue distincta, non est de ratione propositionis per se notæ, quinimò si nullus adesset intellectus, non minus propositio, quæ est per se nota ad præsens alicui intellectui, esset secundum se simpliciter per se nota, & hoc patet ex verbis Doctoris ibidem §. Est igitur omnis, & sola illa propositio per se nota, quæ ex terminis sic conceptis, (hoc est, vel confusè, vel distinctè) vt sunt eius termini; nata est habere euidentem veritatem complexionis. Quando autem dicit Scotus sufficere conceptum confusum terminorum, hoc solum dicit, quia non est necesse in omnibus concipere terminos distinctè, si tamen distinctè concipiantur, non propterea negat ab illis euidentem veritatem complexionis, vt patet in primis principijs, quæ secundum ipsum sunt nihilominus per se nota; ex quo patet optimè saluari sufficientiam eius diffinitionis, cum detur indifferenter a cognitione confusa, & distincta, & solum per illam habitudinem, quam habent adinuicem termini propositionis per se notæ.

Obijcies tertio, quia Scotus in primo, dist. 2. quæst. 2. inquit, hanc propositionem, Deus est, esse per se notam, si termini distinctè concipiantur, quapropter subiungit non esse nobis per se notam, quia non concipimus distinctè terminos, sed solum Deo, & Beatis in Patria: ergo ad propositionem per se notam secundum ipsum non sufficit terminorum confusa apprehensio, sed requiritur distincta.

Respondetur Doctorem Subtilem non vti hoc termino, distinctè, sed hoc alio, perfectè concipienti terminos, qui potest conuenire etiam cognitioni confusæ: Si verò vnquam inueniatur dixisse distinctè, intelligi debet, perfectè; & sic infertur, quod si nos conciperemus hos terminos, Deus, & esse, etiam confusè, perfectè tamen, vt concipitur à Beatis, scilicet in particulari, esset etiam nobis per se nota propositio: Et quod hæc sit mens Do-

Doctoris colligitur apertè, quia secundum ipsum nec Beati, quicumque sint, possunt distinctè in particulari cognoscere ipsum Deum, & eius essentiam, alioquin possent ipsum comprehendere, quod tamen nemo concederet.

Obijcies octauo. Confusa conceptio, & distincta conceptio non faciunt, vt aliqua propositio sit per se nota, & aliqua non, sed diffinitio, & diffinitum differunt dumtaxat secundum confusam, & distinctam conceptionem: ergo si prædicatum est per se notum de diffinitione, erit etiam per se notum de diffinitio, quod tamen est contra Doctorem vbi supra sub A. Maior probatur, quia propositio per se nota dependet solùm à natura terminorum, excludendo quamcumque operationem intellectus ex eodem Doctore ibidem §. Ex hoc patet &c. Sed conceptio, siuè confusa, siuè distincta pertinet ad operationem intellectus: ergo non faciunt, vt aliqua propositio sit per se nota, & aliqua non. Minor patet quia nulla potest reperiri differentia, quæ illam præueniat, aut sit illa maior.

Respondetur. Negando minorem, immò datur differentia prior, scilicet conceptibilitas confusa, & distincta ex natura rei insequentes naturam diffinitionis, & diffiniti: posito enim, quod nullus intellectus concipiat hos terminos diffinitum, & diffinitio, semper diffinitum erit natum concipi confusè, & diffinitio distinctè; vel vt meliùs dicam, res importata per diffinitum erit nata concipi confusè, & distinctè per diffinitionem: Ex quo patet conceptum confusum, & distinctum esse alium, & alium ex natura rei, & non solum per opus intellectus.

Dices: Concipi nihil reale ponit super re concepta: ergo diffinitum, & diffinitio non differunt ex natura rei.

Respondetur. Antecedens esse verum accipiendo ly reale pro se, non tamen si sumatur pro realitate, quia diffinitum ex quo non est conceptibile distinctè, sicut diffinitio, ponit in re concepta realitatem diuersam à realitate diffinitionis.

Obijcies quinto. Aliqua propositio per se nota est demonstrabilis, quia secundum Phylosoph. 2. Physic. t. c. 6. naturam esse, motum esse est per se notum, sed tales secundum ipsum possunt demonstrari per principia Methaphisicalia, immò de facto probat illas propositinnes in primo Physicorum ergo &c.

Respondetur. Antecedens esse verum accipiendo per se notum largè, pro eò nimirum, quod non necessariò indiget demonstratione, vt appareat euidens, cum possit cognosci sufficienter etiam per sensum, non tamen si sumatur per se notum strictè, vt excludit omnem cognitionem, præter illam, quæ est terminorum, quia sic naturam esse, motum esse, non est per se notum, sed potest demonstrari per principia Methaphysicæ, modò Doctor in sua diffinitione loquitur de per se noto strictè accepto.

Dices: Primum principium secundum Scotum est per se notum; sed tale probatur à Phylos. in Methaphysica: ergo aliquod per se notum etiam strictè sumptum potest demonstrari.

Respondetur. Minorem esse veram à posteriori, & per experientiam, & non nisi proteruo, cum hoc tamen stat, vt à priori sit indemonstrabile.

Dices secundo. Hæc propositio, omne totum est maius sua parte, est per se nota secundum Aueroë secundo suæ perspectiuæ, & etiam per Doctores vbi supra; sed talis potest demonstrari sic, omne quod est tantumdem, & magis, est maius, sed totum respectu partis est totundem, & magis ergo totum est maius sua parte. Vel sic, omne continens multitudinem partium est maius qualibet illarum, sed omne totum est huiusmodi: ergo omne totum est maius sua parte.

Respondetur. Negando minorem, ad probationem, dico tales processus non esse demonstrationes, quia præmissæ non sunt notiores conclusione, quod tamen necessariò requiritur in demonstratione.

De erroribus antiquorum circa scientiam, & demonstrationem.

C A P. III.

Istud Caput tertium diuiditur in duas partes principales, in quarum primà recenset Phylosophus opiniones antiquorum circa scientiam, & incipit ibi quibus-

dam autem igitur, &c. In secunda verò ponit propriam opinionem confutando errores antiquorum: & ibi incipit: Nos autem dicemus neque omnem scientiam demonstratiuam esse &c.

Quò ad primam partem fuit duplex opinio, seu potius duplex error antiquorum, quidam enim negabant simpliciter dari sciẽtiam, Alij verò considerabant vtique dari scientiam, sed dicebant omnem talem esse demonstratiuam, seu haberi per demonstrationem, siue sit notitia conclusionis, siue primorum principiorum. Primum probabãt hoc modo, si daretur scientia, aut talis haberetur per causas, seu principia finita, aut infinita, sed neutrum dici potest: ergo dicendũ est non dari scientiam. Maior patet quia inter finitum & infinitum non datur medium. Minorem probant quoad vtramque partem, & primo quod nõ per infinita, quia per ignotum nihil scitur; sed infinita principia sunt ignota: ergo per principia infinita non potest haberi scientia. Maior patet. Minor probatur, quia quod scitur intellectu pertransitur, cum intellectio habeat adæquatè repræsentare obiectum, sed infinitum nequit pertrãsiri, alioquin nõ infinitum, sed finitum esset: ergo etc. Neq; per finita, quia talia principia finita sunt ignota, at per ignotũ nihil scitur: ergo &c. Minor patet maiorem probãt, quia omne quod est notum & scitur, per demonstrationem scitur, quia demonstratio est syllogismus faciens scire; sed principia non sciũtur per demonstrationem, aliter daretur processus in infinitum in demonstrationibus, & principijs, quod non est concedendum: ergo talia principia, quamuis finita sunt ignota, ac proinde per illa nihil scitur. Secundum probant, quia per ignotum nihil scitur, sed conclusio demõstrationis scitur per principia demonstrationis: ergo & illa sciuntur; atqui omnis scientia habetur per demonstrationẽ: ergo omnia demonstrantur, & consequenter nullum datur principium immediatum, per quod cętera demonstrentur.

Quia tamen hæc positio videtur coincidere cum præcedenti, concedendo omnium demonstrationem, quæ cum sit impossibilis, simpliciter videntur negari scientiam, ostendunt possibilitatem harum demonstrationum per circulum, siquidem principia habent demõstrari per conclusiones, sicut hæ probantur, per principia, & ita sequitur omnium esse demonstrationem, & omnem scientiam esse demonstratiuam, quod est ipsorum positio.

Quò ad secundam partem confutat opiniones, seu errores antiquorum, & ponit propriam sententiam in duabus conclusionibus, quarum prima est, quod non omnia sciũtur per demonstrationem, sed quædam sunt prorsus immediata, quorum habetur scientia sine demonstratione, & probat, quia vbi datur status, & non est procedere in infinitum, vbi danda sunt aliqua prima, & immediata, quibus non dantur priora, sed in principijs demonstrationis non datur processus in infinitum: ergo sunt danda aliqua prima, & immediata, quibus non sint alia priora. Maior patet, quia oppositum prædicati infert oppositum subiecti, si enim non daretur status: ergo in ipsis procedendum esset in infinitum, in quo non datur status. Minor probatur, quia per infinitum nihil scitur, cum sit ignotum, sed per principia demonstrationis sciuntur conclusiones; ergo principia non sunt infinita, sed in illis datur status.

Quod autem talia prima, & immediata non sint ignota, sed sciantur subdit modum dicendo, principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus, idest perspectis terminis, illius cognoscuntur & principia sine aliquo discursu medio, ex quo infertur huiusmodi principia esse, non solum immediata, sed etiam per se nota, prout ly per se excludit quamcumque notitiam præter notitiam terminorum.

Secunda conclusio contra secundum errorem, impossibile est dari simpliciter demonstrationem circularem; tum quia idem esset notius, & ignotius, prius, & posterius respectu eiusdem, sed hoc est falsum, & impossibile: ergo impossibilis est demonstratio circularis. Sequela maioris probatur quia omnis demonstratio simpliciter, potissima, & vniuersalis, constans ex medio, quod sit diffinitio subiecti procedit ex notioribus, &

prio-

prioribus; sed admissa demonstratione circulari, non daretur amplius per priora, & notiora; siquidem per conclusionem, quæ est posterior præmissis, probaretur altera præmissarũ, vt clarius dicemus in propria quæstione: ergo demonstratio potissima, & simpliciter non esset ex prioribus, & notioribus.

Et quia possent respondere antiqui nõ esse inconueniens idem posse esse notius & ignotius, etiam respectu eiusdem, sed in diuerso ordine, vt præmissæ nimirum sint notiores conclusione secundum naturam, idest secundum se, & ignotiores nobis, & è conuerso cõclusio sit notior præmissis quò ad nos, quia potest probari, vel inductiuè, vel per sensũ, præmissæ verò sint ignotæ hoc genere cognitionis quò ad nos, confirmat suam rationem sic dicendo.

Si præmissæ essent notiores in se, et conclusio quoad nos, et per experientiam sequeretur, vel talem demonstrationem non esse potissimam, & simpliciter, vel scire non esse benè diffinitum, sed per aliam diffinitionem debere diffiniri, sed vtrumque consequens est falsum: ergo & id ex quo sequuntur. Minor est nota ex concessis ab Antiquis, quia dicunt demonstrationem circularẽ esse simpliciter, & potissimam, & insuper scire esse benè diffinitum, dicendo, scire est rem per causam cognoscere. Sequela maioris probatur, quia demonstratio simpliciter, aut procedit ex notioribus secundum se, & naturæ, aut ex notioribus nobis. Si dixerint primum, igitur demonstratio circularis nõn est simpliciter, quià procedit ex notioribus nobis, dum per conclusionem probatur altera præmissarum; Si verò concesserint secundum: ergo scire simpliciter non est rem per causam cognoscere, sed per effectum, quod est contra diffinitionem scire, etiam ab illis concessam. Tum secundo quia idem per idem posset demonstrari, quod esset fallacia petitionis principij. Probat sequelam, quia si per A. s. per animal rationale potest demonstrari B. idest esse disciplinabile de homine, et per B. idest esse disciplinabile, C. idest animal rationale de eodem hominem: ergo idem sequitur per idem; Probat hanc consequentiam, quod est causa causæ, est causa causati; sed per A. demonstratur B. de homine, & per C. quod est idem cum A. demonstratur ipsum A. ergo per A. demonstratur A. & sic idem per idem, quod est petitio principij; Tum tertio, quia data hipothesi de demonstratione circulari, adhuc non sequeretur omnium esse demonstrationem, siquidem fieret tantum in terminis conuertibilibus, & in prima figura, sed non omnes termini sunt conuertibiles, & in prima figura: ergo non omnium esset demonstratio. Maior patet quia tãtum homo, risibile, & animal rationale constituunt demonstrationem circularem, non autem homo, animal, substantia, quia non cõuertuntur. Similiter fieret tantum in prima figura, in qua concluditur vniuersalis affirmatiuè, non autem in alijs, quia vel non cõcluditur affirmatiuè, sicut in secunda, vel nõ vniuersali, sicut accidit in tertia figura. Minor etiam patet, quia possunt fieri multæ demonstrationes ex terminis non conuertibilibus, vt cum demonstratur hominem esse sensibilem per animal, quod non conuertitur cum homine, hæc enim est falsa, omne animal est homo: ergo demonstratio circularis non esset omnium, quod est intentum à Philosopho, & hæc de textu huius tertij capituli.

Vtrum aliquo modo possit admitti circulus in demonstrationibus, etiam secundum Aristotelem.

QVÆSTIO VII.

Circulus in demonstrationibus ab antiquis assertus, dum in eodem genere demonstrationis, scilicet à priori, & per causam, dicebant conclusiones probari per principia, & hæc econuersò per conclusionem, est sufficienter explosus ab Aristotele in textu: An autem alius admitti possit in diuerso genere demonstrationis, & causarum, cùm nimirum per demonstrationem à posteriori probatur causa, & per illam à priori, demonstratur effectus de sua causa, vel vnum genus causæ per aliud, quem Scotistæ,

sistæ, & multi alij recentiores regressum vocant, est non parua controuersia inter Philosophos: siquidem August. Niphus in primo Post. com.35. Balduinus in sua Logica, & alij non pauci impugnant huiusmodi circulum, seu regressum, sinè in eodem, siuè in diuerso genere demonstrationis, & causæ.

Cæterùm alij sustinent oppositum, etiam de mente Philosophi secundo Priorum cap. 5. vbi etiam Scotus quæst.4. Ita Tatar. primo Post. quæst. 2. art. 2. Dub. 3. Faber. in Philosophia Natur. theor. 9. Mastrius, & Bellutus hic disp. 13. quæst. 4. cum alijs ab eisdem relatis.

Pro cuius declaratione, ac fundamento Primo notandum est ex Scoto in lib. 2. Prior. quæst. 4. Syllogismum non vocari circularem absolutè, sed in habitudine ad aliquem priorem syllogismum, eo quod reuertitur ad aliquam præmissam, vndè prior syllogismus processit, & dicitur circularis ad similitudinem motus circularis, qui fit reuertendo ad illud vndè mobile processit.

Secundo notandum, vt colligitur ex eodem ibidem, & quol. 7. sub litera A. quod demonstrari circulariter est probare maiorem extremitatem vniri minori in conclusione per aliquod medium, & postea idem medium inesse minori extremitati per maiorē extremitatē, hoc autē potest fieri quadrupliciter primo mutando demonstrationē propter quod, in quia est, & è conuerso, demonstratione, quia est, in propter, quod est, sic arguendo: omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis, & è conuersò, omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis primo omnis homo est animal rationale. Secundo mutando demonstrationem vnius generis causarum, in demonstrationem alterius generis, vt formalem in materialem, & è conuersò sic arguendo: omne id quo viuimus, mouemur, & sumus est actus corporis physici, organici in potentia vitam habētis, sed anima est qua viuimus, mouemur, & sumus: ergo anima est actus corporis physici, organici in potentia vitam habentis: vel è conuersò omnis actus corporis physici, organici in potētia vitam habentis, est quo viuimus, mouemur, & sumus; sed anima est actus corporis physici organici in potentia vitam habentis: ergo anima est qua viuimus mouemur, & sumus. Tertio, quando passio prior demonstratur per posteriorem, & è conuersò, vt omne risibile est flebile; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est flebilis, & è conuersò; omne flebile est risibile; omnis homo est flebilis: ergo omnis homo est risibilis. Quarto, quando demonstratio propter quid mutatur in aliam propter quid, vel quando causa vnius generis, & ordinis probatur per aliam eiusdem generis, & ordinis, vt si A, & B. Sint duæ causæ formales, & arguatur sic, omne A, est B. Sed lapis, est A: ergo lapis est B. vel è conuersò omne B. est A, sed lapis est B: ergo lapis est A. Demonstratio circularis tribus modis prioribus vocatur à Scotistis regressus, & hic est concedendus, quia multoties accidit causam venari per effectum, & postea per causam probari effectum; & similiter vnam causam per aliam, & è conuersò, siquidem cognoscimus materiam in analogia ad formam, & similiter formam esse corruptibilem per materiam demonstramus, vt videbimus in primo Physicorum; at demonstratio circularis quarto modo est impossibilis; & hæc solum fuit impugnata à Phylosopho in textu contra antiquos.

Tertio notandum est, quod cum in omni demonstratione procedendum sit à notioribus ad ignotiora, aliqua posse dici notiora, & ignotiora dupliciter, vel secundum naturam, vel quò ad nos. Illa dicuntur notiora secundum naturam, quæ prius habent esse, & sic causæ cum prius in esse sint, quam effectus earum, dicuntur notiores secundum naturam, & effectus ignotiores. Illæ verò dicuntur notiora quò ad nos, quæ sunt sensibiliora, siquidem omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus, & sic in hoc ordine effectus dicuntur notiores, & causæ ignotiores, cum ergo in regressu probetur, vt plurimum causa per effectum, & vna causa ignotior per notiorem, & similiter effectus insensibilior per sensibiliorem, inferendum est in illo procedi à notioribus nobis ad notiora naturæ, & talis processus vocatur à Philosopho inquisitiuus: cum verò interdū à cognitione eorum quæ habent esse secundum naturā probamus effectus de suis causis, & vnam causam de alia à priori, ac tandem passionem posteriorem per priorem de suo subiecto, talis regressus vocatur à notio-

ribus

ribus naturæ ad notiora nobis, & dicitur processus scientificus, quia per ipsum acquirimus sciētiam simpliciter, & propter quid vterque regressus admittendus est, ne dum vt possibilis, verum etiam tamquam vtilis, etiam de mente Philosophi, vt mox dicemus.

Ex his fit prima conclusio. Demonstratio circularis, seu regressus tribus primis modis explicatus in secundo Not. datur etiam de mente Aristotelis. Probatur primo auctoritate eiusdē in textu dicentis impossibile esse demōstrari circulariter, quin idem fit simul notius, & ignotius, nisi altero modo, vt alia quidem quò ad nos, alia verò simpliciter quomodo inductio faciat notum, sed in regressu quò ad vnum processum procedimus à notioribus nobis, & quò ad alium à notioribus secundum naturam: ergo de mente Aristotelis talis admittendus est. Confirmatur quia demonstratio circularis in terminis conuertibilibus est admittenda secundum Aristotelem hic in tertia ratione contra secūdum errorem antiquorum, sed huiusmodi demōstratio est regressus, tertio modo expositus in secundo Not. ergo &c. Confirmatur secundo, quia in primo Post. c. 10. admittit duplicem demostrationē, scilicet propter quid, & quia, & posse fieri transitum de vna ad aliam, saltem in his, quæ alternatim se consequuntur, sed vterque processus est regressus primo modo declaratus: ergo & hic est Aristoteli conformis. Confirmatur tertio quia in primo de Anima ex diuersis passionibus, & accidentibus inuestigat substantiā animæ: & in secundo de anima tradit duplicem diffinitionem animæ, alteram per causam materialem, & per formalem alteram, & per vnam alteram demōstrat, vt diximus in secundo Not. ergo de mente Aristotelis datur etiam regressus, secundo modo expositus, & consequenter illum duplicem regressum apparet admittendum esse etiam secundum Philosophum.

Secunda conclusio. Huiusmodi regressum à Scoto, & discipulis eiusdem assertum, ac de mente Aristotelis probatum, esse vtilem in scientijs, siuè demonstratio, quia precedat propter quid siuè è conuersò illa hanc subsequatur. Probatur, quia in scientijs physicis procedimus à notioribus nobis ad notiora naturæ, scilicet ab effectibus ad causas, & posteà regredimur à notioribus naturæ ad notiora nobis, aliter huiusmodi scientia non esset simpliciter scientia, & propter quid, sed talis demonstratio, seu processus est regressus à Scoto, & Scotistis assertus vt patet ex præcitatis locis pro secunda sententia: ergo est vtilis. Confirmatur quia pro statu isto omnis nostra cognito ortum habet à sensu oportet enim intelligentem phantasmata speculari ex Aristotele tertio de Anima tex. 30. 39. sed huiusmodi cognitio est scientia, nedum quia, verum etiam propter quid vt est manifestum apud omnes: ergo huiusmodi regressus est vtilis in scientijs. Hæc cōsequētia patet, quia huiusmodi regressus inuoluit vtrumque processum, & quia & propter quid, & consequenter vtramque scientiam, & quia, & propter quid.

Obijcies primo, quia si admitteretur huiusmodi regressus in demonstrationibus sequeretur idē probari per idē, sed hoc nequit fieri sine petitione principij: ergo nō est admittendus. Sequela maioris, probatur quia ponamus, quod A. sit causa, & B. effectus per te A. probatur per B. & per A. iterum probatur B: ergo A. per A. & B. per B. probatur, siquidem quod est causa causę est causa causati.

Respondetur negando sequelam maioris, ad probationem negatur consequentiā, & cum probatur quod est causa causæ, est etiam causati, verum est in eodē genere causæ, & in eodem processu, vt optimè probauit Aristoteles in textu contra duplicem errorem antiquorum ratione secunda, non tamen in diuersis processibus, & generibus causarum, vt est in proposito, siquidem A. probatur per B. à posteriori, & demonstratione quia, & B. per A, à priori, & propter quid.

Obijcies secundo, omnis demōstratio est ex notioribus nobis; sed demonstratio in secundo processu est ex notioribus naturæ, & non nobis, cum sit propter quid: ergo non est propriè demonstratio, & consequenter ibi non est regressus, ab vna in aliam demōstrationem. Maior patet per diffinitionem demonstrationis positam cap. v. t. 4. vbi dicitur, quod procedit ex prioribus, & notioribus, &c.

Respondetur negando Maiorem, ad probationem dico ibi solum haberi demonstrationem debere esse ex notioribus, non determinando, an talia esse debeant notiora nobis,

bis, vel naturæ, vt innuat per huiusmodi diffinitionem comprætendi vtramque demõstrationem, & propter quid, quæ à notioribus naturæ, ad notiora nobis, & quia, quæ è conuerso à notioribus nobis, ad notiora naturæ procedit, in quibus continetur. Regressus à nobis assertus, & probatus.

Obijcies tertio, si daretur huiusmodi regressus sequeretur nos posse cognoscere effectum per causam, & per effectum causã; sed hoc non est admittendum: ergo non est admittendus huiusmodi regressus. Sequela maioris patet ex dictis noct. secundo. Minor probatur, quia nullum imperfectius causat perfectius; sed notitia causæ est perfectior notitia effectus: ergo per effectum non potest cognosci. Minor patet, quia sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci ex Aristotele secundo Meth. t. c. 4. sed effectus est imperfectior sua causa, saltem vt in pluribus: ergo, & incognosci, ac proinde notitia effectus erit imperfectior notitia causæ.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico maiorẽ esse veram totaliter, non tamen partialiter; modo cognitio effectus, vel effectus cognitus concurrit, vt causa partialis, respectu cognitionis causæ, non vt causa totalis, quia causatur etiam huiusmodi cognitio ab intellectu, vt ab altera causa,

Vel dicendum, notitiam causæ esse perfectiorem notitia effectus secundum se, & in processu propter quid, non tamen quò ad nos, & in processu quia, siquidẽ in isto processu effectus, cum sit notior nobis habet rationem causæ, & causa induit rationem effectus, quia quò ad nos cognoscitur confuso modo per suum effectum, & à posteriori tãtum, non tamen à priori, & distinctè.

Contra, quia si cognitio effectus, seu conclusionis in secundo processu, siuè in regressu, habet demonstrare alteram præmissam, seu causam, prius cognitam, in primo processu, propter quid, debet esse perfectior cognitione causæ, siuè præmissarum, iam cognitarum; siquidem principia, seu præmissæ debent esse notiores conclusione ex Aristotele hic cap. 2. quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; sed hoc non est dicendum: ergo per effectum nequit demonstrari causa, & per conclusionem in secundo processu nequit demonstrari altera præmissarum. Minor probatur, quia effectus, & conclusio in primo processu fuerunt cogniti propter quid, & minori, siuè imperfectiori cognitione, quàm fuerint cognitæ præmissæ, & causa: ergo per talem cognitionem nequit demonstrari cognitio causæ, siuè præmissarum, cum sit perfectior. Cõsequentia patet, quia præmissæ demonstrationis debẽt esse, & priores, & notiores conclusione, vt probat Aristoteles hic cap. 2. ergo si conclusio, & effectus in priori processu sunt posteriores, & minus cogniti nõ possunt esse præmissæ in secundo processu, ad demonstrandam cognitionem alterius præmissarum, seu causæ prioris processus.

Respondetur negando minorem, ad probationẽ dico consequens cum sua probatione habere veritatem in ordine cognitionis propter quid, nõ tamen in ordine cognitionis quia, quandoquidem, talis ordo, cum sit confusus, & exordiatur à sensibus perfectiori modo cognoscuntur effectus, quam causæ, cum sint sensibiliores, & conclusiones, quam præmissæ; nam hæ per demonstrationem quia, illæ verò per inductionem singularium habitam à sensibus, exemplum sit de hac conclusione, omnis homo est risibilis, quæ in ordine propter quid est minus nota, quam hæc præmissa omne animal rationale est risibile, per quam demonstratur, cæterum in ordine demonstrationis quia, est nobis notior, cum habeatur par inductionem receptam à sensibus, & ideò potest alteram demonstrare à posteriori.

Dices ergo idem erit notius, & ignotius saltem in diuerso ordine cognoscendi, quod est contra Aristotelem, siquidem impugnauit hanc responsionẽ antiquorum probando nec propterea posse dari demonstrationem circularem, alioquin non foret demonstratio simpliciter, aut scire non esset benè diffinitum, sed & alia diffinitione indigeret, quod vtrumque habuit pro inconuenienti,

Respondetur concedendo illatum, nec hoc est inconueniens, aut contra Aristotelem, immò sibi conforme, vt patet ex eius verbis, dum arguit primo contra antiquos, cum dicit: siquidem ex prioribus oportet demonstrationem esse, & notioribus; impossibile enim est eadem sibinuicem simul priora, & posteriora esse, nisi altero modo, vt hæ quidem ad nos, illa verò simpliciter, quo certè modo inductio facit motum; en quomodo Aristoteles non negat, verum approbat

bat idem posse dici notius, & ignotius in diuerso ordine cognoscēdi? Nec rationes eius adductæ contra antiquos, officiunt nostræ responsioni, siquidem procedunt ex concessis ab antiquis, nimirum posse dari demonstrationem circularem à priori, quod habuit pro inconuenienti, quia tunc idem esset notius, & ignotius, prius, & posterius, & secunda demonstratio non esset simpliciter, quia non esset semper ex prioribus, & notioribus,& scire non esset per causam,sed per effectum,& tamen antiqui dicebāt omnem demonstrationem, & scientiam debere esse ex prioribus simpliciter, & per causam.

De Partibus Formalibus requisitis ad demonstrationem simpliciter.

CAPVT IV. V. VI.

Istud Capitulum, in quo Aristoteles ostēdit ex qualibus præmissis debet fieri Demonstratio simpliciter, diuiditur in quatuor partes,in quarum prima probat debere constare ex præmissis necessarijs, & incipit ibi. Demonstratiua autem est &c. In secunda docet debere esse de omni, & ibi incipit: De omni quidem hoc dico &c. In tertia ostendit debere esse per se, & incipit ibi: Per se autem sunt, quæcumque sunt &c. In quarta tandem requirit, quod sint secundum quod ipsum, & vniuersales, & incipit ibi: Vniuersale autem dico, quod cum de omni &c.

Quoad primam partem statuit hanc conclusionem: Demonstratio simpliciter debet constare ex præmissis necessarijs, & probat, quia demonstratio est ex his, quæ non possunt aliter se habere; sed talia sunt necessaria: ergo demonstratio est ex necessarijs, Maior probatur, quia scire est rem per causam cognoscere, & quoniam illius est causa, & quod non contingit hoc aliter se habere, vt patet per eius diffinitionem positam capite secundo huius; sed demonstratio est syllogismum faciens scire, vt dictum est ibi. dem: ergo demonstratio constat ex his, quæ non possunt aliter se habere,& sic ex necessarijs.

Quò ad secundam partem ponit aliam cōclusionem,demonstratio constat ex præmissis de omni, quam, vt probet, demonstrat quid sit, & quotuplex sit de omni, dum dixit;De omni quidem, quod vtique est in non quodam quidem, in quodam autem non, neque aliquando quidem, aliquando verò non, id. est propositio de omni,est in qua prædicatum verificatur de subiecto, & de quolibet contento sub illo, non pro aliquo determinato tempore solummodo,sed semper,vt homo est animal, quia animal nedum verificatur semper de homine, sed & de omni homine; ex qua diffinitione elicitur propositio de omni duplex scilicet de omni prioristico, & posterioristico. Prior est in qua prædicatum non necessariò, & semper conuenit subiecto,sed potest conuenire,& non conuenire,vt omnis homo morietur, quia mors non necessario semper conuenit omni homini, sed solum pro determinato tempore. Posterior verò dicitur illa in qua prædicatum necessario, & semper verificatur de subiecto, vt hæc omnis homo est animal, & de hac propositione de omni loquitur Philosophus in præsenti.

Supposita huiusmodi declaratione probat conclusionem, quod demonstratio debeat procedere ex propositionibus de omni posterioristico, quia omnis demonstratio simpliciter procedit ex necessarijs ex præcedenti conclusione; sed omnis propositio necessaria est etiam de omni posterioristico, quia prædicatum semper verificatur de subiecto, ergo omnis demonstratio simpliciter procedit ex præmissis de omni posterioristico.

Quò ad tertiam partem statuit tertiam conclusionem; demonstratio simpliciter constare debet ex propositionibus, seù premissis per se, sed antequam illam probet declarat propositiones per se esse in quadruplici differentia, secundum quatuor modos dicendi per se, vt diximus in vniuersalibus.

Primus modus dicendi per se est quando diffinitio quiditatiua tota, aut aliquas eius pars prædicatur de diffinito, vt homo est animal rationale; vel homo est animal; vel homo est rationalis.

Secundus modus dicendi per se est quando passio prædicatur de subiecto adæquato, vel de aliquo contento sub subiecto adæquato, vt homo est risibilis, vel aliquis homo est risibilis, linea est curua, vel recta, & hæc linea est recta, vel circularis; vel numerus est par, vel impar; aut hic numerus est par, vel impar; siquidem, quemadmodum risibilitas est passio hominis simplex, ita rectum, vel circulares lineæ, & par, vel impar in numero sunt passiones disiunctæ, vt melius declarabimus in quæstionibus.

Tertius modus non est dicendi, sed potius essendi per se, & conuenit primæ substantiæ, & sic diffinitur, illa sunt per se, quæ non dicuntur de aliquo subiecto, siuè sit subiectum inhæsionis, siue sumatur pro inferiori, & sic Petrus dicitur esse per se, quia non habet inferiora de quibus dicatur, & nulli inhæret cum sit substantia prima, vt dictum est in antepredicamentis.

Quartus modus dicendi per se, est quando subiectum exprimit causam inhærentiæ seu conuenientiæ prædicati cum seipso, vt interfectus interfectione interijt; nam interitus inest interfecto per interfectionem; tamquam per suam causam. Quando verò subiectum non exprimit causam inhærentiæ prædicati, tunc dicitur modus dicendi per accidens, vt ambulante me corruscauit, siquidem ambulare non est causa per se, sed tantum per accidens coruscationis. Hic est sermo de propositionibus per se primo, & secundo modis.

Ex his probat conclusionem, nimirum demonstrationem fieri ex præmissis, seù ex propositionibus per se, quia conclusio per se non infertur formaliter, nisi ex propositionibus per se, sed conclusio demonstrationis simpliciter est propositio per se: ergo demonstratio simpliciter debet esse ex propositionibus per se. Maior patet à simili, quia sicut substantia non potest esse ex non substantijs ex Philosopho primo Physicorum, nec propositio per se ex propositionibus non per se. Minor etiam probatur præsupponenda duo; alterum quod duplices sunt passiones scilicet simplices, quæ vnico termino exprimuntur, vt risibile respectu hominis, & compositæ ex oppositis, quæ nimirum per duos terminos oppositos disiunctiuè exprimuntur, vt par, vel impar respectu numeri; rectum, vel obliquum respectu lineæ. Alterum supponendum quod opposita contraria, & priuatiuè sunt in eodem genere, vt calidum, & frigidum sunt in eodem genere, similiter visio, & cæcitas spectant ad idem genus, vt patet ex eorum diffinitionibus traditis in postprædicamentis cap. de oppositis.

Ex his probatur minor, illud quod prædicatur necessariò de aliquo eiusdem generis, per se, de illo prædicatur, vt animal, quia necessario prædicatur de hominem, ideò & per se de illo prædicatur, sed prædicatum conclusionis est eiusdem generis cum suo subiecto: ergo de illo prædicatur per se. Minor probatur, quia par, & impar sunt prædicata demonstrabilia de numero, sicut rectum, & curuum de linea, sed talia sunt eiusdem generis cum suis subiectis, quia sunt opposita contraria, & priuatiua: ergo prædicatum conclusionis est eiusdem generis cum subiecto. Ex hoc textu habetur passiones esse in illis prædicamentis, quorum sunt, & earum biecta.

Quoad quartam partem ostendit demonstrationem procedere ex propositionibus vniuersalibus, & secundum quod ipsum, & vt probet hanc conclusionem declarat quid sit vniuersale, vt ad propositum spectat, & secundum quod ipsum, pro quibus.

Primo notandum est vniuersale hic non accipi pro vniuersali in causãdo, vt est Deus, nec in cognoscendo sicut est intellectus, nec in repræsentando, vt species intelligibilis, nec in distribuendo, cuiusmodi sunt signa vniuersalia omnis, nullus, quilibet, sed tantum in prædicando, quod est duplex scilicet

limi.

limitatum, vt est substantia, vel quantitas, & illimitatum cuiusmodi est ens. Vtrumque autem consideratur tripliciter, scilicet ante rem, prout habet esse in mente diuina ante creationem, vel productionem; in re, dum nimirum actualiter existit in singularibus, & post rem, cum videlicet habet esse cognitum in intellectu creato. Limitatum adhuc est duplex; scilicet conuertibile cum subiecto, vt est proprium, & non conuertibile, vt est genus, & accidens: hic est sermo de vniuersali limitato, conuertibili cum subiecto, vt est proprium, seu propria passio.

Secundo. Notandum est, quod secundum quod ipsum tripliciter accipitur, vno modo, vt idem est quod per ipsum, vel per aliud in ipso inclusum, & sic homo dicitur sensibilis secundum quod ipsum, quia ratione animalis in seipso inclusi. Secundo modo, vt idem est, quod sine medio, & sic homo est animal secundum quod ipsum, quia inter hominem & animal nulla species mediat, per quam sit animal. Tertio modo, vt idem sonat quod præcisè, & adæquatè, & sic homo dicitur risibilis secundum quod ipsum, quia solus homo, & omnis homo est risibilis, & sic accipitur in proposito.

Ex his patet quid sit vniuersale, vt ad præsens spectat, siquidem vniuersale est prædicatum conuertibile, de omni, per se, & secundum quod ipsum, vt risibile, quod conuertitur cum homine, & prædicatur de omni contento sub homine, & per se secundo modo, quia necessariò, & semper, & secundum quod ipsum idest adequatè; valet enim dicere omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo.

His suppositis probatur conclusio quarta quod demonstratio simpliciter debeat procedere ex propositionibus vniuersalibus, & secundum quod ipsum, quia demonstratio procedit ex his, quæ sunt de omni, & per se, & secundum quod ipsum, sed talia sunt vniuersalia: ergo demonstratio pocedit ex vniuersalibus. Minor patet ex diffinitione vniuersalis. Maior quò ad primam, & secundam partem patet ex secunda, & tertia conclusione: & quoad tertiam probatur, quia omne quod conuertitur cum suo subiecto, & est adæquatum illi est secundum quod ipsum eiusdem subiecti, sed demonstratio procedit ex his, quæ sunt conuertibilia, et adæquata: ergo procedit ex his, quæ sunt secundum quod ipsum. Minor probatur, quia primum, et adæquatũ sunt idem in proposito; sed demonstratio simpliciter procedit ex primis, vt patet ex eius diffinitione: ergo procedit ex adæquatis.

Obijcitur contra secundam conclusionem probando diffinitionẽ de omni posterioristico non esse bene datam, quia ista, omnis linea est lõgitudo, sine latitudine, et profunditate, cuius extrema sunt duo puncta, est de omni; sed habere duo puncta extrema nõ conuenit omni lineæ, quia circularis est linea, et non habet duo, sed tantum vnum punctum: ergo diffinito de omni posterioristico non est benè assignata. Maior patet quia diffinitio quiditatiua cõuenit tali diffinitio, et omni contẽto sub illo: ergo cũ ista sit diffinitio quiditatiua lineæ, erit de omni posterioristico.

Respondetur. Minorem, et probationẽ esse veram in actu, non tamen in aptitudine, quia sic omni lineæ conuenit habere duo puncta extrema.

Obijcitur secundo contra tertiam conclusionem de modis per se, quod sint tantũ tres, quia modi per accidens sunt tantum tres: ergo et modi per se. Antecedens patet, quia propositio per accidens est tantum triplex. s. cum accidens prædicatur de subiecto, vt homo est albus; quãdo subiectum prædicatur de accidente, et quando accidens prædicatur de accidente: ergo modi dicendi per accidẽs sunt tantum tres consequentia tenet per regulam Aristoteles primo Topicorum, quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur, et reliquum, sed per se, et per accidens sunt opposita: ergo etc.

Respondetur negando consequentiam, ad probationem dico illam regulam esse veram de oppositione secũdum se, et sua significata simul, non tamen de oppositis tantũ secundũ se, cuiusmodi sunt per se, et per accidens.

Obijcitur tertio, quia per se, & secundum quod ipsum sunt idem, ex Aristotele hic sub t. 11. sed secundũ quod ipsum dicitur tantũ tri-

tribus modis, vt notauimus supra: ergo etiã per se debet dici tantum tribus modis.

Respondetur. Maiorem esse veram inadæquate, & non mutuò sicut superius, & inferius, valet enim dicere, quod omne prædicatum secundum quod ipsum est etiam per se, sed non è conuerso; siquidem hæc est per se, homo est animal, sed non est secundum quod ipsum, cum hæc sit falsa, omne animal est homo: hæc verò, omnis homo est risibilis est secundum quod ipsum, & etiam per se secundo modo.

Obijcitur quarto contra quartam, quod diffinitio vniuersalis non sit sufficienter data, quia animal respectu hominis est vniuersale, cum sit genus, sed animal non ine st homini, secundum quod ipsum: ergo diffinitio vniuersalis est insufficienter data. Minor probatur, quia prædicatum secundum quod ipsum est conuersibile adæquatè cum subiecto, sed animal non conuertitur cum homine, vt patet: ergo non est ipsi secundum quod ipsum.

Respondetur. Maiorem esse veram de vniuersali prædicabili non tamen de conuertibili, de quo solum loquitur Philosophus in textu.

Vtrum Omnis Passio sit demonstrabilis de suo subiecto.

QVÆSTIO VIII.

HÆc quæstio est potiùs methaphysicalis, quàm Logicalis, siquidẽ ferè omnes eamdem pertractant, vel in Prologo, vel in tertio libro Metaphysicæ, nihilominus occasione textus Aristotelis, hic discutiendam censuimus, eò vel maximè, quia in hoc cursu Philosophyco non sumus daturi sciẽtiam methaphysicalem ab his inferioribus distinctam, circa quam est non parua controuersia inter Scotistas, an omnes passiones, sic vniuersaliter loquendo, sint demonstrabiles de suis subiectis, siquidem. Aliqui negant passiones entis posse de ipso demonstrari, saltem à priori, cum ens careat diffinitione, quæ est medium demonstrandi passiones de subiecto. Ita Tatar. 1. Meth. q. vn. art. 1. not. 2. & 1. Post. q. 3. Dub. 2. Vigerius in 1. sent. dist. 39. Bergius ibidem, & in qu. An Methaphysica sit scientia quibus apertè fauet Doctor Subtilis in primo d. 39. §. quantum ad primum dico lit. C. & in 2. dist. 12. q. 1. sub C. §. Respondeo in ente communi vnitas &c. Vbi disertis verbis docet nullam passionem posse demonstrari de ente in cõmuni, quia transcendentia carent diffinitione, quæ debet esse medium in demonstratione potissima, sicut probabimus in 2. lib. Post.

Cæterum. Alij, quamuis cõueniant cum præcedentibus, loquendo de prima passione entis, dissentiunt tamen de cæteris passionibus, & asserunt posse demonstrari de ente per primam passionem eius, tamquam per medium. Ita Ant. Andreas primo Metaph. quæst. 1. art. 3. conclus. 5. Trombeta 3. Meth. q. 3. Zerbius 1. Meth. q. 3. quos sequitur Soncinas in 4. Meth. qu. 17. & ab his non dissentit etiam R. P. Franciscus à Catharo meus Magister Doctissimus in 1. Post. qu. 3. art. 8.

Alij tamdem indiscriminatim de passionibus, tùm limitatis, tũ transcendentalibus, loquentes, asserunt omnes esse demonstrabiles de suis subiectis. Ita Suarez disput. 3. Meth. sect. 3. Pasqualig. ibidem sect. secunda, num. 8. & alij ex Recentioribus, quos sine nomine, refert, & sequitur Mastrius tom. primo. Meth. disput. quarta quæst. quarta à quibus non aberrat Scotus, vt prima opinio censet, quinimò apertè hanc sententiam docet in Prologo sent. q. 3. princip. & prima, ac secunda laterali sub lit. S. & T. vt inferiùs melius demonstrabimus.

Pro cuius declaratione, ac fundamento. Primo notandum est ex dictis superius, demonstrationem esse duplicem, scilicet ostensiuam, & ad impossibile; insuper ostensiuam, aliam esse à priori, & propter quid, & aliam à posteriori, & quia. Hic est sermo de demonstratione propter quid, & à priori tantum, vt sensus quæstionis sit, an omnes passiones sint à priori demonstrabiles de suis subiectis.

Secundò notandum est passiones esse in duplici differentia, aliæ enim sunt limitatæ, aliæ verò transcendentales. Limitatæ dicuntur illæ, quæ insunt rebus limitatis, hoc est repositibilibus directè in aliquo decem prædicamentorum, & conuertuntur cum illis, vt risibilitas cum homine hinnibilitas cum equo, rugibilitas cum leone, habere tres cum triangulo, & similes. Transcendentales

les sunt, quæ rebus transcendentibus competunt, vt sunt passiones entis, scilicet vnum, verum, bonum &c. Et istarum aliæ sunt simplices, & aliæ sunt disiunctæ. Simplices dicuntur illæ, quæ vnico termino exprimuntur, vt vnum, verum, bonum, aliquid, & res, quæ conuertuntur, & identificantur realiter cum ente, licet ab eo distinguantur formaliter. Disiunctæ autem appellantur illæ, quæ duobus terminis disiunctiuè vnitis significantur, vt sunt finitum, vel infinitum, creatum, vel increatum, contingés, vel necessarium, & istæ absolutè non conuertuntur cum ente, sed tantum sub disiunctione, siquidem falsum est dicere, omne ens est creatum, & omne ens est increatum, licet sit verum affirmare, omne ens, vel est creatum, vel increatum, contingens, vel necessarium finitum, vel infinitum.

Tertio. Notandum ex Scoto in primo distinct. 39. §. quantum ad primum sub C. passiones disiunctas posse demonstrari de ente posse dupliciter intelligi, vno modo quod illud totum disiunctum possit demonstrari, sicut totum potest conuerti cum ente; alio modo, quod alterum membrum possit demonstrari per aliud, vt necessarium per contingens, vel è conuerso, & hoc adhuc dupliciter, aut quod imperfectius demonstretur per perfectius, vt contingens per necessarium creatum; per increatum; aut è conuerso perfectius per imperfectius, scilicet necessarium per contingens, increatum per creatum; si loquamur priori modo, non est possibile, & ratio est, quia cum membrum perfectius non dependeat ab imperfectiori, vt necessarium à contingenti, infinitum à finito, potest esse sine illo, vnde nequit inferri, si datur ens necessarium: ergo & contingens; si increatum, & infinitum: ergo dandum est, & creatum, & finitum. Si verò sit sermo de posteriori modo demonstrandi, cum imperfectius membrum necessariò dependeat à perfectiori, sequitur de necessitate positio perfectioris, ad positionem imperfectioris, vt puta si datur ens contingens, creatum, & finitum; de necessitate infertur dari debere ens necessarium, increatum, & infinitum: An autem totum illud disiunctum possit simul demonstrari de ente est difficultas, sicut de passionibus simplicibus, de qua in conclusionibus.

Quarto. Notandum est, vt colligitur ex Scoto loco citato, passiones entis simpliciter esse immediatas sibi, posse dupliciter intelligi, vno modo immediatione causæ, ita ut inter ens, & eius passiones nulla mediet causa à qua fluant, præter naturam, & quiditatem eius; alio modo immediatione effectus, ita quod omnes simul sine aliquo ordine prioritatis, & posterioritatis emanent ab essentia, & quiditate entis. Si loquamur de priori immediatione Auctores secundæ sententiæ dicunt solam primam passionem esse sic immediatam enti, quia inter ipsam, vt prædicatum, & ens, vt subiectum, nullum intercedit medium, per quod possint adinuicem vniri; at cæteræ, passiones non sunt ita immediatæ. quia cum secunda fluat à prima, & tertia à secunda; sicut hæc potest vniri enti per primam, ita tertia, per secundam, & consequenter per illarum diffinitiones, seu conceptus proprios demonstrari de ente. Cæterum si sermo sit de immediatione effectus, vel quasi effectus, probabile est non omnes immediatè procedere ab ente, sed cum aliquo ordine, vt prius fluat vnum, quam verum, & istud prius quam bonum, & sic de alijs, & consequenter passionem posteriorem demonstrari posse de ente per priorem, vt docet Scotus quæst. prima Prologi. H. & in tertia dist. decimaquarta, qu. secunda, §. contra rationem huius positionis, &c. verum huiusmodi demonstratio non erit simpliciter, quia non erit per causam in essendo, & cognoscendo, sed tantum par effectum priorem, atque adeò præmissæ non erunt notiores conclusione, quod tamen necessariò requiritur ad veram demonstrationem propter quid, & potissimam, vt docet Aristoteles in primo post. cap. 2.

Quintò. Notandum ex Aristotele primo Poster. cap. vigesimotertio; scientiam illam esse cæteris certiorem, & perfectiorem, quæ est vnius generis subiecti, & quæ habet principia, & passiones demonstrabiles de ipso; medium autem demonstrandi huiusmodi passiones ex eodem secundo Posterior. cap. decimoseptimo, est ratio primi extremi conclusionis, idest subiecti, quæ in habentibus diffinitionem quiditatiuam,

uam, conflatam ex genere, & differentia, erit diffinitio subiecti, in illis verò, quæ carent genere, & differentia, cuiusmodi sunt transcendentia, est conceptus quiditatiuus, gerens vicem diffinitionis; cum igitur Methaphysica sit scientia perfectissima, & habeat pro subiecto ens in quantum ens, & consideret passiones, quæ ei insunt ex eodem Aristotele primo posteriorum cap.7.& 1.Meth.cap.1.& 4.Methaph. cap.1.& 2.ens autem non possit diffiniri, cum careat genere, & differentia, habeat verò conceptum quiditatiuum, vniuocum omnibus entibus, dicendum est per hunc demonstrari sufficienter eius passiones, atque ideò per eas haberi scientiam demonstratiuam de ipso ente, vt ens est.

Et his sit prima conclusio omnes passiones limitatæ possunt demonstrari simpliciter, & propter quid de suis subiectis. Est communis omnium Doctorum. Probatur, quia omnis effectus per suam causam necessariam, & immediatam, à subiecto, saltem ex natura rei distinctam, de illo demonstrari potest, sed omnes passiones limitatæ habent causas proprias, & immediatas à suis subiectis saltem ex natura rei distinctas: ergo per eas de illis demonstrari possunt. Maior patet ex diffinitione demonstrationis propter quid, minor probatur, quia diffinitio subiecti est causa necessaria, & immediata passionum subiecti, sed omnia subiecta limitata habent suam diffinitionem, (cum sint in aliquo prædicamento directe, & consequẽter in genere) à seipsis ex natura rei distinctam, vt superius probauimus in questione de propositione per se nota: ergo per talem diffinitioné possunt demonstrari passiones de illis.

Secunda conclusio. Passiones transcendentes cuiusmodi sunt passiones entis simplices possunt omnes de illo demonstrari. Est Scoti in Prologo primi sent. q.3. sub lit. S. & T. & in Prologo Methaphysicæ, siquidem in primo loco inquit, quod tertio dicitur de principio subiecti dico, quod non oportet principia scibilis esse principia in se ipsius subiecti, quia entis in quantum ens, quod ponitur subiectum Methaphysicæ, nulla sunt principia, quia tunc essent cuiuslibet entis, sed oportet cuiuslibet subiecti esse principia per quæ demonstrentur eius passiones de eo, ex quibus principijs, tanquam ex medijs demonstrationis formantur principia complexa, sicut propositiones per se notæ, hoc modo cuiuslibet subiecti possunt esse principia quantumcumque imprincipiati respectu suarum passionum. Deinde in secundo loco apertius loquendo, subiungit: Ad secundum dico, quod Methaphysica non est de Deo, tamquàm de primo subiecto, quia præter scientias speciales, oportet esse aliquam communem in qua probentur in communi omnia, quæ sunt communia illis specialibus; igitur præter scientias speciales oportet esse aliam communem de ente, in qua tradatur cognitio passionum de ente, quæ supponitur in alijs scientijs specialibus; sed talis cognitio non fit nisi demonstrando passiones de ente: ergo de mente Scoti passiones entis sunt demonstrabiles de ipso: Denique in tertio loco habet, proprium esse scientiæ Methaphysicé demonstrare per causas vniuersales, passiones vniuersalissimas, & per essentialia cuiuslibet, non in quantum hoc, sed in quantum entia sunt; sed huiusmodi passiones vniuersalissimæ sunt passiones entis: ergo methaphysica demonstrat passiones transcendentes de ente, vt ens est. Probatur conclusio primo auctoritate Aristotelis primo Post. cap.7. vbi methaphysicam vocat maximè scientiam, & omnium scientiarum dominam, quia demonstrat omnium principia, ex causis superioribus, & non ex causatis causis, sed non potest esse maximè scientia nisi demonstret passiones, omnibus subiectis aliarum scientiarum, communes, quæ non sunt nisi passiones entis, vt ens est: ergo &c. Præterea 4. Methaph. t. 1. inquit est scientia quædam, quæ speculatur ens prout ens est, & quæ ei per se insunt, idest passiones, sibi realiter identificatas: ergo de mente Aristotelis Methaphysica demonstrat passiones omnes, quæ insunt enti. Secundo probatur ratione, quia si omnes passiones entis non essent de ipso demonstrabiles, sequeretur methaphysicam non esse sapientiam, & maximè scientiam; sed hoc esset contra Aristotelem 1. Post. cap. 7. & in primo methaphysicæ c. 1. in fine ergo &c. Sequela maioris probatur, quia scientia est notitia conclusionis demonstrate ex eodem Aristotele; sed in conclusione, passio demonstratur de suo subiecto per diffinitionem eius: ergo si passiones entis non demonstrarentur de eo, non haberetur scientia de ente,

ente, & consequenter Metaphysica, quæ est de ente, vt eius est, non esset scientia, ac proindè nec maximè scientia, vel sapientia.

Dices cum Tatareto citato pro prima opinione, Methaphysicam non esse scientiam proprissimè, prout diffinitur ab Aristotele c.2. primi lib. Posteriorum, sed tantum prout se extendit ad notitiam principiorum, de qua locutus est ibidem in fine, dum dicit principia debere magis sciri, quàm conclusiones, quia propter quod vnum quodquè tale, & illud magis, vndè non sequitur esse notitiam passionum demonstratarum de ente.

Contra, quia notitia principiorum non est scientia, nec sapientia, sed intellectus, vt docet Aristotele secundo Post. cap. vltimo, sed Methaphysica est sapientia, & hæc est scientia, ex primo Methaphys. cap. 1. & maximè scientia ex primo Post. c.7. & 4. Meth. cap. 1. & 2. ergo est scientia propriè dicta, & consequenter notitia conclusionum Methaphysicalium, & non principiorum. Confirmatur quia Aristoteles 6. Methaphysicorum cap. 1. recenset scientias speculatiuas, inter quas enumerat Mathematicam naturalem, & Methaphysicam, atqui nulli dubium est duas priores esse veras scientias, quatenus scientia est notitia conclusionis demonstratæ: ergo id non est ambigendum de tertia.

Dices secundo, cum meo Doctissimo preceptore loco citato, conclusione secunda, saltem primam passionem entis non posse demonstrari de illo, cum sit sibi immediata, & consequenter ex illis fit vna propositio immediata, & indemonstrabilis, siquidem conceptus quiditatiuus, per quem posset demonstrari, est omninò idem cum ente, & consequenter nequit esse causa demonstrandi primā passionem de ipso, tamquam de subiecto.

Contra, & erit tertia ratio pro conclusione principali, sicut se habet diffinitio in habentibus genus, & differentiam, ita conceptus quiditatiuus in transcendentibus, sed per diffinitionem quiditatiuam demōstrantur de subiectis limitatis eorum passiones, vt omnes fatētur: ergo per conceptum quiditatiuum poterunt demōstrari omnes passiones transcendētes de ente. Maior probatur quia in tantum diffinitio est medium demonstrandi passiones limitatas, in quantum est causa illarum; & est alius terminus ex natura rei distinctus à diffinito, de quo demōstrantur; sed etiam conceptus quiditatiuus est alius ex natura rei ab ente concepto, & est causa passionum entis: ergo eodem modo se habent. Maior est concessa ab aduersarijs. Minor probatur quo ad vtramque partem, & primo quod sit causa illarum, quia passiones intrinsecæ pullulant à principijs intrinsecis subiecti; sed nihil est intimius enti, quam eius conceptus quiditatiuus: ergo ab ipso pullulant passiones entis, quæ eidem insunt intrinsecè ex Aristotele 4. Meth. t. 1. & 6. Meth. t. 4. Probatur secundo, quod sit alius ex natura rei ab ente concepto, quia ens, sic conceptum, est vniuocum Deo, & creaturis Methaphysicè, vt cum Scoto probauimus in Prædicamentis. Disp. 1. q.3. ergo conceptus entis quiditatiuus est alius ex natura rei ab ente sic vniuocè concepto. Consequentia patet ex diffinitione vniuocorum, vbi dicitur, vniuoca dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum illud nomen sumpta, est eadem illis, sed per rationem substantiæ intelligitur diffinitio, in habentibus genus, & differentiā, & conceptus quiditatiuus in transcendentibus: ergo si ratio substantiæ, quæ est diffinitio est alia à re diffinita vniuoca, etiam conceptus quiditatiuus erit alius ex natura rei ab ente concepto vniuoco, alioquin ens, quod dicitur vniuocum, non erit aliud præter nomen, & conceptum sumptum à nomine, quod non est dicendum, quia vniuoca non sunt tantum voces, sed per voces, significatæ res.

Dices. Negando consequentiam, quia in tantum diffinitum, & diffinitio in vniuocis sunt alij ex natura rei, in quantum res importata per diffinitum concipitur confusè, & per diffinitionem distinctè, vnde sequitur esse duos terminos ex natura rei distinctos; cæterum ens, cum non possit concipi confusè, & distinctè, sed semper distinctè: est enim simpliciter simplex, quod aut totaliter scitur, aut totaliter ignoratur, id circò nequit facere terminū ex natura rei distinctum ab eius conceptu quiditatiuo.

Contra, quia diffinitio, & diffinitum, non eò solum distinguuntur, quod explicent eamdem rem confusè, & distinctè, sed etiam quia sunt diuersi termini ingredien-

tes præmissas demonstrationis, ex natura rei distincti, aliter demonstratio constaret tantum ex duobus terminis, & peteretur principium, atque idem probaretur per idem, vt optimè probat Scotus in 1. dist. 2. q. 2. sub A. cum igitur ita se habeant res concepta nomine entis, & eius conceptus quiditatiuus, vt patet in hac demonstratione, omne quod habet esse, vel essentiam est vnum, verum, & bonum; sed ens habet esse, vel essentiam: ergo ens est vnum bonum & verum.

Dices, non esse hanc bonam demonstrationem, cum præmissæ non sint notiores conclusione, siquidem habere esse, vel essentiam, & ens, non sunt diuersi termini, sed vnus, & idem, atque adeò sequitur vt minor propositio sit identica formaliter, & ex natura rei.

Contra, quia tunc nulla daretur demonstratio de ente, vt ens est, & consequenter nulla esset scientia methaphysica, quod esse falsum probatum est superius cum Aristotele. Sequela probatur, quia per te non possent demonstrari per conceptum quiditatiuum entis eiusdem passiones de seipso, cum non sit alius terminus ab ente, nec vna passio posset demonstrari per aliam, tum quia sunt transendentes, & carent diffinitione; tum etiam quia cum non ordinentur causaliter, sed ad summum vt plures effectus ordinatè procedentes ab eadem causa, vna præmissa non erit immediatior altera, nec ambæ notiores conclusione, quæ tamen necessariò requiruntur ad demonstrationē simpliciter, & propter quid; tùm tamdem quia saltem prima passio esset indemonstrabilis cum non detur altera prior per quam possit demonstrari, & sic per illam non daretur scientia de ente, quod esset valdè absurdum. Superest ergò, vt omnes demōstrarentur de ipso per eius conceptum quiditatiuum, ac proindè omnes passiones, tum limitatas, tùm transcendentes esse demonstrabiles de suis subiectis.

Tertia conclusio. Probabile est, passiones entis, siuè disiunctas, siuè simplices non esse de eo demonstrabiles simpliciter, & à priori. Est Scoti in primo d. 39. sub G. §. Quantum ad primum &c. Probatur quia si essent demonstrabiles de ente, vel per diffinitionē entis, vt subiecti, vel per diffinitionem passionis prioris, sed neutrum est dicendum: ergo non sunt demonstrabiles de ipso. Maior probatur quia medium demonstrationis simpliciter, & propter quid ex Aristotele secundo Poster. c. 17. Est quod quid est alterius extremi conclusionis, scilicet vel subiecti, vel passionis quod est eius prædicatum: ergo essent demonstrabiles, vel per diffinitionem entis, vt subiecti, vel passionis, vt prædicati conclusionis demonstratæ. Minor probatur, quia transcendentia, cum nō sint in genere, carent diffinitione, quæ habet cōstare ex genere, & differentia ex Aristotele 7. Meth. t. c. 43. sed ens, & eius passiones sunt transcendentia, & illimitata ad omnia genera, vt alias probauimus: ergo ens, & eius passiones carent diffinitionem, & generaliter medio demonstrationis propter quid. Secundo probatur quia propositiones immediatæ sunt indemonstrabiles ex Aristotele primo Poster. capit. 2. & 3. sed ex ente, & eius passionibus fierent propositiones immediatæ: ergo non possent demonstrari. Minor probatur quia omnes passiones entis fluunt ab eodem immediatè, nedum immediatione subiecti, sed etiam immediatione causæ: ergo per nullam propositionem priorem possent demonstrari, & sic essent immediatæ; consequentia patet ex dictis in 4. Not. Antecedens probatur, quia si haberent aliquam causam mediante qua haberent esse, vel talis esset cōceptus entis quiditatiuus, vel passio prior respectu posterioris, sed neutrum dici potest: ergo omnes essent sibi immediatæ. Maior conceditur, cum sit fundamentum secundæ, & tertiæ sententiæ. Minor probatur; & primo quod non mediante conceptu, vtpotè ab ente distincto; quia ens cum sit simpliciter simplex, non est resolubile in aliquid, quod sit ex natura rei distinctum: ergo cum eius, conceptus quiditatiuus sit sibi omninò idem, si vniretur passionibus faceret propositiones immediatas immediatione causæ. Secundo quod nec mediante passione priore ens vniretur passioni posteriori, tùm quia, vt inquit Doctor loco citato, difficile est assignare hunc ordinem inter huiusmodi passiones. s. prioritatis, & posterioritatis: ergo nec causalitatis inter illas: tum etiam, quia si considerentur secundum se, sunt omninò disparatæ; si verò terminatiuè, cum verum dicat conformitatem entis ad intellectum, & bonum ad voluntatem, sunt pariter respectus disparati, quorum neuter poterit esse causa alterius; Re-

stat igitur, vt omnes immediatè fluant ab ente, & consequenter cum illo faciant propositiones immediatas, ac indemonstrabiles.

Quarta Conclusio. Passiones entis, sicut possunt ordinatè procedere ab ipso, tamquam effectus prior, & posterior, ita possunt demonstrari de ente, demonstratione à priori secundum quid. Est Scoti in Prol. quæst. prima sub H. & in tertio dist. decimaquarta, quæst. 2. in quarto dist. vndecima, qu. 3. & quol. 14. art. tertio, & in Report. qu. 1. Prologi, vbi docet passiones entis esse ordinatas, ita quod vna demonstretur per aliam, aliter plures essent propositiones immediatæ in ente, quam conclusiones. Probatur quia effectus posterior potest demonstrari per priorem, & notiorem, sed passio prior est effectus notior: ergo per priorem passionem potest demonstrari posterior. Minor probatur ex Aristotele quarto Metaph. tex. 3. & quinto, vbi dicit, quod vnum, quod est prima passio entis, est eiusdem naturæ, cum ente, & passiones, quæ insunt enti, pariter insunt vni: ergo sicut ens notius est suis passionibus, & vnum erit notius verò, & bono, ac proinde per vnum de ente poterunt demonstrari. Secunda pars probatur, quia demonstratio, quæ est à priori, & non per causam, dicitur secundum quid, & non simpliciter, siquidem ista necessariò debet procedere per causam, sed huiusmodi demonstratio esset per effectum priorem tantum, & non per causam: ergo esset à priori secundum quid, & non simpliciter.

Quinta Conclusio. Passiones disiunctæ, nequeunt demonstrari de ente secundum totum disiunctum, sed tantum secundum vnam partem, scilicet quod per membrum vilius, & imperfectus demonstretur perfectius. Est Scoti in primo sentent. distinct. 39. sub lit. C. Prima pars remanet probata ex tertia conclusione, cum sit eadem ratio de passionibus disiunctis secundum totum, ac de simplicibus: siquidem omnes sunt æqualiter immediatæ enti. Secunda pars probatur, quia perfectius non dependet ab imperfectiori, sicut è conuerso: ergo ad positionem membri perfectioris passionis disiunctæ, non sequitur positio membri imperfectioris, licet benè è conuerso, vt exemplificauimus in tertio Not.

Obijcitur tamen contra supradictas conclusiones, & primo contra primam. Nulla propositio immediata potest demonstrari ex Aristotele 1. poster. cap. secundo aliter non esset immediata, sed mediata, sed omnis propositio, in qua prædicatur passio, etiam limitata de suo subiecto est immediata: ergo est indemonstrabilis. Minor probatur quia inter subiectum, & passionem nullum aliud subiectum mediat, alioquin non esset passio, quia non competeret soli, quod tamen est de ratione passionis, vt dicit Porphyrius cap. de Proprio.

Respondetur maiorem esse veram de propositione immediata immediatione subiecti, quia sic potest demonstrari per eius definitionem, tamquam per causam, modo propositio in qua prædicatur passio de subiecto est immediata immediatione subiecti tantum, & non causæ, & sic per causam potest demonstrari.

Obijcitur secundo contra secundam conclusionem, si passiones entis essent demonstrabiles de ipso, vel per diffinitionem eius, vel per diffinitionem primæ passionis, siquidem altera istarum sufficit ad demonstrationem potissimam, vt dicit Aristoteles secundo Poster. cap. decimoseptimo; sed neutrum dici potest: ergo passiones entis non sunt demonstrabiles. Minor probatur quia ens, & eius passiones sunt transcendentia, quæ carent diffinitione, cum non sint in genere.

Respondetur negando maiorem, vt insufficientem, siquidem diffinitio est tantum medium demonstrandi passiones limitatas de suis subiectis, & passiones illimitatæ, & transcendentes demonstrantur per conceptus quiditatiuos suorum subiectorum; modò licet ens careat diffinitione, non caret tamen conceptu quiditatiuo, & per hunc possunt demonstrari eius passione de seipso.

Contra, quia ex ente, & eius passionibus fiunt propositiones immediatæ immediatione causæ: ergo vndecunque sunt indemonstrabiles consequentia patet ex Aristotele primo Poster. cap. secundo, vbi dicit propositionem immediatam tali immediatione esse indemonstrabilem. Antecedens probatur quia ens est simpliciter simplex,

& per consequens irresolubile in conceptum priorem, per quem possint demonstrari passiones de ipso.

Respondetur negando antecedens, immò ex ipso, & ipsius passionibus fiunt propositiones mediatæ, & non immediatè saltem causaliter, ad probationem dico ens dici simpliciter simplex, prout simplicitas opponitur compositioni Metaphysicæ, quæ fit ex genere, & differentia non tamen vt excludit compositionem ex ente, & eius essentia, quia sic non est simpliciter simplex, immò habet conceptum quiditatiuum ex natura rei ab ipso distinctum, per quem possunt demonstrari passiones de ipso.

Vel dic cum Doct. subtili. in quæst. tertia. Prologi sub S. ens dici simpliciter quò ad esse, quia caret principijs essendi, cum sit imprincipiatum, non tamen quò ad cognosci, quia ex eius conceptu quiditatiuo, & passionibus possunt fieri principia complexa immediata, per quæ demonstrentur passiones eius de eo.

Contra hanc responsioné; essendi, & cognoscendi principia sunt eadem: ergo si ens caret principijs essendi, non poterit habere principia cognoscendi. Antecedens probatur ex Aristotele secundo Metaphysicor. tex. quarto, vbi dicit. Propter quod principia semper existentium necesse est verissima esse; nec enim aliquando vera, nec illis, vt sint, aliquid aliud causa est, sed illa ceteris; quare vt secundum esse vnumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem: ergo secundum Aristotelem, quæ sunt principia essendi, sunt etiam principia cognoscendi, & si non sint principia essendi, nec erunt principia cognoscendi.

Respondetur ex Doct. subtili in Prologo loco citato, negando antecedens vniuersaliter loquendo, siquidem principia scibilis, non oportet, vt sint etiam principia essendi ipsius subiecti; alioquin ens, quod est imprincipiatum, non posset sciri, quod tamen est falsum, quia vt dicit Aristoteles quarto Meth. tex. 1. & 5. ac 6. Meth. tex. quarto, circa ipsum versatur scientia Methaphysica. Ad probationem dico auctoritatem allatam de secundo Methaph. t. 4. non habere huiusmodi sensum, sed solùm, quod cum veritas sit passio adæquata entis, debet sibi commensurari, vt nimirum qualem, & quantam entitatem res in se habeat, talem, & tantam veritatem, & non amplius sit nata habere; ita explicat Scotus in expositione huius textus: Ex quo non potest inferri eadem esse principia essendi, & cognoscendi, etsi res careat principijs essendi debere etiam carere principijs cognoscendi; siquidem hæc sunt complexa, quæ fieri possunt ex quiditate subiecti, & passionibus eiusdem, quamuis non habeat principia essendi & sit simpliciter simplex, vt dictum est de ente.

Obijcitur tertio auctoritas Scoti in primo d. 39. sub. C. & in 2. d. 12. q. 1. sub eadem litera C. dicentis, omnes passiones entis esse immediatas enti, nec posse de illo demonstrari: ergo conclusio non est sustinenda.

Respondetur primo. Scotum in hac materia fuisse, vel problematicum, vel dubium, siquidem in 3. q. Prologi sub S. & T. disertis verbis dicit passiones entis esse de ipso demõstrabiles: ergo cum oppositum asserat in præcitatis locis in argumento, inferendum est fuisse problematicum. Deinde fuisse etiã dubium probo, quia cum dixisset in secundo d. 12. q. 1. C. vnitatem, vel vnum esse passionem immediatam entis, & non posse de illo demonstrari, statim subiungit, vel si est mediata, illud tamen per quod inest enti, non est nobis notum, ex quo potest inferri, non dixisse absolutè esse indemonstrabilem in se, sed tantum nobis, qui ignoramus medium demonstrationis, cum non possit esse diffinitio, quæ est medium demonstrationis ab Aristotele determinatum.

Vel dicendum secundo. Scotum non negasse absolutè passiones entis esse de ipso indemonstrabiles; sed duntaxat quod demonstrari non possint per diffinitionem tamquã per commune medium, cum tamen re vera possint de ipso demonstrari per eius conceptum quiditatiuũ, vt ex eius doctrina ostendimus in principio conclusionis.

Obijcitur quarto. Contra tertiam cõclusioné Metaphysica est vera scientia de ente inquantum ens est, ex Aristotele 1. Poster. cap. 7. 1. Meth. capit. 1. 4. Meth. t. 1. & 5. ac 6. Methaph. t. 3. & 4. in quibus locis vocatur ab ipso, nedum scientia, sed etiam maxima sciẽtia, & omnium scientiarum domina, sed vera scientia est notitia conclusionis, in qua

demon-

demonstrantur passiones de subiecto, vt idem probat in 1. lib. Post. diuersis in locis, & 2. Post. cap. vlt. ergo passiones entis sunt de ipso demonstrabiles.

Respondetur. Ex Scoto 1. Poster. c. 2. & c. 3. sciētiā posse accipi quadrupliciter, scilicet communiter pro quacumque notitia, siuè certa, siuè dubia, & sic etiam opinio, & suspicio dicuntur scientiæ. Secundo modo propriè pro notitia cuiuscumque rei, siuè talis sit necessaria, siuè contingens, & sic notitia singulārium, & habita per experientiam dicitur scientia. Tertio modo magis propriè pro notitia verorum necessariorum, siuè talis habeatur per discursum, siuè immediatè ex terminis, & sic notitia principiorum dicitur scientia. Quarto modo accipitur scientia maximè propriè, pro notitia verorum necessariorum habita per solam demonstrationem, & sic notitia conclusionis in qua demonstratur passio de subiecto appellatur scientia maximè, non quod sit perfectior notitia principiorum, habita per immediatam intuitionem terminorum, si quidem vt inquit Doctor Subtil. in Repert. quæst. 1. Prologi art. 1. haberi per discursum dicit imperfectionem in scientia, sicut cognoscere immediatè obiectum, arguit perfectionem, sed ita dicitur maxima per ordinem ad intellectum nostrum, qui non potest habere cognitionem euidentem, saltem vt in pluribus, nisi discurrat de præmissis ad conclusionem.

Modò formaliter ad argumentum dico Maiorem esse veram de scientia magis propriè sumpta, minorem verò de scientia maximè propriè, per ordinem ad intellectum nostrum, qui non potest euidenter cognoscere absque discursu; nec propterea sequitur, vt Methaphysica ad sui perfectionem assequendam, demonstrare debeat passionæs de ente, cum hoc sit imperfectionis etiam in notitia, quæ ab Aristotile appellatur maximè scientia.

Contra, quia scientia abusiuè sumpta nequit dici vera; & perfecta scientia; sed Methaphysica in quantum tractat de ente, & suis passionibus appellatur scientia tantum abusiuè: ergo nequit dici vera, ac perfecta scientia. Minor probatur, quia notitia principiorum propriè vocatur intellectus, vt probat Aristoteles secundo Poster. cap. vltimo. Sed Methaphysica in quantum tractat de ente, passionibus, ac principijs est notitia principiorum: ergo debet propriè dici intellectus, & non scientia, vel si appellatur scientia per abusum sic appellari dicendum est.

Respondetur. Negando Minorem, ad probationem, dico notitiam principiorum sic appellari intellectum, vt illam distinguat à scientia per ipsum diffinita, cum hoc tamen stat, vt dicatur etiam vera scientia, & absque illa imperfectione discursus, quæ reperitur in ea, quæ dicitur maximè scientia.

Obijcitur quinto. Medium demonstrationis in non habentibus genus, & differentiam est cōceptus quiditatiuus; ergo quamuis ens careat diffinitione cum sit transcendens; cum habeat conceptum quiditatiuum per ipsum poterunt demonstrari eius passiones de eo. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia in tantum diffinitio in limitatis est medium demonstrandi passiones, in quantum est immediata causa illarum, & importat aliquid ex natura rei distinctum à subiecto diffinito; sed huiusmodi munia præstantur etiam per conceptum quiditatiuum, si quidem passiones entis immediatè pullulant ab eius quiditate, & hæc est distincta ex natura rei à re importata nomine entis: ergo &c. Minor probatur, quia ratio vniuoci est distincta à rei significata per nomen vniuocum, alioquin vt quod non diceret nisi nomen, quod est falsum, sed ens est vniuocum Deo, & creaturis, vt alias cum Doctore probatum est; ergo importat conceptum quiditatiuum à se ex natura rei distinctum.

Respondetur. Negando antecedens, ad probationem dico minorem esse veram, quoad primam partem, falsam quantum ad secundam; quandoquidem ens, cum sit simpliciter simplex nequit importare cōceptum ab ipso ex natura rei distinctum, ad probationem dico antecedens esse verum de vniuocis limitatis, non verò de transcendentibus, cuiusmodi est ens, quia dicunt conceptus simpliciter simplices, & consequenter irresolubiles in alios conceptus ex natura rei distinctos.

Contra quia tunc nulla daretur demonstratio de ente vt ens est, & consequenter nulla esset scientia Methaphysica de ente in quantum est ens, quod ta-

men

men est contra Aristotelem citatum vbi supra.

Respondetur concedendo consequens, & illatum ex ipso, accipiendo scientiam pro notitia conclusionis habita per demonstrationem, siquidem hoc genere scientiæ, Metaphysica non est scientia, sed intellectus, vt dictum est in responsione ad quartum. Nec Aristoteles appellauit eam scientiam strictissimè, sed solum prout scientia est notitia verorum necessariorum, habita immediatè ex intuitione terminorum.

Obijcitur sexto, ex Scoto in Prologo q. 3 Sub. T. ideò negatur Methaphysicam esse de Deo, tamquam de primo subiecto, quia præter scientias speciales, oportet esse aliquam communem probantem omnia, quæ sunt communia illis scientijs specialibus; igitur præter scientias speciales oportet esse aliam communem de ente, in qua tradatur cognitio passionum de ente: ergo de mente Doctoris Methaphysica est demonstratiua passionum de ente.

Respondetur negando hanc vltimam consequentiam, sufficit enim Doctori, vt detur scientia communis de ente, in qua probentur communia alijs scientijs specialibus, quamuis non sit demonstratiua passionum de ente, sed sit dumtaxat cognitio verorum necessariorum, absque demonstratione; siquidem vbi subiectum non habet diffinitionem, vt est ens, de ipso nequit esse cognitio demonstratiua.

Contra, quia idem Doctor ibidem sub S. inquit, quod non oportet principia scibilis esse principia in se ipsius subiecti, quia entis inquantum ens, quod est subiectum methaphysicæ nulla sunt principia essendi, sed oportet cuiuslibet subiecti esse principia per quæ demonstrentur eius passiones de eo: ergo quamuis ens non habeat diffinitionem, quæ est principium essendi, cum tamen cognoscatur simul cum suis passionibus, eius cognitio erit demonstratiua passionum de ipso, quod est contra responsionem præcedentem.

Respondetur negando consequentiam; quando quidem Doctor volens Deum, quamuis non habeat principia essendi, posse esse subiectum Theologiæ, assumit exemplum de ente, quod ponitur subiectum Methaphysicæ, & tamen caret principio essendi, scilicet diffinitione; & licet subiungat, sufficere ad subiectum, vt habeat principia complexa, per quæ demonstrentur passiones de eo, & hoc optimè congruere etiam ipsi Deo, quia cum non sit simpliciter simplex, possit fieri principia cognoscendi ex eius conceptu quiditatiuo, & attributis, vel ex alijs, vt quasi passionibus, per quæ demonstrentur aliæ quasi passiones de ipso, attamen non dicit, nec dicere potest hæc competere enti, quia cum sit simpliciter simplex non habet conceptum quiditatiuum, ex natura rei à se distinctum, per quem demonstrari possint passiones eius de eo; & hic est germanus sensus literæ ex Scoto, adductæ in oppositum tertiæ conclusionis, quicquid respondeant alij Expositores, dum nituntur conciliare loca eiusdem, quæ videntur inter se contraria.

Obijcitur septimo, contra quartam conclusionem. Passiones entis, siue simplices, siue distinctæ immediatè insunt enti ex Scoto in primo d. 39. C. ergo inter ipsas non potest esse ordo prioritatis, & posterioritatis, vt per vnam possit alia demonstrari.

Respondetur, antecedens esse verum de immediatione causæ, non tamen de immediatione effectus, quia sic ordinantur secundum prius, & posterius; vndè per priorem benè poterit demonstrari posterior, saltem demonstratione secundum quid de ipso ente à quo ordinatè fluunt tamquam effectus à sua causa.

Obijcitur octauo Vnum, bonum, & verũ ordinantur ex natura rei; ergo non tamquã plures effectus ab vna causa, sed vt plures causæ subordinatæ ab vna radice procedentes. Antecedens probatur quia vnum, cum dicat indiuisionem in se importat quid absolutum, verum autem cum ordinetur ad intellectum, & bonum ad voluntatem sunt relatiua, at absolutum ex natura rei præcedit relatiuum: igitur, &c. Vlterius cum verum ordinetur ad intellectum, & bonum ad voluntatem, quæ ordine causalitatis se præcedunt; siquidem nil est volitum, quin præcognitum: ergo verum non solum est prius bono quoad esse effectus, verum etiam secundum ordinem causalitatis.

Respondetur negando antecedens, ad probationem dico quod vnum, bonum, & verum secundum explicationem iam datam non sunt passiones ex natura rei ordinatæ, sed solum vt concipiuntur à nobis, sub tali,

vel

vel tali formalitate, quo pacto rectè possunt ordinari, verùm vt sic non sunt passiones entis, sed obiecta intellectus, & voluntatis. Ad aliud de ordine intellectus, & voluntatis, dico esse potentias ordinatas non causaliter, cum vna non sit causa alterius, sed tamquam duos effectus ab vna animę essentia pullulantes, quorum alter alterum præexigit in operando, non verò in se inuicem causando: Vndè non sequitur quod verum præcedat bonum ex natura rei causaliter, sed tantum obiectiuè. Et hæc de hac quæstione, valdè difficili, & satis longa dicta sufficiant.

De His, quæ excluduntur à partibus formalibus Demonstrationis simpliciter.

CAPVT VII.

Postquam Aristoteles egerit in præcedenti capite de requisitis necessariò ad formandam Demonstrationem simpliciter, & propter quid, in præsenti intendit recensere ea, quæ ab ipsius constructione excludi necesse est, & diuiditur in quinque partes, in quarum prima demonstrat, quod non possit fieri ex possibilibus aliter se habere; in secunda non posse constare ex his quæ sunt per accidens; in tertia quod non ex extraneis; in quarta quod non ex corruptibilibus, & in quinta quod non ex communibus confici debeat. Hæc autem præstat, breuiter perstringendo necessaria ad intelligentiam textus, per sequentes conclusiones.

Quòad primam partem ponit hanc conclusionem primam Demonstratio simpliciter, non est ex his, quæ possunt aliter se habere, hoc est, ex contingentibus, & ipsam probat quia Demonstratio est ex tantum necessarijs, sed necessaria non possunt aliter se habere: ergo Demonstratio non est ex his, quæ possunt aliter se habere. Maior patet ex præcedenti capitulo. Minor probatur, quia quæ possunt aliter se habere sunt contingentia; sed contingentia non sunt necessaria: ergo necessaria non possunt aliter se habere, Maior patet, quia contingentia sunt, quæ possunt esse, & non esse. Minor etiam patet, quia contingens est indeterminatum ad vtrumlibet, & necessarium est determinatum ad vnum tantum. Maior primi syllogismi, quamuis sit clara ex prima conclusione præcedentis capitis, adhuc tamen probatur dupliciter, & primo, quia omnis propositio per se primo, & secundo modo est necessaria, tum quia prædicatum, vel est de essentia subiecti, vel identificatum realiter cum subiecto, sed demonstratio procedit ex propositionibus per se: ergo ex necessarijs; Minor est probata in præcedenti capite conclusione tertia; siquidem in maiori prædicatur passio de diffinitione, vel de parte diffinitionis, in minori vel tota diffinitio, vel altera eius pars prædicatur de diffinito, sed istæ sunt propositiones per se, vel primo, vel secundo modo dicendi per se, vt patet ex præcedenti capite: ergo demonstratio procedit ex propositionibus per se. Secundo probatur eadem maior, quia conclusio necessaria non scitur, nisi ex necessarijs, sed conclusio demonstrationis est necessaria: ergo non scitur nisi ex necessarijs. Maior probatur, quia sicut se habet per se ad per se, ita necessarium; sed propositio per se non scitur nisi ex propositionibus per se, ex capite præcedenti; ergo propositio necessaria non potest sciri, nisi ex necessarijs.

Quoad secundam partem ponit secundam conclusionem Demonstratio non est ex his, quæ sunt per accidens. Probat eam tripliciter, tum quia demonstratio est ex necessarijs, & quæ non contingunt non esse, ex præcedenti conclusione, sed accidentia non insũt necessariò, immò contingunt non esse, vt patet ex diffinitione accidentis: ergo, &c. tum secundo, quia demonstratio est ex his, quæ sunt per se, ac secundum quod ipsum: ex dictis in præcedenti capite, sed accidentia non insunt per se subiectis, nec secundum quod ipsum: ergo, &c. Minor probatur, quia insunt per se, & secundum quod ipsum pullulant à principijs intrinsecis speciei, sed accidentia competunt subiectis secundum esse indiuiduale, ex Porphyrio tract. 2. cap. 1. ergo &c. tum tertio quia omnis demonstratio simpliciter

citer est syllogismus faciens scire per se, per causam, & propter quid, seu syllogismus, qui procedit ex his, quæ sunt per accidens non facit scire per se, per causam, & propter quid; ergo demonstratio non procedit ex his, quæ fiunt per accidens. Maior patet, quia hæc est differentia inter demonstrationem propter quid, & quia, quod illa facit scire simpliciter, & per causam, & hæc secundum quid, & per effectum, vt inferius melius demonstrabitur. Minor patet, quia scientia est ex necessarijs; & impossibilibus aliter se habere, vt dictum est in diffinitione scire; sed quæ fiunt per accidens, non sunt necessaria, & possunt aliter se habere: ergo syllogismus ex his, quæ sunt per accidens, non facit scire per se, per causam, & propter quid.

Quò ad tertiam partem ponit tertiam cōclusionem, quod Demonstratio non fiat ex extraneis, & probat, quia termini, & præmissæ extraneæ sunt termini, & propositiones diuersarum scientiarum, sed demonstratio non constat ex terminis, & propositionibus diuersarum scientiarum: ergo demonstratio non debet fieri ex extraneis. Maior patet, quia oppositum prædicati infert oppositum subiecti, nam eadem scientia, cum habeat vnum subiectum, non habet terminos, & propositiones extraneas, sed eiusdem generis subiecti: ergo propositiones extraneæ sunt propositiones diuersarum scientiarum; siquidem logica, & physica non habent eosdem terminos, & easdem propositiones, sed sicut sunt diuersorum subiectorum, sic etiam habent diuersos terminos, & propositiones. Minor probatur, quia diuersæ scientiæ habent diuersa genera subiectorum; secantur enim scientiæ, quemadmodum, & res, idest subiecta, sed in demonstratione non contingit descendere de genere in genus: ergo Demonstratio non constat ex propositionibus diuersarum scientiarum. Minor probatur, quia si contingeret demonstratorem descendere de genere in genus. Idest de subiecto vnius scientiæ in subiectum alteriùs scientiæ sequitur Arithmeticum posse descendere in Geometriam, cum sint diuersæ scientiæ, & habeant subiecta diuersa, sed hoc est falsum; quia tunc numerus, qui per se consideratur ab Arithmetico, esset magnitudo considerata per se à Geometra quod est omninò falsum. Sequela probatur, quia Descenderet de genere in genus: ergo quod per se consideratur ab Arithmetico, esset etiam de per se consideratione Geometræ, & sic numerus esset magnitudo, & è conuersò, quod est omninò falsum.

Ex hoc infertur tamquam corrollarium scientias esse in triplici differentia, quædam sunt de subiectis omninò disparatis, vt Arithmetica, & Geometria, prior enim circa numerum, & posterior circa magnitudinem, quæ sunt subiecta omninò disparata, versantur. Quædam verò sunt de subiectis, se habentibus vt superius, & inferius, vt Metaphysica, & physica, siquidem ens est superius ad corpus naturale: Quædam tamdem sunt de subiectis se habentibus vt superius, & inferius per accidens, vel sub alijs verbis, se habentibus vt totum, & pars in modo, vt Arithmetica, & musica, quia subiectum prioris est numerus qui est totum in modo, Idest terminus vniuersalis sumptus sine aliqua determinatione, subiectum verò posterioris, est numerus sonorus, qui est pars in modo. Ad propositum concludendo dicitur, quod in scientijs disparatis non contingit demonstratorem, descendere de genere in genus, sed benè in scientijs subordinatis, & subalternatis, cuiusmodi sunt scientiæ, secundo, & tertio modo, vt clariùs videbimus in propria quæstione.

Quò ad quartam partem ponit quartam conclusionem Demonstratio non habet procedere ex corruptibilibus, & probat eam tripliciter primo, quia conclusio perpetua nō habetur nisi ex perpetuis, sed conclusio demonstrationis est perpetua, cum constet ex subiecto, & passione, quæ sunt vniuersalia, vt probatum est in præcedenti capite: ergo, &c. Maior patet, quia sicut necessarium non habetur, nisi ex necessarijs, ita perpetuum tantum ex perpetuis: ergo conclusio perpetua non habetur nisi ex perpetuis. Secundo probatur. Quia demonstratio procedit ex his,

bus, quæ sunt per se, vt supra probatum est, sed corruptibilia, cum sint singularia, non habent esse per se: ergo demonstratio non fit ex corruptibilibus. Tertio probatur, quia demonstratio est ex vniuersalibus, quæ sunt semper, cum sit de omni posteriorißtico, vt supra probatum est, sed quæ sunt corruptibilia non sunt vniuersalia, nec sunt semper: ergo demonstratio non est ex corruptibilibus.

Quò ad quintam partem ponit quintam conclusionem, scilicet demonstrationem non procedere ex communibus, & probat eam, quia in omni demonstratione, idquod demonstratur, Idest passio inest suis principijs. Idest diffinitioni, & diffinito per se secundo modo, & secundum quod ipsum. Idest conuertibiliter, cum sit vniuersale, vt probatum est in præcedenti capite, sed principijs communibus nihil inest secundum quod ipsum, & per se: ergo, &c. Minor probatur, quia quod inest secundum quod ipsum inest conuertibiliter; sed nihil conuertitur cum suo communi, hæc enim est falsa omne animal est risibile, vel omnis figura habet tres angulos; siquidem leo est animal, & non est risibilis, similiter quadratum est figura, & non habet tres, sed quatuor angulos: ergo, &c. Secundo probatur, quia demonstratio debet procedere ex principijs proximis, & non remotis, sed communia non sunt proxima, sed remota; ergo non debet procedere ex communibus. Maior probatur, quia demonstratio est syllogismus faciens scire per se, & per causam; sed remota faciunt scire per accidens: ergo demonstratio non procedit ex remotis. Tertio probatur, quia demonstratio non debet procedere ex extraneis, & diuersorum generum, sed principia communia sunt extranea, ac diuersorum generum: ergo non debet procedere ex communibus. Maior patet ex præcedenti tertia conclusione. Minor probatur, quia omne totum est maius sua parte, est principium commune; sed tale est extraneum Geometriæ, quia competit etiam Arithmeticæ, & pertinet ad diuersas scientias, non tamen conuertibiliter: ergo est extraneum.

Ex quo sequitur quod extraneum hic non accipitur pro disparato, sed tantũ pro inadæquato, & inconuertibili, & sic omne commune est extraneum suis inferioribus, quia non conuertitur cum singulis eorumdem, vt patet, quia hæc est falsa omne animal est homo, vel leo, aut equus.

Quarto probat eamdem conclusionẽ, quia medium in demonstratione debet esse eiusdem proximitatis cum extremis; sed principia communia non sunt huiusmodi cum suis particularibus: ergo demonstratio non procedit ex communibus. Minor probatur, quia quæ sunt eiusdem proximitatis adæquãtur, & conuertuntur, atqui cõmunia non conuertuntur cũ particularibus, vt patet: ergo &c. Maior probatur, quia si medium in demonstratione nõ esset eiusdem proximitatis cum extremis, hoc maximè foret in subalternantibus, quia subalternatæ recipiunt media à scientijs communibus. i. subalternantibus, vt perspectiua à Geometria, & Musica ab Arithmetica, sed hoc est falsum, quia quamuis huiusmodi scientiæ sumant sua principia à subalternantibus, non sumunt ea, vt sunt communia, sed vt contracta per proprios terminos, vt Musica sumit ab Arithmetica hoc principium: inter numeros, quorum vnus bis continet alium est proportio dupla, ad probandam vnam vocem esse alia grauiorem in duplo; vndè patet, quod huiusmodi principium, vt est Musicæ non est commune Arithmeticæ, sed contractum ad souneitatem, & vocem, hoc modo; omnis vox continens aliam bis est in duplo grauior, vt vox in A re est in duplo grauior voce in C faut.

Ex quo infert, vnum corrollarium quod scientiæ subalternantes dicuntur propter quid, subalternatæ verò quia est, siquidem subalternantes sunt de principijs, & causis, subalternatæ verò de conclusionibus, & effectibus; nam conclusiones in scientijs subalternantibus sunt principia in scientijs subalternatis; sed conclusiones probantur propter quid, & à priori, & principia probantur à posteriori, & demonstratione quia: igitur

tur subalternata dicuntur scientiæ quia, & subalternantes propter quid.

Ex his infert pro coronide Capituli quatuor, & primum quod omnia principia scientiarum specialium probantur per principia methaphysicalia, siquidem minus commune probatur per magis commune; sed omnia principia scientiarum specialium se habent, vt minus communia, ad principia Methaphysicalia: ergo, &c.

Secundum, Methaphysicam esse magis scientiam, immo omnium aliarum scientiarum dominam, tum ratione consideratorum in illa, quæ sunt Deus, & Intelligentiæ, quæ sunt maximè scibilia: tum etiam ratione subiecti attributionis, & prædicationis, quod est ens inquantum ens, & maximum intelligibile, tum verò ratione principiorum, quæ virtualiter ingrediuntur quamlibet scientiam, scilicet de quolibet verum est dicere, quod est, vel non est; & non contingit idem esse vel non esse, quæ apprehensis terminis, statim cognoscuntur; tum denique ratione finis, qui est scire substantias separatas à materia, & omnino incorruptibiles.

Tertium Methaphysicam descendere in alias scientias non absolutè, sed secundum terminos, & principia contracta ad terminos, & principia aliarum scientiarum, quia eius principia, scilicet de quolibet verum est dicere, quod est, vel non est; & non contingit idem esse, & non esse probant principia omnium aliarum scientiarum; tum quia ens, quod est subiectum in Methaphysica cōtinet sub se subiecta aliarum scientiarum; tum tamdem, quia omnia quæ considerantur in alijs scientijs sub propria ratione, & speciali vniuscuiusque scientiæ, considerantur etiam in Methaphysica sub ratione communissima entis.

Quartum Difficile est nosse se scire perfectè, quia scire est rem per propria principia cognoscere, sed difficile est propria principia cognoscere; ergo difficile est nosse se scire. Maior ex quinta conclusione patet. Minor probatur, quia multoties opinamur aliquid scire, & tamē nescimus, quia propria principia ignoramus, vt dum scimus albedinem esse accidens, eo quod est in alio; opinamur nos scire, attamē propriè non scimus, quia esse in alio non est proprium accidenti: multa enim sunt in alio, quæ non sunt accidentia, vt patet per octo modos essendi in alio, quorum meminit Phylosophus quarto Physicorum t. c. 23. & hæc de textu huius cap.

Vtrum Demonstratio, & scientia sit ex necessarijs & impossibilibus aliter se habere?

QVÆSTIO IX.

DEmonstrationem, ac scientiam debere ex necessarijs procedere, est constans sententia Aristotelis, expressa, nedum in præsenti, sed etiam in præcedenti capite, quomodo autem hoc intelligendum sit, & de qua necessitate loquatur non est ita clarum; vndè pro clara notitia primo notandum est necessitatem esse duplicem, scilicet complexam, & incomplexam. Necessitas complexa est veritas propositionis infalsificabilis omninò, & quod implicat esse falsā, talisque necessitas inest præmissis, & conclusioni syllogismi demonstratiui, quia prædicata, vel sunt de essentia, vel eadem saltem realiter subiectis, & hæc est triplex, scilicet consequentis, antecedentis, & consequentiæ. Necessitas consequentis est habitudo necessaria antecedentis ad consequens, vel præmissarum ad conclusionem, ratione idētitatis terminorum sic necessariò ordinatorum, vt hæc homo est animal rationale: ergo homo est risibilis, vel omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis, & talis reperitur in qualibet propositione per se primo, & secundo modo, & in qualibet demonstratione propter quid. Necessitas antecedentis est habitudo consequentis ad antecedens, vel conclusionis ad præmissas, vt in hac, omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal rationale, & hæc reperitur in omni demonstratione, quia, ratione identitatis realis terminorum, idest subiecti cum suo præ-

prædicato, & è conuersò. Necessitas consequentiæ est formalis habitudo antecedentis ad consequens, vel præmissarum ad conclusionem ex dispositione terminorum in modo, & figura proueniens, vt in hoc syllogismo, omne animal currit; omnis homo est animal: ergo omnis homo currit; vel omnis homo est asinus; sed omnis lapis est homo: ergo omnis lapis est asinus, siquidem in his duabus conclusionibus non est necessitas consequentis, vel antecedentis, quia termini, vel repugnant, vel sunt contingentes, est tamen necessitas consequentiæ; cum ex dispositione syllogistica illorum terminorum, necessariò inferendæ, erant tales conclusiones, & hæc necessitas reperitur in omni syllogismo formali, siue demonstratiuo, siuè topico, siuè sophystico, at duæ priores in demonstratiuo tantum. Necessitas incomplexa est etiam duplex scilicet simpliciter, & secundam quid. Prior reperitur in illo ente dumtaxat, cui repugnat non esse, & sic solus Deus dicitur ens necessarium, quia implicat contradictionem, vt non sit. Necessitas secundum quid est in eo, quod secundum se potest non esse, attamen ratione alicuius extrinseci, cui repugnat non esse, non potest non esse, & hæc necessitas reperitur in creaturis in mente diuina, quia licet secundum se possint non esse, tamen quia cognitio diuina, quæ terminatur ad ipsas est immutabilis, necessaria, & impossibilis aliter se habere, propterea etiam creaturæ, non possunt non habere esse cognitum, & possibile. Necessitas incomplexa adhuc est duplex scilicet actualis, & aptitudinalis, prior reperitur in solo Deo, quia sibi repugnat actu non esse, posterior conuenit omni enti possibili, quia licet actu non sint, necessariò tamen sunt in aptitudine, alioquin non essent possibilia, sed repugnantia. Necessitas incomplexa reperitur in omni demonstratione, quia termini habent esse in mente diuina, cui repugnat non esse; similiter necessitas aptitudinalis, non actualis sibi competit, siquidem subiectum scientiæ, non est necesse quod existat actualiter, sed sufficit quod possit existere, vel in se, vel in suis inferioribus.

Secundo. Notandum est, quod haberi scientiam de aliquo, potest dupliciter contingere, vno modo vltimatè, alio modo non vltimatè. Primo modo de illo habetur scientia, ad quod vltimatè terminatur intellectus, & quodammodo in illa conquiescit, & sic res significatæ per terminos dicuntur sciri, quia intellectus terminatur per suam cognitionem ad illas. Secundo modo de illo habetur scientia ad quod finaliter non terminatur intellectus, sed vlterius procedit in cognoscendo, & sic etiam voces termini, & propositiones, ex quibus conficiuntur demonstrationes, dicuntur sciri.

Tertio. Notandum est, adhuc de aliquo posse haberi scientiam, posse intelligi dupliciter vno modo tamquam de scibili propinquo alio modo, vt de scibili remoto. Primo modo habetur scientia tantum de conclusione, & eius significato, quia ea sola immediatè, & propinque intelligitur; Secundo modo habetur scientia de subiecto cōclusionis, quia ad ipsum, & in ipso tandem terminatur notitia intellectiua, inquantum cognoscit prædicatum sibi conuenire de necessitate, non solum ob identitatem necessariam medij cum extremis, sed etiam extremorum inter se in conclusione demonstrata.

Ex his fit prima conclusio. Illud de quo habemus scientiam totaliter, & propinquè, debet esse necessarium necessitate complexa. Probatur quia propositio infalsificabilis, & per se, est necessaria necessitate complexa: sed illud de quo habemus scientiam totaliter, & propinquè, est propositio infalsificabilis, & per se: ergo est necessaria complexè. Maior patet, quia prædicatum includitur necessariò in subiecto, & oppositum subiecti infert oppositum prædicati, si enim esset falsificabilis, & per accidēs, esset cōtingens, & non necessaria: ergo si sit infalsificabilis, & per se, sequitur; quod sit necessaria. Minor probatur, quia illud de quo habemus scientiam totaliter. & propinquè est conclusio demonstrata, vt patet ex tertio Not. sed conclusio demonstrationis est infalsificabilis, & per se: ergo est necessaria. Minor probatur, quia conclusio demostrata constat ex subiecto, & eius passione, quæ ob identitatem realiter faciunt propositionem per se, secundo modo, & consequenter infalsificabilem, cum passio sit inseparabilis à subiecto: ergo conclusio demonstrationis est infalsificabilis, & per se secundo modo, ac proinde necessaria complexe.

Secunda Conclusio. Illud de quo habemus

mus scientiam remotè debet habere necessitatem incomplexam, saltem aptitudinalem. Probatur, quia omne possibile habet talem necessitatem, sed omne scibile remotum est possibile: ergo habet necessitatem incomplexam aptitudinalem. Maior probatur, quia ratio formalis inest necessariò cui inest, sed possibilia inquantum possibilia sunt formaliter apta nata esse: ergo necessariò sunt apta nata esse. Minor probatur, quia scientia est de aliquo ente per se; siquidem de ente per accidens non est scientia, cum non possit diffiniri, sed non est de ente actuali, quia vt sic est contingens, & potest non esse: ergo de possibili, & consequenter omne scibile, vt scibile remotum est possibile.

Tertia Conclusio. Demonstratio simpliciter, & scientia, vt est eius effectus, est de necessarijs, & impossibilibus aliter se habere. Probatur, quia illud de quo habetur scientia, siuè complexè, siuè incomplexè, est ens necessarium, & impossibile aliter se habere: ergo etiam illud per quod habetur huiusmodi scientia erit sic necessarium; sed per demonstrationem simpliciter habetur huiusmodi scientia: ergo demonstratio simpliciter, & eius effectus est ex necessarijs, & impossibilibus aliter se habere. Antecedens patet, ex prima, & secunda conclusione. Consequentia etiam patet, quia effectus necessarius non potest esse à causa contingenti, saltem per se: ergo à necessaria. Subsumptum patet, quia demonstratio est syllogismus faciens scire, ex Aristotele primo Posteriorum cap. 2. Superest: ergo, vt demonstratio, & scientia, quæ est eius effectus, sit ex necessarijs, & impossibilibus aliter se habere.

Obijcies primo contra omnes conclusiones simul, quia nullum contingens est necessarium; sed præmissæ demonstrationis & eius conclusio, sunt contingentes; ergo non sunt necessariæ. Minor probatur, quia illud est contingens, quod potest esse, & non esse; sed tales sunt huiusmodi, quia possunt formari, & non formari: ergo sunt contingentes.

Respondetur, negando minorem, ad probationem dico esse veram, quò ad formationem: non tamen quò ad complexionem, & habitudinem, quam habent termini ad inuicem, quia sic sunt sempiternæ veritatis, & necessariæ, siquidem habent identitatem in sier se, vel essentialem, vel saltem realem, & identicam, & consequenter eorumdem complexio est necessaria, & immutabilis.

Obijcies secundo. Illæ propositiones sunt falsæ, quæ sunt de terminis pro nullo supponentibus; sed propositiones demonstrationis sunt huiusmodi; ergo non sunt necessariò veræ. Minor patet, quia in hac propositione facta in hyeme, Rosa potest florere, termini pro nullo supponunt, & tamen de illa potest esse scientia.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico esse veram, de rosa in esse actualis existentiæ, non tamen in esse aptitudinali, quia sic rosa etiam in hyeme est, & supponit, & sic de illa potest esse scientia.

Obijcies tertio, ex Ruuio. Datur aliqua demonstratio, quæ non procedit ex necessarijs, & impossibilibus aliter se habere: ergo sequitur saltem, quod non omnis demonstratio sit ex necessarijs, &c. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia hæc est vera demonstratio: omne album est disgregatiuum visus, sed corpus habens albedinem est album: ergo corpus habens albedinem est disgregatiuum visus; sed minor propositio, non est necessaria, quia est contingens, quod corpus habeat albedinem, & sit album; & conclusio erit contingens, & non necessaria, siquidem conclusio sequitur debiliorem partem: ergo datur aliqua demonstratio vera, quæ non est ex necessarijs.

Respondetur negando antecedens, ad probationem negatur minor, immò talis propositio est necessaria, cum sit per se in quarto modo perseitatis; ad probationem dico quidem esse contingens, quod corpus habeat albedinem, & sit album, at facta suppositione, quod habeat albedinem, sequitur de necessitate, quod sit album, & disgregatiuum visus; ex quo patet huiusmodi demonstrationes confectas ex propositionibus per se, quarum vna sit in secundo modo, & altera in quarto modo dicendi per se, esse vtiq; ex necessarijs; verum non tanta necessitate, quam si forent necessariæ, & per se primo, & secundo modo ambæ præmissæ.

Verum

Vtrum contingat Demonstratorem descendere de genere in genus cuiuslibet scientiæ?

QVÆSTIO X.

VOlens Aristoteles probare in c. 7. concl. 4. Demonstrationem non debere fieri ex extraneis, protulit hanc propositionem; non contingit demonstratorem descendere de genere in genus, idest de subiecto vnius scientiæ in subiectum alterius; ergo demonstratio habet fieri ex proprijs, & non ex extraneis; at quia huiusmodi axioma ob diuersitatem generum, & scientiarum patitur nonnullas difficultates, idcircò in præsenti videndum est in quibus scientijs habeat veritatem, & in quibus non.

Pro cuius clara notitia primo notandum est genus esse duplex, s. prædicabile, & scibile. Primum est illud, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, vt dictum est in libro Vniuersalium c. de genere secūdum est illud, quod primò, & principaliter consideratur in aliqua scientia, & ad quod omnia in illa considerata habent attributionē, tamquam ad vnum, cum ab ipso scientia habeat vnitatem, & diuisionem à quacumq; alia; vndè Aristoteles in 1. Post. c. 23. dicit: Vna autē scientia est, quæ est vnius generis, quecumq; ex primis componitur, & partes sunt, aut passiones horum, quæ sunt per se: Altera autem scientia est ab altera, quarumcumque principia, neq; ex eisdem, neq; ex alteris sunt idest vna scientia est quæ est vnius subiecti, habentis principia, partes, & passiones, quæ sint eadem per se sibi: Diuersæ verò scientię, quæ sunt ex diuersis subiectis, habentibus diuersa principia partes, & passiones, ex quibus conficiuntur pariter diuersæ demonstrationes, itaquod demonstrationes vnius scientiæ, non sint demonstrationes alterius, sicut nec genera subiectorum sunt eadem; ex quo infertur non posse demonstratorem descendere de genere in genus, sed consistere in eodem, & ab ipso accipere principia demonstrationis pro sua quaq; scientia.

Secundo notandum, ex dictis in Expositione textus, scientias esse in tripl ci differētia, siquidem aliæ sunt de subiectis disparatis, quorum alterum de altero nequit verè enunciari, vt sunt Arithmetica, & Geometria; prior enim versatur circa numerum, qui est quantitas discreta, & posterior circa magnitudinem, quæ est quantitas continua, & ambæ sunt species disparatæ quantitatis, vt sic: Aliæ verò sunt de subiectis subordinatis essentialiter, & intrinsecè, cum se habeant tamquam superius, & inferius, vt Philosophia, quæ est de corpore naturali, & methaphysica, quæ est de ente, vt ens est, quod nihilominus includitur quiditatiuè in corpore naturali, tamquam superius in suo inferiori. Aliæ denique sunt de subiectis se habentibus, vt superius, & inferius per accidens, quorum alterum sit totum, & alterum pars in modo, vt musica, & Arithmetica, quæ sunt ambæ de numeris; cæterum Arithmetica considerat numerum, vt sic in communi, musica verò eumdem numerum, non in communi, sed vt contractum per differentiam accidētalem sonoreitatis. Scientiæ primi generis sunt omninò disparatæ, & in illis non potest descendi de genere in genus, cum habeant subiecta, & principia omninò disparata: at in scientijs secundi, & tertij generis, cum communicent in subiectis, & principijs, benè potest fieri descensus de genere in genus, siquidem principia inferioris probari possunt per principia superioris, vt mox dicemus.

Tertio notandum est, quod, cum scientiæ secundi, & tertij generis dicantur subordinatæ, vel subalternatæ, quia extrinsecè, & ratione suorum subiectorum vna ponitur sub alia, hoc potest contingere tripliciter, vno modo ratione finis, & sic omnes scientiæ subalternantur Theologiæ, cum propter illam cæteræ acquirantur. Secundo, modo ratione principiorum, idest quando principia subalternatæ probantur per principia subalternantis, & sic Geometria in aliqua parte subalternatur Philosophiæ naturali, nam hoc principium Geometriæ, a puncto ad punctum contingit rectam lineam ducere, sic probatur à Philosopho naturali vbicumque potest esse motus rectus ibi potest esse linea recta, quia motus rectus fit per spatium rectum, sed à puncto, ad punctum potest fieri motus rectus; ergo à puncto ad punctum erit linea recta. Tertio modo ratione subiecti, idest cum subiectum

vnius continetur sub subiecto alterius, & hoc potest contingere dupliciter, vno modo quando subiectum vnius, se habeat vt pars subiectiua ad subiectum alterius, vel vt species ad suum genus, vel vt per se inferius ad suum superius, & sic omnes scietię subalternantur Methaphysicæ, quia cum omnes sint de aliquo ente, & methaphysica de ente in communi, omnia subiecta continentur sub illo, tamquam inferiora sub suo superiori, de quibus per se prædicatur. Alio modo quando subiectum vnius continetur sub alterius subiecto vt pars in modo sub suo toto, & sic Perspectiua, quæ est de linea visuali, & Astrologia, quæ est de magnitudine mobili subalternantur Geometriæ, quæ considerat magnitudinem, & lineam, vt sic in communi, & absolutè sumptas: similiter Musica, quæ habet pro subiecto numerum sonorum, subalternatur Arithmeticæ, quæ versatur circa numerum vt sic, absolutè sumptum; & hæ tantum dicuntur scientiæ subalternatæ, cæteræ verò subordinatæ.

Quarto notandum, ex Scoto in Prologo primi sent. quæst. 3. & quarta, & quinta laterali, & in tertio dist. 24. quæst. vnic. A. ad hoc, vt scientia aliqua dicatur propriè subalternari alteri tres conditiones requiri, Prima quod notitia principiorum scientiæ subalternantis, seu superioris, sit causa notitiæ principiorum scientiæ subalternatæ, ita quod conclusiones in priori, sint principia in posteriori. Secunda, quod scientia subalternans; & subalternata non sint de eisdem conclusionibus, alioquin idem probaretur per idem, & sic esset petitio principij, vndè ratione huius conditionis, Theologia nostra non subalternatur Theologiæ Beatorum, vt dicunt Thomistæ, quia ambæ sunt omninò de eisdem conclusionibus, cum hac solum differentia, quod vbi Beati vident illas clarè, nos percipimus easdem obscurè. Tertia quod subiectum scientiæ subalternatæ contineantur sub subiecto scientiæ subalternantis, non tamquam species sub genere, aut pars subiectiua sub toto vniuersali, sed sicut pars in modo sub eius toto; idest quod contrahatur per aliquam differentiam accidentalem, defectu cuius scientiæ reales non subalternantur Methaphysicæ, cum earum subiecta sint partes subiectiuæ entis, & ens non sit contractum ad illa per aliquas differentias accidentales, immò per essentiales, & quidditatiuas, vt suo loco dicemus.

Ex his fit prima conclusio. In scientijs omninò disparatis, non contingit Demonstratorem descedere de genere in genus. Est cōclusio Aristotelis c.7.t.23. Probatur quia demonstratio procedit ex præmissis per se, & secundum quod ipsum, ex eodē Aristotele c. 4. sed subiectum, & principia aliarum scientiarum, non predicantur de se inuicē, nec per se, nec conuertibiliter; ergo in eis non licet descendere de genere in genus. Minor patet, siquidem subiectum Geometriæ. s. linea, non prædicatur per se de numero, qui consideratur per se ab Arithmetica, & è cōuersò; cum contineantur sub diuersis speciebus quantitatis, linea .n. est quantitas continua, & numerus discreta, quæ sunt species diuersæ.

Secunda conclusio. In scientijs subordinatis, quarum subiecta se habent, vt per se inferius, & superius, & in scientijs subalternatis; in quibus subiecta sunt pars in modo, & totum in modo, contingit demonstratorem descendere de genere in genus. Est Aristotelis loco proximè citato sub t.20. & 21. Probatur prima pars, quia demonstratio procedit ex propositionibus per se, & ex his, quæ per se insunt; sed subiectum scientiæ superioris per se primo modo prædicatur de subiecto scientiæ inferioris, cum sit eius totum vniuersale, & illud pars subiectiua: ergo demonstrator potest descēdere de vno in aliud. Secunda Pars probatur, quia principia sciētiæ subalternatæ habent probari per principia scientiæ subalternantis, cum sint conclusiones ex illis demonstratæ: ergo potest fieri descensus de vna ad aliam scientiam. Antecedens patet per primam conditionem requisitam ad scientiam subalternatam, positam in 4. Not. Consequentia similiter patet, quia de præmissis ad conclusionem est optimus processus; sed principia subalternatæ, sunt conclusiones subalternantis: ergo licitus est transitus de subalternante in subalternatam.

Tertia conclusio. Vera scientia subalternata exigit necessariò illas tres conditiones positas in quarto Notab. Est Aristotelis in cap. 7. & Scoti loco supracitato in eodem not. 4. Probatur ex Aristotele prima conditio, quia Geometria probat principia Perspectiuæ, & Arithmetica Consonantiæ, idest Mu-

Musicæ, sed hæ se habent, vt subalternans, & subalternata: ergo ad subalternatam requiritur prima conditio posita. Antecedens patet ex verbis Philosophi, quæ sunt ista: Propter hoc Geometriæ non est demonstrare, quod contrariorum vna sit scientia, sed neq; quod duo cubi sit vnus cubus, Idest duo numeri pares sint vnus numerus, neque alterius scientiæ, quod alterius est, sed aut quæcumque sic se habent ad inuicem; vt quod alterum sit subaltero, vt Perspectiua ad Geometriam, & Consonantia ad Arithmeticam; ergo quia Perspectiua subalternatur Geometriæ, & Consonantia Arithmeticæ infert principia inferioris demonstrari posse per principia superioris. Secunda conditio sequitur ex prima, quia principia, & conclusiones non sunt de eisdem veritatibus, cum sint habitus diuersi ex Aristotele secundo Poster. c. vlt. sed conclusiones scientiæ subalternantis sunt principia in subalternata: ergo aliæ sunt conclusiones in subalternata à conclusionibus subalternantis, ac proinde subalternans, & subalternata nequeunt esse de eisdem veritatibus. Tertia conditio ponitur ab Aristotele in eodem c. 7. dum dicit, quare si per se, & illud inest, cui inest, necesse est medium in eadem proximitate esse, si verò non sit, sed sicut Harmonia per Arithmeticam, huiusmodi autem demonstrantur quidem similiter, sed differunt: nam ipsum quidem quia, alterius scientiæ est, subiectum enim genus alterum est, (idest differens accidentaliter) sed propter quid est superioris, cuius per se passiones sunt: ergo de mente Aristotelis requiritur idem subiectum in subalternante, & subalternata, & quod tantum differant subiectum huius, & illius per differentiam accidentalem, vt dicitur in tertia conditione contra quam tamen sic.

Obijcitur primò, quia admissa tertia conditione, sequitur scientiam subalternatam non esse scientiam propriè dictam, sed consequens est falsum, & contra Aristotelem citatum in textu; ergo, & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quia de ente per accidens non est scientia, ex eodem Aristotele 6. Meth. c. 2. neq; diffinitio, quæ est medium sciendi, ex 7. Meth. t. c. 11. & t. c. 20. sed subiectum cum tali differentia accidentali est ens per accidens: ergo nequit esse subiectū scientiæ subalternatæ. Minor patet, quia in Musica ponitur numerus sonorus, & in Perspectiua linea visualis, at certum est visuale, & sonorum spectare ad alia genera, quam numerus, & linea; ergo ex illis differentijs accidentalibus, & earum subiectis nequit fieri vnū per se, sed tantū per accidēs.

Respondetur primo de mēte aliorū. Sequelā maioris esse verā loquēdo de scientia propriè dicta que nimirū fit per causā per se, vt diffinitur ab Aristot. c. 2. cū sit certissimū in subalternata scientia non dari causam per se proximam, sed tantum remotam, cuiusmodi sunt principia scientiæ superioris subalternantis; per quæ demonstrantur eius principia, & consequenter etiam conclusiones, sed remotè tantum; falsam verò si sit sermo de scientia largè sumpta, & non in tanto rigore, quia sic etiam subalternata potest esse scientia. Ad probationē dico maiorē esse veram de scientia rigorosè sumpta, quæ pro medio sciendi requirit causam, & diffinitionem per se, non tamen de scientia largè accepta, cum hæc possit haberi etiam de ente per accidens, cum per passionē, & eius diffinitionē possint demonstrari passiones saltē accidentariæ de composito per accidens.

Contra, & est impugnatio Auctoris, quia hæc respōsio destruit naturā sciētię; ergo non potest admitti. Antecedēs probatur, quia omnis sciētia per demonstrationē acquisita, debet habere subiectū per se diffinibile, sed ens per accidens non est per se diffinibile: ergo de Ente per accidens, & consequenter de subiecto subalternatæ non poterit esse sciētia per demonstrationem acquisita. Maior est Aristotelis secundo Post. cap. 17. vbi dicit, quod medium in demonstratione est quodquidem, idest diffinitio alterius extremi, idest subiecti. Minor probatur, quia per se diffinibile debet constare ex genere, & differentia, vt probat Philosophus 7. Metaph. t. c. 43. sed ens per accidens, cum spectet ad diuersa genera, non habet vnum genus, & vnam differentiam: ergo nequit diffiniri, ac sic de illo non potest esse vna scientia, quocumq; modo sumatur, & consequenter posita illa tertia conditione de subiecto cum differentia accidentali, sequitur subalternatam scientiam non esse veram scientiam.

Respondetur, & est responsio secunda aliorum, negando antecedens, ad probationē dico maiorem esse veram de sciētia propriè accepta, non largè sumpta, quia sic potest esse etiam de eo, quod non est per se

diffinibile; ad probationem dico Aristotelem locutum fuisse de demonstratione propter quid, & potissima, quę datur per causam per se, & à priori, non tamen de demonstratione quia, per quam habetur scientia subalternata, vt dicit Aristoteles, quod nimirum scientia subalternans, & subalternata differunt, per quia; & propter quid: vndè posita illa tertia conditione sequitur subalternatam esse veram scientiam, quamuis non in tanto rigore, sicut subalternans.

Vel dicendum secundo, & est mea responsio, negando sequelam maioris, ad probationem concessa maiori, ad minorem, subiectum scientiæ subalternatæ, dupliciter posse accipi, vno modo secundum se, & formaliter; alio modo in ordine ad aliud, & æquiualenter: primo modo est ens per accidens, siquidem differentia accidentalis adiecta, e.g. visuale adiectum lineæ in subiecto perspectiuæ, & sonorum additum numero in subiecto Musicæ, cum sit accidens per accidens, & ens in actu nequit facere cum subiecto contrahibili ens per se, sed tantum ens per accidēs: Cæterum secundo modo, cum habeat vim contrahendi subiectum scientiæ subalternantis, ad subalternatam; & distinguendi specie vnam ab alia, (quando quidem non habent esse de eisdem veritatibus, aliter idem probaretur per idem, vt dicitur in secunda conditione posita de mente Scoti) necessariò dicendum est: conditionem esse essentialem subiecto scientiæ subalternatæ, faceteque vnum per se diffinibile, siquidem æquiualet differentiæ essentiali, & pro tanto solum dicitur accidentalis eidem subiecto, pro quanto formaliter spectat ad genus distinctum, cum tamen æquiualeat differentiæ essentiali, & eiusdem generis. Hoc posito, concludendum est scientiam subalternatam esse veram scientiam, non tantum quia, sed etiam propter quid, quia procedit à proprijs principijs ad proprias conclusiones; dici autem subalternatam, quia eius principia non sunt per se nota ex terminis, sicut illa subalternantis, sed in illa possunt resolui, quamuis non necessariò, vt sunt eius; si quidem potest consistere sine illis.

Obijcitur secundo, contra hanc responsionem conclusionem que simul, quia scientia subalternata non demonstrat passiones ex natura, & principijs illius differentiæ, sed potius ex natura, & principijs obiecti subalternantis; ergo potius obiectum erit ratio formalis, quam illud additum, ac proindè vel nulla erit scientia subalternata, vel non erit distincta à subalternante. Antecedens patet ex Aristotele 13. Meth. sum. 1. cap. 3. vbi habet hæc verba: Eadem ratio de Harmonica, & perspectiua, neutra namque prout visus, vel prout vox speculatur, verum prout lineæ, & numeri, at hæc propriæ illorum passiones sunt; ergo de mente Aristotelis subalternatæ scientiæ non demonstrant passiones ex propria natura, & principijs illius differentię, sed ex natura, & principijs scientiæ subalternantis.

Respondetur. Negando antecedens, ad probationem negatur consequentia: si quidem Aristoteles ibi tantum dicit, quod, & nos concedimus, nimirum Harmonicam non speculari tantum voces, neque perspectiuam visum, prout visus, & voces sunt, neque sic de eis demōstrari passiones ipsarum proprias, sed solum voces quatenus pēdent à numeris, & visuale à lineis, quia sic constitutum subiecta propria, & adequata illarum scientiarum, & per eorum diffinitiones demonstrantur passiones propriæ scientiæ subalternatæ, & non subalternantis.

Obijcitur tertio contra secundam conditionem, quia demonstratio, quia, & propter quid demōstrant easdem omninò veritates, quamuis hæc à priori, & illa à posteriori; sed scientia subalternans, & subalternata differunt secundum demonstrationem propter quid, & quia: ergo sunt de eisdē veritatibus. Maior patet ex Aristot. 1. Post. c. 10. Minor est eiusdem cap. 7. & cap. 10. vbi dicit, easdem conclusiones demonstrari, & propter quid, & quia, ab illa à priori; & per causam, ab hac à posteriori, & per effectum, ac via sensus per inductionem: ergo &c.

Respondetur. Scientiam subalternatam posse dupliciter considerari, vno modo prout demonstrat suas conclusiones per principia accepta à subalternante, & sic dicitur scientifica, & vocatur propriè sciētia subalterna; alio modo, vt probat suas conclusiones per principia cognita per sensum, & per experiētiam, exemplum sit de Harmonica habita per experientiam, & per sensum, & de eadē habita ex principijs acceptis ab Arithmetica, & hoc secundo modo non est scientia, sed ars, vt alijs placet, opinio, & solū speci-

cificatiuè dicitur subalterna, inquantum sub esse potest Arithmeticæ, seù subalternanti, per quam scientificè possunt probari eius conclusiones.

Formaliter ad argumentum dico esse veram minorem de subalternata experimentali, quia hæc cum habeatur per experiētiam demonstrat à posteriori suas conclusiones; non autē de subalternata scientificè, quia hec probat suas conclusiones à priori, & demōstratione propter quid, si non immediatè, saltem mediantibus principijs per se notis subalternantis. Ad auctoritatem Aristotelis dicendum consequenter loqui de subalternata experimentali, non verò scientifica, vt patet ex contextu.

Obijcitur quarto contra primā conditionem quia conclusiones subalternantis abstrahunt à materia sensibili, quam tamē concernit scientia subalternata; Geometria.n. est de linea à materia sensibili abstracta, perspectiua verò de eadem, vt subest visui; ergo conclusiones subalternātis non possunt esse principia in subalternata.

Respondetur scientiam subalternatam, vt puta Perspectiuam, non concernere materiam sensibilem, quasi lineam, vt visui sensibili subiectam, speculetur, sed solum dicitur considerare illam contractam per illā differentiam visualem, & non in communi, vt consideratur ab eius subalternante Geometria.

Formaliter ad argumentum dico antecedens esse verum si per abstractum à materia intelligatur esse indeterminatū subiecti, & per concretum materiæ sensibili, esse determinatum eiusdem per differentiam accidētalem; falsum tamen si per ly abstractum accipiatur esse separatum, & per ly concretum, esse mistum materiæ sensibili reduplicatiuè, quia sic visualitas, seù linea visualis consideratur in Philosophia naturali, & non in scientia mathematica, vt est Perspectiua.

Obijcitur quinto, subalternata demonstrat proprias conclusiones per sua principia proxima, subalternans verò easdem probat per principia remota: ergo demonstratio huius erit quia, & illius propter quid. Consequentia patet ex Aristotele 1. Post. c. 7. vbi dicit, necesse est medium in eadē proximitate esse, si verò non sit, sed sicut Harmonica per Arithmeticam, huiusmodi autem demonstrantur quidem similiter, sed differunt; nam ipsum quidem quia, alterius verò propter quid.

Respondetur concesso antecedēti, negando consequentiam, immò vtraq; demonstratio est propter quid, quia per causam, licet diuersimodè. Ad probationem dico auctoritatē illā esse potius ad oppositum, quam ad propositum, siquidē dicit demonstrationē superioris esse propter quid, quia per causā immediatam, posterioris verò, seù subalternatæ esse quia; cum probet per principia mediata, desumpta à superiore, cum hoc tamen stat, vt etiā huiusmodi demonstratio sit propter quid mediata saltem, cum procedat à priori, nimirum à proprijs principijs ad proprias conclusiones.

Obijcitur sexto subiectum subalternatæ habet propriam quiditatem, distinctam à subiecto subalternantis; siquidem numerus Sonorus, saltem æquiualenter distinguitur formaliter à numero, vt sic, sicut animal rationale ab animali vt sic: ergo per ipsam poterunt demonstrari conclusiones scientiæ subalternatæ, absque hoc, quod accipiat principia à subalternante.

Respondetur negando consequentiam, siquidem quiditas subiecti scientiæ subalternatæ, cum non sit euidens ex se, sed hoc habeat à scientia subalternante, consequenter non poterit esse medium demonstrandi passiones proprias scientiæ subalternatæ, independenter à subalternante, alioquin principia non essent notiora conclusionibus, quod tamen necessariò requiritur, ad hoc vt possint demonstrare euidenter conclusiones, vt docuimus supra cum Aristotele in hoc primo Posteriorum cap. 2.

Dices: Subalternata non demonstrat suas conclusiones sine subalternante propter quid, ob ineuidentiam principiorum: ergo subalternans poterit ex se illas demonstrare, absque subalternata, & sic Arithmeticus erit Musicus, cum sola Arithmetica, quod est absurdum.

Respondetur negando consequētiā, quia principia subalternantis nequeunt demōstrare conclusiones subalternatæ, nisi sint applicata ad scientiam subalternatam, sicut nec subiectum illius potest esse subiectum huius, nisi sit contractum per differentiam accidentalem; vndè non sequitur, eum qui

habet Arithmeticam, esse etiam musicum, sine scientia musicæ, quia hæc necessariò illam præexigit quoad euidentiam, & præexigitur ab illa, ad hoc vt principia communia possint demonstrare conclusiones speciales.

Vtrum scientia subalternata possit esse in aliquo intellectu sine subalternante, vt quis nimirum sit perfectus Musicus, quin sit Arithmeticus?

QVÆSTIO XI.

QVamuis hæc difficultas, ex dictis sæpius, soluta remaneat, tamen ad vberiorem, & clariorem doctrinam, lubet eam seorsim pertractare.

Circa quam extat multiplex sententia, nam aliqui dicunt subalternatam sine subalternante non esse scientiam, sed opinionem. Ita Soncinas 4. Methaph. quæst. 9. cui videtur fauere Doctor Subt. in tertio d. 24. quæst. vn. paulò antè lit. I. cum dicit: Potest tamen quis habere opinionem, vel fidem de traditis in Perspectiua, sine hoc, quod sciat Geometriam, cui subalternatur, quia de eisdem potest esse fides, & opinio, & scientia, sed non simul: ergo secundum Scotum potest esse in aliquo intellectu subalternata absque subalternante in ratione opinionis sed non scientiæ.

Alij autem considerantes subalternatam posse habere rationem scientiæ saltim imperfectæ, absque subalternante, putant posse seorsim consistere, non tantum in ratione fidei, vel opinionis, vt censet præcedens sententia, verùm etiam in ratione scientiæ, saltem imperfectæ. Ita Ruuius Tract. de Subalter. Scientiarum n. 33. cum alijs, quos citat sine nomine.

Alij tamdem Subtilius rem indagantes, docent oppositum, nimirum non posse consistere subalternatam in aliquo intellectu, sine subalternante, & esse scientiam, quouis modo accipiatur scientia. Ita dittertis verbis docet Scotus loco proximè citat. sub lit. H. §. Ad primum pro prima opinione, &c. & in Prolog. primi sent. quæst. 4. & 5. Later. quæst. tertiæ in fine, quem sequuntur Vasquez 1. p. disput. 4. cap. 5. & 6. Valent. disp. 1. quæst. 1. puncto 3. Soncin. 4. Methaph. q. 9. Ruuius loco cit. sub num. 32. & alij non pauci, quos referunt, & sequuntur Mastrius, & Bellut. hic Disp. 12. quæst. 4. art. 2. sub num. 88.

Pro cuius declaratione, ac fundamento primo notandum est, vt inuit Scotus in 3. sent. d. 24. q. vn. sub H. tripliciter posse nos habere notitiam conclusionum alicuius sciétiæ subalternatæ, vt puta Musicæ, vel per testimonium alicuius periti, ac perfecti Musici, attestantis vocé in tertia, in tertia, quinta, octaua, & vndecima facere harmoniam bonam, ac optimam, sicut per oppositum in quarta, septima, & nona malam, & tunc huiusmodi notitia sic habita esset fides, quia eius veritas, & certitudo esset innixa solo testimonio dicentis: vel per discursum dialecticum, suadentem huiusmodi conclusiones ex præmissis probabilibus, & contingentibus, & sic appellaretur opinio: Vel tamdem per demóstrationem ex primis, veris, ac notioribus principijs habitam, & hoc pacto diceretur scientia, quæ est notitia certa, & euidens, habita ex principijs certis, & immediatis, vt aliàs dictum fuit, ac denuò dicturi sumus. Ex his infertur secundum Scotum, de vna, & eadem rè, siuè complexa, siuè incomplexa, posse haberi fidem, opinionem, & scientiam saltem successiuè, quia simul repugnant quò ad actus earum in eodem intellectu, siquidé de ratione scientiæ, est certitudo, & euidentia, fidei certitudo, sed non euidentia, & opinionis, nec certitudo, nec euidétia; at certum est non posse eumdem intellectum esse certum, & incertum, euidentem, & obscurum simul, & semel, circa eamdem rem; igitur non poterunt consistere simul, & semel, saltem in actu, scientia, fides, & opinio.

Secundo notandum est ex dictis superius in Expositione secundi Capituli, & in præcedenti quæstione, ad rationem veræ scientiæ requiri, vt sit notitia certa, & euidens; ex principijs certis, euidentibus, & immediatis causata, vel si habita sit ex præmissis mediatis, vt sciat resoluere illas in præmissas immediatas ex euidentia terminorum, quandoquidem si altera harum conditionum desit, concludendum est non fore veram scientiam; cum igitur scientia subalternata non habeat certitudinem; & euidentiam ex se, sed tota deriuetur sibi à principijs scientię sub-

subalternantis, sequitur de necessitate carere ratione scientiæ, si in aliquo intellectu reperiatur absque scientia subalternante; siquidem, vt inquit Aristoteles hic cap. 2. scire est rem per causam cognoscere, & quoniam illius est causa, & non est contingere hoc aliter se habere; & primo Physic. cap. 1. t. c. 1. subiungit, tunc enim putamus cognoscere vnumquodque cum causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa, idest ad terminos; principia enim cognoscimus inquantum terminos cognoscimus, cum sint indemonstrabilia.

Tertio notandum ex eodem Scoto in præcitato loco sub lit. k. Inductionem posse dupliciter accipi; vno modo vt est species argumentationis; & diffinitur, quod sit à particularibus sufficienter ennumeratis ad vniuersale progressio; alio modo, prout se extêdit ad omnem cognitionem, quæ oritur ex sensu. Si primo modo accipiatur inductio nô sufficit ad scientiam non enim scitur vniuersale, quia ex particularibus deducitur, sed è conuersò sciuntur propositiones particulares quia inferuntur ex vniuersali, vt omne totum est maius sua parte, non scitur eo quia deducatur ex suis particularibus, vt hoc, istud & illud totum, & sic de alijs, est maius sua parte: ergo omne totum est maius sua parte, sed potius è conuersò scimus hoc, & illud totum esse maius sua parte, quia scimus hãc vniuersalem, omne totum est maius sua parte ex euidentia horum terminorum, scilicet totum, & pars, quandoquidem perceptis distinctè, statim euidenter cognoscimus hanc vniuersalem, omne totum est maius sua parte. Si verò sumatur secundo modo, notitia principiorum, & consequenter scientia habetur per inductionem, quia omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, vt dicit Aristoteles primo Poster. cap. 1. hoc autem non est intelligendum, vt omnis cognitio habita per sensum sufficiat ad habendum scientiam, sed requiritur cognitio terminorum, sub proprijs rationibus, ex illorum euidentia, vel immediatè, & distinctè, vt accidit in scientia subalternante, vel mediatè, & confusè vt in subalternata, quia hæc posteà habet reduci in cognitionem distinctam scientiæ superioris, alioquin non esset scientia, quia non haberet euidentiam, quæ necessariò requiritur ad veram scientiam, prout est cognitio conclusionis demonstratæ. Ex quo infertur, quod principia in scientia subalternata, cum non possint cognosci distinctè ex euidentia terminorum, absque principijs scientiæ subalternantis, non possint intra suos limites parere veram scientiam, independenter à scientia subalternante.

Quarto notandum pro solutione argumentorum, demonstrationem propter quid dupliciter accipi posse, vno modo pro omni demonstratione, quæ procedit per causam, siuè talis, sit mediata, siuè immediata, & hoc modo scientia subalternata habetur per demonstrationem propter quid; siquidem eius principia sunt causa suarum conclusionum, saltem mediatè, quia cum talia sint demonstrabilia per principia scientiæ subalternantis, nequeunt esse causa immediata. Alio modo sumitur pro illa demonstratione, quæ duntaxat procedit ex primis, veris, & immediatis, notis ex euidentia terminorum, & sic demonstratio, per quam habetur scientia subalternata non est propter quid, sed tantum quia, siquidem eius principia, quò ad euidentiam, habent resolui in principia scientiæ subalternantis, cum sint eiusdem conclusiones demonstratæ.

Ex his fit prima Conclusio. Scientia subalternata, qua talis nequit esse vera scientia in aliquo intellectu, si in eodem non fuerit scientia subalternans, ita quod non poterit quis esse perfectus Musicus, quin sit Arithmeticus. Est Scoti in tertio dist. 24. quæst. vnica sub H. & omnium eorum, quos citauimus pro vltima sententia. Probatur ex Doctore Subtili ibidem, quia scientia subalternata secundum se, nequit esse vera scientia sine subalternante: ergo nec in aliquo intellectu. Consequentia probatur, quia prout comparatur ad aliquem intellectum non mutatur de subalternata in non subalternatam: igitur si secundum se non potest esse scientia sine subalternante, nec talis esse poterit etiam in aliquo intellectu. Antecedens probatur, quia omnis scientia, vel precedit ex principijs immediatis, notis ex terminis, quatenus sunt eorum, vel habet resoluere sua principia mediata in principia immediata ex Philosopho primo Post. cap. 2. sed scientia subalternata non precedit ex principijs immediatis, & notis ex terminis,

sine subalternante, cum eius principia demonstrentur per principia scientię subalternantis: ergo subalternata secundum se non est scientia sine subalternante.

Dices, subalternantem non necessariò probare, seù demonstrare principia scientiæ subalternatæ cum hæc possint cognosci ex sensu, & per experientiam, vt accidit in Musico, carente scientia Arithmetica.

Contra, quia estò hoc possit esse verum, non sequitur propositum, siquidem dato casu, vel talis non erit vera scientia, quia termini principiorum non erunt noti sub propria ratione, vel saltem non erit subalternata, quia hæc necessariò accipere debet sua principia a scientia superiori, cum inter illas debet esse talis continuatio, vt vbi desinit scientia subalternans, ibi debet incipere subalternata.

Secunda Conclusio. Subalternata sine subalternante, vel potest esse fides, si eius principia cognoscātur per testimonium eorum, qui habent scientiam subalternantem, vel opinio, si aliundè habeantur ex probabilibus. Est Scot. in præcitato loco. Probatur ex 1. not. quia de eadē re potest esse saltem successiuè fides, opinio, & scientia: ergo subalternata, quæ cum subalternante est scientia, sine illa poterit esse fides, si eius principia innitantur testimonio peritorum, vel opinio si fuerint cognita per sensum confusò modo, vel per discursum dialecticum, vt exemplificaui de Musica sine Arithmetica.

Tertia Conclusio. Scientia subalternata sine subalternante considerata, potest haberi per demonstrationem propter quid largè acceptam, vel quia, si demonstratio propter quid presse sumatur. Probatur, quia scientia, quæ demonstrat suas conclusiones per causam; & à priori, habetur per demonstrationem propter quid, saltem largè acceptam, sed subalternata absque subalternante est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet ex quarto Notab. & est Aristotelis cap. 10. vbi ponit differentiam inter demonstrationem, & scientiam propter quid; & quia. Minor probatur, quia principia scientiæ subalternatæ sunt causæ, & priora conclusionibus eiusdem scientiæ subalternatæ, vt est in confessò apud omnes Doctores: ergo scientia subalternata absq; subalternante demonstrat suas conclusiones per causam, & à priori. Secunda Pars probatur, quia scientia, quæ saltem non resoluit suas conclusiones in principia immediata, & nota ex terminis, non est propter quid, sed quia, sed subalternata secundum se considerata est huiusmodi: ergo non habetur per demonstrationē propter quid, sed tantum quia. Maior est Arist. 1. Post. c. 10. Minor patet, quia principia sciētiæ subalternatę sunt nota tantū per sēsum, si non resoluantur in principia scientiæ subalternantis: ergo non potest resoluere suas cōclusiones in principia immediata, nota ex terminis. Secundo probatur, quia subalternata; & subalternans differunt, quia hæc abstrahit à sensibilibus, illa verò versatur circa sensibilia, vt patet de Geometria; & Perspectiua, quia hæc habet pro subiecto lineam visualem, & illa lineam secundum se, sed quæ abstrahunt à sensibilibus habentur propter quid, & quæ sunt immista sensibilibus demonstrant quia ex Aristotele 1. Post. c. 10. in fine: ergo subalternata sine subalternante, propriè habetur per demonstrationem quia; & non propter quid.

Obijcies primo, contra primam conclusionem Musicus, vt Musicus est sciens, sed Musicus vt Musicus non est Arithmeticus: ergo scientia Musicæ potest esse in aliquo intellectu, in quo non sit Arithmetica, & sic subalterna sine subalternante. Maior patet, quia Musica, vt talis est scientia distincta à quacumque alia: ergo & Musicus, vt talis est sciens. Consequentia patet per locum à coniugatis. Minor etiam est clara, quia Musica, & Arithmetica sunt distincti habitus: ergo vnus poterit esse in aliquo intellectu sine altero, & sic Musicus, vt Musicus non erit Arithmeticus.

Respondetur ex Doctore in tertio d. 24. q. vn. Ad primum pro prima opinione, negando consequentiam, & cum probatur, quod sunt distincti habitus: ergo vnus poterit esse in aliquo intellectu sine alio, nego consequētiā, quia sicut Musica in se non potest esse habitus scientificus, saltem propter quid, nisi accipiat sua principia demonstrata in Arithmetica per principia euidenter nota ex terminis, sic nec poterit esse habitus scientificus in aliquo intellectu, nisi talis sciat Arithmeticam: & confirmatur responsio, quia etiam habitus conclusionū est distinctus ab habitu principiorum ex Aristotele 2. Post. cap. vltimo & tamen non possunt se-

pa-

parari ab inuicem in aliquo intellectu, vt patet: ergo quamuis habitus scientiæ subalternæ, & subalternantis, sint distincti, non poterunt separari propter necessariam connexionem, quam habent conclusiones scientiæ subalternatæ, cum principijs subalternantis.

Obijcies secundo. Scientia est notitia conclusionis demonstratæ ex proprijs principijs; sed subalternata sine subalternate est huiusmodi: ergo subalternata secundum se est scientia sine subalternante. Maior patet ex Aristotele 1. Poster. cap. 2. Minor probatur, quia conclusiones subalternæ non probantur per principia subalternantis, vt sic, sed vt applicata scientiæ subalternatæ, sed principia, vt applicata non sunt amplius scientiæ subalternantis, verùm ipsius subalternatæ, vt talis: ergo scientia subalternata, qua talis, est notitia conclusionis demonstratæ per propria principia, & non subalternantis, ac proindè poterit esse vera scientia subalternata, sine subalternante.

Respondetur. Maiorem esse veram de principijs immediatis, vel quæ possint reduci in immediatas, vt docet Aristoteles in citato loco: Ad minorem nego illam, quia principia subalternatæ secundum se, cum non sint notiora conclusionibus, consequenter non possunt parere veram scientiam; ad probationem nego minorem, si ly prout accipiatur specificatiuè, cum sint conclusiones scientiæ subalternantis; si verò sumatur reduplicatiuè, concedo minorem, & nego consequentiam, siquidem, cum de ratione scientiæ, sit euidentia, & hanc subalternata habere nequeat ex proprijs principijs, vt sunt eius, quia sunt demonstrabilia per principia scientiæ subalternantis, sequitur subalternatam independenter à subalternante, non habere euidentiam, & consequenter non esse veram scientiam.

Dices cum Doctore Subtili in 3. d. 24. q. vn. sub k, sufficere ad scientiam subalternatam, vt eius principia sint nota ex terminis notitia confusa; ergo non requiritur, vt reducantur ad principia immediata, nota euidenter ex terminis.

Respondetur. Negando consequentiam, immò subiungit, quod eorum cognitio confusa possit reduci in distincta, aliter non esset vera scientia, sicut nec naturalis, idest philosophia, prout præcedit methaphysicam, ex simplici notitia confusa terminorum, esset propria scientia, sed ad hoc vt sit talis requiritur, vt eius principia cognoscantur distinctè per principia methaphysicalia.

Obijcies tertio. Facultas, quæ demonstrat suas conclusiones propter quid, à priori, & per causam est vera, & propriè scientia; sed subalternata, absque subalternante est huiusmodi; ergo sine illa erit verè, & propriè scientia. Maior patet ex Aristotele per diffinitionem scire, traditam primo Post. cap. 2. Minor probatur, quia principia, sciétiæ subalternatæ, qua talis, sunt priora, & causæ conclusionum suarum absque subalternante; ergo illas demonstrat propter quid, & à priori, & per causam. Consequentia patet ex diffinitione demonstrationis propter quod. Antecedens probatur, quia principia scientiæ subalternatæ, sicut, & subalternantis, sumuntur à proprio subiecto; sed subiectum subalternatæ est distinctum realiter à subiecto subalternantis, vt probauimus in præcedenti quæstione, & est prius, & causa conclusionum eiusdem, cum illas contineat virtualiter, mediante sua diffinitione, vel conceptu quiditatiuo; ergo, & principia ab eo desumpta sunt priora, & causæ conclusionum scientiæ subalternatæ absque principijs subalternantis.

Respondetur. Maiorem esse veram si demonstret illas per principia, & causas immediatas, notas ex euidentia terminorum, vel immediatè, vel mediatè, & tunc negatur minor, quia principia scientiæ subalternatæ, vt sæpius dictum est, cum non sit nota ex terminis immediatè, habent notificari per principia subalternantis, ad hoc, vt possint dici propter quid, & causæ suarum conclusionum. Ad probationem nego antecedens, ad cuius probationem dico totum disertum esse verum dependenter à subiecto, scientię subalternantis, non tamen independenter ab eo, vt alias dictum est.

Obijcies quarto, contra primam partem tertiæ conclusionis, si aliquo modo subalternata demonstraret propter quid, & à priori suas conclusiones, independenter à subalternante, sequeretur aliquo modo esse scientiam sine illa; sed hoc est falsum: ergo nullo modo poterit demonstrare propter quid, & per causam sequela maioris patet, quia demonstratio propter quid est causa scien-

scientiæ propter quid, sicut per demonstrationem quia gignitur scientia quia, vt probat Aristoteles primo Poster. cap. 10. Minor probatur, quia de ratione scientiæ est euidẽtia conclusionis demonstratæ ex principijs euidenter notis, vel mediatè, vel immediatè, vt docet idem Aristoteles ibidem cap. 2. Sed principia scientiæ subalternatæ non habent euidentiam ex se, sed solum ex principijs scientiæ subalternantis: ergo non est scientia independenter à scientia subalternante.

Respondetur. Negando minorem, ad probationem dico maiorem esse veram de scientia propter quid propriè dicta, non tamen de largè accepta, quia etiam ipsa cum habeatur per causam proximam, ab illa habet sufficienter euidentiam, vt aliquo modo possit appellari vera scientia; siquidem vera scientia non consistit in indiuisibili. Sed habet suam latitudinem, sicut & euidentia, quæ est maior, & minor, iuxtà clariora, & minus clara principia.

Dices: Principia scientiæ subalternatæ absque principijs subalternantis, sunt prorsus obscura, cum sint conclusiones demonstratæ per illa in scientia subalternante: ergo nullam euidentiam possunt tribuere conclusionibus subalternatæ, independenter à subalternãte, ac proinde sine hac nulla erit sciẽtiam subalternata.

Respondetur. Antecedens esse verum si considerentur, vt conclusiones demonstrabiles ex principijs scientiæ superioris, falsum si accipiantur, vt principia contracta, & applicata ad inferendas conclusiones scientiæ inferioris, quia vt sic, cum cognoscantur in ratione principiorum, & causarum proximarum earundem conclusionum, nõ sunt omninò obscura, sed habent propriam, & sufficientem notionem, per quam possunt dare euidentiam conclusionibus ab ipsis demonstratis.

Dices secundo. Huiusmodi principia non erunt cognita, sine subalternante, nec via sensus, nec via intellectus: ergo non habebũt sufficientem notionem, vt queant cõclusionibus euidentiam præbere. Antecedens probatur non via sensus; quia huiusmodi cognitio non sufficit ad scientiam, vt patet, nec per intellectum; quia eorum termini non habẽt talem connexionem adinuicem, vt ex se possint parere notitiam, alioquin essent indemonstrabilia, & non egerent scientia subalternante, ad hoc vt possint demonstrari: ergo essent penitus incognita, & non possẽt præbere euidentiam conclusionibus.

Respondetur ex Doct. subt. in primo sẽt. d. 3. q. 4. huiusmodi principia posse notificari à posteriori mediantibus suis cõclusionibus per sensum cognitis, & posteà iterum cognosci per intellectum in ratione causarum proximarum, quatenus ex illis possunt in regressu demonstrare, & probare suas conclusiones priùs per experientiam cognitas; & hæc secunda cognitio erit propter quid, & causalis, vnde sic poterit haberi aliqualis scientia subalternata sine concursu subalternantis. An autem scientia sic habita debeat dici subalternata, vel disparata, respondet Doct. subt. in 3. sent. loco sæpius citato in fine literæ I. his verbis: si autem sciẽtia subalternata habet aliqua principia prima, quæ non accipit à superiori scientia; quantum est ex parte illorum posset sciri nõ scita superiori; sed hoc nihil ad propositum, quia in hoc, quod habet talia principia non est subalternata: Ex quibus verbis apparet secundum Doctorem posse cognosci principia scientiæ subalternatæ absque principijs scientię subalternantis, & posse haberi scientiam subalternatam absque subalternante saltem specificatiuè, licet non reduplicatiuè, quod miro modo approbat nostram conclusionem.

Dices huiusmodi conclusionem omninò pugnare cum prima, in qua diximus scientiam subalternatam non posse subire rationem scientiæ sine subalternante: ergo non est sustinenda, cum sibi contradicat.

Respondetur negando antecedens, siquidem hic agimus de sciẽtia subalternata specificatiuè, in prima verò de eadem reduplicatiuè sumpta, & sic vna non destruit aliam, vt patet ex verbis Scoti relatis in præcedenti responsione. Vel dicendum hic nos agere de scientia habita per demostrationem propter quid largè acceptam, ibi verò de scientia in toto rigore, quæ exposcit demonstrationẽ propter quid precisè sumptam, & ita nulla est contradictio, quia datur latitudo infra limites veræ scientiæ, & euidentiæ, vt superius inuimus. Et hæc de subalternatione scientiarum.

DE

DE PRINCIPIIS VIRTVALIBVS Demonstrationis.

TRACTATVS SECVNDVS.

POSTQVAM Philosophus egit in Superiori Tractatu de his quæ materialiter, & formaliter ingrediuntur Demonstrationem, in præsenti determinat se velle pertractare de ijs, quæ virtualiter formant eamdem Demonstrationem, & comprehendit tria capitula subsequentia in ordine scilicet octauum, nonum, & decimum, in quorum primo agit de principijs communibus quò ad diffinitionem, & diuisionem: In secundo ostendit qualiter scientiæ communicant in principijs; Et in tertio penit differentiam inter demonstrationem propter quid, & quia.

De Diffinitionibus, ac Diuisionibus Principiorum Communium.

CAPVT VIII.

HOc Octauum Capitulum diuiditur in septem partes, In quarum prima ponit diffinitionem principiorum communium: In secunda eorum diuisionem. In tertia differentiam inter subiectum, Passionem, & dignitatem. In quarta differentiam scientiarum ratione horum trium. In quinta exprimit quæ dicantur dignitates. In sexta quomodo scientiæ vtantur dignitatibus. In septima tandem ostendit qualiter scientiæ conueniant in principijs communibus.

Quò ad primam partem notificat, quæ dicantur principia dicens; Dico autem principia in vnoquoque genere illa quæ quoniam sint non contingit demonstrare, idest principium est propositio necessaria, & indemõstrabilis, in scientia, in qua est subiectum, vt à puncto ad punctum contingit lineam rectam ducere, dicitur principium in scientia Geometrica; omne compositum ex materia, & forma est mobile, in Philosophia naturali, sunt enim propositiones necessariæ, quia prædicata necessariò, & pro semper conueniunt subiectis, ad differentiam contingentium, in quibus possunt conuenire, & non conuenire; Deinde dicitur indemonstrabiles in illis scientijs, scilicet in Geometria, & Philosophia, & non absolutè, quia non est necesse omnia principia esse semper indemõstrabilia, cum sufficiat vt sint talia in scientijs, quarum sunt principia; cæterum poterunt demonstrari in alijs scientijs, & præsertim in Methaphysica, vt dictum est superius. Dicuntur autem principia propositiones indemonstrabiles etiam ad differentiam conclusionum, quæ sunt propositiones demonstrabiles.

Ex hac diffinitione ponit conuenientiam, & differentiam inter principia, & conclusionem. Conuenientiam ostendit, dum dicit quod de omnibus præcognoscendum est, quid nominis, vt diximus in cap. primo de dignitatibus, subiecto, & passione, ex quibus coalescunt præmissæ, & conclusiones. Differentiam verò subiungit dicens, principia esse omninò indemonstrabilia, in scientia, cuius sunt principia, aliter non essent principia, sed conclusiones; conclusiones verò sũt semper demonstrabiles, aliaquin non essent conclusiones, sed principia, exemplificat de magnitudine, de vnitate, & de triangulo, de quibus præcognoscimus, quid nominis in Geometria, & per vnitatem, & magnitudinem demonstratur de linea rectum, vel circulare, & de triangulo æquale, vel inæquale.

Quoad secundam partem ponit differentiam inter principia, communia, & propria dicens. Communia verò secundum analogiam, quoniam vtile est quantumcunque est in eo, quod est sub scientia, genere, idest prin-

principia communia sunt illa, quæ non tãtum vni, sed pluribus scientijs competunt, vt si ab æqualibus æqualia demas, cætera, quæ remanent, sunt æqualia, quia conuenit nedum Geometriæ, sed etiam Arithmetriæ, vt si ab æqualibus lineis, æquales partes demas, cæteræ quæ remanent, sunt æquales, & sic aptatur Geometriæ; vel si ab æqualibus numeris æquales vnitates demas, cętera, quæ remanent, sunt æquales, tunc cõpetit Arithmeticæ. Propria verò principia sunt, quæ tantum vni scientiæ competunt, vt à puncto ad punctum contingit rectam lineam ducere, est tantum principium in Geometria; vel omne constans ex materia, et forma physica est corruptibile, conuenit duntaxat Phylosophiæ naturali.

Quò ad tertiam partem dicit, in qualibet scientia hæc tria reperiri, scilicet subiectum passionem, et dignitatem, vt in Arithmetica vnitas est subiectum, par, vel impar passio, et omnis multitudo ex vnitatibus aggregata est par, vel impar, quadrata, vel cuba, sunt dignitates; similiter in Geometria signa id est puncta, & lineæ sunt subiectum; rationale, vel irrationale, sunt passiones, & à puncto ad punctum contingit rectam lineam ducere; vel omnis magnitudo est recta, aut circularis, æqualis, vel inæqualis sunt dignitates. Deinde ponit differentiam inter illa, quia de dignitate præcognoscitur quia est, de passione quid nominis tantum, & de subiecto quid est, & quia est, vt probauimus in primo capitulo, & in quæstione de Præcognitis.

Quò ad quartam partem ostendit differentiam inter scientias ex parte subiecti, & passionis, & pariter conuenientiam inter illas. Conueniunt quidem omnes scientiæ, in his tribus, quia in vnaquaque scientia datur vnum subiectum, de quo demonstrantur passiones, & passiones quæ demonstrantur, & dignitates per quas demonstrantur; siquidem demonstratio fit ex præmissis, hæ verò ex diffinitione subiecti, & eius passione, & ex diffinitione, & subiecto, quæ dicuntur dignitates; & tandem ex conclusione, quæ constat ex subiecto, & passione. Differunt autem, quia aliqua scientiæ despiciunt sua subiecta, quia ipsa præsupponunt, vt manifestissima, vt est Methaphysica respectu entis vt sic; aliqua verò non despiciunt, sed ab alijs quærunt, cum non sint ita nota, vt accidit Arithmetica, quæ inuestigat numerum formalem, quid sit, cum non sit ita manifestus & notus. Alia despiciunt suas passiones, vt facit Methaphysica, quæ præsupponit vnitatem, veritatem, & bonitatem entium, vt notissimas: Alia verò non despiciunt sicut Arithmetica respectu paritatis, & imparitatis, quas inuestigat de numero, & Geometria in ordine ad rationalitatem, & irrationalitatem, concurrentiam, & inflexionem, quas quærit de linea, siquidem omnis linea; vel rationalis idest commensurabilis alteri, vel incommensurabilis idest Irrationalis est.

Quò ad quintam partem ponit differentiam inter dignitatem, suppositionem, & positionem, & statuit tres conclusiones, quas probat.

Prima Conclusio. Dignitas non est suppositio, nec positio, quia dignitas est propositio necessaria, & intelligibilis per se, & propter se, sed suppositio, & positio non sunt huiusmodi: ergo dignitas non est suppositio, nec positio. Maior patet quia dignitas est propositio constans ex terminis communissimis, & prima, sed propositio prima non scitur per aliam priorem: ergo scitur per se: Deinde omne, quod est intelligibile per solam rationem interiorem idest per virtutem intellectus, & non per exteriorem, idest per syllogismum, est per se intelligibile, & non per aliud, sed dignitas est huiusmodi: ergo dignitas est intelligibilis per se, et non per aliam passionem. Minor probatur, quia dignitates percipiuntur immediatè perceptis terminis: ergo per solam rationem interiorem idest per intellectum, et non per exteriorem, hoc est per syllogismum. Denique probat illam maiorem quia dignitates non patiuntur instantias, cum sint per se notæ ex terminis: ergo sunt per se intelligibiles: consequentia patet, quia quæ intelliguntur per aliud idest per syllogismum patiuntur in-

instantias, cum possit negari maior, vel minor à respondente. Minor primi syllogismi probatur, quia omnes propositiones non primæ sciuntur per priores, sed suppositiones, & positiones non sunt propositiones primæ, cum non constituantur ex terminis communissimis: ergo non sunt per se intelligibiles, sed possunt probari per primas.

Secunda Conclusio. Suppositio distinguitur à positione, & à quæstione saltem per intellectum. Probatur prima pars, quia suppositio est propositio demonstrabilis, non tamen demonstrata, sed recepta ab addiscente tamquam vera, in qua etiam opponens conuenit, vt hæc propositio: Logica est scientia, apud Thomistas, & Scotistas est suppositio, quia ab vtrisque supponitur tamquam vera, positio verò est propositio demonstrabilis, quam non concedunt respondentes, nec oppositum eius opinantur, vt hæc mundus potuit esse ab æterno apud Scotistas est positio, quia nec conceditur absolute, nec negatur, sed vtraque pars sustinetur probabiliter: ergo suppositio, & positio distinguuntur. Secunda Pars probatur, quia quæstio est propositio cuius oppositum opinatur. Respondens, vt hæc corpus naturale est subiectum in Philosophia apud Thomistas est quæstio, cum ab eis negetur, & apud Scotistas est suppositio: Similiter, quod ens mobile sit subiectum in Philosophia naturali apud Scotistas est quæstio, & apud Thomistas suppositio; ex quo probatur Tertia pars, quia eadem propositio potest esse suppositio, positio, & quæstio; ergo sola ratione distinguuntur, & sic solum per intellectum.

Tertia Conclusio. Termini idest diffinitiones non sunt suppositiones. Probatur tum quia propositio dicit esse, & non esse, diffinitio verò non dicit esse, & non esse, vt probatum est supra capit. 2. sed suppositio est propositio, vt probatum est ibidem: ergo &c. Tum etiam quia suppositio fit mediante copula verbali, diffinitio verò sine copula, vt animal rationale: ergo &c. Tum tertio quia omnis suppositio, vel est vniuersalis, vel particularis, vel indefinita, vel singularis ex primo Perihermenias, sed diffinitio non est huiusmodi; ergo diffinitio non est suppositio. Maior patet, quia suppositio, & propositio sunt idem, at propositio diuiditur in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem: ergo, & suppositio sic diuiditur. Minor probatur quia diffinitio non est propositio cum careat copula: ergo diffinitio non diuiditur in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem, ac proindè non est suppositio.

Quò ad sextam partem demonstrat Aristoteles quomodo scientiæ vtantur principijs communibus, & ponit duas conclusiones, quarum prima est, dignitas negatiua, idest: Non contingit idem esse, & non esse ingreditur demonstrationem ostensiuam, contractè, & non simpliciter. Secunda est. Dignitas affirmatiua, idest de quolibet verum est dicere, quod est, vel non est, ingreditur contractè demonstrationem ad impossibile. Probat primo conclusionem exemplificando, vt hæc propositio; Callias est animal sic probari potest ostensiuè, omnis homo homo est animal, & non est non animal, quia non contingit idem simul esse, & non esse, sed Callias est homo; ergo Callias est animal, & non est non animal. Probat secundam conclusionem, vt si quis vellet demonstrare aliquod animal non esse hominem, debet sic arguere ad impossibile: omne animal est homo, Asinus est animal: ergo Asinus est homo, conclusio est falsa: ergo aliqua præmissarum, non minor: ergo maior, scilicet ista omne animal est homo; ergo eius contradictoria est vera, scilicet aliquod animal non est homo. Probatur ista consequentia: De quolibet verum est dicere, quod est, vel non est, sed de omni animali falsum est dicere, quod sit homo, ergo de aliquo animali est verum dicere, quod non sit homo, & sic ista erit vera, aliquod animal non est homo.

Vtraque tamen conclusio posset sic probari, quò ad ambas partes, quia dignitates fiunt ex ente, & eius existentia: sed ens ingreditur, quiditatiuè omnia entia insc.

inferiora, ex quibus fiunt demonstrationes: ergo dignitates ingrediuntur quamlibet demonstrationem. Secunda pars etiam probatur, quia demonstrationes habent fieri ex principijs proprijs, vt superius probatum est cap. 7. sed dignitates non sunt propriæ vni scientiæ, nisi contrahantur: ergo non ingrediuntur demonstrationem absolutè, sed solum contractè.

Quò ad septimam partem ostendit qualiter scientiæ conueniunt in principijs communibus, & ponit tres conclusiones, quarum prima est, quod omnes scientiæ conueniunt in principijs communibus, conueniunt quidem, quia vt probatum est in præcedenti, principia communia ingrediuntur virtualiter quamlibet demonstrationem, tum ostensiuam, tum ad impossibile, saltem contractè, igitur omnes scientiæ conueniunt in principijs communibus, virtualiter, & contractè: Disconueniunt posteà quia nulla scientia specialis probat principia communia, cum hoc spectet dumtaxat ad scientiam communem, cuiusmodi est Methaphysica, & probatur, quia si scientia specialis probaret principia communia; sequeretur quid idem probaretur per idem; sed hoc non est dicendum: ergo &c. sequela maioris probatur, quia in scientijs specialibus omnia probantur per principia communia, vt visum est in præcedenti particula, igitur si etiam talia probarentur in scientijs specialibus, probarentur per principia communia, & sic idem per idem probaretur, ac demonstraretur, quod non est admittendum, vt superius ostendit cap. 3. contra errores antiquorum.

Secunda Conclusio: tam Dialectica, quam Methaphysica vtuntur principijs communibus, non prædictis tantum, sed etiam animi conceptionibus communibus, vt si ab æqualibus æqualia demas, cætera, quæ remanent sunt æqualia; vel omne totum est maius sua parte, & probat primo de Methaphysica, quia illa, cum sit sapientia, quæ speculatur res communissimas, et altissimas scilicet Deũ intelligentias, vniuersalia, & omnia entia abstracta à materia, per huiusmodi principia communia probat nedum prædicta, sed etiam omnia inferiora: ergo vtitur illis demonstrando de omnibus entibus esse, & non esse, & singulorum affectiones, vt entia sũt. Secundo de Dialectica, quia cum doceat regulas argumentationum, applicando illas omnibus scientijs, vtitur illis principijs communibus, ad confirmationem suarum regularum, & modorum, conficiendo syllogismos, tum probabiles, tum sophysticos, ac demonstratiuos in omni scientia.

Tertia conclusio. Dialectica non est determinati generis idest subiecti, sed versatur circa omnia, & probat, quia scientia, quæ est determinati generis, ostendit tantum vnam partem contradictionis, vt patet inductiuè in omnibus scientijs, siquidem Geometria probat triangulum tantum habere tres, & non oppositum eius, scilicet non habere tres similiter Philosophia, omne corpus esse mobile, & non oppositum eius, & sic de cæteris; cæterum Dialectica ostendit vtramque partem contradictionis: nam syllogismus dialecticus est collectiuus contradictionum, cum ostendat modo aliquam matrem diligere filios, & interdum nullam matrem diligere suos filios, quod est contradictio: ergo Dialectica non est determinati generis.

Aduertendum tamen, quod per Dialecticam non intelligitur vniuersaliter tota logica, quia vt probauimus in quæstione de subiecto Logicæ, talis est determinati generis, cum consideret tantum syllogismum, & ea, quæ reducuntur ad ipsum, sed loquitur sub nomine dialecticæ, de Topica, quæ cum peragat de syllogismo dialectico, talis est collectiua contradictionum, arguendo probabiliter in omnibus scientijs. Et hæc de textu huius Capit.

Vtrum

Vtrum Principia Communia, prout distinguuntur à proprijs, ingrediantur demonstrationem in qualibet scientia?

QVÆSTIO XII.

PRo cuius declaratione primo notandum est ex dictis superius qu.8. principia esse in duplici differentia, alia enim dicuntur principia essendi, à quibus res accipiunt esse, siuè intrinsecum, vt species à genere & differentia, siuè extrinsecum, vt omnia creata à Deo, tanquam à primo omnium rerum principio: alia verò sunt principia cognoscendi, quæ adhuc sunt duplicia, scilicet incomplexa, vt sunt termini primorum principiorum, dicente Aristotele primo Poster. cap.2. principia cognoscimus, inquantum terminos cognoscimus, & complexa alia, & hæc sunt in triplici discrimine, alia enim sūt communissima, alia communia, & alia propria. Communissima sunt, quæ constant ex terminis communissimis, & sunt illa duo, quorum meminit Aristoteles 4.Meth.cap.1. t.cap.8. & 9. De quolibet verum est dicere, quod est, vel non est, & non contingit idem esse, vel non esse. Communia ex eodem in textu huius capitis, sunt, quæ pluribus sciētijs conueniunt, vt omne totum est maius sua parte, quod competit aliquibus scientijs Mathematicis, & Philosophiæ naturali, & aliud quod conuenit Geometriæ; & Arithmeticæ, scilicet si ab æqualibus, æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia. Propria autem quæ tantum vni scientiæ speciali congruunt; vt à puncto ad punctum contingit rectam lineam ducere conuenit solum Geometricæ scientiæ, & omne compositum ex materia, & forma est mobile, vel corruptibile Philosophiæ naturali duntaxat congruit. Hic est sermo de communissimis, & communibus, siquidem propria necessariò ingrediuntur demonstrationem in illa scientia, quorum sunt principia tantum, & non in alia.

Secundo notandum, quod de ratione omnium principiorū scientiarum nō subalternarum est indemōstrabilitas, siquidem per hāc secernuntur à conclusionibus, quæ necessariò sunt demonstrabiles; hæc autem non est vna, & eadem in omnibus, siquidem in cōmunissimis est indemonstrabilitas simpliciter, & absolutè, quia cognoscuntur ex sola inspectione terminorum, cum non habeant priora, per quæ probari possint. Communia verò, quamuis appellentur cōmunes animi conceptiones, quæ cognoscūtur, & ipse cognitis terminis, tamen cum eorum termini nequeant distinctè, ac quiditatiuè cognosci sine Methaphysica, cuius est omnium speculari quiditates, nequeunt dici simpliciter indemonstrabilia, sed, vt inquit Scotus in expositione t. 8.lib.4. Methaphy. habent probari per illa duo communissima, in quæ cætera reducuntur, exponendo rationes totius, & partis, æqualis, & inæqualis, ex quibus componuntur, & eadem resoluendo in illa, non enim contingit de eodem idem affirmari, & negari simul, & semel: ergo inferendum est idem respectu eiusdem, non posse simul esse totum, & partem, equale, & inæquale; igitur docendum est totum non esse partem, sed esse maius sua parte, & æquale non esse inæquale, ac proinde si ab æqualibus, æqualia demas, quæ remanent, esse æqualia. Propria etiam etsi indemonstrabilia sint in illa scientia, quorum sunt principia, alioquin non possent generare ex se veram scientiam, sed solum in virtute superioris, vt accidit in scientia subalterna, tamen absolutè possunt probari per illa duo communissima, vt dictum est de communibus; nec indè sequitur ab eis auferri sufficientem certitudinem, ad scientiā necessariam, quia non ingrediuntur formaliter demonstrationes scientiarum specialium, sed tantum virtualiter, vt declarabitur in sequenti notabili, quare non auferunt à proprijs sufficientem certitudinem, quam habent ex euidentia suorum terminorum, sed tantum in casu necessitatis, illam probāt, aut actu demonstrant proteruo: vnde ab Aristotele in quarto Metaphysicæ loco citato, vocantur firmissima principia, in quibus impossibile est mentiri.

Tertio notandum ex Doctore subtili in exposit. lib. 8. Meth. t.8. num. 27. Principia communissima, quæ dicuntur dignitates nō ingredi demonstrationem secundum substantiam, sed tantum secundum virtutem, pro quanto omnia principia particularium scientiarum formantur, & roborantur per ea, & ratio huius est, quia demonstratio, vt docet

docet Aristoteles cap.7. procedit ex proprijs & non ex communibus; si tamen velimus dicere illa posse ingredi aliquo modo etiam secundum substantiam demonstrationem alicuius particularis scientiæ, hoc non est intelligendum secundum suam considerata communitatem, sed vt contracta, & applicata ad illum specialem scientiam, exemplificat de illo principio communi, ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, quod potest applicari Geometriæ sic, si ab equalibus lineis æquales lineas demas, quæ remanent, sunt æquales, & Arithmeticę etiam, contrahendo ipsum ad numeros, vt si ab æqualibus numeris æquales demas, qui remanent sunt æquales, ita dicendum est etiam de illis duabus dignitatibus; de quolibet verum est &c. Non contingit idem esse, & non inesse, quæ, vt contracta, & applicata possunt etiam formaliter ingredi demonstrationem in qualibet sciētia speciali; non ad habendam maiorem euidentiam de conclusionibus, cum talis sufficienter habeatur ex proprijs principijs, sed ad cō cludendam contradictionem contra proteruum, propria principia negantem: quandoquidem non habemus maiorem euidentiam de hac conclusione: omnis homo est risibilis, deducta per sua propria principia: omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale, quàm si insuper confirmaremus illam per dignitates, sic dicendo: omne animal rationale est risibile, & non est non risibile: sed omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est risibilis, & nō est non risibilis.

Ex his fit prima Conclusio: Principia communia, & communissima ingrediuntur demonstrationes sciētiarum specialium virtualiter tantum, si considerentur, in sua communitate manentia; si verò secundum esse contractum, & applicatum spectentur, etiam formaliter, seu secundum substantiā. Vtraque pars est Scoti in loco proximè citato. Probatur prima Pars, quia illud principium ingreditur virtualiter in aliqua consequētia, virtute cuius tenet illa consequentia, sed virtute duorum principiorum communissimorum tenent omnes demōstrationes: ergo principia communissima ingrediūtur, virtualiter quamlibet demonstrationem scientiarum specialium. Maior patet à simili, siquidem hæc consequentia omne animal rationale currit: ergo omnis homo currit tenet virtute huius principij: quidquid prædicatur de diffinitione, & de diffinito, quod virtualiter est in ipsa. Minor probatur, quia si quis negaret totam demonstrationem ostēsiuam, posset illam probare per illud principium negatiuum: Non cōtingit idem esse, & non inesse: Si verò negaretur demonstratio ad impossibile cōfirmaretur per alterum principium affirmatiuum, vt probat Aristoteles in tex. huius cap.8. ergo illa, duo principia communissima confirmant, ac roborant omnem demonstrationem scientiarū specialium, siquidem omnis demonstratio, vel est ostensiua, vel ad impossibile, seu ad incommodum, vt vtamur verbis Philosophi. Secunda pars probatur, quia demonstratio formaliter procedit ex proprijs, ac determinatis principijs, vt ostendit Aristoteles cap.7. sed principia communia non sunt propria, nisi quatenus sunt contracta, vt patet de animali, quod est semper commune, & indifferens, quousque non fuerit, cōtractum per alteram differentiarum, quia tūc fit proprium illi speciei, per cuius differentiam constitutiuam contrahitur ad ipsam, ergo non ingrediuntur demonstrationem, nisi quatenus sunt contracta ad principia scientiarum specialium.

Secunda Conclusio. Principia communissima, dum ingrediuntur aliquam demōstrationem secundum esse contractum, & applicatum, non tribuunt conclusioni, demonstratæ maiorem euidentiam, quam si tantum esset deducta ex proprijs principijs. Probatur quia euidentia conclusionis depēdet ex euidenti conuenientia maioris extremitatis cum minori extremitate, seu passionis cum subiecto; sed hæc habetur sufficienter ex principijs proprijs: ergo principia communissima, quamuis contracta, quò ad hoc superfluunt. Maior patet, quia in conclusione ostenditur solum conuenientia passionis cum subiecto: ergo euidentia demonstrationis eò tendit, vt demonstret huiusmodi necessariam connexionem. Minor probatur, quia posita vna causa totali, necessario ponitur effectus, si non sit impedita; sed principia propria integrant vnam causam totalem conclusionis: ergo positis principijs proprijs ponitur cōclusio absque adminiculo alterius. Maior patet per diffinitionem causæ totalis. Minor similiter, quia

quia in principijs exprimitur causa immediata passionis subiecti, quæ est diffinitio eiusdem subiecti,& insuper connexio quidditatiua,& formalis diffinitionis subiecti cum ipso, quæ coniuncta in demonstratione integrant vnam,& sufficientem causam vnionis necessariæ, passionis cum subiecto, in qua consistit, euidentia conclusionis demonstratæ: ergo semotis principijs communibus conclusio habet totam euidentiam, quæ sibi competere potest.

Tertia conclusio. Huiusmodi autem principia sic contracta ad principia propria afferunt illis maiorem veritatem, non tamen necessariam, sed tantum contra proteruum illam ostendunt in casu, quò ab eodem negetur. Est Aristotelis lib. 4. Meth. sum. 2. cap. 1. t. c. 8. & 9. & Scoti ibidem. Probatur, quia prima principia probant principia scientiarum specialium, si ab aliquo negentur; ergo eorum veritas debet esse maior, quam sit horum veritas. Conseqētia patet, quia aliter non possent ab illis certificari, si non haberent maiorem, sed tantum æqualem certitudinem, ac veritatem. Antecedens est notum ex prima conclusione. Secunda pars probatur, quia principia propria habent sufficientem veritatem, & certitudinem, vt possint verificare;& certiorari suas conclusiones, remoto quocumque alio, ergo non est necesse, vt aliam veritatem, & certitudinem emendicent à principijs communissimis. Conseqētia patet, quia oppositum antecedentis infert oppositum consequentis: ergo si propria principia habēt sufficientem veritatem, & certitudinem non egent aliena. Antecedens probatur, quia principia propria ex se causant scientiam, quæ est notitia certa, & euidens: ergo ipsa debent esse magis certa, & euidentia, secluso quocumque alio, siquidē propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Tertia pars probatur, quia proteruus conuincitur ex eo quod de eodem, secundum idem, simul, & eodem tempore nequeunt verificari contradictoria ex Aristotele 4. Meth. cap. 5. sed primum principium negatiuum eò tendit, vt stabiliat veram alteram partem contradictionis; ergo si proteruus neget hanc veritatem à principijs poterit probari per illud primum principium, sicque conuincitur fore necessarium contra proteruum.

Quarta conclusio. Duo principia communissima non possunt demonstrari à priori, nec à posteriori simpliciter, sed tantum secundum quid huic vel illi: Communia verò pluribus scientijs, quamuis possint demonstrari per illa, duo prima communissima, attamen non habent ex hoc maiorem euidentiam: Propria autem in scientia subalternata demonstrari queunt à subalternante; at principia subalternantis, sicut scientiæ cuiuslibet disparatæ à solo Methaphysico demonstrari possunt. Probatur prima pars, quia demonstratio propter quid fit per priora, & notiora, sed nil est prius, & notius principijs primis communissimis: ergo principia prima communissima nequeunt à priori demonstrari. Maior, & minor patent ex suis diffinitionibus. Secunda pars probatur, quia si quis negaret hoc principium: Non contingit idem esse, & non esse, probari posset per experientiam, demonstrando e. g. ignem, quam non contingit esse calidum, & non calidum, aquam frigidam,& non frigidam, & sic de alijs: ergo de omnibus dicendum est, quod non contingit idem esse, & non esse. Tertia pars probatur, quia omne posterius potest probari per prius; sed principia communia sunt posteriora principijs communissimis: ergo possunt per hæc demonstrari cætera. Quarta pars probatur, quia propositio per se nota indiget maiori euidentia, quam quæ habetur ex terminis, qui sunt aliquid eius, vt patet per suam diffinitionem, sed talia principia cōmunia sunt propositiones per se notæ, vt aliàs probatum est: ergo ex eò quod demonstrari contingat per priora, non propterea acquirunt maiorem euidentiam. Quinta pars remanet probata in quæst. 10. & 11. huius disputat. sexta Pars tandem probatur, quia principia scientiarum specialium sunt posteriora primis, & communissimis principijs, quia illa sunt de ente, vt sic, illa verò dentibus particularibus, idest inferioribus: ergo possunt demonstrari à Methaphysico per sua communissima principia.

Obijcitur primo, contra primam partem primæ conclusionis, quia eo modo principia habent ingredi demonstrationem, quomodo habent vim ipsam firmandi, & certificandi; sed hanc cum non habent principia communia, & communissima, nisi

Pp qua-

quatenus contrahuntur ad speciales terminos: ergo sic contractè tantum sunt in demonstratione, ac proindè formaliter solum, & non virtualiter. Maior est nota, & minor est manifesta ex dictis Not. 3. in fine de mente Scoti.

Respondetur Negando Minorem; siquidem principia omnia communia habēt vim firmandi, & certificandi demonstrationem, & virtualiter, si cōsiderentur in actu primo, & secundum esse incōtractū, & formaliter, si accipiantur in actu secundo, & secundum esse contractum, & applicatum, & quando dicitur, quod non habent vim firmandi, & certificandi nisi contrahantur ad speciales terminos, falsum est vniuersaliter, vt patet in hac consequētia: omne animal rationale est risibile: ergo omnis homo est risibilis, quæ tenet per locum à diffinitione, ad diffinitum, quia tantum virtualiter reperitur in illa, & non formaliter, seu contractè ad proprios terminos. igitur eodem modo philosophandum est de principijs communibus & communissimis.

Obijcitur secundo contra secundam partem eiusdem primę conclusionis, quia omnę quod ingreditur demonstrationem contractè, & formaliter auget euidentiam eius, alioquin frustra poneretur; sed talia principia non augent euidentiam alicuius demonstrationis, vt probatum est conclusione secunda: ergo signum est non debere ingredi secundum esse contractum aliquam demōstrationem specialis scientiæ.

Respondetur. Maiorem esse veram, vel in actu, vel in aptitudine, hoc est dictū, si demonstratio non habet aliunde euidentiam sibi necessariam, potest illam habere à principijs communibus contractè illam ingredientibus, & hoc sufficit, vt nō sit frustranea eius contractio ad illam: Ad minorem dico esse veram in actu, siquidem demonstratio constans ex proprijs habet sibi necessariam euidētiam ex cognitione terminorum, cum sint propositiones per se notæ, falsam tamen in aptitudine, quia eandem euidentiam haberet ex principijs communibus secundum esse applicatum consideratis, nisi præhaberet ex proprijs principijs.

Obijcitur tertio contra secūdam conclusionem, quò principia sunt notoria, & clariora, eò maiorem euidentiam afferunt cōclusionibus ex eis deductis, sed principia cōmunia, secundum esse contractū ingredientia aliquam demonstrationem speciale, reddunt principia eiusdem propria clariora, & notiora; ergo tribuunt clariorem euidentiā conclusionibus demonstratis, quam si tantū processissent ex proprijs. Maior patet ex illo axiomate Aristotelico, sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; sed conclusiones habent euidentiā simpliciter à principijs: ergo quò principia fuerint notiora, & clariora, eò maiorem, & clariorem euidentiam tribuent illis. Minor probatur quia principia scientiarū specialium sunt tantum per se nota ex terminis confusè cognitis, si verò contrahantur ad illa principia communia, fiunt nota ex terminis distinctè cognitis; sed principia distinctè cognita sunt clariora, quam si tantum cognoscantur confusè: ergo principia communia ingredientia demonstrationem specialem secundum esse contractum reddunt eius principia propria notiora, & clariora. Maior est Scoti in primo dist. 3. q. 2. sub. N. §. 2. probo idem vbi inquit, principia aliarum scientiarum sunt per se nota ex conceptu confuso terminorum, sed ex methaphysica concipiuntur distinctè, & post pauca concludit, & tunc ex illis quiditatibus sic cognitis distinctiùs cognoscuntur principia specialium scientiarum, quàm priùs cognoscebantur. Hæc Scotus, quo nil clariùs ad rem præsentem dici potuit: ergo de primo ad vltimum inferendum est conclusiones demonstratas ex proprijs, & communibus principijs contractis ad demonstrationem specialem, esse euidentiores, quam si solum essent demonstratæ ex proprijs.

Respondetur negādo. Minorem, ad probationem negatur maior quò ad secundam partem, ad probationem desumptam ex Doctorem dico non esse ad propositum, quia non dicit principia, scientiarum specialium ex terminis confusè cognitis, fieri distinctè cognita ex contractione principiorum communium ad illa, quippè, vt sic sunt conuertibilia, cum principijs proprijs, & habent æqualem cognitionem, sed solum asserit distinctius cognosci resoluendo illa in principia methaphysica, quia sic fiunt distinctè, quæ prius erant tantum confusè cognita, ex cognitione distincta suorum terminorum, & hoc præstatur sibi à Methaphysica, cuius est considerare, & demonstrare omnium

nium rerũ quidditates: Nec indè sequi, quod vltimò infertur, conclusiones nimirum fore euidentiores, si deducatur ex principijs proprijs, & communibus simul ad illa contractis, quam si tantum ex proprijs, quandoquidem hæc non habent maiorem euidentiam per illorum cõtractionem ad se, quàm si cognoscantur confusè tantum ex proprijs terminis, perinde enim se habent illa communia contracta ad terminos alicuius scientiæ specialis, ac si fuissent propria illius sciẽtiæ: animal enim contractum per rationale, idem est, quod homo, & conuertuntur adinuicem, dicendo omne animal rationale est homo, & omnis homo est animal rationale modò quæ cõuertuntur non habent inæqualem, sed æqualem euidentiam, ac claritatem saltem in eodem processu demonstrationis propter quid, vel quia.

Obijcies quartò contra tertiam conclusionem. Principia propria habent sufficientem certitudinem ad certificãdum conclusiones: ergo principia communia, quamuis contracta, nullam eis certitudinem adiungere possunt. Antecedens patet, quia certitudo conclusionis scitæ dependet ex certitudine principiorum, secundum Aristotelem primo Poster. cap. secundo, consequentiã probatur, non minus dependet euidentia conclusionis ab euidentia principiorum, quàm certitudo conclusionis ab eorundem certitudine; sed tota euidentia conclusionis demonstratę pendet ab euidentia principiorum propriorum, seclusis principijs communibus: ergo, & tota certitudo erit ab illis exclusis penitus principijs communibus. Maior patet quia totum quod est in conclusione demonstrata deriuatur sibi à principijs demonstrationis, sed hæc sunt principia propria, & non communia ex Aristotele primo Post. cap. 7. ergo &c. Minor est manifesta ex secunda Conclusione.

Respondetur. Consequens esse verum de certitudine necessaria ad conclusiones verificãdas, quiã hanc habent sufficienter à principijs proprijs falsum tamen si negetur principia propria, quia tunc erunt certificanda per principia communia, vt supradictum est, & sic certitudo illorum augetur per principia communia. Ad probationem consequentiæ dico non esse simile de euidentia, & certitudine, quia hæc tantum pendet à veritate principiorum, illa verò vltra notionem principiorum, deriuatur à dispositione terminorum in modo, & figura demonstratiua, quæ necessariò exigit principia propria, & respiuit communia, vt probat Aristoteles capit. septimo citato, igitur euidentia in conclusionibus demonstratis augeri nequit ex accessu principiorum communium, licet benè certitudo, & veritas.

Obijcitur quinto contra quartæ Conclusionis primam partem, quia omne posterius potest demonstrari per prius propter quid, & à priori; sed duo prima principia communissima habent alia principia priora: ergo per illa demonstrari poterunt à priori. Maior patet. Minor probatur, quia hæc est prior, ens est en, & quodlibet ens est ens, quàm ista, quodlibet est, vel non est, quia pars est prior toto: similiter non ens est non ens, est prior hac: Non contingit idem esse, & non esse: ergo hæc duo principia habent alia priora per quæ possunt demonstrari.

Respondetur negando. Minorẽ, ad probationem dico totum verum esse in ratione propositionum, seu enunciationum, non tamen in ratione principiorum demonstrationem ingredientium, quia sic non habent priora, sed ipsa sunt prima: siquidem cum inuoluant vtramque partem contradictionis, & illæ propositiones ens est ens, vel non ens est non ens, tantum alteram partem non poterunt esse principia ad demonstrandam totam contradictionem.

Vel dicendum, illas propositiones non esse principia demonstrandi, quodlibet est, vel non est, & non contingit idem esse, & non esse. quia de ratione principiorum demonstrationis est, vt sint notiora conclusionibus ex primo Poster. cap. 2. t. 5. & 6. at clarum est illas propositiones, non esse notiores principijs, cum sint de eisdem terminis cum illis, vt patet: igitur per illas nequeunt ista demonstrari.

De Conuenientia, et Differentia scientiarum circa propria principia.

CAPVT IX.

Istud nonum Capitulum diuiditur in tres partes, in quarum prima ostendit conuenientiam scientiarum specialium circa propria principia; In secunda assignat earum differentiam ratione illorum. In tertia postea commendat scientias Mathematicas, & ostendit quomodo syllogismus possit augeri.

Quò ad primam partem ponit tres conclusiones, quarum prima est, quod in qualibet scientia sunt propriæ interrogationes, & probat, quia in qualibet scientia sunt propositiones propriæ: ergo & propriæ interrogationes. Antecedens probatur quia qualibet scientia habet proprium subiectum, passionem, & dignitatem, ex cap. præcedenti, sed ex talibus fiunt propositiones. ergo qualibet scientia habet proprias propositiones. Consequentia probatur, quia idem est propositio syllogistica, & interrogatio, siquidem duntaxat differunt, quod eadem oratio antequam ponatur in syllogismo est quæstio, & interrogatio, dum est in syllogismo est propositio, & dum per syllogismum demonstratur est conclusio; ergo si eiusdem scientiæ sunt propositiones propriæ, & eiusdem etiam erunt interrogationes propriæ.

Ex hac conclusione infert tria scilicet, quod nulla interrogatio est indifferens omnium scientiarum: secundum quod aliqua propositio dupliciter dicitur pertinere ad scientiam subalternantem. Tertium quod conclusiones scientiæ subalternatæ, possunt probari per principia scientiæ subalternantis, vel per conclusiones eiusdem; cæterum principia subalternantis sunt indemonstrabilia.

Primum. Probat quia eadem conclusio nequit esse omnium scientiarum: ergo nec eadem interrogatio: consequētia patet, quia eadem oratio, quæ ante syllogismū actionum est interrogatio, postea fit conclusio; ergo cum eadem conclusio non possit esse omnium scientiarum, sequitur nec omnium scientiarum posse esse eamdem interrogationem. Antecedens probatur quia conclusio constat ex subiecto, & passiones; sed nequit esse omnium scientiarum idem subiectum, & eadem passio; ergo nec eadem conclusio.

Secundum. Probat quia eadem principia, exempli gratia Geometriæ, dupliciter dicuntur pertinere ad ipsam, & inquantum probant conclusiones Geometricas, quæ postea sunt principia Perspectiuæ, & in quantum ijs mediantibus probant etiam conclusiones perspectiue.

Tertium Probat, quia inferiora possunt probari per priora, & superiora, sed principia scientiæ subalternatæ sunt inferiora ad principia subalternantis, cum sint eorum conclusiones; ergo possunt probari per illa, quæ tamen sunt indemonstrabilia, quia non habent alia superiora per quæ possint demonstrari, alioquin non essent prima principia, quod est contra suppositum.

Secunda Conclusio. Qualibet scientia habet proprias Responsiones, Probat, quia cuilibet interrogationi correspondet vna responsio, sed qualibet scientia habet proprias interrogationes; ergo & proprias responsiones habere debet. Ex quo sequitur quod vna scientia, sicut nequit de omnibus interrogare, sic nec tenetur de omnibus respondere. Philosophus enim sicut non habet interrogare, vtrum triangulus habeat tres; nec vtrum numerus sit par, vel impar, quia hoc spectat ad Arithmeticum, & illud ad Geometram, ita non tenetur de eisdem respondere. Scientia autem communis cuiusmodi est Methaphysica, sicut potest interrogare de subiectis omnium scientiarum specialium, an sint entia, & quæ ita potest de his omnibus respondere prout sunt entia, non tamen prout talia, quia non considerat illa in particulari, sed solum in communi, quatenus entia sunt,

Tertia Conclusio. Qualibet scientia habet proprias disputationes, quia vbicunque est interrogatio, & responsio ibi est disputatio

tio syllogistica, siquidem est actio syllogistica duorum idest opponentis, & respondentis in disputando, sed in qualibet scientia sunt propria interrogationes, & responsiones, vt probatum est in duabus præcedentibus conclusionibus: ergo, & propriè disputationes.

Quò ad secundam Partem. Mouet tres quæstiones, quas resoluit, & harum prima est; Vtrum Geometricarum, aliquæ sint Geometricæ, & aliquæ non Geometricæ?

Respondetur. Aliquas videri Geometricas, & tamen non sunt Geometricæ, & probat quia conclusiones Arithmeticæ videntur esse Geometricæ, tum quia versantur circa quantitatem, sicut Geometricæ; tum quia communicant in illo principio communi: si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, & in altero: omne totum est maius sua parte, tùm tandem, quia vtuntur eisdem terminis scilicet cubi, quadrati, &c. Cæterum non sunt Geometricæ, quia sunt de subiectis, & passionibus diuersis: quandoquidem Arithmeticæ sunt de quantitatibus discretis, & Geometricæ, de continuis.

Mouet secundam quæstionem. Vtrum propositiones Geometricæ secundum ignorantiam, idest secundum falsitatem, & non secundum scientiam, idest secundum veritatem, sint censendæ Geometricæ?

Respondet esse propositiones Geometricas secundum materiam, sed non secundum formam; Probat primam partem; quia sunt de terminis Geometricalibus, sed in his consistit materia propositionum: ergo sunt Geometricæ secundum materiam. Probat secundam partem, quia quæ non enunciant veritatem Geometricam non sunt Geometricæ secundum formam, siquidem forma propositionum consistit in enunciatione veri, vel falsi, vt patet ex primo libro Periherme. nias, sed propositiones Geometricæ secundum ignorantiam non enunciant veritatem Geometricam: ergo non sunt Geometricæ secundum formam. Minorem probat quia si quis opinabitur lineas parallelas ad inuicem concurrere, faciet quidem Geometricam propositionem secundum materiam, cum termini sint Geometrici, sed non secundum formam, quia concurrentia non est prædicatum conueniens lineis parallelis, quin potius oppositum, vt patet intuenti earum diffinitionem in Euclide.

Mouet tertiam quæstionem. Vtrum syllogismus secundum ignorantiam, & non secundum scientiam sit verus syllogismus, an potius paralogismus?

Respondetur cum distinctione, nimirum eam triplicem, peccantem in materia, quia altera propositionum est falsa, peccantem in forma, quia non est dispositus in modo, & figura, & peccantem in vtraque, & quia habet alteram præmissarum falsam, & quia non sunt benè dispositæ in modo, & figura; Exemplificat in hoc syllogismo: omnis linea parallela concurrit, sed lineæ æquè distantes sunt parallelæ; ergo omnes lineæ æquè distantes concurrunt, modo dicit hunc esse paralogismum in materia, quia maior extremitas repugnat medio, & facit præmissam falsam, esse tamen bonum syllogismum in forma, quia est in primo modo primæ figuræ.

Quò ad tertiam partem commendat scientias Mathematicas, dicens se potius exemplificare de illis, quàm de alijs, quia in illis fit minus deceptio, quàm in Philosophicis, & vt hoc ostendat ponit duas conclusiones, quarum.

Prima est: scientiæ Mathematicæ sunt alijs certiores, & probat, tùm quia sunt de illis, quæ magis se offerunt sensui; non enim Geometra concederet absolutè omnem circulum esse figuram propter æquiuocationem huius nominis circulus, siquidem significat præter figuram circularem, etiam quoddam genus carminum ab Homero descriptum, vt sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo, & circulariter oppositum subiungit, sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum, sed adderet in demonstratione, omnis talis circulus, demonstrando figuram circularem, & in

do, quorum vtrumque augmentum declaratur sic.

Auctio, seu augmentum in demonstrationibus potest fieri dupliciter, vno modo per additionem mediorum, alio modo in assumendo idest per additionem extremitatum. Primo modo contingit dupliciter fieri additionem, vno modo per media intranea subiecto, vt si quis velit probare hominem esse animal, posset sic multiplicare media, omne quod naturaliter loquitur est animal, homo naturaliter loquitur: ergo est animal; Vel sic omne quod mouetur progressiuè est animal; homo sic mouetur: ergo est animal; Vel sic, omne quod sentit est animal, homo sentit; ergo &c. & in his medijs non potest fieri processus in infinitum, quia prædicata, quiditatiua, vel passiones, à quibus sumuntur non sunt infinita, sed terminata numero. Alio modo per media extranea subiecto, vt omnis lapis est animal; omnis homo est lapis: ergo omnis homo est animal, Vel omne lignum est animal; sed homo est lignum: ergo homo est animal, & in his potest fieri processus in infinitum, cum talia media extrinseca possint multiplicari in infinitum saltem indiuidualiter. Secundo modo idest in assumendo potest fieri additio, dupliciter, vno modo in assumendo post, & hoc tripliciter, primo retinēdo maiorem extremitatem, & assumendo pro minori extremitate plura subiecta, se habentia per ordinem secundum sub, & supra, vt in linea prædicamentali, cum hoc tamen, quod id quod est minor extremitas in prima sit medium in secunda, vt in his exemplis, omne ens finitum per se, & limitatum est susceptiuum contrariorum, sed substantia est huiusmodi: ergo est susceptiua contrariorum, sed corpus est substantia: ergo corpus est susceptiuum contrariorum. Item omne corpus est susceptiuum contrariorum, sed corpus animatum est corpus; ergo corpus animatum est susceptiuum contrariorum; ecce quomodo in assumendo seruatur ordo secundum sub, & supra, primo enim assumitur sub ente substātia, deinde sub substantia corpus, & sub corpore, corpus animatum, quæ sunt subiecta, & prædicata essentialiter ordinata secundum sub, & supra, & in tali additione non potest dari processus in infinitum, cum huiusmodi prædicata sint numero finita. Alio modo fit auctio in assumendo in Post. dum nimirum retinetur idem medium, & eadem maior extremitas, & multiplicantur subiecta, quæ vel sunt indiuidua sub eadem specie contenta, vel species sub eodem genere, & se habent per modum constituti, & constitutiui; Exemplum primi omnis homo est risibilis, Petrus est homo; ergo Petrus est risibilis. Exemplum secundi, cuiuslibet numeri vnitas est pars aliquota, sed ternarius est numerus; ergo eius vnitas est pars aliquota, & in hoc augmento datur processus in infinitum, quia indiuidua sub eadem specie, & numeri in infinitum possunt augeri. Tertio modo fit auctio in assumendo in post retinendo minorem extremitatem, demonstrando vnam passionem per aliam, & id quod est maior extremitas in vna demonstratione fit medium in alia sic, omne beatificabile est disciplinabile, sed omnis homo est beatificabilis; ergo &c. Item omne disciplinabile est risibile, sed omnis homo est disciplinabilis; ergo omnis homo est risibilis. Item omne risibile est flebile; sed omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est flebilis, & in hac auctione non datur processus in infinitum, quia passiones sunt finitæ, sicut earum subiecta.

Alio modo fit auctio demonstrationum in assumendo in latus, & hoc dupliciter, vel cum de aliquo subiecto habente differentias oppositas Demonstratur aliqua passio per alteram differentiam, deinde de eodem contracto per aliam differentiam demonstratur altera passio, vt rationale, & irrationale sunt differentiæ oppositæ diuisiuæ animalis, sic ergo fit talis auctio, omne animal mortale est corpus sensibile, sed animal rationale est mortale: ergo est sensibile. Item omne animal irrationale est sensibile, sed animal irrationale est mor-

tale; ergo est sensibile; & in tali auctione non est processus in infinitum, cum finita sint differentia diuidentes genus. Vel secundo fit, dum retenta semper eadem maiori propositione multiplicantur species sub eodem medio contentæ, vt omne animal est sensibile, sed omnis homo est animal; ergo. Item omne animal est sensibile, sed omnis Asinus est animal; ergo &c. & in hac auctione non fit processus in infinitum, quia species sub vno genere contentæ sunt finitæ Concludit ergo Philosophus, quod demonstrationes Mathematicæ non possunt augeri per media intranea, sed benè in assumendo, & in post, & in latus, & exemplificat de numeris quantitatiuis, qui possunt augeri in infinitum, & ideò de eis possunt confici demonstrationes in assumendo post. vt iam explicatum est; Et hæc de textu huius capitis.

Vtrum scientiæ Mathematicæ sint cæteris certiores, ac firmiores?

QVÆSTIO XIII.

QVamuis hæc difficultas ex dictis in expositione textus parte tertia facillimè solui possit, attamen ad vberiorem notitiam eorum, quæ dicturi sumus. Primo notandum est scientias Mathematicas appellari ab Aristotele doctrinales ob nonnullas prærogatiuas, ex quibus elucet earundem excellentia, & firmitudo, & primo quia docent sine formidine, & sine varietate opinionum, quod non reperitur in dialecticis, naturalibus, & etiam Methaphysicis, siquidem in his vnusquisque abundat in suo sensu, vt est compertum apud omnes, & præcipuè Thomistas, & Scotistas. Secundo quia præmissæ demonstrationum Mathematicalium habentur per sensum, & per indemonstrationem, siquidem versantur circa substantias, magnitudines, & numeros, quæ sunt sensibilia communia. Tertio, quia procedunt à notioribus nobis & naturæ simul, inquantum enim versantur circa ea, quæ sensibus obijciuntur dicuntur procedere à notioribus nobis, & quatenus abstrahunt à materia sensibili procedunt à notioribus naturæ, vt melius declarabitur in primo libro Physicorum. Quarto, quia tales procedunt per vnum genus causæ, idest per causam formalem tantum quæ est diffinitio subiecti, ideò facta demonstratione, nullam ambiguitatem relinquunt, sicut accidit in naturalibus, quæ cum procedant per omnia genera causarum, peracta demonstratione per vnum genus causæ, poterit iterum demonstrari eadem conclusio per aliud genus causæ, vt dicemus inferius, & sic relinquitur ferè semper ambiguitas, & formido, quousque fuerit eadem conclusio demonstrata per omnia genera causarum.

Secundo notandum est, vnam scientiam dici certiorem, & firmiorem alia posse tripliciter contingere, vel ex parte obiecti, quia nimirum eius obiectum est ens necessarium, tutum, ac firmum, & sic Theologia præcellit omnes, cum sit de Deo, qui est summè necesse esse: vel ratione principiorum, & sic Metaphysica est certissima, & firmissima, quia eius principia, scilicet de quolibet verum est dicere, quod est, vel non est; & non contingit idem esse, & non esse, sunt certissimam, & firmissima, vt docet Aristoteles quarto Metaphysicorum text. comment. 8. & 9. & cæteris firmitatem tribuant: vel tertio ratione modi procedendi, qui consistit in his, vt nimirum sit sine formidine, sine varietate opinionum, sine dubitatione, & à notioribus nobis, & naturæ simul, ac tandem ab his, quæ sensu percipiuntur, & per experientiam habentur, & sic scientiæ Mathematicæ, vt inquit Commentator in secundum lib. Metaphysicorum, sunt in primo gradu certitudinis, sicque dicuntur esse omnibus præstantiores, certiores, & firmiores, & non primo, ac secundo modo.

Tertio notandum est, demonstrationes mathematicas dici etiam certiores, & firmiores alijs, quia, vt inquit Aristoteles in textu huius cap. p. 3. recipiunt tantum ea, quæ sunt per se, & excludunt ea, quæ sunt per accidés, hoc

hoc autem poteſt tripliciter intelligi, ſecundum quod poteſt tripliciter aliqua propoſitio dici per ſe, & per accidens; primo modo ratione ſubiecti, & ſic illa propoſitio dicitur per ſe, cuius ſubiectum in ſui ratione includit prædicatum, vt Petrus eſt homo, ſiquidē nequit eſſe Petrus, quia ſit homo, & per oppoſitum hæc eſt per accidens animal eſt homo, quia accidit animali vt ſit in homine, cum poſſit eſſe ſine illo. Secundo modo ratione prædicati, & ſic illa propoſitio dicitur per ſe cuius prædicatum expoſcit ſubiectum in ſui ratione formali, vel identica, vt animal eſt homo, quia homo nequit eſſe ſine animali, vel homo eſt riſibilis quia riſibile non poteſt reperiri ſine homine, & per oppoſitum hæc eſt per accidens Petrum eſt homo, quia accidit homini vt ſit in Petro. Tertio modo ratione vtriuſque, & ſic hæc eſt per ſe, homo eſt animal rationale, quia ſubiectum, & prædicatum mutuo ſe expoſcunt eſſentialiter, & per oppoſitum hæc eſt per accidens, muſicum eſt album, quia ſicut accidit muſico albedo, ita albo muſica: modo ad propoſitum Demonſtrationes mathematicæ dicuntur firmiores cæteris aliarum ſcientiarum, quia earum præmiſſæ ſunt per ſe tertio modo, aliæ verò tantum primo, vel ſecundo modo, qui includunt aliquid per accidens, vel ratione ſubiecti, vel prædicati.

Ex his ſit prima Concluſio: Scientiæ Mathematicæ non ſunt certiores, & firmiores alijs ratione obiecti: Probatur, quia certitudo ſcientiæ hoc modo pendet à certitudine obiecti, ſed obiecta ſcientiarum Mathematicarum non ſunt certiora, & firmiora obiectis aliarum ſcientiarum: ergo, &c. Maior patet ex Not. 2. Minor probatur quia obiecta harum ſcientiarum ſunt quantitates, vel diſcretæ, vt in Arithmetica, & Muſica, vel continue, vt in Geometria, Perſpectiua, & Aſtrologia: obiecta verò aliarum ſcientiarū realium, vel ſunt ſubſtantiæ, vt in Naturalibus, & Diuinis, vel de abſtractis ab omnibus entibus, vt in Methaphyſicis; ſed hæc ſunt maioris firmitatis, quam illa, vt omnibus patet: ergo ſcientiæ Mathematicæ ratione obiecti non ſunt certiores, & firmiores cęteris ſcientijs realibus.

Secunda Concluſio. Scientiæ Mathematicæ non ſunt certiores Methaphyſica ratione principiorum, ſed benè naturalibus: Probatur prima pars, quia principia Methaphyſica ſunt firmiſſima, & tutiſſima ex Ariſtotele, quarto Methaphyſicæ capit. 1. t. comm. 8. 9. & ſequentibus, vſque ad caput. tertium, & probant principia omnium ſcientiarum, etiam Mathematicarum: ergo ſunt certiora, & firmiora Mathematicis. Secunda Pars probatur, quia principia Mathematicæ demonſtrationis ſunt propoſitiones per ſe perſeitate mutua; hoc eſt ratione ſubiecti, & prædicati ſimul, ex Ariſtotele in textu huius capit. 9. at principia aliarum ſcientiarum, ſaltem naturalium ſunt propoſitiones per ſe, vel primo, vel ſecundo modo, quæ habent admixtum aliquid de per accidens, vel primo, vel ſecundo modo, vt patet de hac propoſitione, omne compoſitum ex materia, & forma eſt mobile, quæ non eſt per ſe mutuò, cum hæc ſit falſa, omne mobile eſt compoſitum ex materia, & forma, cum indiuiſibilia de genere quantitatis ſint per ſe mobilia ex Ariſtotele ſexto Phyſicorum, & tamen carent materia, & forma phyſica: ergo demonſtrationes Mathematicæ, & conſequenter ſcientiæ ſunt firmiores ratione principiorum, demonſtrationibus, & ſcientijs naturalibus.

Tertia Concluſio. Ratione modi procedendi ſcientiæ Mathematicæ ſunt certiores, & firmiores cæteris ſcientijs realibus. Probatur quia illæ ſcientiæ ſunt certiores, & firmiores alijs, ratione modi procedendi, quæ ſunt ſine formidine, ſine varietate opinionum, ſine dubitatione, & quarum principia cognoſcuntur per ſenſum, & per experientiam, proceduntque à notioribus nobis, & naturæ ſimul, vt adnotauimus ſecundo, ſed ſcientiæ mathematicæ ſunt huiuſmodi: ergo ratione modi procedendi ſunt certiores, & firmiores alijs. Minor remanet probata in t. part. 3. per duas concluſiones ſequentes.

Obijcitur tamen primo contra hanc concluſionem quia circa ſenſibilia communia magis contingit error, quam circa propria ex Ariſtotele ſecundo lib. de Anima, ſed ſcientiæ Mathematicæ ſunt circa ſenſibilia communia: ergo in eis magis contingit error, quam in illis,

quia

quæ sunt circa propria. Minor probatur, quia versantur circa quantitatem, sed quantitas est sensibile commune, cum percipiatur visu, tactu, & auditu: ergo versantur circa sensibilia communia.

Respondetur maiorem esse veram quò ad apprehensionem, non tamen quo ad intellectus formalem adhæsionem; siquidem magis adhæremus rebus inuariabilibus, cuiusmodi sunt quantitates, quæ abstrahunt à materia sensibili, quam variabilibus, vt sunt res naturales, quæ sunt admixtæ materiæ sensibili.

Obijcitur secundo. Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, & ad modum cognoscendi, ex Aristotele secundo Meth. t.c. 4. sed mathematicalia non sunt notiora cæteris in esse, ergo nec in cognosci, aut modo cognoscendi.

Respondetur maiorem habere veritatem quò ad cognosci distinctè, & in se, non tamen quò ad nos, quia sic accidentia sensibilia quamuis sint imperfectiora in esse quacumque substantia, sunt tamen perfectiora in cognosci quò ad nos.

De Diuisione Demonstrationis in propter quid, et quia.

CAPVT X.

In hoc Decimo Capitulo intendit agere de duplici Demonstrationis genere, scilicet propter quid, & quia, & ponit differentiam inter illa per ordinem ad earumdem effectum, qui est scire, seu scientia, & facit duo; primo enim ponit differentiam harum demonstrationum in comparatione ad vnam & eamdem scientiam. Secundo per ordinem ad plures, & diuersas scientias.

Quò ad primum facit duo, siquidem primo ponit differentiam inter illas generaliter, secundo specialiter. Primo enim dicit Philosophus demonstrationem propter quid, dupliciter differre à demonstratione quia, tum quia illa procedit per causam propinquam, & immediatam, hæc verò per remotam exemplum prioris: omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis; siquidem animal rationale est causa propinqua, & immediata risibilitatis in homine. Exemplum posterioris omne quod respirat est animal, sed lapis non est animal: ergo lapis non respirat: quandoquidem non esse animal non est causa propinqua, sed tantum remota non respirationis, propinqua enim est carentia pulmonis: tum etiam secundo quia demonstratio propter quid numquam procedit per effectum, at demonstratio quia multoties procedit per effectum conuertibilem, vel non conuertibilem, dummodo sit notior sua causa saltem quò ad nos; siquidem per risibile demonstramus animal rationale, quod est eius causa immediata, & risibile est effectus nobis notior in homine, vt potè sensibilius, quam animal rationale, quod à sensibus est remotius.

Ex his infert tres conclusiones, quarum prima est. Possibilis est demonstratio quia per effectum conuertibilem. Secunda Possibilis est demonstratio quia per effectum non conuertibilem. Tertia Possibilis est demonstratio quia, per causam remotam.

Primo probat primam conclusionem, quia non scintillare est effectus conuertibilis cum stella, quæ est propè nos, sed per talem effectum potest ostendi talis causa: ergo talis demonstratio est possibilis. Maior patet per sensum, nam stellæ quæ sunt propè nos, non scintillant, at quæ sunt remotæ à nostris obtutibus scintillant, quia scintillatio prouenit ex imperfecta fixione nostri visus in stellas, quæ accidit solum in his, quæ longius distant non autem in his, quæ sunt propè nos: ergo non scintillare est effectus conuertibilis cum stella, quæ est propè nos, cuiusmodi est planeta.

Secundo probat secundam conclusionem, quia possibilis est demonstratio, quia, per effectum conuertibilem, vt probatum est in præcedenti: ergo etiam per non conuertibilem. Consequentia probatur, quia, ideo per effectum conuertibilem demonstratur sua causa,

sa,quia est ea notior quò ad nos, ergo si effectus non conuertibilis fuerit notior causa, poterit vtique per ipsum demonstrari. Quod autem hoc sit possibile ostendit in duplici effectu non conuertibili, scilicet communiori, & minus communi sensibile enimest effectus communior respectu hominis, cum proueniat in eo ratione animalis, & tamen potest sic demonstrari per ipsum non esse lapidis de homine sic: omnis homo est sensibilis; nullus lapis est seusibilis; ergo nullus lapis est homo. Similiter risibile est effectus minus communis respectu animalis, quia sibi euenit ratio. hominis, in quo est animal, & per ipsum etiam potest demonstrari esse animalis de homine in prima figura: omne risibile est animal; omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal, ecce quomodo per risibile, quod est effectus non conuertibilis cum animali, demonstratur animal de homine.

Tertio Probat tertiam conclusionem quia non respirare demonstratur per non esse animal de lapide; sed non esse animal est tantum causa remota non respirandi, siquidem propinqua est carentia pulmonis: ergo possibilis est demonstratio, quia per causam remotam: Maior ostenditur sic, omne quod respirat est animal; sed lapis non est animal: ergo lapis non respirat. Minor probatur, quia si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis; sed esse animal est causa respirationis, cum respirare tantum proueniat, & conueniat animalibus: ergo non esse animal erit causa nonrespirationis, non propinqua, & immediata, sed tantum remota, sicut pariter esse animal est causa remota respirationis, quia propinqua est habere pulmonem, quod non competit omnibus animalibus.

Quò ad secundum ponit differentiam inter demonstrationem propter quid, & quia in diuersis, & ponit tres regulas, quarum prima est: quando vna scientia subalternatur alteri secundum se totam, subalternans dicit propter quid, & subalternata quia, quod probatur, quia quod præsupponitur verum est quia, quod verò ostenditur per demonstrationem potissimam, est propter quid: sed principia scientiæ subalternatæ in ea supponuntur vera, & in subalternante probantur, cum sine eius conclusiones: ergo subalternans dicit propter quid, & subalternata quia.

Ex hac regula infertur quod scientia potest dici subalternata tripliciter, scilicet secundum se totam, secundum partem, & nec secundum se totam, aut partem. Scientia subalternata primo modo est illa cuius subiectum primarium, & adæquatum continetur sub subiecto totali subalternantis, vt est Perspectiua respectu Geometriæ; siquidem linea visualis, quæ est subiectum in perspectiua continetur tamquam pars in modo sub linea, quæ est subiectum Geometriæ. Secundo modo est illa cuius subiectum partiale continetur sub subiecto subalternantis, & sic Philosophia naturalis, quò ad illam partem, quæ est de Iride, continetur sub Perspectiua; iris enim subest lineæ visuali, cum, & ipsa sit quædam linea visualis conuersa ad nubem roridam. Tertiomodo illa scientia dicitur subalternata, quæ secundum vnum principium tantum probatur in subalternante, et sic Chyrurgia subalternatur Geometriæ, quò ad hoc principium: Vulnera circularia tardius sanantur, quod sic in Geometria probatur, illa vulnera tardius sanantur, quorum partes magis distant, sed vulnera circularia habent partes magis distantes: ergo tardius sanantur.

Deinde infert duo corrollaria, seu documenta, et primum Aliquas scientias subalternantes, et subalternatas esse vniuocas, vt Astrologia, et Naualis, similiter Musica Mathematica, et per auditum acquisita; nam duæ priores vocantur eodem nomine Astrologiæ, et ambæ considerant astra, et duæ posteriores dicuntur ambæ musicæ, et ambæ versantur circa numeros sonoros, seu concentus harmonicos. Secundum Corollarium, seu documentum: scientia subalternans, et subalternata tripliciter differunt, et primo quia subalternans probat illam conclusionem propter quid, quam subalter.

alternata præsupponit vt veram, ac indemonstrabilem in ipsa. Secundo, quia scientia subalternans habet propter quid alicuius effectus, qui tamen ad ipsam non pertinet, sed ad subalternatam, vt patet de Geometria, quæ demonstrat, quare vulnera circularia tardiùs sanentur, & sanatio huius causæ effectus, non spectant ad Geometriam, sed ad Chyrurgiam. Tertio differunt in modo considerandi, quia subalternans considerat aliquod subiectum absolutè, vt Geometria lineam vt sic, subalternata verò idem subiectum sub aliqua passione, vt Perspectiua, quæ considerat lineam contractam per visualitatem.

Secunda regula: quandocumque sunt duæ scientiæ, quarum vna subalternatur alteri secundum aliquam sui partem, illa quò ad illam partem dicit, quia, & altera cui subalternatur, propter quid, & ratio est, quia sicut se habet totum ad totum, ita pars ad partem, sed subalternata secundum se totam dicit quia, & subalternans propter quid, ergo etiam subalternata secundum partem erit quia, & subalternans erit propter quid.

Tertia regula, si sint duæ scientiæ quarum vna subalternetur alteri secundum aliquam conclusionem, vt patet de Chyrurgia, quæ subalternatur Geometriæ tantum secundum illam conclusionem. Vulnera circularia tardiùs sanantur, talis subalternata quò ad illam conclusionem erit, quia, & subalternans quò ad eamdem erit propter quid, ob eamdem rationem iam dictam, quod sicut se habet totum ad totum, ita pars ad partem, sed quò ad illam conclusionem. Chyrurgia subalternatur Geometriæ; igitur quò ad illam eamdem, hæc dicit propter quid, & illa tantum quia, & hæc de textu, & de secundo Tractatu huius primi libri.

Vtrum Diuisio Demonstrationis in Demonstrationem propter quid, & quia, sit conueniens, & qualis.

QVÆSTIO XIV.

Circa primam partem huius quæstionis est controuersia inter Philosophos, tũ antiquos, tum modernos, siquidem aliqui de medio tollunt demonstrationem quia, negantq; esse veram demonstrationis speciem. Ita ex Antiquis Auic. Alexand. Themistius, & simplicius, & ex Recent. Complut. disp. 8. q. 4. Masius hic cap. 10. sect. 1. q. 1. Conimbr. q. 1. quos Mastrius refert hic disp. 12. q. 2. sub num. 10.

Alij admittunt demonstrationem quia, & propter quid, cæterum his duabus non contenti, tertiã afferunt vtramque complectentem, & vocant demonstrationem potissimam. Ita Auerroes 1. Post. com. 95. & 96. Zimar. Theor. 53. Balduin. q. De Regressu Demonstrationis, Petrell. Disp. 6. cap. 7. & alij ex Modernis non pauci.

Alij tandem media incedentes via adstruunt tantum duas demonstrationis species, scilicet propter quid, & quia, vnde dicunt diuisionem illam assignatam ab Aristotele in textu huius cap. 10. esse conuenientem. Ita Scotus in quol. q. 7. sub. A. & secundo Poster. q. 55. Ruuius hic q. 10. & alij Recentiores, quos refert, & sequitur Mastrius, hic disp. 12. q. 2. n. 11.

Circa secundam partem etiam litigant Doctores quandoquidem aliqui relati à Ruuio loco cit. sub n. 9. censent hanc diuisionem esse analogi in sua analogata quandoquidem inquiunt, diffinitionem Demonstrationis positam ab Aristotele cap. 2. conuenire prius demonstrationi propter quid, & postea ei, quæ dicitur demonstratio, quia.

Alij autem melius rem considerantes dicunt huiusmodi diuisionem esse vniuocam, vt potè generis in species. Ita colligitur à Scoto loco primo citato, quem sequuntur omnes Scotistæ, & ex alienis Dominicus de Flandria in primum lib. de Anima quæst. 29. art. 3. Sotus,

tus,& Toletus hic c.10. & alijs, quos recenset,& sequitur Ruuius citatus sub n.11.

Quid autem dicendum sit nobis circa vtramque difficultatem in conclusionibus nostram aperiemus sententiam.

Pro cuius declaratione, ac fundamento primo notandum est ex Aristotele, primo Post.c.2.Demonstrationem diffiniri duplici diffinitione,altera per causam finalem, idest in ordine ad scire, quod principaliter intendit, dum dicit Demonstratio est syllogismus faciens scire,siuè à priori, cum nimirum per causam proximam demonstramus effectum de aliquo subiecto; siuè à posteriori, cum per effectum demonstratur causa, & sic comprahendit vtramque demonstrationem, & propter quid, per quam gignitur scientia à priori, & quia, qua acquiritur scientia à posteriori: Altera verò diffinitione notificatur demonstratio per causam materialem, cum dicitur Demonstratio est syllogismus constans ex veris,primis, & immediatis, prioribus,notioribus,causisque conclusionis,quæ particulæ possunt dupliciter accipi,vel in se, quò ad naturam,& modum essendi, vel quò ad nos, & modum cognoscendi: si primo modo accipiuntur diffinitio tantum conuenit demonstrationi propter quid, & potissimæ,vt aliàs dictum est;si verò sumantur Secundo modo,etiam demonstrationi quia, competere potest,siquidem ea quę sunt causæ in se,& quo ad naturam,euadunt effectus in cognitione quò ad nos, quæ ortum habet à sensu; & è conuersò quæ sunt effectus in demonstratione propter quid, fiunt causæ quò ad nos in demõstratione quia,cum procedat vt plurimum à notioribus nobis ad notiora in se,& secundum naturam. Exemplo comprobatur in hac demonstratione: omne animal rationale est risibile; omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis,in qua per animal rationale, quod est causa prior,immediata, & in se notior, demonstratur risibilitas de homine tamquam eius effectus immediatus demonstratione propter quid: & è conuersò,in hac demonstratione,quia, omne risibile est animal rationale,omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal rationale,in qua per esse risibile,quod est effectus animalis rationalis, tamquam per causam nobis notam, priorem, & notiorem quoad nos, animali rationali,demonstratur ipsum animal rationale de eodem homine à posteriori; ex quibus manifestè patet per eamdem diffinitionem demonstrationis vt sic, aliter, & aliter acceptam, notificari vtramque demonstrationem,& quia,& propter quid.

Secundo notandum, est ex dictis in Expositione textus,& ex Scoto in quol. 7. sub lit. A. Demonstrationum,aliam esse per causam,& à priori,vocaturque propter quid, & aliam per effectum, & à posteriori appellaturque demonstratio quia.Prior est duplex, iuxtà duplicem causam, scilicet per causam proximam,& immediatam,conuertibilemque cum suo effectu, vt omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale:ergo omnis homo est risibilis, altera per causam remotam, & inadæquatam,quæ cum suo effectu conuerti nequit, vt si quis vellit demonstrare Parietem non esse risibilem, quia non est animal, sic syllogizando negatiuè in secunda figura, omne risibile est animal,sed paries non est animal; ergo non est risibilis.Posterior adhuc est duplex,altera, cum per effectum proximum, & conuertibilem demonstrantur existentia causæ, proximæ,& immediatæ,altera verò quando per effectum remotum,demonstratur eius causa. Exemplum prioris, vt omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal rationale. Exemplum posterioris; omne risibile est animal, omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal; animal enim est causa remota,& inadæquata risibilitatis,& tamen demonstratur de homine per risibilitatem, tamquam per effectum remotum, & non conuertibilem. Demonstratio propter quid procedens per causam proximam, immediatam,& adæquatam, conuertibilem cum suo effectu appellatur potissima, & per ipsã habetur scientia simpliciter, at demonstratio per causam remotam, & inadæquatam, in ratione causæ consideratam, est vtique propter quid,sed non potissima,cum per ipsam non habeatur scientia simpliciter, sed tantum secundum quid, similiter demonstratio,quæ fit per effectum adæquatum, proximum,& conuertibilem cum sua causa, erit quia simpliciter, quia per ipsam habetur vera scientia de causa à posteriori; illa verò, quæ fit per effectum remotum, & non conuertibilem cum sua causa remota, erit quia secundum quid; cum per ipsam non acquira-

tatur vera, & adæquata scientia de sua causa. Ex his infertur, quod cum inter causam, & effectum, proportionaliter sumendo vtrumq; nullum detur medium, consequenter, nec inter demonstrationem propter quid, & quia, in sua latitudine acceptas, nulla erit demonstratio media, & sic tantum erunt duo genera demonstrationum, vt optime demonstrat Scotus loco proxime citato.

Tertio notandum est, demonstrationem, quia, in sua latitudine consideratam posse fieri quadrupliciter, primo modo cum per effectum, siue conuertibilem, siue non, demonstratur respectiue eius causa, vt exemplificauimus in precedẽti Not. secũdo; modo cum effectus posterior demonstrat priorem, de sua causa, vel è conuersò, & sic per veritatem demonstratur vnitas de ente, & è conuersò: Tertio modo cum per notiora quò ad nos demonstrantur ignota secundum naturam, quamuis non se habeant vt causa, & effectus, & sic de cognoscibilibus per experientiam habemus notitiam, & per hanc demonstramus eorum causas, quæ prius ignorabantur, vt docet Scotus in primo d. 3. q. 4. §. De cognoscibilibus autem, & in quol. 7. loco citato ex Aristotele primo Post. cap. 14. 16. & 2. Post. cap. vltimo, & in Proæmio lib. Meth. hac enim via primi Philosophi adinuenerũt scientias, & reliquas facultates. Quarto modo quando per negationem alicuius effectus deuenimus in cognitionem negationis eius dem causæ, & hoc pacto dixit Anacharsis Philosophus in Scythia non adesse saltatrices, & Sibillatores, quia carent vino, & vitibus; ex his omnibus modis conficiendi demonstrationem, quia, patet esse membrum contradistinctum à demonstratione propter quid, quæ, non per effectus ad causas, sed per causas ad cognitionem effectuum tantum procedit.

Quarto notanda, ac memoriæ recolenda sunt ea omnia, quæ de Diuisionibus in communi diximus in Summulis Tract. 1. sect. 3. cap. 3. in Anteprædicamentis, & præsertim, quæ nam sit diuisio vniuoca, & æquiuoca; & an compatiantur secum diuisionem analogam, quia de his omnibus est sermo in præsenti quæstione.

Ex his fit prima Conclusio. Diuisio Demonstrationis in propter quid, & quia, est sufficienter assignata, nec admittenda est tertia demonstratio ab illis distincta. Est Scoti in quol. 7. sub A. contra Auerroem, & Sectatores. Probatur primo ex Aristotele pluribus in locis suæ doctrinæ, in quibus diuidit scientiam in propter quid, & quia, ergo & demonstrationis diuisio erit sufficiens in propter quid, & quia. Consequentia patet quia demonstratio est syllogismus faciens scire, vel per causam, & à priori, & sic est propter quid, vel per effectum & à posteriori, & sic erit, quia. Secundo Probatur ratione Scoti in præcitato loco, quia omnis demonstratio, vel est per causam, vel per effectum: ergo omnis demonstratio, vel est propter quid, vel quia. Consequentia patet ex dictis in secundo Not. Antecedens probatur quia omne necessarium verum, non euidens ex terminis, & habens necessariam; & euidentem connexionem ad aliud euidẽs ex terminis, potest per illud demonstrari, sed aliquod verum necessarium non euidens ex terminis habet connexionem necessariam ad aliquod verum acceptum à causa, & aliquod ad verum acceptum ab effectu: ergo omnis demonstratio, vel est per causam, vel per effectum. Maior patet, quia omne tale, cum non sit euidens ex terminis, est demonstrabile. Minor similiter, quia non minorem connexionem habet effectus cum causa, quam è conuersò causa cum effectu; ergo aliquod verum sumendum est ab euidentia causæ; & aliud ab euidentia effectus. Secunda Pars probatur, quia inter causam, & effectum non datur medium; sed demonstratio propter quid est à causa, & demonstratio quia est ab effectu: ergo inter has demonstrationes nulla dantur media, quæ non sit alterutra illarum.

Secunda Conclusio. Demonstratio propter quid, non tantum complectitur demõstrationem à causa proxima, & immediata, sed etiam à causa remota, & inadæquata. Colligitur ex Scoto in quol. 7. quem sequutus est Ruuius hic q. 1. per totam. Prima Pars communiter tenetur ab omnibus. Secunda verò controuertitur propter verba Aristotelis hic cap. 10. vbi diuidit Demonstrationem per causam immediatam, & non immediatam, priorem vocat propter quid, posteriorem verò quia, seu quod est: Nihilominus tamen probatur à Ruuio, primo testimonio Aristotelis primo Post. cap. 2. vbi agẽs de demonstratione inquit demonstratione

pro-

propter quid procedere non tantum ex primis, sed etiam ex his, quæ reducuntur ad prima, tunc enim per demonstrationem propter quid perfectè aliquid scimus, cum nouimus illud reducere vsque ad immediata, & hæc in elementa, sed etiam causa remota reduci potest ad proximam, & immediatam: ergo scientia, & demonstratio, quæ erit per causam remotam, erit propter quid, & non quia. Secundo probatur ratione, quia omnis demonstratio, quæ procedit ex prioribus; & notioribus secundum naturam est propter quid ex Aristotele in primo Post. cap. 2. sed causa, etiam remota, est prior, & notior suo effectu, secundum naturam, cum sit vniuersalior, & à sensibus remotior: ergo demonstratio procedens à causa remota est propter quid. Tertio sic, quia omnis demonstratio procedens ab effectu proximo, vel remoto est quia, secundum Aristotelem hoc cap. 10. ergo quæ procedit à causa proxima, vel remota erit propter quid. Consequentia patet, quia omnis demonstratio vel est per causam, vel per effectū, sed quæ est per effectum est quia; ergo quæ est per causam, quæcumque illa sit, erit propter quid.

Tertia Conclusio. Demonstratio, quia, est vera demonstratio. Est Scoti loco citato ex Aristotele in primo Post. cap. 3. 6. & 10. contra primam opinionem positam in principio huius quæstionis. Probatur, quia scientia quia, & à posteriori est vera scientia, licet nō in tanto rigore, sicut illa à priori. ergo, & demonstratio quia erit vera demonstratio, quamuis non ita perfecta, sicut illa propter quid. Antecedens est Aristotelis primo Post. cap. 23. vbi dicit scientiam propter quid esse certiorem scientia quia: ergo secundum ipsum scientia quia, est vera scientia, licet nō ita perfecta, sicut illa propter quid. Consequentia patet, quia Demonstratio est syllogismus faciens scire, sed scire quia, est per demonstrationem quia: ergo demonstratio quia est vera demonstratio. Secundo sic diffinitiones demonstrationis in communi cōpetunt etiam demonstrationi quia: ergo est vera demonstratio: Consequentia patet, per locum à diffinitione ad diffinitum. Antecedens patet, ex dictis in primo Not. siquidem primæ diffinitioni, quæ est data per causam finalem, si ad illud scire, addatur hæc differētia à posteriori, erit diffinitio demonstrationis quia, sicut eidem addendo, alteram particulam, seu differentiam à priori, competet demonstrationi propter quid. Similiter in secunda diffinitione si prima vera, immediata, priora & notiora accipiantur in se, & secundum naturam constituunt diffinitionem demonstrationis propter quid; si verò sumantur quò ad nos constituunt diffinitionem materialem demonstrationis quia; siquidem, quæ prius erant causæ in se in demonstratione propter quid, euadunt causæ quò ad nos in demonstratione quia.

Quarta Conclusio. Diuisio demonstrationis in propter quid, & quia, est vniuoca analoga, vt potè generis in species. Est Scoti in præcitato loco, & aliorum, quos citauimus in vltima sententia. Probatur, quia diffinitiones demonstrationis in communi datæ ab Aristotele cap. 2. conueniunt vtrique demonstrationi propter quid, & quia, modo explicato in præcedenti conclusione, & in primo notabili: ergo, & demonstratio, quæ est diffinita; & in illas diuisa erit vniuoca, consequentia patet per diffinitionem vniuocorum. Secundo demonstrationes propter quid, & quia sunt duæ species syllogismi demonstratiui, siquidem differunt specificè, quia hæc est per effectum, & à posteriori, & per notiora quò ad nos, illa verò per causam, à priori, & notiora in se, seu secundum naturam: ergo vniuocantur in demonstratione in communi, sicut species in suo genere subalterno. Tertio quod sit diuisio etiam analoga, quia diffinitiones demonstrationis conueniunt primo demonstrationi propter quid, vt potè perfectiori, & præstantiori, & posteà demonstrationi quia, tamquam imperfectiori: ergo huiusmodi diuisio est vniuoci analogi in sua vniuocata analogata. Consequentia patet, per diffinitionem vniuoci analogi. Antecedens etiam est notum, quia causa in se nota est præstantior suo effectu, similiter priora; & notiora naturæ sunt perfectiora, & præstantiora illis, quæ sunt priora, & notiora tantum quò ad nos; ergo cum demonstratio propter quid procedat à causa, & à prioribus, & notioribus in se, perfectius participabit diffinitiones demonstrationis in se, quam demonstratio quia, quæ procedit ab effectu, & à prioribus, & notioribus quò ad nos.

Obijcies primo, contra primam conclusionem probando dari aliam demonstratio-

nem.

nem,quæ non sit propter quid, nec quia, datur demonstratio, quæ facit scire propter quid, & quia simul: ergo erit distincta ab illis seorsim sumptis, consequentia patet. Antecedens probatur per Aristotelem in primo Post. cap. 23. vbi inquit scientiam, qua scimus propter quid, & quia simul, esse certiorem, & præstantiorem ea, qua tantum alterum illorum noscimus, sed omnis scientia est effectus demonstrationis: ergo datur demonstratio per quam habemus illam perfectissimam scientiam, prout distinguitur à propter quid, & quia.

Respondetur negando antecedens, ad probationem dico Aristotelem ibi non velle constituere tertium genus demonstrationis ab illis distinctum, sed solum scientiam, quæ habetur per demonstrationem propter quid & quia, tamquam per duo instrumenta sciendi, esse certiorem, quam si per alteram tantum habeatur, quid, & nos libenter concedimus, cum in tali casu tollatur omnis ambiguitas, quæ per quæstionem si est, vel quid est, suboriori posset.

Obijcies secundo, quia datur demonstratio per causam immediatam, quæ non est quia, nec propter quid: ergo datur tertium genus demonstrationis ab illis distinctum. Antecedens probatur, non est quia, cum hæc sit ab effectu; & non per causam; nec propter quid, quia in demonstratione propter quid, debet non tantum poni causa, sed etiam quoniam illius est causa, vt patet per diffinitionem scire supra cap. 2. sed in tali demonstratione ponitur solum causa immediata absque illo termino causali, vt patet in hac: omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis.

Respondetur negando antecedens, ad probationem dico esse propter quid, & cum probatur, quia in illa non ponitur terminus causalis, & quoniam illius est causa, dico in omni causa immediata poni implicite, & virtualiter, terminum causalem respectu sui effectus, nec esse necesse illum exprimere absque nugatione; siquidem entitas causæ est sibi ratio formalis, quarè talem effectum, & non alium producere possit, ac debeat.

Obijcies tertio, contra secundam conclusionem, quia Aristoteles in hoc cap. 10. ponens differentiam in eadem scientia inter demonstrationem propter quid, & quia, disertis verbis, dicit illam, quæ est per causam remotam, non esse propter quid, sed tantum quia: ergo conclusio non est sustinenda, cum sit contra Aristotelem. Antecedens ostenditur ex eius verbis, quæ sunt sequentia: In quibus autem media non conuertuntur, & est notius, quod non est causa, quia monstratur, sed propter quid, non: at certum est ibi loqui de causa remota, quæ sumitur pro medio non conuertibili cum suo effectu: ergo demonstratio à causa remota secundum Aristotelem est quia, & non propter quid.

Respondetur antecedens, cum sua probatione, habere veritatem comparatiuè ad demonstrationem propter quid potissimam, & strictissimè sumptam, quæ exigit tantum procedere per causam proximam, immediatam, & conuertibilem cum suo effectu, vndè cum demonstratio per causam remotam non habeat has conditiones, meritò illam excludit à genere demonstrationis propter quid in toto rigore sumptæ; nec indè sequitur non esse propter quid largè acceptum, cum procedat per causam, & à priori, quod est munus præcipuum demonstrationis propter quid, & non quia. Nec ex eo, quod eam collocet sub genere demonstrationis quia, operatur, quod non sit propter quid largè considerata, siquidem, cum has demonstrationes distinxerit in ordine ad causam immediatam, & non immediatam, & sub immediata reposuerit demonstrationem propter quid, & quia sub non immediata, consequenter debebat dicere demonstrationem per causam remotam, cum non sit per immediata, & conuertibilia cum effectu, fore quia, & non propter quid strictissimè sumptam; cum hoc tamen stat, vt sit propter quid largè sumpta, cum sit per causam, & à priori, quod sibi soli, & non demonstrationi quia conuenit.

Obijcies quarto, contra tertiam conclusionem ex Aristotele diuersis in locis, in quibus demonstrationē, quia excludere videtur à vera ratione demonstrationis, tum quia cap. 2. primi Poster. inquit, quod scire, quod est demonstrationis effectus, est rem per causam cognoscere; ergo cum demonstratio quia non procedat per causam, consequenter non facit scire, & sic sequitur non esse veram demonstrationem: tum se-

res, & sic sequitur non esse veram demonstrationem: tùm secundo quia cap. 3. comparat illam ad inductionem, quæ nullo pacto est demonstratio: tùm tertiò, quia in lib. 1. Topicorum cap. 1. assignans diffinitionem syllogismi demonstratiui, vt contra d'stinguitur à Topico, inquit, procedere ex veris, & primis, aut ex talibus, quæ per aliqua prima, & vera, eius quæ circa ipsa est, cognitionis principium sumpserunt, atqui certum est has particulas non posse conuenire demonstrationi quia: ergo non est verus syllogismus demonstratiuus, vt distinguitur contra topicum.

Respondetur. Negando antecedens, ad primam probationem, dico antecedens esse verum de scire à priori, & strictè sumpto, non tamen de scire à posteriori, & non in tanto rigore accepto, quia sic etiam demonstratio quia, facit scire, vt etiam inferiùs melius demonstrabitur.

Ad secundum respondet Scotus in tertio sent. d. 24. q. vn. sub k. quòd inductio sumitur, vel prout est vna species argumentationis, quæ procedit à singularibus ad vniuersale, vel pro omni cognitione, quæ ortum habet à sensu; primo modo demonstratio quia non est inductio, quia talis non facit scire, cum versetur circa singularia, at secundo modo potest appellari inductio, quia cum procedat ex notioribus nobis ad notiora naturæ, & consequenter ortum habeat à sensu, potest per sensum cognoscere singularia, & ex illis inducere propositiones necessarias, in quibus effectus sit subiectum, & prædicatum causa, & ex illis conficere demonstrationes ad ostendendam connexionem diffinitionis, cum diffinito, vel causæ de subiecto, vt patet in hac propositione cognita per sensum omne risibile est animal rationale, per quam possumus demonstrare animal rationale de homine, ex eo, quod etiam per sensum cognoscimus omnem hominem esse risibilem, & hoc modo inductio facit scire, sicut, & demonstratio quia, à posteriori.

Ad tertium dico diffinitionem illam, si accipiatur in se, & quo ad esse, conuenire tantum demonstrationi propter quid, at si sumatur de cognitione necessaria quo ad nos, posse competere etiam demonstrationi quia, vt dictum est notabili primo, & in probatione tertiæ conclusionis.

Dices contra responsionem ad secundum per demonstrationem quia, non possunt cognosci propositiones necessariæ: ergo nec per illas demonstrare diffinitionem de diffinito, vel passionem de subiecto: consequentia patet; antecedens probatur, quia hæc propositio omne risibile est animal rationale, non potest cognosci nisi cognoscatur vnio risibilis cum rationali; sed hæc nequit cognosci, nisi sciatur esse causa risibilitatis; vel ergo talis propositio erit incognita à posteriori, vel rationale in ratione causæ cognosceretur antequam probetur per hanc demonstrationem omne risibile est animal rationale; omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal rationale. Consequentia probatur, quia in tantum cognoscimus animal rationale coniungi posse cum risibili, in quantum scimus, hominem qui est animal rationale, esse risibilem, sed hominem esse risibilem cognoscimus ante demonstrationem: ergo, & risibile esse animal rationale, sed hoc est falsum, quia in demonstratione esset petitio principij, & idem probaretur per idem, similiter notum per æquè notum, & non ignotum per notum, sicut fit in demonstrationibus.

Respondetur. Negando antecedens, ad probationem nego minorem siquidem potest cognosci via sensus, & per intellectum posteà, conceptu confuso, omne risibile esse animal rationale, & hoc sufficit, vt possit esse medium ad demonstrandum animal rationale de homine, per coniunctionem risibilis cum homine, quod pariter via sensus potest cognosci per inductionem omnium singularium, & exinde inferre propositionem vniuersalem necessariam, ergo omnis homo est risibilis, quæ denique coniuncta in demonstratione, quia cum altera, scilicet omne risibile est animal rationale, demonstrabunt ambæ, animal rationale in esse homini, per esse risibile. Nec indè sequitur cognosci animal rationale coniungi cum risibili in ratione causæ, cum hoc habeatur tantum propter quid ex cognitione terminorum distincta. Vel dicendum etiam posse cognosci in ratione causæ, quo ad nos, & à posteriori; nec inde sequeretur petitio principij, quia per ipsum non probaretur connexio causæ cum suo effectu, sed tantum cum subiecto, nimirum hominem esse animal rationale, per demonstrationem quia,

licet sit per se notum ex terminis in processu propter quid.

Obijcies quinto, contra quartam conclusionem si demonstratio quia,& propter quid essent duæ species demonstrationis specificè inter se distinctæ: ergo etiam scientia propter quid,& scientia quia essent inter se specificè distinctæ;sed hoc est falsum: ergo, & illud vndè sequitur, sequela maioris probatur, quia quales sunt causæ, tales debent esse effectus earum: ergo si huiusmodi demonstrationes sint specificè distinctæ, & sunt communes sciẽtiarum propter quid,& quia etiam ipsæ scientiæ erunt inter se specificè distinctæ.Minor probatur, quia scientiæ distinguuntur per obiecta, sed demonstratio propter quid, & quia possunt esse de eodem obiecto; ergo & scientiæ, & sic non distinguentur sed erunt eædem specie.

Respondetur, sequelam maioris esse veram, si per scientiam intelligatur assensus conclusionis, siquidem cum alia sint principia in demonstratione quia, & propter quid, & assensus conclusionis erunt alij, & alij, & tunc negatur minor, ad cuius probationem dico minorem esse veram de obiecto materiali,non tamen de eodem formali, idest de eisdem principijs, quia diuersæ demonstrationes,cum habeant diuersa media,sic erunt de obiectis diuersis, & consequenter erunt, & assensus conclusionum diuersi. Quomodo autem eadem scientia habitualis possit esse simul cum alia de eadem re,vel cum opinione,aut fide videbimus in fine huius primi libri.

Obijcies sexto, Demonstratio quia non est simpliciter demonstratio, sed tantum secundum quid: ergo non conuenit vniuocè cum demonstratione propter quid, verum solum æquiuocè. Consequentia patet, quia esse simpliciter, & secundum quid non vniuocantur, vt aliàs probatum est: ergo nec demonstratio simpliciter,& secundum quid. Antecedens probatur, quia per demonstrationem quia demonstrantur causæ, & principia nota ex terminis, sed hæc non sciuntur per habitum scientiæ ex Aristotele secundo Post. c. vlt. ergo scientia per demonstrationem quia non est scientia simpliciter,sed secundum quid tantum.

Respondetur negando antecedens, ad probationem dico minorem esse veram à priori,quia sic notificantur ex terminis,prout sunt earum,& huiusmodi notitia appellatur intellectus ab Aristotele citato,& non scientia, cum hoc tamen stat vt à posteriori possint demonstrari, & sic de illis erit scientia quia, quæ tamen est vera scientia, cum sit notitia certa, & euidens ex præmissis necessarijs in conclusione expressa, vt clariùs inferiùs demonstrabitur.

DE QVALITATE, ET QVANTITATE Demonstrationis, ac de eiusdem processu.

TRACTATVS III.



Xpeditis in superioribus Tractatibus ijs, quæ pertinent ad principia, tum materialia,tum formalia Demonstrationis, modo in præsenti intendit pertractare de figura,forma, ac processu eiusdem, & diuiditur in nouem Capitula,in quorum primo agit de syllogismo aggenerante scientiam, & in qua figura fieri debeat,in secundo de syllogismo aggenerante ignorantiam in tertio de syllogismo imperitiæ eorum quæ insunt immediatè, in quarto de necessitate sensus ad cognitionem obiectorum sensibilium habendam: in quinto de terminis demonstrationis, in sexto, quod extremitates non sint infinitæ in septimo de reductione pro-

propositionum mediatarum negatiuarum ad immediatas: in octauo de medijs propositionis affirmatiuæ, & in nono de reductione harum propositionum mediatarum ad immediatas.

De Syllogismo generante scientiam, & in qua figura fieri debeat.

CAPVT XI.

Istud Capitulum in duas secatur partes, in quarum prima ostendit in qua figura fieri debeat syllogismus faciens scire, & incipit ibi figura autem faciens scire maximè, &c. in secunda verò ponit quasdam regulas ad cognoscendas propositiones mediatas, & immediatas, & incipit ibi sicut autem A esse in B. contingit &c.

Quò ad primam partem ponit hanc conclusionem syllogismus faciens scire maximè, fit in prima figura, & probat illam quadrupliciter, & primo, quia prima figura vtuntur scientiæ certissimæ in suis demonstrationibus, scilicet Geometria, Arithmetica, Musica, & Astrologica, vt superiùs visum est: ergo prima figura est maximè accomodata ad syllogismum facientem scire maximè. Secundo sic illa figura, in qua vel semper, vel frequenter fiunt demonstrationes propter quid facit maximè scire, siquidem demonstratio propter quid, facit scire simpliciter, vt prædictum est, sed in prima figura fiunt, vel semper, vel saltem frequenter demonstrationes propter quid, cum in ipsa concludatur vniuersaliter, vt patet in primo, & secundo modo eiusdem, cæterum demonstrationes propter quid constant ex vniuersalibus, vt probatum est superius: ergo, & c. tertio sic illa figura facit magis scire, in qua demonstratur diffinitio de diffinito, sed prima figura est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet, quia diffinitio est instrumentum sciendi aliquid de diffinito, vt videbimus in secundo Poster. Minor probatur, quia diffinitio est affirmatiua, & vniuersalis, quia competit omnibus contentis sub diffinito, sed solum in prima figura concluditur vniuersaliter, et affirmatiuè, siquidem in secunda conclusio est semper negatiua, et in tertia conclusio, quamuis sit affirmatiua est tamen particularis, at in prima figura, vt patet in primo modo concluditur vniuersaliter affirmatiuè. Quarto tamdē probat conclusionem, quia prima figura ostendit euidentiam conclusionum quò ad quatuor primos modos, vndè cæteri modi eiusdem primæ et aliarum figurarū, vt sint euidentiores reducuntur ad illos, vt vidimus in Summul. Tract. 3. sect. 1. c. 8. ergo prima figura facit maximè scire, consequentia patet, quia euidentia est scientiæ cōditio necessaria, vt alias probatum est; ergo quò maior est euidentia, eò maior est scientia, cum igitur in prima figura sit maxima euidentia, in ipsa, et per ipsam erit maximè scientia.

Quò ad secundam partem diuidit Phylosophus propositiones negatiuas immediatas, et immediatas, sicut fecit superius affirmatiuas, pro quarum cognitione statuit duas regulas.

Prima regula: omnes propositiones negatiuæ, quæ sunt de terminis habentibus superiora, sunt mediatæ; Hæ autem in triplici sunt differentia, quædam enim dicuntur mediatæ ratione prædicati, quia nimirum prædicata illarum continentur sub aliquo superiori per quod possunt demonstrari, vt nulla substantia est albedo, quæ sic probatur arguendo in secunda figura, omnis albedo est qualitas, nulla substantia est qualitas: ergo nulla substantia est albedo; Quædam enim dicuntur mediatæ ratione subiecti, quia sunt de subiectis habentibus superiora, per quæ possunt demonstrari, vt nullum animal est quantitas, sic demonstratur arguendo in Celarent, nulla substantia est quantitas, omne animal est substantia: ergo nullum animal est quantitas. Quædam tamdem sunt mediatæ ratione vtriusque, quia videlicet, sunt de subiectis; et prædicatis habentibus superiora per quæ probari possint, vt nullus homo est linea, quæ probari potest duobus argumentis altero confecto in Celarent sic, nulla substantia est linea omnis homo est substantia: ergo nullus

homo est linea; altero verò in Camestres sic omnis linea est quantitas , nullus homo est quantitas : ergo nullus homo est linea .

Secunda regula. Quælibet propositio vniuersalis negatiua, cuius subiectum, vel prædicatum non continetur sub aliquo superiori est immediata, vt hæc , nulla substantia est quantitas, siquidem substantia , & quantitas , cum sint duo generalissima, non habent superiora per quæ probari possint ; si enim possent demonstrari , vel posse fieri in prima aut secunda figura tantum , (quandoquidem tertia cum non concludat vniuersaliter, non poterit illam demonstrare) sed in neutra possunt demonstrari : ergo conficiunt propositionem immediatam negatiuam. Minor probatur, quia tam in prima, quam in secunda figura est aliqua propositio affirmatiua in qua superius affirmatur de superiori , sed de substantia , & quantitate nullum superius vniuersaliter affirmari potest, cum superioribus careant: ergo in neutra figura posset illa propositio demonstrari , & sic restat , vt sit immediata .

Ex hac secunda Regula infert Philosophus illud commune axioma , omnia prædicamenta secundum totas suas coordinationes esse realiter impermixta , siquidem cum suprema coordinationum constituant propositiones vniuersales negatiuas, & propositio vniuersalis habeat verificari per omnes particulares , consequenter dicendum nihil vnius coordinari permisceri posse cum aliquo alterius coordinationis , sed remanere secundum se totas realiter impermixtas .

De Syllogismo generante ignorantiam .

CAPVT XII. & XIII.

Postquam enim Philosophus egit de syllogismo faciente scire, necessum fuit, vt de eodem ignorantiam generante ageret, siquidem opposita iuxta se posita , magis elucescunt, & errores facilius cauentur , cum in conspectu veritatis collocantur . Diuiditur autem præsens Capitulum in duas partes, in quarum prima pertractat de ignorantia prauæ dispositionis , & in secunda de ignorantia simplicis negationis .

Quò ad primam partem recenset quasdam diuisiones , quarum prima est ignorantia est duplex, scilicet simplicis negationis, & prauæ dispositionis; Prior importat negationem scientiæ, & dicitur pura nescientia , vt accidit in rustico, vel in cæco à natiuitate respectu colorum . Posterior verò est notitia causata per falsa principia, vel per vera, malè tamen intellecta , est ignorantia hæreticorum respectu huius propositionis : Filius est minor Patre, quam habent ex his principijs, Pater maior me est, inquit Christus, sed Christus est filius Dei Patris : ergo filius Dei Patris est minor Patre , quod vtique est verum quò ad humanitatem , & falsum quò ad diuinitatem, cæterum, quia ipsi intelligunt esse minorem, etiam quò ad diuinitatem, propterea habent ignorantiam prauæ dispositionis .

Secunda Diuisio . Ignorantia prauæ dispositionis adhuc est duplex , quædam est circa propositiones immediatas , idest circa principia , quædam verò circa mediatas , vt sunt conclusiones . Ignorantia primo modo accidit cum quis credit opposita principiorum esse vera , vt totum non esse maius sua parte , vel lineas parallelas conuenire , aut contradictoria verificari posse de eodem simul , & semel. Ignorantia secundo modo euenit cum quis putat opposita conclusionum demonstrabilium esse vera , vt triangulum non habere tres angulos, hominem non esse risibilem , & similia .

Tertia Diuisio . Vtramque ignorantiam , tum circa principia , tum circa conclusiones esse duplicem , scilicet affirmatiuam , secundum quam creditur aliquid esse , quod non est , vt triangulum , habere quatuor angulos,

los, quos tamen non habet, & negatiuam, dum putatur aliquid non esse, quod est, vt hominem non esse risibilem, & tamen est.

Quarta Diuisio. Ignorantia praua dispositionis, tam affirmatiua, quam negatiua est duplex, scilicet simplex, & syllogistica. Prior est falsa notitia de aliqua re sine argumentatione parta, vt cum quis credit æquum esse rudibilem, & non hinnibilem per solam auctoritatem dicentis. Posterior verò, est quæ habetur vi argumentationis per falsum syllogismum, vt si quis ignoraret hominem esse risibilem, vi huius syllogismi, nullum animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo nullus homo est risibilis.

Quò ad secundum in hac prima parte Phylosophus prosequens declarationem ignorantiæ prauæ dispositionis ponit quatuor conclusiones quarum prima est, quod propositio vniuersalis affirmatiua falsa, est syllogizabilis si sit immediata tantum in prima figura, vt ista: omnis substantia est qualitas, est syllogizabilis per duas falsas, vt omnis quantitas est qualitas, omnis substantia est quantitas: ergo omnis substantia est qualitas.

Secunda Conclusio. Propositio vniuersalis negatiua falsa est syllogizabilis tam in prima, quam in secunda figura, vt ista, nullum corpus naturale est substantia, sic probatur in prima. Nulla quantitas est substantia, omne corpus naturale est quantitas: ergo nullum corpus naturale est substantia. In secunda verò sic nulla substantia est qualitas, omne corpus naturale est qualitas: ergo nullum corpus naturale est substantia.

Tertia Conclusio. Propositio vniuersalis negatiua mediata est syllogizabilis, tam in prima, quam in secunda figura si est falsa, vt ista nullus homo est substantia, syllogizatur in prima sic, nulla qualitas est substantia, omnis homo est qualitas: ergo nullus homo est substantia. In secunda verò sic: Nulla substantia est qualitas, omnis homo est qualitas: ergo nullus homo est substantia.

Quarta Conclusio. Propositio vniuersalis affirmatiua mediata falsa est syllogizabilis tantum in prima figura, quæ concludit vniuersaliter affirmatiuè, vt ista, omnis homo est albedo sic probatur, omnis substantia est albedo, omnis homo est substantia: ergo omnis homo est albedo.

Pro declaratione harum quatuor Conclusionum ponit Phylosophus decem, & septem Regulas, quas consultò omittimus, tum quia regulant propositiones falsas in modo, & figura, tum etiam, quia sufficienter possunt haberi illarum falsitates ex Regulis, quas pro vera syllogizatione dedimus in Summulis Tractat. 3. tum denique quia sine illis apertè deprahenditur falsitas propositionum regulabilium in modo, & figura, & non est necesse amplius docere ignorantiam, cum nostrum sit quærere scientiam per veras demonstrationes.

Quoad secundam partem huius capitis Phylosophus peragit de ignorantia simplicis negationis, non quidem inuestigando vndè proueniat, cum certum sit à sola natura prouenire, sed docendo cur multoties non repellatur, sed quia de hac in nouissimis æditionibus, instruitur caput sequens, ideò remittitur in illud proposita tractatio.

De Necessitate sensuum ad repellendam ignorantiam simplicis negationis.

CAP. XIV.

IN hoc capite, quod est pars præcedentis, Aristoteles Demonstrat necessitatem sensuum ad repellendam ignorantiam, & ad inducendam veritatem scientiæ, & ponit sequentem conclusionem: Deficiente in nobis à natiuitate aliquo sensu, ne-

cesse est, vt deficiat scientia, seu notitia de tali obiecto, vt si deficiat à natiuitate sensus visus, non poterimus habere scientiam de coloribus, qui à tali sensu percipiuntur, & probat supponendo vnum, nimirum, quod omnis notitia sit in nobis per sensum, vel per intellectum; siquidem omnem obiectum cognoscibile, vel est singulare, vel vniuersale, si primum, percipitur à sensu, si secundum ab intellectu; caeterum, quia pro statu isto nihil est in intellectu, quin praefuerit in sensu, de primo ad vltimum reuocanda est nostra cognitio in potentias sensitiuas, intantum quod si aliqua harum deficiat, necesse est etiam deficere cognitionem talium sensibilium. Insuper supponit duplex esse instrumentum sciendi, alterum inductionem, quae procedit à singularibus ad vniuersale, alterum demonstrationem quae est de vniuersalibus, ad vniuersalia processus; haec tamen se habent per ordinem, quod sicut vniuersale non potest esse extra singularia, sic nec cognitio vniuersalium per demonstrationem haberi potest sine inductione, quae est singularium; non enim intellectus cognoscere potest omnem hominem esse risibilem, nisi prius sensus inducat in singularibus hominibus, dicendo, hic homo est risibilis, iste homo est risibilis, ille homo est risibilis, & sic de alijs, ex quibus postea infertur, omnem hominem esse risibilem.

His suppositis probat conclusionem, omnis doctrina, & omnis disciplina, vel habetur per demonstrationem, vel per inductionem, sed demonstratio, & inductio non possunt haberi sine sensu; ergo deficiente sensu, deficit etiam scientia, quae haberi potest per talem sensum. Minor probatur, primo de inductione, quia sensus est singularium, vt dicit, & probat Philosophus hic, & tertio de Anima, sed inductio nequit haberi sine singularibus, vt patet ex diffinitione inductionis: ergo nec sine sensu. Secundo probatur de Demonstratione, quia demonstratio est vniuersalium, sed vniuersalia non habentur sine sensu: ergo nec demonstratio. Minor probatur quia vniuersalia non habentur sine cognitione singularium; sed singularia non habentur sine sensu: ergo nec vniuersalia. Maior patet, quia vniuersalia sunt in singularibus: ergo cognitio vniuersalium nequit haberi sine cognitione singularium. Consequentia patet, ex secundo Methaphys. t. c. 4. sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci; ergo si vniuersalia non sunt sine singularibus, sic nec cognitio vniuersalium sine horum cognitione. Minor probatur, quia si hoc non esset, hoc maximè appareret in Mathematicis, quae abstrahunt à materia sensibili, secundum rationem saltem, licet non secundum rem; sed hoc non obstante eorum singularia non sunt sine sensu, quia ideò probant lineas parallelas non concurrere, ex eo quod istae, & illae lineae parallelae non concurrunt; atqui istae, & illae lineae parallelae subsunt sensibus: ergo & in Mathematicis singularia non sunt sine sensu.

Ex hoc textu habetur illud commune proloquium, sensus est singularium, intellectus vniuersalium, quod tamen non est intelligendum praecisè, quia intellectus cum sit potentia superior, quae virtualiter continet omnes potentias sensitiuas, potest, & ipse cognoscere singularia, vt talia sunt, quamuis non pro statu isto, sed solum ex natura potentiae, vt dicemus in primo Physicorum, & tertio de anima.

De

De Forma, Figura, Quantitate, & Qualitate Demonstrationis.

DISPVTATIO III.

Vtrum Diffinitiones, & Regulæ Propositionum Mediatarum, & Immediatarum sint benè, ac sufficienter assignatæ?

QVÆSTIO I.

ISta quæstio est tota textualis, ac citra controuersiam exagitari debet, ideò pro eius intelligentia, præter ea, quæ in expositione textus dicta sunt, aduotanda sunt aliqua, & primo quid, & quotuplex sit propositio, tum mediata, tum immediata. Propositio mediata, vt superiùs tetigimus, est illa, quæ per aliquam mediam propositionem probari, & demonstrari potest: Immediata verò est, quæ caret propositione priori per quam ostendi possit. Vtraque tamen est duplex, scilicet à priori, & à posteriori. Mediata à priori est, quæ per aliquod medium prius ipsa ostendi potest, & sic inferiùs per superius, & effectus per causam, tamquam per media priora demonstrari possunt. Mediata verò à posteriori est, quæ per medium ipsa posterius ostendi potest, & sic causa per effectum, & superius per inferius probari queunt. Immediata à priori, est quæ à causa priori ostendi nequit, & sic prima principia dicuntur immediatæ propositiones à priori, quia non dantur causæ priores, per quas demonstrari possint, alioquin non essent prima, siquidem primum est quo nihil est prius. Immediatæ verò à posteriori sunt omnes illæ propositiones, quæ sunt de vltimis effectibus, quia tales carent medijs, quibus probari possunt.

Secundo notandum, est vtramque posse dici mediatam, vel immediatam à priori quadrupliciter, & primo illa dicitur mediata inter cuius subiectum, & prædicatum cadit aliquod medium, vt hæc omnis homo est corpus animatum, quia potest probari per animal, quod mediat inter hominem, & corpus animatum; & per oppositum illa dicitur immediata hoc primo modo, inter quius extrema nullum cadit medium, per quod possit ostendi eorum conuenientia, vt ista omnis homo est animal. Secundo illa propositio dicitur mediata inter cuius extrema mediat subiectum adæquatum, vt hæc Petrus est risibilis, quia mediat homo, qui est subiectum adæquatum risibilitatis; & illa dicitur sic immediata inter cuius extrema nullum cadit subiectum adæquatum, vt ista homo est risibilis. Tertio illa dicitur mediata inter cuius extrema mediat passio prior, vt hæc omnis homo est flebilis, quia ostenditur per esse risibile, tanquam per passionem priorem: Illa verò dicitur sic immediata, in qua coniungitur prima passio cum suo subiecto adæquato, vt omnis homo est risibilis. Quarto denique illa dicitur mediata inter cuius extrema mediat causa, & sic homo est risibilis dicitur mediata, quia probatur per causam risibilitatis, scilicet animal rationale: Illa verò dicitur sic immediata inter cuius extrema nulla intercedit causa, per quàm possit demonstrari, vt ista omne animal rationale est risibile. Hic est sermo de omnibus propositionibus, his quatuor modis acceptis, quia secundum occasionem de omnibus locutus est Aristoteles, vt patet in expositione textus.

Tertio notandum est adhuc vtramque propositionem posse dici mediatam, & immediatam quadrupliciter, scilicet transcendentaliter, genericè, specificè, & numericè. Illa propositio dicitur immediata transcendentaliter, cuius alterum extremum est immediatè transcendens ad aliud, vt ista substantia est ens, vel ambo sunt sub vno transcendenti, vt nulla substantia est quantitas; & per oppositum illa est sic mediata cuius alterum extremum non est transcendens, nec ambo continentur immediatè sub vno transcendenti, exemplum prioris, vt corpus est ens; exemplum posterioris, vt nullus homo est qualitas, Illa verò est immediatè genericè cuius vnum extremum est genus immediatum ad aliud, vel ambo continentur immediatè sub aliquo genere, vt omne corpus est substantia, & nullum corporeum est incorporeum; Illa verò est mediata genericè cuius vnum extremum non continetur sub alio, vt sub genere immediato, vt omnis ho-

homo est substantia ; vel neutrum continetur immediatè sub aliquo vno genere, vt nullus homo est lapis . Illa verò propositio est immediata specificè, cuius alterum extremum est species respectu alterius, vel ambo sub eadem specie reponuntur immediatè , vt Petrus est homo , & Paulus non est Franciscus . Illa verò est mediata specificè , quando vnum extremum non est species immediata ad aliud , nec ambo continentur sub eadem specie , vt Petrus est animal , & Petrus non est hic Asinus . Illa tandem propositio est immediata numericè in qua alterum extremum est diffinitio , vel passio respectu alterius vt Petrum esse animal rationale , & omnis homo est risibilis . Mediata verò numericè est in qua alterum extremum , nec est passio , nec diffinitio adæquata alterius , vt Petrus est animal rationale, vel Petrus est risibilis de his omnibus locutus est Aristoteles, diuersis in locis huius primi libri Posteriorum,& nos adnotauimus in expositione textus.

Quarto notandum est propositionem negatiuam posse dici immediatam dupliciter , vno modo absolutè, ita vt prædicatum immediatè negetur de subiecto , & nullam aliam supponat , siuè affirmatiuam,siuè negatiuam;alio modo dicitur immediata , quia caret medio , seu alia propositione negatiua per quam possit demonstrari; primo modo hæc propositio,substantia non est quantitas, non est immediata cum supponat has affirmatiuas substantia est substantia , & quantitas est quantitas , siquidem affirmatio semper præcedit negationem . Secundo modo autem omnes propositiones negatiuæ , in quibus vnum generalissimum negatur de alio sunt immediatæ , cum non habeant aliam propositionem negatiuam priorem per quam demonstrari possint,alioquin non essent extrema generalissima , sed haberent superiora, sub quibus , vt sub medijs continerentur . Et licet huiusmodi propositiones negatiuæ possent probari per conceptus quiditatiuos diuersorum generum , vt nullum per se existens est quantitas , sed substantia per se existit : ergo substantia non est quantitas ; & è conuerso nihil , quod est in subiecto , & de subiecto dicitur , est substantia , sed qualitas dicitur de subiecto , & est in subiecto : ergo qualitas non est substantia,non officit,quin dicantur propositiones immediatè negatiuè,tum quia conceptus quiditatiui prædicamentorum non sunt veræ diffinitiones, nec consequenter causæ priores , per quas demonstrari possint ad inuicem prædicamenta negatiuè, sed potiùs notificationes à posteriori , vt patet quia esse per se , & esse in alio, consequuntur subiecta,quorum sunt, & non sunt eorum causæ, tum etiam, quia per se existere non distinguitur à substantia,cum sit eius modus intrinsecus, vndè idem est dicere substantia per se existit,ac substantia est substantia , quarè non potest assumi tamquam propositio negatiua ad remouendam quantitatem ab ea , absque petitione principij, cum idem sit dicere , ens per se existens non est quantitas, & substantia non est quantitas.

Ex his fit prima Conclusio.Diffinitiones , ac Regulæ Propositionum , tum mediatarum , tum immediatarum sunt benè , ac sufficienter assignatæ . Est conclusio Aristotelis diuersis in locis huius primi libri expressa , sed præcipuè in textu cap. 2. 4. 6. & 11. in quibus,& ex dictis in tribus prioribus Notabilibus sufficienter remanet conclusio probata .

Secunda Conclusio . Propositio vniuersalis negatiua , & immediata , est omninò indemonstrabilis . Est Aristotelis in textu cap. 11. parte secunda . Probatur , quia illa propositio cuius extrema non habent superiora , est omninò indemonstrabilis , sed omnis propositio vniuersalis negatiua , & immediata , est huiusmodi: ergo est omninò indemonstrabilis. Maior patet, quia omnis demonstratio propter quid est per priora,& superiora:ergo illa propositio cuius extrema non habent superiora est omninò indemonstrabilis . Minor probatur,quia hæc est vniuersalis negatiua , & immediata , substantia non est quantitas , qualitas non est relatio , & consimiles de decem generibus generalissimis , sed earum extrema non habent superiora , sub quibus contineantur : ergo , &c. Minor probatur , quia super illis non datur nisi ens finitum , sed tale nequit esse medium demonstrandi propositionem negatiuam , cum non affirmetur de vno extremorum , & de altero negetur , immò de vtrisque verè affirmatur : er-

ergo nequit esse medium demonstrandi huiusmodi propositiones vniuersales negatiuas, ac proinde concluditur, vt sint omninò indemonstrabiles.

Objicitur tamen contra primam conclusionem probando diffinitionem immediatæ affirmatiuæ non esse bene assignatam, quia hæc, omnis homo est animal est immediata per se, cum inter subiectum, & prædicatum nullum cadat subiectum medium, sed talis potest probari per aliam: ergo non est simpliciter immediata. Minor probatur sic, omne sensibile est animal, omnis homo est sensibilis: ergo omnis homo est animal; deinde etiam sic potest probari, omne rationale est anima; omni homo est rationalis: ergo omni homo est animal.

Respondetur. Maiorem intelligendam esse de medio adæquato cum altero extremorum, non tamen de inadæquato, modò cum sensibile sit medium adæquatum conuertibile cum animali, & rationale cum homine, benè poterunt demonstrare illam propositionem, omnis homo est animal.

Objicitur secundo, contra diffinitionem propositionis mediatæ negatiuæ, quia propositio mediata negatiua debet reduci ad immediatam per media eiusdem generis cum extremis ex Phylosopho cap. 15. sed hęc mediata, nulla albedo est homo, non est reducibilis ad immediatam per media eiusdem generis cum extremis: ergo non benè diffinitur. Minor probatur, quia illa negatiua reducitur sic, nulla qualitas est homo; omni albedo est qualitas: ergo nulla albedo est homo, ecce quomodo qualitas, quæ est medium non est eiusdem generis cum homine, qui est alterum extremorum.

Respondetur. Maiorem esse veram de mediata negatiua in eodem genere, non tamen in diuersis, modò hæc nulla albedo est homo, est mediata negatiua alterius generis, & ideò sufficit ad eius reductionem, vt medium sit eiusdem rationis cum altero extremorum, sicut accidit in proposito, quia albedo, & qualitas sunt eiusdem generis.

Objicitur tertio, contra secundam conclusionem, quia hæc immediata negatiua, nulla substantia est quantitas potest probari per aliam priorem: ergo non est omninò indemonstrabilis. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia probatur per istam, nullum ens per se existens est quantitas, sed substantia est ens per se existens: ergo substantia non est quantitas, vel nulla substantia est quantitas.

Respondetur. Ex quarto Not. negando antecedens, ad probationem, dico non esse bonam demonstrationem, quia ly ens per se existens, quod ponitur pro medio, non est tale, cum non se habeat in plus, quam substantia immò est omninò conuertibile, & idem cum ea, siquidem est eius modus intrinsecus, qui non distinguitur ex natura rei formaliter ab illa, & ideo nequit esse medium demostrandi aliquid, vel affirmatiuè, vel negatiuè de ea, quin fiat petitio principij in probando.

Objicitur quarto, contra eamdem, quia illa propositio, cuius extrema continentur sub aliquo superiori, non est indemonstrabilis; sed propositiò vniuersalis negatiua, & immediata est huiusmodi: ergo &c. Maior patet, minor probatur, quia extrema huius propositionis, nulla qualitas est relatio, continentur sub superioribus: ergo non est indemonstrabilis. Antecedens probatur, quia qualitas continetur sub ente absoluto, scilicet sub esse ad se, & relatio sub esse ad aliud, sed esse ad se est commune ad substantiam, qualitatem, & quantitatem; & esse ad aliud cæteris septem prædicamentis: ergo extrema illius propositionis, nulla qualitas est relatio, continentur sub superioribus, per quæ potest demonstrari sic, nullum ens ad se est relatio, sed omni qualitas est ens ad se: ergo nulla qualitas est relatio, ac proinde non est omninò indemonstrabilis.

Respondetur. Negando minorem, ad probationem negatur antecedens, ad probationem, dico esse ad se, & esse ad aliud non esse duo superiora, quia tunc essent duo generalissima tantum, & non decem, sed solum esse modos intrinsecos dictorum prædicamentorum, qui cum non distinguantur formaliter ab eis, nequeunt esse media probandi illam propositionem vniuersalem negatiuam, nulla qualitas est relatio, vt dictum est de per se existere respectu substantiæ.

Dices: saltem ens, quod est commune ad decem prædicamenta, poterit esse medium ad probandas huiusmodi propositiones negatiuas: ergo non erunt omninò indemonstrabiles.

Respondetur. Negando consequentiam, siquidem non omne superius, vel com-

commune est sufficiens ad probandas huiusmodi negatiuas, sed debet esse tale, vt possit affirmari de vno extremorum, & negari de altero, cum autem ens negari nequeat de altero extremorum, sed affirmari duntaxat de ambobus, sequitur vt non possit demonstrare propositionem vniuersalem negatiuam immediatam, sed tantum affirmatiuam.

Vtrum deficiente in nobis aliquo sensu, necesse sit deficere etiam notitiam eius obiecti?

QVÆSTIO II.

QVamuis hæc difficultas remaneat soluta ex dictis in expositione cap. 14. nihilominus denuò exagitanda est, non tantum ad vberiorem explicationem eiusdem textus habendam, sed etiam ad copiosiorem doctrinam tradendam, cum extendi possit ad notitias diuersas, vnde pro intelligentia.

Primo notandum est sensus esse in duplici differentia, siquidem alij sunt externi, vt visus, auditus, gustus, olfactus, & tactus; alij verò sunt interni, vt sensus cogitatiua, æstimatiua, phantasia, & memoria: Hic est sermo tantum de externis, qui ab obiectis externis immediatè mouentur, quandoquidé visus à coloribus auditus à sonis, gustus à sapotibus olfactus ab odoribus, & tactus à quatuor qualitatibus primis scilicet caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate, vt sit quæstionis sensus, vtrum deficiente aliquo sensu externo, necesse sit etiam deficere notitiam obiectorum eiusdem sensus?

Secundo. Notandum est, Huiusmodi defectum posse in nobis accidere, vel in natiuitate, vt nimirum quis oriatur cæcus, vel surdus &c. vel post natiuitatem ex aliqua causa; si primo modo occurrat sequitur necessariò defectus notitiæ illius obiecti, siquidem omnis nostra cognitio ortum habet à sensu; si verò secundo modò accidat, non est necesse deficere eiusdem obiecti notitiã, cum talis possit iterum haberi per species sensibiles eiusdem, residentes vel in memoria, vel phantasia, aut per intelligibiles manentes in intellectu possibili.

Tertiò. Notandum est, aliquod cognosci posse dupliciter vno modo sub conceptu cõmuni, alio modo sub conceptu proprio, vt homo sub conceptu communi cognoscitur, vt est animal, vel corpus animatum, & similiter color quatenus est qualitas sensibilis, & talis cognitio vocatur communis, & confusa; sub conceptu verò proprio, homo cognoscitur vt rationalis, & color, vt color est, & talis notitia appellatur propria, & distincta, & hæc est duplex, scilicet quiditatiua, & circumlocutiua, per priorem cognoscitur obiectum secundum suam quiditatem, vt homo quatenus est animal rationale; & per posteriorem cognoscitur obiectum sub aliqua proprietate sibi conuenienti, vt homo prout est animal bipes, locutionis capax risibilis, &c. hic est sermo de vtraque, quia quæstio potest extendi ad omnem notitiam, tum cõfusam, tum distinctam, non tantum circumlocutiuam, verum etiam quiditatiuam.

Quarto Notandum est notitiam propriã, & quiditatiuam haberi ab aliquo de obiecto cognoscibili potest dupliciter intelligi, vno modo per intuentionem, alio modo per fidem, seu per auditum ab aliquo Doctore, primo modo verissimum est non posse haberi de aliquo obiecto deficiente sensu eiusdem, & de hac loquitur Aristoteles in textu, dum dixit, quod deficiente aliquo sensu à natiuitate, necesse est deficere scientiam, seu notitiam obiecti eiusdem sensus, at secundo modo potest haberi, siquidem cæcus à natiuitate potest audire ab aliquo, albedinem esse colorem disgregatiuum visus, & nigredinem esse colorem congregatiuum eiusdem, sed in his consistit quiditas huiusmodi qualitatum: igitur per auditum, & per fidem alicuius Doctoris poterit haberi notitia quiditatiua alicuius obiecti sensibilis, etiam proptio sensu deficiente: an autem talis notitia sic habita sit scientia, vel tantum fides dicemus in conclusionibus.

Quinto. Notandum est obiectum sensibile esse duplex; Proprium quod ab vno tantum sensu percipi potest, vt color à visu, sapor à gustu, sonus ab auditu &c; & Commune, quod nimirum à pluribus sensibus sentiri valet, vt numerus, magnitudo, motus, & similia, siquidem percipi possunt à visu, tactu, & alijs, vt dicemus in secundo de anima. Hic est sermo tantum de proprio obiecto sensibili, & non de communi.

Ex his sit prima Conclusio. Deficiente sensu

ſenſu poſt natiuitatem alicuius in ætate debita conſtituti, non eſt neceſſe deficere notitiam obiectorũ propriorum huiuſmodi ſenſus. Eſt communis apud omnes, qui tenent dari ſpecies ſenſibiles, & intelligibiles ſenſibilium propriorum. Probatur quia ſpecies egerunt vicem obiectorum in eorumdem abſentia, ſed tales, verbi gratia de coloribus, poſſunt conſeruari in aliquo intellectu, vel ſenſu interno, etiam poſt priuationem viſus: ergo à cæco poterit haberi notitia ſenſibiliũ viſus. Maior patet, quia ex obiecto, & potentia, vel ex ſpecie gerente vicem abiecti paritur notitia. Minor eſt nota per experientiam, ſiquidem aliquis poteſt cognoſcere colores, quos vidit Romæ, exiſtens Vicentiæ, ſed hoc non poteſt eſſe, niſi quia colores, quos nouit, relucent in ſpeciebus, vel ſenſibilibus exiſtentibus in memoria ſenſitiua, vel intelligibilibus, quæ conſeruantur in intellectu poſſibili: ergo etiam cæcus poterit habere huiuſmodi notitiam, cum ante cæcitatem acquiſierit illas ſpecies de coloribus à ſe viſis: conſequentia patet, perindè enim quò ad hoc, cæcus poſt natiuitatem, & abſens ſe habent circa colores anteà viſos.

Secunda Concluſio. Deficiente ſenſu etiã in natiuitate, non neceſſariò deficit notitia cõfuſa, ſeu communis ſenſibilium per talem ſenſum. Probatur quia cognoſcere confusè, & in communi, eſt cognoſcere aliquod inferius in ſuo ſuperiori; ſed cæcus à natiuitate poſſet cognoſcere qualitatem ſenſibilem, & colorem eſſe vnam qualitatem ſenſibilem: ergo poſſet habere notitiam confuſam de colore. Minor patet quia qualitatem ſenſibilẽ poſſet cognoſcere per tactum, tangendo nimirum quatuor qualitates ſenſibiles in particulari; ſed etiam color eſt vna qualitas ſẽſibilis per ſenſum, viſus propriè: ergo poſſet colorem cognoſcere in qualitate ſenſibili communi, & ſic habere notitiam confuſam de coloribus.

Tertia Concluſio. Deficiente aliquo ſenſu, non neceſſariò deficit notitia propria circumlocutiua ſenſibilium per talem ſenſum. Probatur quia poteſt quis cognoſcere aliquod ſenſibile proprium ſub aliqua peculiari proprietate: ergo deficiente ſenſu aliquo poteſt haberi notitia propria circumlocutiua ſenſibilium per talem ſenſum, conſequentia patet ex diffinitione notitiæ circumlocutiuæ propriæ. Antecedẽs probatur quia carens guſtu, & videns comedentẽ fructus, vel carnes cum auiditate poteſt concipere huiuſmodi fructus, vel carnes habere in ſe appetibilitatem per ſaporem, ſed talis conceptus eſt propria notitia ſenſus guſtus, & non viſus, vel alterius: ergo etiam ſi quis careat huiuſmodi ſenſu poterit per circumlocutionem habere notitiam propriam guſtabilium.

Quarta Concluſio. Deficiente ſenſu, verbi gratia viſus, poterit quis habere notitiam propriam quiditatiuam colorum per auditum. Probatur, quia poterit quis audire à Doctore, cui credit, albedinem eſſe colorem diſgregatiuum viſus, & nigredinem congregatiuum eiuſdem: ergo poterit habere notitiam quiditatiuam propriam de coloribus, conſequentia patet per locum à diffinitione ad diffinitum, ſed eſſe colore diſgregatiuum viſus, eſt propria diffinitio quiditatiua albedinis, ſicut congregatiuum eiuſdem eſt diffinitio quiditatiua nigredinis: ergo &c.

Quinta Concluſio. Huiuſmodi autem notitia quiditatiua per auditum à cæco habita, non eſſet ſcientia, ſed tantum fides. Probatur quia talis notitia nõ eſſet acquiſita in cæco per demonſtrationem, ſed tantum per auctoritatem dicentis: ergo non eſſet ſcientia, ſed tantum fides. Conſequentia patet per diffinitionem ſcientiæ, cuius ſuperius ſepius meminimus, & fidei, quã infrà daturi ſcimus, cum differentia eiuſdem à ſcientia, & opinione.

Sexta Concluſio. Deficiente aliquo ſenſu in natiuitate, impoſſibilis eſt haberi propria, & diſtincta notitia ſenſibilium eiuſdem per inuentionem. Probatur quia propria, diſtincta, & quiditatiua cognitio per inuentionẽ, nequit haberi, niſi per præſentiam proprij obiecti, ſed talis pro ſtatu iſto non poteſt aliter haberi quam per proprium ſenſum: ergo deficiente aliquo ſenſu à natiuitate deficiet neceſſariò propria, diſtincta, & quiditatiua notitia talis obiecti proprij. Maior probatur, quia pro ſtatu, iſto, omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu negotiante circa obiecta ſenſibilia; ergo, & propria, & diſtincta cognitio dependet à ſenſibili proprio illius ſenſus, ac proinde haberi nequit, niſi ex præſentia proprij obiecti. Minor probatur, quia pro ſtatu iſto nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu ex Ariſtotele

stotele de sensu, & sensilis, sed cognitio propria, distincta, & quiditatiua habetur per intellectum, concurrente cum specie intelligibili, in qua, tamquam in imagine relucet obiectum intelligibile ad producendam intellectionem eiusdem: ergo necesse fuit, vt præfuerit in sensu negotiante species sensibilis circa tale obiectum sensibile propriū, igitur deficiente aliquo sensu, impossibile est haberi per inuentionem talis notitia, quæ sit propria, distincta, & quiditatiua sensibilium per huiusmodi sensum.

Obijcies primo contra quintam conclusionem, quia priscis temporibus fuerunt cæci à natiuitate doctissimi, qui non solum in communi, sed etiā in particulari disputarunt de coloribus, & eorum proprietatibus; sed hoc non potuissent facere, nisi habuissent scientiam de coloribus: ergo deficiente sensu potest haberi scientia sensibilium talis sensus.

Respondetur. Concessa maiori, negando minorem, quia huiusmodi discursus potuerunt fieri à cæcis etiam à natiuitate, per notitiam habitam per auditum, ac proinde sequitur non habuisse scientiam, sed tantum fidem de coloribus in particulari: Quis enim prohibere potest, vt à peritis in fide non fiant discursus, & disputationes, de credibilibus ità disertè, ac si haberent de illis scientiam, & euidentiam? Si ergo hoc possunt facere habentes tantum fidem, vel diuinam, vel humanam, cur idem non poterunt cæci à natiuitate, cum, & ipsi habuerit notitiam per auditum à peritis de natura, & proprietatibus colorum?

Obijcies secundo, quia perfectius non dependet ab imperfectiori in suis operationibus, sed intellectus est perfectior sensu: ergo deficiente sensu aliquo poterit intellectus producere notitiam sensibilium talis sensus.

Respondetur. Maiorem esse veram si in se consideretur, & in natura illius entitatis, non tamen si inter illa adfuerit aliqua colligantia in operando, vt accidit in proposito inter intellectum, & sensum, quia cum pro hoc statu intellectus sit alligatus sensibus, nō potest sine illorum ministerio quidquam intelligere saltem primario, quicquid sit de secundis operationibus.

Obijcies tertio contra sextam conclusionem, quia cæcus à natiuitate potest habere propriam, distinctam, & quiditatiuam notitiam de coloribus: ergo deficiente sensu etiam à natiuitate potest haberi per inuentionem distincta, propria, & quiditatiua notitia sensibilium propriorum illius sensus. Consequentia patet, quia color est sensibile proprium potentiæ visiuæ. Antecedens probatur, quia cæcus potest habere per tactum cognitionem distinctam, & quiditatiuam quatuor qualitatum sensibilium: ergo & colorum, cum causentur ab illis. Consequentia patet, quia cognita causa totali alicuius effectus cognosci poterit talis effectus, sed quatuor qualitates sunt causæ totales omniū colorum, vel saltem albedinis, & nigredinis: ergo si cæcus potest cognoscere distinctè, & quiditatiuè, quatuor qualitates, poterit eodem modo cognoscere etiam colores.

Respondetur. Negando antecedens, ad probatione negatur consequentia, ad probationem dico maiorem esse veram de causa intrinseca, vt est materia, & forma respectu compositi physici, vel genus, & differentia respectu totius essentialis Methaphysici, falsam verò de causa totali extrinseca, vt est efficiens, & finis, modò quatuor qualitates, sunt tantum causæ efficientes colorum, & ideò non sequitur, quod si cognoscantur distinctè, & quiditatiue à cæco, vel alio, debeantur per easdem, & colores cognosci distinctè, & quiditatiuè, licet posset concedi de eis aliqua cognitio confusa, & communis, vel propria, ac circumlocutiua. Ita respondet meus Magister Pater Franciscus à Catharo, sed quia potest peti disparitas in hoc inter causas intrinsecas, & extrinsecas, cur ex cognitione illarum quiditatiua, cognoscantur eorum effectus, & non ex cognitione istarum, cum tamen ambæ secundum proprias entitates contineant virtualiter proprios effectus. ideò.

Respondetur secundo negando quatuor qualitates tangibiles esse causas totales colorum, siquidem hi fiunt, ne dum ex earum mixtione, sed etiam ex quatuor elementis, inquit enim Aristoteles libr. de coloribus, colores sequi elementa, plusquam illa; nam in quibus dominatur aer, & aqua sunt magis candida, & alba, vbi verò dominatur ignis, flaua; & nigra vbi dominatur terra, quia talia elementa, etiam sunt talis naturæ, vt sequantur ex mixtione eorum huiusmodi qualitates in mixtis, cum igitur qualita-

litates tangibiles non possint cognosci à cæco distinctè, & quiditatiuè, vt causæ totales colorum, sed vel solum, vt partiales, vel vt dispositiuæ, duntaxat, non potest sequi in eo cognitio distincta, & quiditatiua colorum, sed vel communis,& confusa, vel propria, & circumlocutiua tãtum: Color enim est qualitas afficiens mixtum, quatenus habet diaphaneitatem, & opacitatem terminatam, quod non potest reperiri in eo absq; mixtione elementorum, quorum aliqua sunt diaphama, vt aer,& aqua, alia verò, vt ignis, & terra sunt opaca. Ita alter meus Præceptor Pater Hugo Cauellus in supplem. ad quæstiones de Anima Scoti disput.2. sect.9. dub.3.num. 13. & 14.

Obijcitur quarto, quia magis deficiunt à sensu materia, & forma, Deus intelligentię, ac substantiæ, quàm res sensibiles propriè, etiam deficiente earum sensu, sed priores à nobis cognoscuntur; ergo, & posteriores poterunt cognosci. Maior patet; quia priores conueniunt tantum in ente, posteriores verò in genere proximo, hoc est in qualitate sensibili: ergo magis deficiunt illæ à sensu, quàm istæ.

Respondetur. Minorem esse veram in communi, confusè, & per analogiam, vt alias dicturi sumus, non tamen distinctè, quiditatiuè, & propriè,& hoc pro statu isto, in quo omnis nostra cognitio ortum habet à sensu negotiante circa propria sensibilia; vndè non sequitur res sensibiles, in defectu sensus, cognosci à nobis posse distinctè, & quiditatiuè, sed solum in communi, & confusè, vt dictum est.

De Processu Syllogismi Demonstratiui.

CAPVT XV. XVI. XVII. & XVIII. ac XIX.

IN his quinque Capitulis nititur Philosophus ostendere non dari processum in infinitum,& facit quatuor. Primo enim demonstrat non dari processum in infinitum ratione terminorum, ex quibus componitur syllogismus demonstratiuus. Secundo ratione prædicatorum substantialium. Tertio ratione prædicatorum accidentalium,& Quarto nullo modo, & probat per rationes proprias.

Quò ad primum facit iterum tria, primo supponit quatuor, secundo mouet tria quæsita,& tertio ponit tres conclusiones.

Prima suppositio, quod sicut syllogismus in communi cõstat ex tribus terminis scilicet maiori,& minori extremitate, ac medio, & duabus propositionibus, tum affirmatiuis, tũ negatiuis, ita, et syllogismus demonstratiuus, cum sit species syllogismi in communi, habebit dictos tres terminos, & duas propositiones.

Secunda suppositio: quod omnis propositio mediata est reducibilis ad immediatam, & ideò omnis demonstratio, quæ nõ procedit ex immediatis est resolubilis immediata, vt ista omne corpus animatum est substantia, omnis homo est corpus animatũ: ergo omnis homo est substantia, non est ex immediatis,& ideò reduci debet ad immediata sic, maior enim erat, omne corpus animatum est substantia, quæ sic reducitur omne corpus est substãtia, omne corpus animatum est corpus; ergo omne corpus animatum est substantia. Minor etiam, quæ erat omnis homo est corpus animatũ, sic resoluitur in immediatas propositiones, omne animal est corpus animatum, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus animatum, & sic prior demonstratio est reducta ad immediatas.

Tertia suppositio. Omnis demonstratio debet procedere, vel ex immediatis, vel ex his, quæ possunt reduci ad immediatas propo-

propositiones secundum veritatem, per hoc enim differt syllogismus demonstratiuus à Dialectico, qui procedit ex probabilibus, & ideò causat opinionem, demonstratiuus autem, cuius est generare scientiam debet procedere ex immediatis secundum veritatem.

Quarta suppositio. Omnis demonstratio est ex his, quæ sunt per se, & non per accidens, idest ex propositionibus per se, & non per accidens, vt sunt hæ omnis homo est albus, vel omne album est homo.

His suppositis proponit Philosophus tres dubitationes, seù quæstiones, quarum prima est, an liceat procedere in infinitum in demõstrationibus sursum eundo, incipiendo nimirum à minori extremitate, vt in hac demonstratione omne animal rationale est risibile: omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est risibilis; vt sit sensus, vtrum de homine, qui est minor extremitas, sicut prædicatur animal rationale, vti superius, de animali rationali habeat prædicari aliud superius, vsque in infinitum, vel detur status in aliquo supremo.

Secunda quæstio, seù dubitatio, vtrum liceat procedere in infinitum in demonstrationibus descendendo à maiori extremitate, vt in hac omne animal est substantia, omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia; an nimirum sub substantia, quæ est maior extremitas liceat descendere in infinitum; vel sit dandus status in aliquo infimo sub quo non possit fieri descensus.

Tertia quæstio, seu dubitatio. Posito, quod extremitates idest maior, & minor sint finitæ, vtrum media ad eamdem conclusionem ostendendam sint finita, vel infinita. Hoc est dictu, vtrum inter substantiam, quæ est genus supremum, & maior extremitas, & Socratem, qui indiuiduum, & minor extremitas infima, mediant infinita prædicata, & subiecta, quibus tamquam medijs possit ostendi hæc eadem conclusio, Socrates est substantia.

Antequam respondeat ad has quæstiones ostendit earum vtilitatem dupliciter, & dicit esse vtiles, quia data hippothesi, quod in demonstrationibus esset processus in infinitum, sequeretur nos nihil per demonstrationem scire, quia impossibile est infinita pertransire. Secundo inquit esse vtiles ad sciendum vtrum omnium sit demonstratio, quia facta huiusmodi concessione, sequeretur, nè dum conclusionum, sed etiam principiorum dari demonstrationem; quod est falsum, quia tunc daretur demonstratio circularis, quam esse impossibilem, probauit supra cap. 3. contra antiquos.

Deindè ampliat has quæstiones, de affirmatiuis propositionibus, etiam ad negatiuas. Vtrum nimirum super minori extremitate possimus ascendere, & sub maiori descendere in infinitum ad ostendendas propositiones negatiuas, & an conclusio negatiua queat per infinita media demonstrari.

Denique obseruat prædictas quæstiones non habere locum in terminis conuertibilibus, quia cum fiant in extremitatibus, quarum vna ad alteram est superior, non posset esse conuertibilitas, quia licet hæc sit vera omnis homo est animal, hæc tamen est falsa omne animal est homo, & ita discurrendo de omnibus.

Ex his ponit tres Conclusiones, quibus videtur respondere ad prædictas quæstiones, tum de affirmatiuis, tum de negatiuis, & prima est huiusmodi: Si datur status in extremitatibus in seorsum, & deorsum, impossibile est media esse infinita, & probat, quia media infinita impossibile est pertransire ex primo Physicorum tex. coment. 50. sed extremitates sunt pertransibiles, quia in eis datur status: ergo media inter illas non possunt esse infinita.

Secunda conclusio. Si in demonstrationibus affirmatiuis, non proceditur in infinitum, neque in negatiuis procedi poterit. Probatur quia multiplicatio demonstrationum oritur ex multiplicatione propositionum, igitur in affirmatiuis datur status, ergo, & in negatiuis debet dari. Antecedens patet, consequentia patet quia omnis propositio

sitio negatiua supponit affirmatiuam: ergo si in affirmatiuis non est processus in infinitum; nec in negatiuis esse poterit. Confirmatur, quia figuræ, in quibus possunt fieri demonstrationes, tum ex affirmatiuis, tum ex negatiuis, sunt finitæ, quia tantum tres: ergo si datur status in affirmatiuis, & in negatiuie dandus erit.

Tertia conclusio. Non est procedendum in infinitum in demonstrationibus affirmatiuis per prædicata quiditatiua. Probatur quia tunc nihil omninò sciremus; & omnes scientiæ destruerentur; sed hoc esset maximè absurdum: ergo non est procedendum in infinitum. Sequela maioris probatur, quia per ignotum nihil scitur; sed si demonstrationes essent infinitæ, prædicata quiditatiua, ex quibus coalescerent, essent ignota: ergo per ipsa nihil sciremus; sed quicquid scimus per prædicata quiditatiua scimus; igitur data hippotesi, nihil sciremus, & omnes scientiæ destruerentur. Maior patet ex dictis in primo capite. Minor probatur, quia infinitum est ignotum, cum transiri nequeat, si ergo demonstrationes essent infinitæ, infinita pariter essent prædicata quiditatiua; & sic essent ignota, ac proinde nihil per illa sciremus. Assumptum probatur, quicquid scimus per demonstrationem scimus, sed demonstratio fit ex propositionibus per se, & quiditatiuis: ergo quicquid scimus per prædicata, quiditatiua scimus.

Quò ad secundum probat expressius non esse processum in infinitum in demonstrationibus ratione prædicatorum quiditatiuorum per duas conclusiones, quarum.

Prima est, non contingit procedere in infinitum in prædicatis substantialibus, quia tunc nulla species omninò sciretur: sed hoc non est admittendum: ergo, etc. Minor est nota per experientiam. Maioris sequela probatur, quia omnis species scitur per suam definitionem, sed data hyppotesi nulla diffinitio sciretur: ergo nulla species omninò sciretur. Maior patet, quia diffinitio est medium sciendi, vt videbimus inferius in secundo lib. Poster. Minor probatur, quia ad cognoscendam diffinitionem perfectè, oportet cognoscere omnia prædicata quiditatiua, vt patet; sed si talia essent infinita, non possent cognosci, quia impossibile est infinita pertransire, ex Aristotele primo Physicor. t.c.50. ergo nec diffinitionem, & consequenter, nec speciem, quod esset omninò absurdum.

Et quia aliquis posset respondere, posse procedi in infinitum saltem circulariter, si non ascendendo, et descendendo per subiecta, et prædicata quiditatiua, ideò huic tacitæ euasioni occurrendo ponit alteram conclusionem, in qua ostendit impossibilitatem demonstrationis circularis in prædicatis quiditatiuis.

Secunda Conclusio. Non est procedendum in infinitum in demonstrationibus, ex prædicatis quiditatiuis, nec circulariter. Probatur quia Demonstratio circularis est tantum possibilis in terminis conuertibilibus, vt satis probatum fuit supra cap. 3. contra Antiquos; sed in prædicatis quiditatiuis nequit dari conuertibilitas: ergo in illis non potest fieri demonstratio in infinitum. Minor probatur, quia prædicata quiditatiua sunt genera, et species vnius prædicamenti, sed in illis nequit dari prędicatio conuertibilis; siquidem hę sunt falsę, omnis substantia est corpus, omne corpus est corpus animatum, omne corpus animatum est animal, et omne animal est homo: ergo ex illis non possunt fieri demonstrationes circulares in infinitum vsque.

Quò ad tertium ostendit non posse dari processum in infinitum in demonstrationibus ex prædicatis accidentalibus, et ponit tres conclusiones, quarum prima est: Non potest procedi in infinitum in prędicatis accidentalibus circulariter, qui tunc accidens commune, posset demonstrari de suo subiecto, & è conuerso subiectum de accedente communi, sed hoc est falsum, quia accidens commune non potest conuerti cum subiecto, hæc enim est falsa, omne album est homo, & omnis homo est albus: ergo nequit ex

ex illis fieri demonstratio circularis in infinitum. Sequela maioris patet, quia in demõstratione circulari fit conuertibilitas prædicatorum, ita quod se inuicem demonstrant.

Secunda Conclusio. Non est procedendum in infinitum in prædicatis accidentalibus sursum, vel deorsum eundo. Probatur, quia prædicata accidentalia, vel sunt quantitates, vel qualitates, vel relationes, vel actiones, vel passiones, vel situs, vel habitus, vel vbi, aut quando, sed hæc non sunt infinita, cum omnia reponantur in aliquo nouem prædicamẽtorum: ergo in prædicatis accidentalibus nõ erit processus in infinitum.

Tertia Conclusio. Non est procedendum in infinitum in prædicatis accidentalibus per se, siue sursum, siuè deorsum; Probatur quia prædicata accidentalia per se, sunt passiones, sed in his nequit fieri processus infinitum, nec in ascendendo: ergo &c. Minoris prima pars probatur, quia passio supponit subiectum, à quo fluit, & tale est vnum prædicatum quidditatiuum, sed in his nequit dari processus in infinitum in ascendendo, vt probatum est supra: ergo nec in passionibus. Secunda pars. Minoris probatur, quia tunc nulla res perfectè sciretur, sed hoc est falsum, vt superius probatum est; ergo &c. sequela maioris probatur, quia tunc res perfectè scitur cum demonstrantur omnes eius passiones de ipsa; sed si essent infinitæ, essent indemonstrabiles; ergo &c. Minor probatur quia infinita nequeunt pertransiri, sed quæ demonstrantur possunt pertransiri, vt patet; ergo si passiones essent infinitæ, essent indemonstrabiles.

Quoad quartum demonstrat eandem conclusionem per rationes analyticas, idest proprias, & ponit duas conclusiones, quarum prima est, impossibile est demonstrationẽ procedere in infinitum ex propositionibus per se. In secundo modo dicendi per se, quia huiusmodi propositiones fiunt, vel ex diffinitione, & passione, vel ex diffinito, & passione, sed in his non potest esse processus in infinitum: ergo nec in propositionibus per se, secundo modo. Maior patet ex dictis capit. 4. &. 7. Minor similiter est nota ex probatis in præcedentibus conclusionibus, secundo probatur, quia processus in sursum fit in his prædicatis, quæ non conuertuntur; sed se habẽt sicut superiora, & inferiora, sed passiones conuertuntur cum suis subiectis, vt patet ex dictis cap. 7. ergo in his dari nequit processus in infinitum.

Secunda Conclusio. Non est procedendum in infinitum in demonstrationibus ex prædicatis in primo modo dicendi per se. Probatur quia nihil sciretur; sed hoc est falsum: ergo non est procedendum &c. sequela maioris probatur quia id quod scitur diffinitur, sed nihil diffiniretur; ergo nihil sciretur. Minor probatur, quia diffinitio constat ex prædicatis primi modi dicendi per se, sed infinita nequeunt diffiniri, aliter essent finita ac determinata, cum diffinitio sit quædam determinatio: ergo si prædicata essent infinita non diffinirentur, & consequenter non scirentur, quod esset maximum absurdum.

Ex his Conclusionibus infert Philosophus quatuor Corollaria, & primum quod in nulla demonstratione est processus in infinitum, quia omnis demonstratio constat ex propositionibus primi, vel secundi modi dicendi per se, sed in his non est procedere in infinitum, vt probatum est: ergo nec in demonstrationibus.

Secundum Corollarium. Sequitur dari statum in demonstrationibus, tam in sursum, quam in deorsum; in sursum patet, quia talis ascensus est per prædicata quiditatiua, sed in talibus datur status: ergo nec in deorsum proceditur in infinitum, quia in hoc descenditur ad indiuidua, sed sub eis non potest fieri descensus, cum sint incommunicabilia: ergo in ipsis datur status.

Tertium Corollarium, si non proceditur in infinitum in extremis, nec in medijs dabitur talis processus, quia in medijs infinitis est distantia infinita; sed inter extrema finita nequit esse distantia infinita: ergo si extrema sint finita, & media erunt finita.

Quar-

Quartum Corollarium. Aliqua principia sunt immediata, vt omnium non sit demonstratio, quia vbi non est processus in infinitũ, ibi datur status; sed in demonstrationibus non est processus in infinitum, vt probatũ est, ergo etc. sed vbi datur status, debet dari aliquod primum, quo nihil sit prius: ergo etiam in propositionibus demonstratiuis in quibus datur status debent dari aliquæ primæ & immediatæ, quæ nequeant demonstrari per alias priores.

Ex quo Corollario sequitur, quod cum nõ omnes propositiones sint immediatæ, sed aliquæ mediatæ, istæ reduci debeant ad immediatas per media finita; modum autem illas reducendi præstat in capite 19. tam in affirmatiuis, quàm in negatiuis per quatuor conclusiones.

Prima Conclusio. Propositiones mediatæ secundi modi, reducuntur ad immediatas eiusdem modi; declaratur, quia propositiones immediatæ secundi modi sunt illæ, in quibus prædicatur passio, vel sua causa, vt omne animal rationale est risibile, vel de subiecto adæquato, vt omnis homo est risibilis; mediatæ verò in quibus prædicatur passio de subiecto inadæquato, vt Petrus est risibilis, vel Paulus est risibilis; sed hæ reducuntur ad illas sic, omne animal rationale est risibile: sed omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis, Petrus est homo, & Paulus est homo: ergo Petrus est risibilis, et Paulus est risibilis: Vel sic Petrus est animal rationale, & Paulus est animal rationale: ergo Petrus, & Paulus sunt risibiles; igitur propositiones mediatæ secundi modi reducũtur ad immediatas eiusdem modi per mediata finita, quæ sunt illarum subiecta, consequentia patet, quia propositionem aliquam mediatã reduci in immediatã est probari per illam, sed hæ probantur per illas duas immediatas: ergo ad illas reducuntur.

Secunda Conclusio. Propositiones mediatæ primi modi, habent reduci ad immediatã eiusdem modi: declaratur etiam ista conclusio: quia propositio immediata primi modi est illa inter cuius subiectum, & prædicatum nullum cadit medium, vt hæc omne corpus est substantia; Mediata verò inter cuius extrema cadit vnum medium, vel plura, vt hæc omnis homo est substantia, siquidem inter hominem, & substantiam mediant animal, corpus animatum, & corpus, per quæ poterit reduci, ad immediatam sic, omne corpus est substantia, sed omnis homo est animal, & omne animal est corpus animatum, & omne corpus animatum est corpus: ergo omnis homo est corpus, & consequenter omnis homo est substantia.

Tertia Conclusio. Omnis propositio mediata est reducibilis ad immediatam per media intranea, idest eiusdem coordinationis cum extremis, & nõ extranea, idest alterius prædicamẽti: Declaratur primo in affirmatiuis, quia hæc omnis homo est substãtia reducitur ad immediatam per hæc media animal, corpus animatum, & corpus, quæ sunt eiusdem prædicamenti cum homine, & substãtia, quæ sunt eiusdem extrema. Declaratur etiam in negatiuis, et primo in prima figura; hæc enim est mediata nullus homo est quantitas, quæ sic reducitur, nulla substantia est quantitas, omnis homo est substantia: ergo nullus homo est quantitas. Hæc autem omnis homo est substantia cum sit mediata reducitur per supradicta media. s. animal, corpus animatum, corpus, vsque ad substantiam: ergo est subiectum immediatum huius nulla substãtia est quantitas. Declaratur etiam in secunda figura. Nulla quãtitas est substantia, omnis homo est substantia; ergo nullus homo est quãtitas, & sic minor reducitur per eadem media, quæ sunt intranea alteri extremo. s. homini. Declaratur denique in tertia figura sic, nulla substantia est quantitas, quædam substantia est homo; ergo quidã homo non est quantitas. Minor conuertitur simpliciter in hanc, quidam homo est substantia, quæ demũ reducitur per eadem media ad substãtiam, & sic patet quomodo etiã propositiones mediatæ negatiuæ reducuntur ad immediatas per media finita, & intranea saltem alteri extremo, ad differentiam affirmatiuæ cuius media debent esse intrinseca vtrique extremo, vt patet in prima, & secunda conclusione.

Quarta Conclusio ex his omnibus illata; Propositio immediata propriè loquendo est tantum vna, & simplex; declaratur in hac propositione, omne corpus est substantia, quia inter subiectum, & prædicatum non mediant aliæ propositiones, sicut in hac mediata omnis homo est substantia, quia inter eiusdem extrema mediant hæ propositiones, omnis homo est animal; omnis homo est corpus animatum; & omnis homo est corpus, et ideò hæc dicitur propositio plures, & illa immediata dicitur tantum vna. Dicitur etiam simplex, quia non resoluitur in alias propositiones priores, sed immediatè in terminos, ex quibus componitur, & exemplificat Aristoteles, quia sicut in alijs facultatibus, id est principium, quod est simplex, vt in cantu diesis, in pondere vnica, seù mensura minima, sic in syllogismis est propositio immediata in demonstratione verò, vel scietia, intellectus idest principia indemonstrabilia. Et hæc de his quinque capitibus summatim dicta, sufficiant.

Vtrum eadem Conclusio per diuersa media demonstrari possit?

QVÆSTIO III.

CVm hactenus ostensum fuerit in demonstrationibus non esse proceden-dum in infinitum, nec ratione extremitatum, nec ratione mediorum, sed in his omnibus dari statum, tum in ascendendo, tum in descendendo; insuper propositiones mediatas: tàm affirmatiuas, quàm negatiuas reducendas fore ad immediatas per diuersa media finita, quæ sint intranea cum extremis in affirmatiuis, in negatiuis verò partim intranea, & partim extranea, quæritur modò an etiam eadem conclusio, quæ pariter est propositio mediata, possit reduci ad suas immediatas, idest demonstrari, ac probari per diuersa media, & quæ sint illa.

Pro cuius declaratione primo notandum est, vt etiam aduertit Mastrius hic disput. 13. quæst. 2. art. primo, num. vigesimosecundo, circa hanc difficultatem duas reperiri oppositas sententias, siquidem Auerroes secundo Poster. com. 46. 95. & 97. quem sequitur Iacob. Zabarella lib. de speciebus demonstrationis capit. secundo, & lib. 2. de Medio Demonstrationis cap. 8. column. 583. docet vnius conclusionis vnicam esse causam proximam, & non plures, per quam possit ostendi propter quid. Oppositum tamen defendit Scotus in secundo Poster. quæst. 57. & videtur esse communis apud expositores Aristotelis: nam cum medium, & causa conclusionis idem sint, & eiusdem conclusionis posse esse plures causæ, vt mox ostendemus, consequenter eiusdem conclusionis poterunt esse plura media demonstratiua.

Secundo Notandum est, eamdem conclusionem posse demonstrari per diuersa media, vel causas adæquatas, & proximas, possint dupliciter intelligi, vel in eodem genere, & ordine, itaut omnes sint, vel efficientes, vel finales, vel materiales, vel formales adæquatæ, & proximæ, & sic est impossibile eiusdem conclusionis esse plures causas totales, proximas, & adæquatas, quandoquidem, vt alias probabimus, idem efficiens nequit dependere à pluribus causis totalibus, & adæquatis eiusdem generis, & ordinis, alioquin dependeret, & non dependeret; vel in diuerso genere, & ordine, ita quod vna sit in genere causæ efficientis, alia finalis, alia materialis, vel formalis, aut vna sit proxima, & alia remota, vel vna sit à priori nota in se, & alia à posteriori, & per effectus, & sic non inconuenit, eamdem conclusionem probari per diuersa media, cum etiam eiusdem effectus possint esse hoc modo plures causæ, nedum partiales, sed etiam totales, & adæquatæ, patet enim quod Deus, sol, & homo generant hominem; & vnusquisque in suo ordine est causa totalis efficiens.

Ex his fit prima Conclusio. Eadem conclusio nequit demonstrari per plura media eiusdem generis, & ordinis totalia. Est Scoti loco citato, & communiter defenditur à Scotistis. Probatur quia demonstratio, si est propter quid, procedit per causam immediatam, & proximam ex Aristotele cap. 2. & 4. si verò quia per effectum proximum, & immediatum, qui quò ad nos euadit causa immediata, & proxima, vt superioris ostendimus,

dimus, sed eiusdem rei non possunt esse plures causæ totales proximæ, & adæquatæ, eiusdem generis, & ordinis: ergo eiusdem conclusionis nequeunt esse plures causę huiusmodi, & consequenter nec plura media, cum sint eadem, ac causæ conclusionis. Minor probatur, quia natura & essentia causæ totalis, proximæ & adæquatæ est, si non impediatur, ponere effectum in esse totaliter: ergo cum vna sufficiat, aliæ superfluent, & nihil causabunt.

Secunda Conclusio. Eadem conclusio tamen potest demonstrari per plura media diuersi generis, & ordinis, nedum quia, sed etiam propter quid. Est Scoti ibidem contra Auerroem, Zabarellam, & alios. Probatur quia eiusdem effectus plures causæ totales, diuersi generis, & ordinis esse possunt, vt patet, quia homo in genere causæ efficientis pendet à Deo, Sole, & homine, in genere causæ finalis à beatitudine, seu fœlicitate, & in genere causæ materialis, & formalis à corpore, & anima intellectiua, quæ omnes sunt causæ totales in suo genere, & ordine: ergo etiam eiusdem conclusionis poterunt esse diuersa media eiusmodi. Consequentia patet, quia medium conclusionis, & causa eiusdem, sunt omninò idem. Confirmatur exemplo, quia de homine potest demonstrari esse elicitiuum actuum moralium, & per causam finalem, quia est ordinatus ad beatitudinem, & per causam efficientem, quia nimirum est agens liberum: ergo eadem conclusio potest demonstrari per diuersa media alterius generis, & ordinis.

Objicies tamen contra secundam conclusionem, quod conuertitur cum aliquo, sibi soli conuenit, vt patet ex diffinitione proprij, quod conuertitur cum subiecto, & sibi soli competere potest: sed effectus causæ immediatæ, & proximæ conuertitur cum tali causa, hæc enim est differentia inter causam immediatam, seù proximam, ac remotam, vt superius vidimus cum Aristotele cap. 10. ergo sibi soli, & non alijs competere poterit, & consequenter per eam solam poterit ostendi.

Respondetur. Maiorem, & probationem esse veram in ratione subiecti adæquati, non tamen in ratione causæ; quia licet risibile competere nequeat in ratione subiecti alijs ab homine attamen in ratione causæ potest procedere à pluribus alterius generis, & ordinis, siquidem in ratione causæ formalis à rationali, quod est differentia, & materialis ab animali, quod cum sit genus gerit vicem materiæ.

Objicies secundo Aristoteles primo Post. cap. 2. definiuit scientiam per causam, & nō per causas: ergo signum est, quod eadem conclusio, de qua est scientia, respicit tantum vnam causam, & vnū medium, & nō plura.

Respondetur negando consequentiam, siquidem Aristoteles diffiniendo scientiam per causam in singulari, & nō in plurali, intēdit excludere plures causas totales, & adæquatas eiusdē generis, & ordinis, non tamen alterius generis, & ordinis, vt nos dicimus, cum apertè dicat in secundo Post. idem prædicatum per certam causam demonstratum de vna specie, posse de alijs per eandem demonstrari, & etiam de ipsa per aliam causam, vt patet de sensitiuo, quod potest demōstrari per animal de homine, & equo, & de homine ipso, non tantum per animal, sed etiam per esse discursiuum. Et confirmatur respōsio, quia Philosophus primo Physicorū t. 1. dicit tunc putamus cognoscere vnumquodque cum causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa, vbi manifestè liquet secundum Aristotelē scientiam vnam, non haberi tantum per vnam, sed per plures causas, vt patet de naturali; igitur eiusdem conclusionis scibilis poterūt esse plura media sciendi, saltem alterius generis, & ordinis.

De quantitate, & qualitate Demonstrationis.

CAPVT XX. XXI. XXII.

IN his tribus Capitulis peragit Philosophus de quantitate, & qualitate syllogismi demonstratiui, & mouet tres quæstiones quarum prima est, vtrum demonstratio vniuersalis sit præstantior particulari? Secunda vtrum Demonstratio affirmatiua sit potior negatiua? Tertia vtrum Demonstratio ostensiua sit nobilior ea, quæ est ad impossibile, seu ad incommodum? Et quia omnes non parum vtilitatis, ac lucis afferre debent, tùm dictis, tùm dicendis, eas seorsiui pertractabimus sub titulis quæstionum textualium.

Vtrum syllogismus, seu Demonstratio vniuersalis sit Præstantior particulari.

QVÆSTIO IV.

Circa hanc quęstionem Philosophus tria facit, & sequendo morem antiquū primo ponit argumenta in contrarium, secūdo illa soluit, & tertio ponit propriam opinionem, quam multis rationibus probat; Nos autem præfixum ordinem imitando; Primo Vno, vel altero notato, ponemus conclusionem affirmatiuam pro responsione ad propositam quæstionem, deindè soluemus argumenta contra ipsam militantia.

Pro declaratione igitur totius quæstionis primo Not. est Demonstrationum aliam esse vniuersalem, & aliam particularem. Demōstratio vniuersalis est quæ constat ex propositionibus vniuersalibus analyticis idest in qua medium proprium, & adæquatum, & conuertibile demonstrat connexionem necessariam passionis cum subiecto proprio, & adæquato, ac conuertibili, vt ista omne animal rationale est risibile; omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis, & ista vocatur etiam potissima, quia ambæ præmissæ sunt immediatæ, & secundum quod ipsum. Demonstratio verò particularis est in qua passio demōstratur aliquo modo de subiecto inadæquato, & non conuertibili, vt hæc, omnis homo est flebilis; sed Petrus est homo: ergo Petrus est flebilis, siquidem Petrus non est subiectum adæquatum, & conuertibile cum flebili, cum hæc sit falsa omne quod est flebile est Petrus, quia ēt Paulus, Franciscus, & ceteri hoīes sunt flebiles.

Secundo Not. est Demonstrationem particularem dupliciter considerari posse, vno modo secundum se, & formaliter, alio modo præexigitiuè, prout nimirum includit demōstrationem vniuersalem saltem virtualiter; primo modo est imperfectior vniuersali, quia medium non est adæquatum, & immediatum ad demonstrādum passionem de subiecto, vt patet in hac, omnis homo est risibilis, Petrus est homo, in qua medium est demonstrabile per istam demōstrationē omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis; at secundo modo est potior vniuersali, quia cum virtualiter contineat demonstrationem vniuersalem, applicatā ad singularia per ipsam, parit certiorem notitiā quò ad nos, quàm si esset tantum vniuersalis, per quam habetur cognitio solum de vniuersalibus, & non de singularibus.

Tertio Not. est, quod tàm vniuersale, quā singulare possunt quadrupliciter cōsiderari, vno modo quò ad modum essendi, & inclusionem essentialem, & sic singulare est magis ens, quàm vniuersale, quia plura essentialiter includit; Secundo modo in ratione subiecti cum propria passione conuertibilis, & sic vniuersale est magis ens, quia cōuertitur adęquatè cum passione, non autem singulare; Tertio modo ratione obiecti cognoscibilis pro hoc statu, & sic etiam vniuersale est magis ens, quàm singulare, quia pro hoc statu vniuersale, & non singulare est cognoscibile ab intellectu, saltem sub propria ratione, vt ostēdemus in 1. Physic. q. de 1. cognit. Quarto modo in ratione existentis, nedum secundū durationem, & esse, sed etiam secundū corruptibilitatē, & incorruptibilitatē, & sic vniuersalia sunt magis entia singularibus, quia hæc sunt corruptibilia, & temporalia, illa verò necessaria, & æterna.

Ex his fit prima Conclusio. Demōstratio vniuersalis magis facit scire, quàm particularis. Probatur quia demonstratio faciēs scire, secundum quod ipsum facit magis scire, quā quæ facit scire per aliud, sed demōstratio vniuersalis facit scire secūdū quod ipsum, & particularis per aliud: ergo demōstratio vniuersalis facit magis scire, quam particularis. Maior est nota ex dictis superius cap. 4. & 6. Minor probatur, quia per demonstrationē vniuersalem scimus hominem esse risibilem secundum quod ipsum, idest secundum se adęquatè, & conuertibiliter, & hunc hominem esse risibilem noscimus per aliud, idest in quātum homo est, & non in quantum hic homo est, similiter de triangulo per demonstrationem vniuersalem scimus habere tres adæquatè, & conuertibiliter, at de Isochele per demonstrationem particularem scimus habere tres, non secundum se, sed ex eo quod, & ipse est triangulus, quod est per aliud scire.

Secunda conclusio. Demonstratio vniuersalis est magis de ente. quàm particularis. Probatur, quia vniuersalia sunt magis entia, quam particularia, sed demonstratio vniuersalis est de vniuersalib⁹, & particularis de particularibus: ergo vniuersalis est magis de ente, quā particularis. Maior probatur quia incorruptibilia, & ęterna sunt magis entia, quā corruptibilia, & tēporalia, sed vniuersalia sūt incor-

incorruptibilia,& æterna, particularia verò corruptibilia, & temporalia: ergo vniuersalia sunt magis entia,quàm particularia.

Tertia conclusio. Demonstratio vniuersalis magis se elongat ab errore,quàm particularis. Probatur,quia demõstratio vniuersalis facit scire secundum quod ipsum , & conuertibiliter, demonstratio verò particularis non secundum, quod ipsum, nec conuertibiliter,vt patet ex primo.Not. ergo demonstratio vniuersalis magis se elongat ab errore, quam particularis. Consequentia patet,quia in demonstratione particulari ostenditur connexio passionis cum subiecto inadæquato, per medium vniuersale: ergo quis posset decipi in applicatione vniuersalis ad tale particulare potius, quam ad aliud, quod non accidit in demonstratione vniuersali, quia medium est immediatum, & adæquatum, tum passioni, tum eiusdem subiecto.

Quarta conclusio,responsiua ad quæstionem: Demonstratio vniuersali est nobilior, & præstantior particulari.Probatur ab Aristotele septem rationibus,& primo,quia demonstratio vniuersalis magis procedit per causam,quàm particularis:ergo est nobilior, & præstantior particulari. Consequentia patet, quia illa demonstratio, quæ procedit per causam est præstantior, quia illa, quæ non sic procedit. Antecedens probatur,quia demonstratio vniuersalis procedit per diffinitionem, particularis verò per diffinitum: ergo magis illa procedit per causam, quam ista. Antecedens patet, quia in demonstratione vniuersali medium est diffinitio subiecti, in particulari verò est ipsum subiectum, vt patet in primo. Not. sed diffinitio est magis causa, quam subiectum diffinitum: ergo demonstratio vniuersali procedit magis per causam, quam particularis. Minor patet, quia diffinitio est causa inhærentiæ passionis ad subiectum, non sic autem subiectum saltem explicitè: ergo diffinitio est magis causa,quam subiectum.

Secunda ratio. Illa demonstratio,quæ datur per vltimam causam est potior, quàm illa, quæ sic non datur, sed demonstratio vniuersalis datur per vltimam causam, particularis verò non;ergo vniuersalis demõstratio est potior, quàm particularis, quia scientia est effectus demonstrationis, sed non habemus perfectam scientiam de aliqua re, nisi percipiamus vltimam causam: ergo illa demonstratio, quæ datur per vltimam causam est potior,quàm quę non datur. Minor probatur, quia in causis finalibus non possumus habere perfectam notitiam nisi habeamus vltimam causam: ergo nec in efficientibus, & formalibus. Antecedens probatur,quia si quæratur à Petro, cur perrexit ad ciuitatem, & respondeat, vt habeat pecuniam,non habetur vltimus finis,& ideò iterum posset interrogari, cur velit habere pecuniam? si respondeat, vt soluat creditori; nec sic habetur vltimus eius finis, cum iterum possim inuestigare, cur velit soluere pecuniam creditori? si responderit, vt videatur bonus,& punctualis in soluendis debitis, tunc habebitur perfecta notitia eius exitus in ciuitatẽ, quia iam expressit vltimam causam. Consequentia à simili declaratur, quia si quis quærat quare Petrus, sit risibilis? si respondeat,quia est homo, non habebitur perfecta scientia, quia iterum posset quęri cur homo sit risibilis? & nisi respondeatur, quia est animal rationale,non habebitur perfecta notitia illius quæsiti cur Petrus sit risibilis,sed esse animal rationale est vltima,& perfecta causa vnionis risibilitatis cum Petro: ergo non possumus habere perfectam sciẽtiam, nisi habeamus vltimam causam, ac proindè demonstratio illa erit perfectior, quæ datur per vltimam causam,quã illa, quæ sic non datur.

Tertia ratio. Illa demõstratio,quę est de magis scibilibus est dignior, quã illa, quæ est de minus scibilibus,sed vniuersalis est de magis scibilibus,& particularis de minus scibilibus: ergo &c. Maior patet,quia scientia,& scibile sunt correlatiua: ergo si de vno correlatiuo dicitur magis, & de reliquo dici debet: ergo illa demõstratio,quę est causa,vt scibile magis sciatur, est magis, & potior demõstratio. Minor probatur, quia demonstratio vniuersalis est de vniuersalibus, & parlibus de parlibus;sed vniuersalia magis sunt scibilia,quã particularia:ergo &c. Minor probatur,quia vniuersalia sunt finita,& particularia infinita,saltem successiuè, sed finita sunt magis scibilia, quàm infinita : ergo vniuersalia sunt magis scibilia, quàm particularia.

Quarta ratio. Quia illa demonstratio,quæ facit scire nedum vniuersale, sed etiam particulare , est dignior, sed demonstratio vniuersalis est huiusmodi, & nõ particulari: ergo vniuersalis est dignior particulari; maior

patet quia perfectior effectus, perfectiorem exigit causam. Minor probatur quia per demostrationem vniuersalem scimus, nedum hominem esse risibilem, sed etiam hunc, & illum hominem esse talem, cum participent eamdem causam risibilitatis, at per particularem tantum scimus Petrum, v. g. esse risibilem, & non hominem esse risibilem: ergo demonstratio vniuersalis facit scire, nedum vniuersale, sed etiam particulare, non sic autem demonstratio particularis.

Quinta Ratio. Illa demonstratio, quæ procedit per medium propinquius principio demonstrationis, est dignior, quàm quæ non sic procedit, sed demonstratio vniuersalis sic procedit, & non particularis: ergo est dignior particulari. Maior patet quia quod est propinquius alicui principio, magis de illo participat: ergo illa demonstratio, quę est de propinquiori principio, magis participat de dignitate demonstrationis. Minor patet, quia demonstratio vniuersalis est de magis vniuersalibus, & particularis de minus vniuersalibus, sed magis vniuersalia sunt propinquiora principijs demonstrationis, quæ est de primis principijs: ergo &c.

Sexta Ratio. Illa demonstratio, quæ facit scire actu, & potentia, est præstantior, quam quæ tantum actu facit scire, sed demonstratio vniuersalis facit scire actu, & potentia, particularis verò tantum actu: ergo vniuersalis debet esse præstantior particulari. Maior patet, quia illa demonstratio, quæ facit scire plura est præstantior, quam quæ facit scire non plura, sed quæ facit scire actu, & potentia, facit scire plura, quam quæ facit tãtum scire actu: ergo, &c. Minor probatur, quia per demonstrationem vniuersalem, nedum scio omnem hominem esse risibilem actu, sed etiam potentialiter hunc, & illum hominem esse talem, per particularem verò tantum hic homo, & non ille esse risibilis scitur: ergo demõstratio vniuersalis facit scire actu, & potentia, particularis verò tantum actu.

Septima Ratio. Illa demonstratio, quæ est de re intelligibili pro hoc statu, est præstãtior quam illa, quæ est tantum de sensibili, sed vniuersalis est huiusmodi, & nõ particularis: ergo illa est præstantior ista. Maior patet, quia sicut intelligibile est præstantius sensibili, ita demonstratio de intelligibili debet esse præstantior illa, quæ est tantum de sensibili pro hoc statu. Minor probatur quia demonstratio vniuersalis est de vniuersalibus, & particularis de particularibus, sed vniuersalia pro hoc statu sunt intelligibilia, non autem particularia, quia sunt obiecta sensuũ, & non intellectus, vt alias videbimus: ergo demonstratio vniuersalis est de intelligibili, & particularis tantum de sensibili, ac proinde illa dignior ista.

Obijcies tamen ex eodem Philosopho cõtra hanc conclusionem, primo illa demonstratio, quæ magis facit scire, debet esse potior, & dignior, sed demõstratio particularis facit magis scire, quam vniuersalis: ergo debet esse potior vniuersali. Maior patet. Minor probatur, quia demonstratio faciẽs scire secundum se, magis facit scire, quã quæ per aliud, sed demonstratio particularis facit scire rem secundum se, & vniuersalis per aliud: ergo demonstratio particularis facit magis scire, quã vniuersalis. Maior patet, quia scire secundum se est scire per se, scire autem per aliud est scire per accidens: tùm etiam exemplo, nam cum scimus, hanc propositionem Coriscas est musicus, magis scimus secundũ se, quàm si sciremus hominem esse musicũ, quia in prima sciremus Coriscam esse musicum secundum se, in secunda verò per aliud, hoc est per hominem: ergo demõstratio, quæ facit scire secundum se est potior, quam quæ tantum per aliud. Minor probatur, quia per hãc demonstrationem particularem, omnis triangulus habet tres, Isocheles est triãgulus: ergo Isocheles habet tres, scitur de Isochele habere tres secundum se; at per hanc demõstrationem vniuersalẽ, omnis figura habens angulum extrinsecum oppositum duobus intrinsecis habet tres, sed triangulus est huiusmodi: ergo &c. sed Isocheles est triangulus: ergo habet tres, scimus non secundum se, sed tantum per aliud, idest per triangulũ, habere tres, igitur demonstratio particularis facit scire rem secũdũ se, & vniuersalis per aliud.

Respondetur. Negando minorem, ad probationem iterum negatur Minor, ad cuius probationem dico esse falsum per illam demonstrationem particularẽ, sciri de Isochele habere tres secundum se, immò per aliud, nimirum per esse triãgulum, cui competit habere tres, & per ipsum posteà conuenit, nedum Isocheli, sed etiam omnibus triangulis.

Obijcies secundo. Illa demonstratio, per quem elongamur ab opinione falsa, est dignior,

gnior,& præstantior; sed demonstratio particularis est huiusmodi: ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia cum aliquid demonstratur vniuersaliter de aliquo cōmuni, creditur tale esse separatum à singularibus, & sic fit accessus ad opinionem falsam Platonis, qui dicebat vniuersalia esse à singularibus separata, cum autem demōstratur aliquid de particulari per demonstrationē particularem, vt puta de homine esse risibile, iā non creditur huiusmodi separatio, cum hic homo actualiter existat: ergo per demonstrationem particularem magis elongamur ab opinione falsa, quàm per vniuersalem.

Respondetur Negando. Minorē, ad probationem dico, cum demōstratur aliquid de communi, non credimus tale commune esse realiter à singularibus seiunctum, sicut dicebat Plato, sed tantum per intellectum ab illis abstractum, & sic non accedimus ad opinionem falsam Platonis, sed veram Aristotelis.

Obijcies tertiò. Illa demonstratio, quæ est de magis ente, est nobilior, & præstantior, quam quæ est de minus ente; sed demōstratio particularis est de magis ente, quam vniuersalis: ergo illa est præstantior ista. Maior patet, quia tantum de entibus fit demonstratio; ergo quæ est de magis ente erit potior. Minor probatur, quia commutata proportio vniuersalis competit cuidam subiecto in ordinato, quod propter carētiam nominis videntur esse non ens, vel saltem separatum à singularibus, cum ergo demonstratur de tali subiecto, videtur demonstrari de nō ente, cum verò particularis, ostenditur de numeris par, vel impar, vel de superficiebus connexum, vel planum, quæ talia videntur sic esse, sine vlla formidine verè demonstramus de ente: ergo demonstratio particularis est de magis ente, quam vniuersalis.

Respondetur negando. Minorem, ad probationem dico, quod licet tale subiectum in demonstratione vniuersali sit innominatū, non sequitur inde esse non ens, sed ens commune, cui adæquatè, & conuertibiliter competit eius passio, ac proinde erit magis ens, quam subiectum nominatum in demonstratione particulari, quia per ipsum tantum, passio, & cætera prædicata quiditatiua sibi conuenire possunt.

Vtrum demonstratio Affirmatiua sit potior Negatiua?

QVÆSTIO V.

PRo cuius clariori notitia primo Notandum est demonstrationum, alteram esse affirmatiuam, & negatiuam alteram. Demōstratio affirmatiua est quæ affirmatiuè concludit, vt omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis. Demonstratio verò negatiua, est quæ negatiuè concludit, vt nullum animal rationale est rudibile, omnis homo est animal rationale: ergo nullus homo est rudibilis.

Secundo notandum est affirmationem, & negationem esse duas qualitates afficientes propositionem secundum hunc ordinem essentialem, vt sicut nequit dari negatio, quin necessariò supponat affirmationem, vel sicut priuatio habitum ei oppositum, vel sicut non ens, suum ens positiuum, ita non potest dari propositio negatiua, absque affirmatiua à qua dependet, & cum dependentia dicat imperfectionem in eo quod dependet sicut independentia perfectionem, sequitur necessariò propositionem negatiuam esse ignobiliorem affirmatiua, & consequenter demonstrationem affirmatiuam, cum constet ex omnibus propositionibus affirmatiuis, esse præstantiorem negatiua, cum habeat admixtam imperfectionem ex altera propositione.

Ex his fit vnica conclusio responsiua ad titulum quæstionis propositæ: Demonstratio affirmatiua est potior, & præstantior negatiua. Probatur à Philosopho quinque rationibus, quarum prima est talis: Illa demonstratio, quæ procedit per pauciora, est potior, & præstantior illa, quæ per plura procedit, sed demonstratio affirmatiua est huiusmodi, non sic negatiua: ergo affirmatiua est potior, & præstantior negatiua. Maior probatur, quia illud est melius, quod est acceptabilius, sed intellectus magis acceptat Demonstrationem, quæ procedit per pauciora, quia citius peruenit ad suum finem, scilicet ad intellectionem, siquidem pauciora citiùs intelliguntur, quàm plura: ergo demonstratio, quæ procedit per pauciora potior erit, quam quæ procedit per plura. Minor probatur, tum quia demon-

stratio affirmatiua tantum ex affirmatiuis, at negatiua ex altera affirmatiua, & altera negatiua procedit, tamen etiam, quia ad demonstrandam affirmatiuam, cæteris paribus pauciora media requiruntur siquidem ad demonstrandam hanc propositionem omnis homo est substantia, tantum tria media sũt necessaria, scilicet animal corpus animatum, & corpus, at ad demonstrandam hanc negatiuam nullus homo est quantitas præter prædicta requiritur etiam substantia sic dicendo, nullum animal est quãtitas, omnis homo est animal: ergo nullus homo est quantitas; deinde nullum corpus animatum est quantitas, omnis homo est corpus animatum: ergo nullus homo est quantitas; Insuper nullum corpus est quantitas, omnis homo est corpus: ergo nullus homo est quantitas, & denique nulla substantia est quantitas, omnis homo est substantia, ergo nullus homo est quantitas: ergo demonstratio negatiua per plura media procedit, quam affirmatiua.

Secunda Ratio. Illa demonstratio est nobilior, & dignior, quæ habet nobiliores, & digniores partes, sed affirmatiua est huiusmodi: ergo &c. Maior patet, quia illud totum censetur altero dignius, cuius partes sunt digniores: ergo cum demonstratio sit quoddam totum, illa erit nobilior cuius partes, & præmissæ sunt digniores, & nobiliores. Minor probatur, quia demonstrationis affirmatiuæ partes sunt ambæ affirmatiuæ, at negatiue, altera est negatiua, sed affirmatiuæ sunt digniores, quia ex illis sequitur bona conclusio, ex negatiuis autem nihil sequitur: ergo demonstratio affirmatiua est dignior, & nobilior negatiua.

Tertia ratio. Illud, quod est potentius, & maioris virtutis, est etiam dignius, potẽtia enim & virtus dicunt perfectionem, & dignitatem, demonstratio affirmatiua est potentior, & maioris virtutis, quam sit negatiua; ergo est dignior negatiua. Minor probatur, quia ex affirmatiuis semper sequitur conclusio, & ex negatiuis, non semper sequitur conclusio, sed est necesse, vt altera præmissarum sit affirmatiua: ergo cum propositiones affirmatiuæ sint potentiores negatiuis, sequitur etiam demonstrationem affirmatiuam esse potentiorem, & maioris virtutis, quam negatiuam.

Quarta ratio. Illa demonstratio, cuius primum principium est dignius, debet esse dignior, sed primum principium demonstrationis affirmatiuæ, est dignius. Primo principio negatiuæ: ergo &c. Maior patet, quia prima principia dicuntur dignitates, quia dignificant demonstrationes: ergo illa demonstratio, quæ est de digniori dignitate, erit dignior. Minor probatur, quia principiũ demonstrationis affirmatiuæ est dignitas affirmatiua, scilicet de quolibet verum est dicere, quod est, vel non est, negatiuæ verò altera negatiua, scilicet non contingit idem esse, & non esse, sed dignitas affirmatiua est dignior negatiua, siquidem hæc notificatur per illam: ergo &c.

Quinta ratio. Demonstratio indepẽdens est perfectior dependenti, sed affirmatiua est independens, & negatiua dependet ab illa, siquidem, quemadmodum negatio scitur per affirmationem ita demonstratio negatiua per affirmatiuam notificatur, sicque fit vt ab illa dependeat, & imperfectior sit, ac minus digna. Omnes istæ rationes fundantur in hac vltima, & ideò conclusio probatur fundamentaliter ex ista, cæteræ verò sũt confirmationes, ac suasiones.

Obijcitur tamen primo contra cõclusionem ex Paulo Veneto hic, quia demonstratio, quæ est per magis causam est dignior, quam quæ per minus causam, sed demonstratio negatiua est per magis causam, quàm affirmatiua: ergo negatiua est dignior affirmatiua. Maior patet, quia esse per causam est perfectionis in demonstratione, per hoc enim demonstratio propter quid est perfectior quam, quæ est per effectum: ergo illa, quæ est per magis causam erit perfectior, quàm quæ per minus causam. Minor probatur, quia demonstratio negatiua est per causam remotam, & propinquam, affirmatiua verò tantum per propinquam, sed causa remota est magis causa quàm propinqua: ergo &c. Maior patet ex dictis supra cap. 10. 11. & 12. Minor probatur inductiuè in quolibet genere causæ, siquidem in genere causæ efficientis, quantò aliqua causa est remotior, tantò est magis causa, magis enim causa est cælum, quam homo, & Deus, quam cælum; similiter in genere causæ finalis sanitas est magis causa, quam deambulatio, quia est remotior: ergo causa quò remotior, eò dignior, & sic demonstratio negatiua est potior affirmatiua

cum-

enim fit per potiorem, & magis causam.

Respondetur causam remotam esse magis causam, quàm propinquam potest dupliciter intelligi, vno modo secundum se, alio modo in ordinem ad hunc effectum; primo modo est magis causa remota, quàm propinqua, cum eius virtus se extendat ad plures effectus, vt patet de Deo, & Celo, & de homine, homo enim tantum homines, cælum verum, & Deus concurrunt ad generationem omnium animalium; at secundo modo causa propinqua est magis causa, quàm remota, siquidem ad positionem eius ponitur effectus, licet non ponatur causa remota: tunc ad argumentum formaliter dico maiorem esse vera de demonstratione, quæ est per magis causam effectus demonstrati, idest conclusionis demonstratæ, non tamen de illa, quæ est per causam magis absolutè, & in sè, quia demonstratio vna respicit vnam conclusionem, & non plures, ideò illa censentur magis causa, quę magis dat esse tali conclusioni determinatæ. Ad Minorem dico esse falsam, si accipiatur magis causa Secundo modo, ad cuius probationem, dico minorem esse veram cum sua probatione de magis causa secundum se, & absolutè sumpta, non tamen in ordine ad hunc, vel illum effectum determinatum, quia sic causa propinqua est magis causa, quam remota, siquidem ad positionem eius sequitur effectus, & ad remotionem remouetur, non sic de remota; homo enim nequit sine homine generari,

Obijcitur secundo, syllogismus negatiuus est potior, & dignior affirmatiuo: ergo, & demonstratiuo negatiua affirmatiua; consequentia patet, quia omnis demonstratio est syllogismus. Antecedens probatur, quia quanto visus se extendit ad plura, tanto est dignior, sed virtus syllogismi negatiui ad plura se extendit, quam virtus affirmatiui: ergo, &c. Maior patet. Minor probatur, quia syllogismus negatiuus fit in omnibus figuris, affirmatiuus autem tantum in duabus, scilicet in prima, & tertia, vt patet ex Aristotele primo lib. Priorum: ergo virtus negatiui ad plura se extendit quam affirmatiui virtus.

Respondetur negando antecedens, ad probationem dico maiorem esse veram in causis efficientibus, & finalibus, non tamen in materiali, & formali, materia enim prima ad plura se extendit, quam materia secunda similiter forma elementi, quam forma mixti, & tamen materia secunda est dignior, & perfectior materia prima, similiter forma mixti est dignior forma elementi: modò clarum est, quod magis, & minus commune in prædicatione habent rationem materiæ, & formæ, & quanto aliquid est communius, tantò est imperfectius, siquidem imperfectius est esse corpus, quam animal, & animal quàm hominem, ideò non sequitur, quod syllogismus negatiuus, eo quia de pluribus prædicetur modis, quia affirmatiuus, sit dignior, quinimò oppositum deducitur, cum affirmatiuus minus communis sit secundum prædicationem quam negatiuus.

Obijcitur tertio, Propositio negatiua est dignior, & potentior affirmatiua: ergo, & demonstratio negatiua erit potior, & potentior affirmatiua. Consequentia patet, quia demonstratio sumit suam virtutem, & dignitatem à præmissis. Minor probatur, quia propositio vniuersalis negatiua est immediatè illatiua omnium particularium, non sic autem affirmatiua: ergo negatiua est potentior, & consequenter dignior. Consequentia patet. Antecedens probatur inductiuè, nam ad istam vniuersalem negatiuam, nullus homo currit sequitur necessariò: ergo iste homo non currit; non sic autem affirmatiuam quia non sequitur necessariò, sic omnis homo currit: ergo iste homo currit, quia antecedens est possibile, & consequens potest esse impossibile. Similiter si dicatur omnis homo est animal, non infertur immediatè: ergo Petrus est animal, sed necessarium est hoc medium, Petrus est homo; ergo Petrus est animal.

Respondetur negando antecedens, ad probationem negatur consequentia, siquidem dignitas propositionum non attenditur quò ad illationem, sed quo ad modum essendi; cum igitur negatiua nequeat esse sine affirmatiua, & hæc benè possit esse sine illa, sequitur affirmatiuam esse potiorem; & nobiliorem negatiua: Sunt, & alia argumenta contra hanc conclusionem sed ex dictis possunt solui.

Vtrum Demonstratio Ostensiua sit præstantior ea, quæ est ad incommodum, seu ad impossibile?

QVÆSTIO VI.

PRo intelligentia huius quæstionis primo notandum est demonstrationem ostensiuam illam dici, per quam immediatè ostēditur propositum, & est duplex affirmatiua, & negatiua, exemplum prioris, omne animal est corpus animatum, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus animatum, exemplum posterioris: nulla substantia est quantitas, omnis homo est substantia: ergo nullus homo est quantitas. Demonstratio autem ad incommodum, seu ad impossibile est processus factus ex quatuor argumentationibus ad alicuius prius negati veritatem ostendendam, siuè tale prius negatum fuerit conclusio, siuè altera præmissarum syllogismi, vt si quis negaret aliquod animal non esse hominem, sic potest ostendi veritas negata: omne animal est homo, omnis asinus est animal: ergo omnis asinus est homo, conclusio ista est falsa: ergo aliqua præmissarum, nō minor: ergo maior, scilicet ista omne animal est homo: ergo sua contradictoria est vera, aliquod animal non est homo, quæ prius erat negata; de vtraque sumus locuti superius in hoc libro, cum quæsiuimus de bonitate diffinitionum demonstrationis, & in Sum. tract. 3. cap. de Reductione syllogismorum ad illos quatuor priores primæ Figuræ, & pariter hæc ad impossibile est duplex, scilicet affirmatiua, & negatiua, de quibus mox dicemus.

Secundo notandum est, latàm esse differentiam inter huiusmodi demonstrationes, tam affirmatiuas, quam negatiuas, siquidem ostensiua, tam affirmatiua, quam negatiua concludit manifestè necessarium, vt omne animal est substantia, omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia. Vel nullum animal est lapis, omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis, in quibus conclusiones sunt necessariæ prior enim est, de materia naturali, posterior verò de remota, quarum vtraque est necessaria. Ad impossibile verò concludit manifestè impossibile, vt omne animal est asinus, omnis homo est animal; ergo omnis homo est asinus: Vel negatiuè, nullum animal est substantia, omnis homo est animal: ergo, nullus homo est substantia; impossibile est enim quod asinus conueniat essentialiter homini, & quod substantia remoueatur ab eiusdem hominis essentia, cum sit eius prædicatum quiditatiuum, vt patet in Arbore prædicamenti substantiæ.

Tertio notandum, vtramque demonstrationem in aliquibus conuenire, & disconuenire in alijs. Conueniunt quidem, quia fieri possunt ex eisdem terminis, mutatis mutandis, & in eisdem modo, ac Figura; Disconueniunt verò, quia in ostensiua præmissæ in veritate sunt notiores ipsa conclusione; in ea verò, quæ ducit ad impossibile, conclusio in falsitate est notior, quam altera præmissarū; Prima pars declaratur sic, quia hæc est demonstratio ostensiua, omne animal est substantia, omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia; hæc verò ad impossibile, omnis substantia est homo, omne animal est substantia: ergo omne animal est homo: ecce quomodo ambæ sunt ex eisdem terminis confectæ, & in primo modo primę Figuræ. Secunda pars similiter declaratur sequētibus exemplis; hæc enim est ostensiua; omnis homo est risibilis, Petrus est homo: ergo Petrus est risibilis; hæc verò ad impossibile, omne hinnibile est asinus, omnis æquus est hinnibilis: ergo omnis æquus est asinus: ecce quomodo in priori demonstratione præmissæ sunt notiores conclusione in veritate, siquidem per ignotius nil probari potest, vt docet Aristoteles cap. 2. similiter in posteriori conclusio est notior in falsitate, quam maior propositio, quæ pariter est falsa, notius. n. est, quod æquus, & asinus repugnent, quam asinus, & hinnicibile, quod passio equi est.

Quarto notandum est in demonstratione ad impossibile duplicem reperiri processum, in quorum primo concluditur impossibile, & in secundo ex negatione talis impossibilis, interimitur altera præmissarum, quæ est causa talis impossibilitatis, vt patet in hoc exemplo: omne animal est asinus, omnis homo est animal; ergo omnis homo est asinus: ecce completus primus processus, in quo conclusio est falsa: sequitur secundus conclusio est falsa; ergo aliqua præmissarum; non minor: ergo maior, scilicet ista omne animal est asinus; hic autem secundus processus, quamuis sit argumentatiuus, non est tamen syl-

syllogisticus, quia inquit Aristoteles in textu, non est de toto ad partem, nec in parte ad totum, hoc est, non est in prima figura, in qua medium in maiori est pars, idest subiectum, & in minori est totum, idest prædicatum: nec in secunda figura, in qua medium non est totum, scilicet prædicatum; nec in tertia, quia medium non est pars, scilicet subiectũ in vtraque, igitur huiusmodi secũdus processus non est syllogisticus sicut primus.

Ex his fit prima Conclusio. Demonstratio ostensiua negatiua est dignior demonstratione ad impossibile. Probatur, quia illa demonstratio, quæ procedit ex credibilioribus, & notioribus secundum veritatem, est dignior, quam quæ procedit ex credibilioribus, & notioribus secundum falsitatem; sed demonstratio ostensiua negatiua est huiusmodi respectu illius, quæ est ad impossibile: ergo illa est dignior ista. Maior patet, quia sicut veritas præstat falsitati, ita demonstratio secundum veritatem procedens excellit, quę secundum falsitatem. Minor est nota ex declaratis in 2. Not. in quo diximus præmissas ostensiuæ esse notiores conclusione secundum veritatem, conclusionem verò ad impossibile esse notiorem in falsitate, altera præmissarum pariter falsa.

Secunda Conclusio. Demonstratio ostensiua affirmatiua est dignior demonstratione ducente ad impossibile. Probatur, quia demonstratio ostensiua affirmatiua est dignior negatiua ostensiua, vt probatum est in præcedenti quæstione; sed ostensiua negatiua est dignior ducente ad impossibile, vt probatum est in prima conclusione: ergo multò magis ostensiua affirmatiua erit dignior ducente ad impossibile. Consequentia tenet per hanc maximam: quicquid est dignius digniori, est dignius minus digno.

Obijcitur ex Paulo Veneto contra suppositum probando demonstrationem ad impossibile non esse demonstrationem, & consequenter nec minus dignam ostensiua. Omnis demonstratio est syllogismus ex Aristotele hic cap. 2. sed demonstratio dicta ad impossibile non est syllogismus: ergo nec demonstratio. Minor probatur, quia omnis syllogismus est contentus tantum tribus terminis, & totidem propositionibus ex Aristotele 1. Priorum cap. 19. sed Demonstratio ducens ad impossibile non est contenta tantum tribus terminis, & tribus propositionibus, cum concludat, tam falsum, quam verum, quod nequit fieri per tres terminos, & tres propositiones vt patet: ergo non est syllogismus.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico demonstrationem aliam esse simplicem, & hæc est contenta tantum tribus terminis, & totidem propositionibus, aliam verò mixtam, quæ includit vnum syllogismum, & tres argumentationes enthimematicas, & ista non est contenta tribus terminis, & tribus propositionibus, sed plures requirit: prior dicitur ostensiua postea ad impossibile, vel circularis. Modo in proposito dico, Aristotelem in primo Priorum diffinijsse syllogismum ostensiuum, non autem circularem, & ad impossibile.

Vel dicendum, maiorem esse supplendam sic, omnis demonstratio est syllogismus, vel includens syllogismum, modò demonstratio ad impossibile, licet non sit formaliter syllogismus, includit tantum illum in primo processu, & hoc sufficit vt appellari possit demonstratio saltem æquiuocè, vt aduertit Paulus Venetus.

Obijcies secundo, omnis demonstratio, vel est propter quid, vel quia, sed processus ad impossibile non est propter quid, vel quia: ergo non est demonstratio. Maior patet, ex dictis supra cum Aristotele c. 10. & cum Scoto in quol. 7. sub A. Minor probatur, quia demonstratio ad impossibile concludit impossibile; sed nihil est causa alicuius impossibilis; ergo non est propter quid; nec quia cum per impossibile, tamquam per effectum nequeat demonstrari aliqua causa, quæ reuera causa non est.

Respondetur maiorem esse veram de demonstratione simplici, & ostensiua, non de mixta, & ad impossibile.

Vel dicendum negando minorem, quia demonstratio ad impossibile potest esse propter quid in secundo processu, siquidem ex falsitate manifesta conclusionis deductæ per primum processum, infertur tamquam ex causa, falsitas præmissæ falsæ eiusdem processus, dicendo conclusio est falsa: ergo aliqua præmissarum, non minor: ergo maior: Et cum probatur quòd impossibilis non datur causa, est propositio falsa, sicut enim ex veris, & possibilibus, concluditur verum, & possibile, sic ex falsis, & impossibilibus infertur falsum, & impossibile.

Obijcitur tertio, si daretur demonstratio ad-

ad impossibile, vel esset in primo processu per quem concluditur impossibile, vel esset in secundo processu, sed neutrum est dicendũ: ergo, &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur non potest dici primum, quia demonstratio constat ex veris, vt patet per suam diffinitionem; sed in primo processu altera præmissarum est falsa: ergo non est demonstratio. Non secundum, quia in illo non ducitur ad impossibile, sed ad verum quod prius erat negatum: ergo in neutro potest dici demonstratio ad impossibile, ac proindè conuincitur non dari.

Respondetur maiorem esse veram de vtroq; processu, & sic intelligit Aristoteles, siquidem alter sine altero nequit ostendere falsitatem ex falso, & verum ex negatione falsi: & quamuis vltimatè tendit ad verum & non ad impossibile, ac propterea appellari deberet demonstratio ostensiua, tamen, quia illud consequitur per processum primum falsum, & ducentem ad impossibile, ideò denominatur demonstratio ad impossibile, ad differentiam ostensiuæ, quæ semper, & immediatè ex veris ostendit conclusionem veram.

DE EFFECTV DEMONSTRATIONIS Quod est scire, in comparatione ad diuersa.

TRACTATVS IV.

IN hoc quarto, & vltimo Tractatu huius primi libri Phylosophus agere intendit de Scire, non secundum se considerato, quia de illo egit in secundo Capite, tradendo eius diffinitiones, sed tantum comparatiuè in ordine ad scibilia, & ad alios habitus intellectuales, & ipsum diuidit in quinque Capitula, in quorum primo docet quomodo vna scientia dicatur certioralia, & à quo habeat vnitatem, vel diuersitatem. In secundo ostendit fortuitorum non esse scientiam, neque in parte sensitiua. In tertio separat principia scientiarum ab inuicem. In quarto separat scientiam ab opinione, & alijs habitibus intellectualibus, & in quinto tractatu de Solertia, seu de modo inueniendi medium in non perspecto tempore, & sic finem imponit huic primo lib. Posteriorum.

De certitudine, & Vnitate Scientiæ.

CAPVT XXIII.

IStud Capitulum diuiditur in quatuor partes, in quarum prima ostendit vnam scientiam esse alia certiorem, & priorem. In secunda vndè scientia sumat suam vnitatem, vel diuersitatem. In tertia sumere suam diuersitatem ab alia, ex parte principiorum, & in quarta docet eamdem conclusionem posse demonstrari per plura media eiusdem coordinationis.

Quò ad primam ponit hanc conclusionem aliqua scientia est altera certior, atque prior, & eam tripliciter probat, & primo sic illa scientia, quæ non habet quia, separatum à propter quid, est prior ac certior illa, quæ sic habet; sed scientia subalternans non habet, quia separatum à propter quid, & illud sic habet subalternata: ergo datur aliqua scientia, quæ sit prior, & certior alia. Maior patet quia scientia considerans quia, habet veritatem conclusionis, & considerans propter quid

quid, considerat causam talis veritatis, sed melius, ac certitius est considerare veritatem, & causam eius, quam veritatem tantum; ergo illa scientia, quæ non habet quia, separatum à propter quid; est certior, quam quæ habet sic separatum. Minor probatur, quia scientia subalternans considerat principia scientiæ subalternatæ, & eorum causam, cum illa demonstret; scientia autem subalternata considerat tantum principia, & non illorum causam, cum illa præsupponat probata in scientia subalternante: ergo scientia subalternans non habet quia, separatum à propter quid, sicut subalternata.

Secundo Probatur. Aliqua scientia considerat magis vniuersalia, & abstractum à materia, & alia minus vniuersale, neque sic abstractum: ergo illa est certior ista. Consequentia patet, quia scientia de vniuersalibus, & abstractis à materia est certior, quàm de particularibus, cum ista sint obnoxia vicissitudini, non autem illa. Antecedens probatur, quia Arithmetica considerat numerum in se, & Harmonica numerum contractum ad sonum, sed numerus in se, est magis vniuersale, & abstractus à materia, quam numerus sonorus, vt patet; ergo aliqua scientia considerat magis vniuersale, & abstractum, & alia minus vniuersale, & coniunctum sensibili materiæ.

Tertio Probatur. Illa scientia, quæ est de subiecto non habente positionem est certior, quam quæ est de subiecto habente positionem; sed datur aliqua scientia, cuius subiectum non habet positionem, & aliqua habẽs subiectum cum positione: ergo illa est certior ista. Maior probatur, quia scientia, quæ est de paucioribus, est certior illa, quæ est de pluribus, quia pauciora facilius, & melius sciuntur, quam plura; sed scientia cuius subiectum non habet positionem est de paucioribus, quàm illa, quæ est de subiecto habente positionẽ: ergo &c. Minor probatur, quia subiectũ dicens positionem ordinatur ad plura, illud verò, quod non dicit positionem, importat entitatem ab alia discretam: ergo scientia, cuius subiectum non habet positionem est de paucioribus, quam quæ habet subiectum habens positionem. Minor primi syllogismi probatur, quia Arithmetica est de vnitate, tamquam de subiecto radicali, & Geometria de puncto; sed punctus habet positionem in continuo, cum addatur lineæ, & alijs punctis, quibus copulantur partes lineæ essentialiter, vt patet per diffinitione lineæ, at vnitas nullam habet positionem, cum semper ab alia vnitate seggregata remaneat: ergo aliqua scientia est de subiecto habente positionem, & alia de subiecto non habente positionem, & proindè hæc certior illa.

Quò ad secundam partem ponit hanc cõclusionem. Vnitas scientiæ debet attendi ab vnitate generis subiecti, Idest scientia habet suam vnitatem extrinsecè à subiecto, quod si est vnum genere, erit vna genere, & vna specie, si subiectum habuerit vnitatem specificam. Probatur, quia scientia ab illo habet vnitatem, à quo habet entitatem, sed scientia extrinsecè habet entitatem à subiecto: ergo, & vnitatem ab illo habere debet. Maior patet, quia vnitas sequitur entitatem, sicut passio suum subiectum: ergo à quo scientia habet entitatem ab eodem, & vnitatem habere debet. Minor probatur. Scientia est notitia conclusionis demonstratæ per principia; sed hæc sumuntur à subiecto eiusdem; siquidem principia sunt, vel ex passione & diffinitione subiecti, vel ex diffinitione, & diffinito; sed diffinitum in demonstratione, & subiectum conclusionis sunt omninò idem: ergo scientia de primo ad vltimum habet entitatẽ ab eius subiecto, & consequenter vnitatem ab eodem.

Quò ad tertiam partem ponit aliã conclusionem diuersitas scientiarum debet attendi penes diuersitatem principiorum non prouenientium ex alterutris, nec ex eisdem. Probatur primo, quia scientiæ causantur ex principijs proprijs, & non ex alienis, vt superius vidimus c. 7. ergo illæ scientiæ, quæ nõ cõmunicãt in principijs sunt diuersæ, sicut illæ, quæ cõmunicant, sunt eædẽ, vel saltẽ non diuersæ. Secũdo probatur a signo, quia ideò Arithmetica, & Geometria sunt diuersæ sciẽtiæ, quia earum principia non sunt ex alterutris, nec

ex

ex eisdem, siquidem principia Arithmeticæ spectant ad quantitatem discretam, & Geometriæ ad continuam, atqui quantitas continua, & discreta sunt diuersæ, vt patet ex earum diffinitionibus: ergo principia huius, & illius non sunt eadem, nec alterutra; ceterum Arithmetica, & Musica, sicut Geometria, ac Perspectiua non sunt diuersæ, quia sunt ex alteruteris, siquidem principia Musicæ per principia Arithmeticæ, & principia Perspectiuæ, per Geometriæ principia demõstrantur, vt aliàs visum est: ergo signum est quod istæ non sunt diuersæ scientiæ, sicut duæ priores, scilicet Arithmetica, & Geometria.

Quoad quartam partem ponit aliam conclusionem quasi corollariam dicens; Plures demonstrationes, siuè eiusdem, siuè diuersi ordinis possunt ostendere eamdem conclusionem, idest eadem conclusio probari potest per plura media, siuè eiusdem, siuè alterius prædicamenti. Probatur prima pars, quia hæc conclusio, omnis homo est substantia, ostendi potest per animal, corpus animatum, viuens, & corpus, quæ sunt media eiusdem prædicamenti cum homine, & substantia. Secunda pars etiam declaratur, quia hæc nulla albedo est homo, probari potest per animal, corpus animatum, corpus; & per colorem, qualitatẽ sensibilem, & per qualitatem, quæ sunt media diuersorum prædicamentorum, vt vidimus superius in propria quæstione. Aduertendum tamen hic non esse sermonem de demonstratione, (vt etiam adnotauit Paulus Venetus) quæ dicitur potissima, quia hæc tantum habet fieri in terminis conuertibilibus, & ex propositionibus secundum quod ipsum, vt superius vidimus, sed de non potissima, quæ confici potest ex propositionibus, per se, licet non sint secundum quod ipsum, vt patet in exemplis allatis in textu de substantia, corpore, viuente, animali, & homine; & de latari, mutari, moueri, & quiescere, quæ non conuertuntur, sed se habent, sicut magis, & minus commune, & sicut includentia, & inclusa.

De Scientia, & Opinione, ac de Scibili, & Opinabili.

DISPVTATIO IV.

Vtrum Scientia propter quid sit certior scientia quia?

QVÆSTIO I.

PRo intelligentia huius quæstionis, præter ea quæ dicta sunt in explicatione textus, primo notandum est ex dictis sæpè superius, duplicem esse scientiam, scilicet propter quid, & quia; scientia propter quid, quæ est effectus demonstrationis propter quid, est quæ considerat, nè dum veritates conclusionum, sed etiam illarum causas, vt notitia huius conclusionis, omnis homo est risibilis, vt potè deductæ ex his præmissis, omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale, dicitur scientia propter quid, cum consideret, non tantum conclusionis, veritatem sed etiam eius causam, idest illas præmissas dispositas ad inferendam huiusmodi conclusionem. Scientia autem quia dupliciter accipi potest, vno modo pro omni notitia necessaria, alicuius propositionis, habita sine aliqua demonstratione, & sic notitia principiorum potest appellari scientia, quia, vt potè habita ex cognitione terminorum immediata; alio modo sumi potest pro cognitione conclusionis habita per demonstrationem quia, & à posteriori, & sic notitia huius conclusionis, omnis homo est animal rationale, deducta per hanc demonstrationẽ omne risibile est animal rationale, & omnis homo est risibilis: ergo, &c. dicitur scientia quia, & de hac quæritur, an sit incertior scientia propter quid.

Secundo notandum ex dictis superius c. 3. aliquid esse certius alio posse dupliciter intelligi, vno modo in se, & quò ad naturam, & sic illud dicitur esse certius, quod est prius in esse, & notius secundum naturam, vt sunt omnes causæ respectu suorum effectuum, & omnia superiora in ordine ad inferiora, alio

alio modo aliquid dicitur esse certius altero quo ad nos, & est omne illud, quod primo se offert nostris sensibus, vndè illud quod est sensibilius, est notius quo ad nos, eo, quod est à sensibus remotius; cum ergo effectus sint sensibiliores suis causis, & hæ remotiores à sensibus, quàm proprij effectus, similiter inferiora, cùm magis appropinquent sensibus, quàm superiora, dicendum est inferiora, & effectus esse certiora quo ad nos, superiora verò, & causas esse notiora, ac certiora in se, & quo ad naturam.

Tertio notandum est, aliquid esse certius altero, siuè quò ad nos, siuè quo ad naturam adhuc potest dupliciter intelligi, vno modo simpliciter, alio modo secundum quid. Illud est certius simpliciter, quod est certius, & notius quo ad se totum, vel secundum maiorem partem: Illud verò est certius secundum quid, quod notius, & euidentius est, siuè in se, siuè quo ad nos, non secundum se totum, aut secundum maiorem sui partem, sed tantum secundum minorem. Si primo modo spectetur certitudo, Geometria considerans hæc duo principia: Continuum est diuisibile in infinitum, & A punto ad punctum contingit rectam lineam ducere, est certior philosophia naturali, quia licet hæc demonstret huiusmodi principia propter quid in sexto Physicorum à textu primo vsque ad octauum; illa verò habeat tantummodo de illis, quia, attamen cum secundum se tota, vel saltem pro maiori parte considerentur à Geometria, & secundum minorem duntaxat à Philosophia naturali, propterea dicitur simpliciter certior ista. Si verò consideretur certitudo secundo modo, possumus dicere Philosophiam, cum demonstret huiusmodi principia propter quid, & Geometria tantum quia, esse certiorem ista, si quidem scientia propter quid, vt dictum est in primo notabili est certior scientia quia, verùm hæc certitudo erit tantum secundum quid, & non simpliciter, quia est secundum minorem, & non maiorem partem.

Quarto. Notandum ex Paulo Veneto, aliquid esse per se notum, & certiùs altero, posse adhuc dupliciter intelligi, scilicet simpliciter, vel secundum formositatem. Illud est per se notum, & certiùs simpliciter, cui intellectus assentit, vel ex sola inspectione terminorum, vt non contingit idem simul esse, & non esse; vel ex imperceptibili discursu, vt omne totum est maius sua parte, vel denique ex experientia sensuali, vt ignis est calidus. Illud verò dicitur per se notum, ac certum secundum famositatem, quod à sapientibus communiter conceditur nulla vrgente ratione, & sic Deum esse, continuum est diuisibile in infinitum; & à puncto ad punctum contingit rectam lineam ducere, dicuntur esse principia per se nota secundum famositatem in Geometria, ac Theologia respectiuè, quia ab omnibus communiter conceduntur, non tamen simpliciter, quia rationibus demonstrari possunt, vel in Philosophia, vel in Methaphysica. Ex quo infertur Geometriam esse per se certiorem Philosophia naturali in ordine ad sua principia secundum famositatem tantum, at Philosophia dicitur certior illa simpliciter, cum propter quid demonstret eius principia.

Ex his fit prima conclusio. Scientia, quia primo modo considerata est notior, & certior scientia propter quid, probatur, quia scientia, quia hoc modo considerata est notitia principiorum, & scientia propter quid est notitia conclusionis demonstratæ, sed principia sunt certiora conclusione: ergo scientia, quia hoc modo accepta, est certior scientia propter quid. Maior patet ex primo notabili. Minor est Aristotelis lib. 1. Post. cap. 2.

Secunda conclusio. Scientia propter quid est certior quoad naturam, & in se, quam scientia quia, secundo modo considerata in primo Notab. Probatur, quia illud est certius quoad naturam, & in se, quod est prius, ac notius naturæ, sed scientia propter quid est de prioribus, & notioribus naturæ, scientia autem quia de notioribus quo ad nos: ergo scientia, propter quid est certior scientia quia. Maior patet ex primo notabili. Minor probatur, quia scientia propter quid habetur per causam, quia verò per effectus, sed causæ sunt notiores naturæ suis effectibus: ergo scientia propter quid est de prioribus, & notioribus naturæ. Maior patet. Minor probatur, quia causæ prius sunt in esse suis effectibus: ergo etiam in cognitione, si quidem quemadmodum res se habent ad esse, ita ad cognosci ex Aristotele 2. Meth. t. com. 4.

Tertia conclusio. Interdum scientia quia, quo ad nos, est certior scientia propter quid.

quid. Probatur, quia; id est certius quo ad nos, quod est sensibilius, sed interdùm notitia, seù scientia quia, est per sensibiliora, quàm propter quid: ergo est certior scientia propter quid. Minor patet, quia scientia, quia, habetur per effectus, & propter quid per causas; sed effectus sunt sensibiliores suis causis: ergo scientia quia, est per sensibiliora, quam scientia propter quid, ac tunc proinde certior.

Quarta conclusio, Geometria, quo ad illa duo principia: continuum est diuisibile in infinitum; & A puncto ad punctum contingit rectam lineam ducere, est incertior Philosophia naturali; considerata verò secundum se, vel quo ad maiorem partem suarum conclusionum est simpliciter illa certior, & præstantior. Probatur prima pars, quia scientia propter quid est certior scientia, quia, ex secunda conclusione; sed respectu illorum principiorum Philosophia habet scientiam propter quid cum demonstrentur propter quid ab ea in 6. Physicorum à c. 1. vsque ad octauum, Geometria verò de illis habet tantum quia: ergo Philosophia saltem secundum quid est certior Geometria. Secunda pars probatur, quia scientia, quæ est de rebus abstractis à materia, est certior, quam quæ est de rebus immistis materiæ, sed Geometria est de quantitate continua, quæ est abstracta à materia sensibili, Philosophia verò de rebus naturalibus, quæ sunt coniunctæ materiæ sensibili: ergo Geometria simpliciter est certior Philosophia naturali. Minor patet. Maior est Aristotelis in textu, vbi dicit Arithmeticam esse certiorem Musica, quia illa est nunc in se, & hæc de eodem, contracto ad sonum sensibilem. Confirmatur insuper hæc secunda pars ex dictis supra cap. 9. vbi cum Aristotele probauimus scientias Mathematicas, quarum præcipua est Geometria, esse alijs scientijs, saltem naturalibus digniores, & certiores.

Obijcitur tamen primo, contra primam conclusionem, ex Paulo Veneto, quia data veritate conclusionis, sequeretur Perspectiuam esse certiorem Geometria, sed hoc non est dicendum: ergo scientia sine demonstratione habita, non est perfectior, & certior scientia propter quid. Sequela maioris probatur, quia Perspectiua non habetur per demonstrationem propriorum principiorum, cum illa probentur in Geometria per principia geometrica: ergo si scientia quia sine demonstratione est perfectior scientia propter quid, sequitur Perspectiuam esse certiorem Geometria.

Respondetur negando sequelam maioris, ad probationem nego antecedens, immò habetur per demonstrationem suorum principiorum, quæ tamen supponuntur probata, ac demonstrata in Geometria, & sic patet non esse scientiam, quia, sine omni demonstratione, cuiusmodi est notitia principiorum, de qua loquitur conclusio.

Obijcitur secundo contra secundam conclusionem, siquidem sequeretur Geometriã non esse certiorem Philosophia naturali, sed hoc esset contra Aristotelem, primo Poster. cap. 9. ergo, & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quia Geometria de his duobus principijs: Continuum est diuisibile in infinitum; & à puncto ad punctum, contingit rectam lineam ducere, tantum habet quia; at Philosophia propter quid, cum illa demonstret in sexto Physicorum à textu primo vsque ad octauum: ergo Philosophia esset certior Geometria, quod tamen est falsum.

Respondetur distinguendo sequelam maioris, esse veram de certitudine secundum quid, falsam de certitudine simpliciter, & cũ probatur, quia Philosophia habet scientiam propter quid de illis duobus principijs, per se notis in Geometria, & ipsa tantum quia, cõceditur, & propterea infertur, Philosophiam quo ad illa, esse certiorem Geometria secundum quid, non tamen simpliciter, quia sic excellit Geometriam, cum pro maiori parte suarum conclusionum, sit certior, & præstantior Philosophia; nam hæc considerat res coniũctas materiæ sensibili, ac propterea minus necessarias; illa verò ab eadem abstractas, & consequenter magis vniuersales, & necessarias.

Obijcitur tertio contra tertiam conclusionem. Illud, quod causat maiorem adhæsionem, & finitudinem in intellectu, est certius, quàm quod causat minorem, sed causant maiorem certitudinem in intellectu causæ, quam earum effectus, cum sint potentiores, effectibus; ergo semper scientia, quæ est per causam erit certior illa, quæ habetur per effectus.

Respondetur minorem, cum sua proba-

tio-

tionem esse veram in se,& quo ad naturam, falsam quoad nos,quia sic effectus, cum sint sensibiliores causis,magis mouent sensus, & consequenter intellectum, ac proindè habent maiorem adhæsionem in eo, vt firmius intelligantur, & causent certiorem scientiam saltem à posteriori.

Obijcitur quarto contra quartam conclusionem. Illa scientia, quæ est de magis vniuersalibus,& seiunctis à materia,est certior, quam ea,quæ est de minus vniuersalibus, & cum materia coniunctis, sed Geometria est huiusmodi in ordine ad Philosophiam: ergo Geometria simpliciter, & absolutè est certior Philosophia.

Respondetur concedendo totum simpliciter,& absolutè,non tamen secundum quid & comparatiuè, quia sic Philosophia demonstrat propter quid aliqua principia per se nota, saltem famosè, in Geometria, ac proindè in ordine ad illa,scientia philosophica,cum sit propter quid,erit certior Geometria,quæ in respectu ad eadem, demonstret tantum quia.

De Scientia in ordine ad fortuita, & sensualia.

CAPVT XXIV.

IN isto 24.*Capitulo Aristoteles facit duo, in quorum altero ostendit Casualium,& Fortuitorum non posse dari scientiam, in altero verò nec scientiam esse posse de singularibus,vt singularia sunt.*

Quò ad primum ponit hanc primam conclusionem scientia non est de his, quæ sunt à casu, & à fortuna, & eam probat, quia scientia est de his, quæ sunt semper, & frequenter,sed ea; quæ fiunt à casu, & à fortuna non sunt semper, & frequenter : ergo de illis non est scientia : Minorem probat in secundo physicorum t. c. 52. & t. c.63. vbi diffiniens casum, & fortunam dicit esse causas per accidens extra semper, & frequenter. Maior probatur, quia scientia est necessariorum, & impossibilium aliter se habere, sed necessarium est illud, quod habet esse semper, & frequenter, vt supra demonstratum est cap. sexto huius libri:ergo scientia est de his, quæ sunt semper, & frequenter.

Quò ad secundum ponit alteram conclusionem dicens scientia non est de particularibus sensibilibus, sed de vniuersalibus tantum:Probatur,quia scientia non habetur per sensum:ergo neque de his,quæ cognoscuntur per sensum, sed particularia sensibilia sunt huiusmodi : ergo scientia non est de particularibus sensibilibus. Maior probatur, quia scientia,et demonstratio est vniuersalium vt supra ostensum est cap.4. sed vniuersalia nequeunt sentiri,cum abstrahant à sensibilibus et conditionibus materialibus : ergo scientia non habetur per sensum.Consequentia patet, quia sensus est singularium sensibilium, et intellectus vniuersalium. Minor probatur, quia quamuis sensus,seu potentia sensitiua, sit indifferens ad plura sensibilia, ac proindè quodamodo vniuersalis, tamen quoad actum,vt puta sentire, est determinatus ad hoc, et illud sensibile sub talibus conditionibus indiuiduantibus loci, et temporis idest hic,et nunc : ergo particularia sensibilia cognoscuntur per sensum, et per consequens de illis non est scientia. Consequentia ista patet, quia scientia est de vniuersalibus, et per intellectum.

Ex his secundum Paulum Venetum infert Philosophus tria corrolaria, quorum primum est istud sentire non est scire, neque sensatio est scientia, vt dicebant Antiqui asserentes sensum esse intellectum, et sensationem intellectionem, ac scientiam, et probatur,quia sentire est circa particularia particulariter sumpta,scire autem circa vniuersalia vniuersaliter sumpta: ergo scire non est sentire,vel è conuersò. Consequentia patet. Antecedens declaratur duobus exemplis, et primo si quis videret triãgulum habere tres angulos æquales duobus rectis, non vtique sciret triangulum in communi sic se habere, cum posset dubitare, an omnes alij trianguli particulares, ex quibus habet resultare vniuersale, sic se habeant,siquidem non omnes videret ; ergo sentire, seu cognoscere

per sensum non est scire. Secundo, si quis esset supra lunam, & intueretur ipsam eclipsari, non haberet scientiam de eclipsi lunæ, cum non cognosceret causam vniuersalem, s. interpositionem terræ, inter ipsam lunam, & solem; ergo etiam hoc exemplo confirmatur sentire non esse scire.

Secundum Corrolarium. Quamuis per sensum causetur scire pro statu isto, tamen notitia scientifica est nobilior sensitiua. Prima pars declaratur, quia scire causatur ex propositionibus vniuersalibus, vt visum est supra cap. 4. sed propositiones vniuersales causantur ex omnibus, quæ cognoscuntur per sensum: ergo sensus est aliquo modo causatiuus scire. Secunda pars etiam declaratur, quia scientifica est nobilior, et præstantior non scientifica notitia, nisi talis non scientifica esset notitia principiorum, quia sic esset nobilior scientifica, vt docet Aristoteles hic cap. 2. sed nulla notitia sensitiua est scientifica: ergo notitia scientifica est nobilior sensitiua.

Tertium Corrolarium. Quamuis sentire non sit scire, sensus tamen est instrumentum sciendi. Hæc conclusio remanet probata ex dictis superius cap. 14. vbi demonstratum fuit, ex deficientia alicuius sensus, deficere etiam scientiam circa sensibilia illius sensus: ergo signum est sensum esse adminiculatiuum, et instrumentum sciendi. Declaratur insuper hic ab Aristotele, quia si vitri poros videremus, vtique sciremus causam, cur lumen transit per vitrum; similiter nescimus cur radij solares in speculo concauo comburant, quia non videmus causam, quam si videremus, sciremus; ergo sicut ex defectu sensus, sequitur deficientia scientiæ, sic concludendum est ex opposito, sensuum præsentiam esse adiunatiuam, et instrumentum sciendi.

Vtrum de Entibus per accidens, ac de singularibus possit dari scientia?

QVÆSTIO II.

AVctores de ente per accidens pertractantes, diuersimodè loquuntur; quandoquidem. Aliqui distinguunt ens per accidens, vel per ordinem ad res, ex quibus accidentaliter coalescit, & tale vocatur ab eis ens per accidens in entitate, vt homo albus, lignum quantum, & similia; vel per ordinem ad causas per accidens, cuiusmodi sunt casus, & fortuna, & huiusmodi appellatur ens casuale, & fortuitum, vt inuentio thesauri in fodiente terram, vel occisio hominis ex descensu lapidis de tecto, aut interremptio amici per explosionem tormenti bellici ab eo, qui intendebat inimicum occidere.

Alij verò dicunt vtrumque ens per accidens dupliciter considerari posse, vel formaliter, & in actu signato, hoc est, quo ad conceptum accidentalem, importatum per res, aut per causas per accidens, vel materialiter, & in actu exercito, nimirum quò ad res per accidens coniunctas, vel per aggregationem, vt cumulus lapidum, vel cum aliquo ordine, vt exercitus militum sub aliquo Duce, vel per accidentalem informationem, vt paries albus.

Circa primam partem: igitur huius quæstionis, supposita varia illa partitione entium per accidens, extat multiplex Doctorum sententia, siquidem aliqui dicunt de entibus per accidens formaliter, & in actu signato sumptis, dari sciẽtiam saltem negatiuè, cum vt sic dicant conceptum per se vnum, per quem demonstrari possunt plures passiones nimirum, quod non sit vnum per se, nec vnũ per se scibile, nec habeant vnam determinatam causam, & similes. Ita Alensis noster 6. Methaphysic. ad textum quartum Poncius disputat. 22. in logic. quæst. 2. num. 14. relati à Mastrio disp. 12. quæst. 2. art. 3. sub n. 28.

Alij verò loquentes de ente per accidens secũdum entitatem per ordinem ad causam per accidens, non intendentem effectum, de-

negant commmuniter cum Aristotele sexto Methaph. t. 5. 6. & 7. de eo dari posse vllam scientiam, siquidem, nec sunt entia necessaria, nec habent esse frequenter, vt dicit idem Aristoteles, hic c. 24. Ita Doct. Subt. 6. Meth. q. 2. & quol. 21. per totum.

Alij autem considerantes entia per accidens secundum entitatem pro substracto, & materialiter, dicunt de illis dari scientiam vnam genericè, non autem specificè, siquidem possunt conuenire in conceptu aliquo generico, vt patet de numero sonoro; linea visuali &c. non autem specifico, nàm sonus, cum sit qualitas sensibilis dicit alium conceptum specificum à numero, vt sic, qui est quantitas discreta, & ideò iste ad Arithmeticam, ille verò ad Philosophiam naturalem spectat. Ita Scotus sexto Methaph. q. 2. §. His prædictis ad questionem dicendum, &c. Antonius Andreas q. 4. Zerbus. q. 5. Fauent. disp. 19. & alij ex nostris, quos referunt Mastrius, & Poncius citati.

Alijs placet considerare entia per accidens ordinata ad aliquem finem, vt exercitus militum ad prælium ordinatus, & de talibus inquiunt posse dari scientiam vnam specie, cum vniantur in vnitate vnius per se causæ finalis. Ita Amicus, & Blancus apud Mastrium citatum.

Ruuius verò hic Tract. 2. de Habitu scientiæ sub num. 39. & 40. dicit, quod ens per accidens, vniens duo entia, etiam diuersorum generum, quorum alterum vt determinans, & alterum vt determinabile se habent, posse vtique sciri propria scientia, cum dicant conceptum per se vnum vnitate ordinis, qui sufficit ad scientiam, vt patet de numero sonoro, linea Visuali de quibus sunt duæ scientiæ subalternatæ, Musica, scilicet, & Perspectiua. Huius etiam opinionis sunt alij Recentiores, quorum meminit idem Mastrius citatus.

Cæterum Alij naturam entium per accidens melius, ac Subtilius indagantes, negant de aliquo ente per accidens posse dari scientiam, siuè genericam, siuè specificam, saltem positiuè. Ita Doct. Subt. in 2. d. 3. q. 4. paulò ante E. & d. 12. q. 1. D. & in tertio d. 7. q. 1. D. & E. & in 4. d. 11. q. 3. G g. & quol. 13. A a. quem secuti sunt Bargius in q. tertia Prologi sent. & alij, tum ex nostris, tum ex alienis à Mastrio relati sub n. 29.

Circa secundam partem Doctores communiter respondent, de singularibus, vt singularia sunt, non posse dari scientiam, sed solum de ipsis vt conueniunt in suis speciebus, siquidem per diffinitionem speciei, quæ eisdem conuenit, possunt demonstrari secúdariò passiones eiusdem speciei de ipsis singularibus. Ita Doct. Subt. in 2. d. 3. q. 6. M. vbi dicit singulare carere propria diffinitione quiditatiua, & consequenter propria demostratione, ac scientia, quamuis oppositum sentire visus sit in 7. Meth. q. 13. de qua postea, &c. Scotum sequuntur omnes eius veri Discipuli, & ex alienis Ruuius loc. cit. à n. 35. vsque ad 38. inclusiuè, Auersa, Amicus, & Alij; quos refert, & sequitur Mastrius sub n. 34.

Pro declaratione: igitur vtriusque difficultatis, ac fundamento veræ opinionis Scoti primo notandum ex Aristotele 5. Meth. c. de Vno, & de Ente, & 6. Methaph. t. 4. 5. 6. & 7. ac alibi, & colligitur etiam ex eodem Scoto in præcitatis locis, tum in libr. sent. tum in Methaphys. Ens diuidi in ens per se, & ens per accidens. Ens per se dicitur illud, quod importat verum ens, vt distinguitur contra non ens, seu ens falsum, & diuiditur immediatè in decem prædicamenta, scilicet substantiam, quantitatem; qualitatem, Ad aliquid, &c. ita quod omnia illa, quæ collocatur in vnoquoque horum decem generum dicuntur entia per se, prout per se distinguitur contra per accidens. Ab hoc ente per se desumuntur propositiones per se, vel primi modi in quibus prædicata sunt de quiditate, & essentia subiectorum, vel secundi modi in quibus passio prædicatur, aut de subiecto adæquato, vel inadæquato, aut de diffinitione subiecti, vt alias visum fuit. Ens autem per accidens, vt opponitur enti per se, dupliciter accipi potest, vel prout ly per accidens priuat perseitatem rei secundum se acceptæ, vel vt priuat perseitatem in comparatione ad aliquam causam. Ens per accidés primo modo, quod opponitur enti secundum se diuiso in decem genera, est aggregatum quodá ex rebus diuersorum generum, vt homo quantus vel album quantum; vel ex rebus generú intermediorum, vt album dulce, & tale ens per accidens non habet vnum cōceptum quiditatiuum per quem collocari possit in aliquo vno genere, & de hoc locutus est Aristoteles, nedum in citatis locis, sed etiam in 7. Meth. t. 5. 11. 12. & 15. dum ait ens per accidens non

habere quodquid est, hoc est diffinitionem, quæ sit eadem sibi;& ab hoc ente per accidẽs sumũtur tria genera propositionum per accidens, vel cum vnum accidens disparatum prædicatur de altero, vt iustum est musicum: vel cum accidens prædicatur de subiecto, vt homo est musicus: vel cum subiectum prædicatur de accidente, vt musicus est homo. Scotus insuper in exposit. super 5. Methaph. ad t. 13. addit alia duo genera, quorum prius est quando terminus complexus per accidẽs prædicatur de termino incomplexo, vt homo est homo musicus: vel cum terminus complexus per accidens prædicatur de alio similiter complexo, vt homo musicus est homo iustus. Ens verò per accidens secundo modo acceptum, in comparatione nimirum ad aliquam causam per accidens, est duplex scilicet causale, & fortuitum; primũ procedit à casu, vt occisio hominis ex casu lapidis de tecto; secundum prouenit à fortuna, vt inuentio thesauri ab eo, qui tantum intendebat fodere terram, vt esset apta ad recipienda semina, & hoc ens per accidens opponitur enti per se necessariò, vel quod habet esse frequenter, seu vt plurimum ab ipsoque sumuntur propositiones contingentes, de quibus nequit esse scientia demonstratiua, vt alias dictum est.

Secundo notandum est, vt colligitur ex Doctore Subtili in secundo d. 12. q. 1. sub C. & in 4. d. 11. q. 3. sub B b. & in quol. 13. sub. Y. Vnum, vel esse ipsum ens, vel ipsum cõsequi, tamquam passionem immediatam, vndè sequitur, quod sicut duplex est ens, s. per se, & per accidens, ita vnum debet diuidi in per se, & per accidens. Vnum per se ex Philosopho quinto Meth. c. de Vno, est duplex, s. simplex, quod videlicet dicit vnam simplicem entitatem, & diuiditur in decem genera, sicut ens, & de hoc non est sermo in præsenti, & aliud est vnum per se compositum, quod secundum Aristotelem 8. Meth. t. 15. & 16. est quod constat ex per se actu, & per se potentia, vt homo ex anima, & corpore, si physicè consideretur, vel ex animali, & rationali, si methaphysicè spectetur; siquidem, quemadmodum corpus organicum est quid per se potentiale, essentialiter ordinatum ad animam rationalem, per quam est per se perfectibile in esse reali, & physico, tamquam per suum actuum, ita animal est potentiale per se methaphysicum, quod essentialiter expectat perfici à rationali, vt à suo per se actu; nõ .n. potest consistere per se, vel corpus sine anima, vel animal absq; rationali, vel irrationali, ad quæ essentialiter ordinatur. Vnũ autem per accidẽs, ex Aristotele, vbi supra c. de Vno, & prout opponitur vni per se cõposito, est illud quòd constituitur ex diuersis rebus, non se habẽtibus per modum per se actus, & per se potentię, & exemplificat tripliciter vel cum accidens vnitur subiecto, vt Coriscus musicus; vel cum vnum accidens disparatũ coniungitur cum altero accidente disparato vt musicus iustus, vel quando duo accidentia disparata vniuntur eidem subiecto, vt Coriscus iustus, musicus; vel è conuersò iustus musicus Coriscus; patet .n. quòd talia non se habent, neque vt per se actus, neque vt per se potentiæ, siquidem Corriscus, cum sit indiuiduum substantiale potest per se stare sine illis accidentibus musici, & iusti, & esse musicum potest consistere sine iusto, & è conuersò. Ex his sequuntur duo, alterum, quod sicut pars potentialis per se, & actualis per se essentialiter vniuntur in quodam to to reali, ex eisdem composito, & ab illis distincto, vel realiter, vel formaliter, vt alias dicemus, ita conceptus expressus à parte potentiali, & conceptus expressus ab actuali vniuntur in vnico conceptu ab illis distincto: Alterum verò ex opposito cum partes vnius per accidens non sint per se vnibiles in aliquo tertio ab illis distincto, sic, & conceptus in eisdem expressi, erunt semper disparati quocumque modo considerentur, siuè secundum se, siuè in ordine ad aliud.

Tertio notandum est, ex Aristotele septimo Methaphysic. t. 42. & 43. diffinitionem propriè quiditatiuam, non esse nisi illarum rerum; quæ dicunt conceptum per se vnum, siquidem ex eodem primo Topicorum cap. 4. diffinitio est ratio exprimens essentiam rei; atqui ea, quæ non dicunt conceptum per se vnum, sed multa, nequeunt habere vnam essentiam, cùm de illis nihil prædicari possit quiditatiuè; non enim in aliquo vno genere, cuius naturam participare possint, collocantur, igitur quæ non dicunt conceptum per se vnum, non possunt diffiniri; cæterum, quæ non possunt diffiniri vnica diffinitione, nec sciri possunt vnica scientia; ergo quæ carent diffinitione, & scientia carere debent, cum igitur entia per accidens non dicant conceptum

per

per se vnum, (alioquin non essent entia per accidens, sed per se) non poterunt diffiniri, & consequenter de illis non poterit esse scientia, nec demonstratiua, nec diffinitiua.

Quarto. Notandum est ex Doct. Subt. in 2.d.3.q.6. M. singulare posse dupliciter considerari, vel in se, quatenus importat quandam entitaté distinctam ab entitate speciei, constitutam ex natura communi, & differentia indiuiduali, vel in quantum cum cæteris conuenit, & participat naturam, & essentiam speciei. Primo modo non habet diffinitionem quiditatiuam, aut passiones proprias per ipsam demonstrabiles, & consequenter ita non est per se scibile, at secundo modo cum diffiniatur diffinitione speciei, & participet secundariò eiusdem passiones, Petrus enim est animal rationale, & risibilis, cum sit homo, vtique de illo poterit esse scientia.

Quinto. Notandum ex Doct. Subt. 1. Post. q.12. & 13. scientiam tripliciter sumi posse, vno modo per omni cognitione siuè intellectiua, siuè sensitiua, siuè rei contingentis, siuè necessariæ. Secundo modo pro cognitione intellectiua rei necessariæ, siuè habeatur per discursum siuè non; Tertio modo prò cognitione intellectiua rei necessariæ, habita per discursum; & hæc est duplex, scilicet, quæ habetur per discursum; qui non sit vera demonstratio, sed vel euidens consequentia ex antecedente deducta, vel syllogismus constans ex propositionibus de omni prioristico tantum; aut per discursum, qui sit vera demonstratio procedens ex primis veris, & immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis: Si primo modo accipiatur scientia, cùm talis possit esse, etiam rerum contingentium, possumus dicere hoc modo etiam, entia per accidens posse sciri; si quidem apprehendi possunt vnico actu per modum vnius, sicut dicit Scotus in 6. Metaphysicæ quæst. 2. at secundo, vel tertio modo non possunt sciri, tùm quia non sunt entia per se, necessaria, tùm etiam, quia carent diffinitione quiditatiua, quæ est medium sciendi in demonstratione potissima, vt inferius ostendemus.

Ex his igitur sit prima conclusio. De entibus per accidens secundum entitatem, siuè vt ly per accidens negat perseitatem rei, nequit esse vera scientia, aut diffinitiua, aut demonstratiua. Est indubitabilis conclusio Scoti collecta ex locis super sent. libros præcitatis. Probatur prima pars, quia simplex, seù diffinitiua scientia est ipsa diffinitio rei quiditatiua; sed entia huiusmodi per accidens carent diffinitione quiditatiua, ergo carent scientia simplici, seù diffinitiua. Maior patet. Minor probatur, quia diffinitio quiditatiua est, quæ datur per genus, & differentiam ex Aristotele septimo Metaphys. t. 43. sed entia per accidens secundum entitatem non habent aliquod vnum genus, & vnam differentiam, cum sint aggregata ex rebus diuersorum generum, vel supremorum, vel intermediorum, vt dictum est in primo, & secundo Notab. ergo carent diffinitione quiditatiua. Secunda pars probatur, scientia demonstratiua habetur per verã demonstrationem, sed de entibus per accidens secundum entitatem nequit esse vera demonstratio: ergo neque vera scientia. Maior patet ex diffinitione scientiæ demonstratiuæ tradita ab Aristotele primo Poster. cap. 2. Minor probatur, quia vera demonstratio est ex propositionibus per se, ex eodem Aristotele ibidem cap. 7. sed ab entibus per accidens non possunt sumi propositiones per se: ergo &c. Minor probatur, quia propositiones per se primi modi fiunt ex prędicatis quiditatiuis; secundi verò modi ex prædicatis, quę sint propriæ passiones, sed entia per accidens, vt talia carent prædicatis quiditatiuis, & consequenter proprijs passionibus: ergo ab ipsis nequeunt sumi propositiones per se. Maior est Aristotelis primo Post. cap. 4. Minor similiter, quia non collocantur in aliquo prædicamento, nec continentur sub aliquo vno genere proximo, vt patet ex eorum descriptione: ergo &c.

Secunda conclusio. De entibus per accidens secundum entitatem consideratis nequit dari aliqua scientia, quæ sit vna genere, vel specie, vt dicit Doctor in Metaphys. lib. 6. quæst. 2. cum Antonio Andrea, & Zerbio citatis pro secunda sententia. Est conclusio eiusdem Doctoris Subtilis in Prologo sentent. quæst. 3. D. & in 3. dist. 25.q.2.§. Ad secundum quæsitum. C. vbi docet vnitatem scientiæ de sumi ab vnitate subiecti, quod si fuerit vnum genere sub se cõtinẽs plura subiecta specificè distincta, etiam scientia, vel habitus, erit vnus genere; si verò

subiectum erit dumtaxat vnum specie, & scientia, vel habitus habebit vnitatem specificam; cum igitur entia per accidens nequeant conuenire in aliquo conceptu obiectiuo, vel specifico, vel generico, cum sint res diuersorum generum, consequenter dicendum est, secundum veram Scoti opinionem, de illis nullam posse dari scientiam, aut genericam, aut specificam positiuè saltem. Probatur hac fortissima ratione, quia vnitas scientiæ, saltem extrinsecè, desumitur ab vnitate subiecti ex Aristotele primo Post. cap. 23. sed ens per accidens non est vnum per se subiectum, aut specificè, aut genericè: ergo de illo nequit scientia esse aut specifica, aut generica. Minor probatur, quia vnitas generica, & specifica conueniunt vniuocè in vnitate per se, ex Aristotele, quinto Metaphysicæ c. de Vno, sed ens per accidens non est vnum per se, cum opponantur secundum Aristotelem ibidem: ergo ens per accidens non potest esse vnum vel genericè, vel specificè. Confirmatur, quia de ente per accidens non est vera scientia ex præcedenti conclusione: ergo neque generica, vel specifica. Consequentia tenet à toto in modo ad suam partem negatiuè.

Tertia Conclusio. De Ente per accidens secundum entitatem, siuè considerato in esse scibilis, siuè in ordine ad aliquem finem, siuè partes se habeant, vt determinans, & determinabile, nequit esse vna scientia. Est contra tertiam, & quartam sententiam. Probatur, quia vna scientia est cognitio vnius passionis demonstrabilis de vno subiecto per eius diffinitionem, quæ est medium in demonstratione potissima, sed ens per accidens, quocumque modo consideretur non habet vnam passionem de seipso demonstrabilem per diffinitionem eius quiditatiuam: ergo de ente per accidens, quouis modo considerato, nequit esse vna scientia. Maior patet ex dictis superius cum Aristotele in hoc primo Posteriorum, capit. 2. & 23. & in secundo Poster. cap. 17. Minor probatur, quia vna passio fluit ab vna essentia subiecti, sed ens per accidens, quouis modo ex supradictis consideratum, non habet vnam essentiam, quia nec vnicam diffinitionem: ergo nec vnicam passionem de seipso demonstrabilem. Minor probatur, quia huiusmodi ens per accidens constat ex rebus diuersorum generum vt cuilibet consideranti patere potest.

Quarta Conclusio: Ens per accidens, prout ly peraccidens priuat perseitatem causæ, non est scibile vnica scientia propriè dicta. Est conclusio Aristotelis expressa, & probata ab eodem in textu, quia scientia est de his, quæ sunt semper, & frequenter, hoc est de necessarijs, sed entia per accidens hoc modo considerata non sunt huiusmodi, vt patet ex eorum diffinitionibus traditis ab eodem Aristotele secundo Physicorum a t. 52. vsque ad t. 63. ergo entia peraccidens hoc modo considerata non sunt scibilia scientia propriè dicta.

Quinta Conclusio. De entibus per accidens vtroque modo acceptis, in esse signato, seu formaliter consideratis, potest esse aliqua scientia negatiuè. Est communis omnium Doctorum, Probatur, quia de talibus possunt demonstrari multæ passiones negatiuæ, scilicet quod non sint entia, per se vna, nec scibilia vnica scientia, nec diffinibilia vnica diffinitione, & cætera huiusmodi: ergo de ipsis hoc modo consideratis poterit esse scientia negatiua. Consequentia patet, quia sicut per demonstrationem passionum positiuarum de aliquo subiecto habemus de illo scientiam positiuam, ita ex opposito, ex passionibus negatiuis demonstrabilibus de aliquo, vel aliquibus subiectis habebimus scientiam negatiuam: Hoc eodem modo habetur scientia de syllogismo sophystico, de infinito, de vacuo, &c. quibus conueniunt passiones negatiuæ, & non positiuæ.

Sexta Conclusio. De singularibus, vt talia sunt, non habetur scientia pro statu isto per demonstrationem veram acquisita, sed tantum, vt conueniunt in specie. Est Scoti in secundo d. 3. quæst. 6. M. Probatur, quia eo modo aliqua sciuntur demonstratiuè, quomodo habent diffinitionem, quæ est medium sciendi, vt videbimus inferius, sed singularia, vt talia non habent diffinitionem saltem quiditatiuam, aliam à diffinitione speciei: ergo de ipsis non erit alia scientia præter illam, quam participant ratione speciei. Minor probatur, quia diffinitio quiditatiua constat ex genere, & differentia ex Aristotele septimo Methaphysic. t. c. 43. sed singularia, vt talia, non habent proprium genus distinctum ab illo, in quo conueniunt species, nec alias differen-

rentias præter indiuiduales: ergo non habent propriam diffinitionem quiditatiuam, & consequenter nec propriam scientiam. Confirmatur, quia demonstratio est tantum de propositionibus vniuersalibus, vt superius demonstratum est cum Aristotele cap. 4. 6. & 24. sed ex singularibus, vt singularia sunt, nequeunt fieri propositiones vniuersales: ergo de ipsis nequit esse demonstratio, ac proindè nec scientia, quæ sit effectus demonstrationis. Confirmatur secundo, quia non dantur passiones singulares, quæ communes sint omnibus singularibus; ergo nec scientia communis illis, vt singularia sunt. Consequentia patet, quia scientia est cognitio conuenientiæ passionis cum subiecto in conclusione demonstrata. Antecedens probatur, quia passiones fluunt à principijs intrinsecis subiecti, sed principia intrinseca singularium, vt talium, sunt differentiæ indiuiduales, quæ inter se sunt primò diuersæ: ergo, & passiones erunt huiusmodi, & sic nulla passio singularis poterit assignari, quæ sit communis omnibus singularibus, vt singularia sunt.

Obijcitur primo contra primam, & secundam conclusionem de Ente per accidens potest esse vna scientia genere ex Scoto 6. Methaphysic. quæst. 2. conclusione secunda: ergo de Ente per accidens potest esse scientia. Consequentia tenet à parte in modo ad suum totum affirmatiuè, sequitur enim est homo albus: ergo est homo.

Respondetur primo, Auctoritatem Doctoris de 6. Meth. non vrgere, cum illam sententiam retractauerit in lib. sententiarum, & quolib. vt dictũ est in notab. & in probatione conclusionis.

Respondetur secundo, Doctorem loqui de ente per accidens largè sumpto, quod nimirum constat ex rebus diuersis specie, quæ tamen continentur sub eodem genere proximo, vt sunt album dulce, quæ conueniunt in genere qualis sensibilis, & de tali ente per accidens, quamuis non possit esse vna scientia specie, cum non sit vnum specie obiectum, poterit tamen sciri in genere qualis sensibilis, & de ipso demonstrari passiones communes ad vtrumque, scilicet ad album, & dulce: cæterum sumendo ens per accidens strictè, quod videlicet componitur ex rebus diuersorum generum, nullo modo de illo poterit esse scientia, cum careat diffinitione, & passione vna de ipso demonstrabili.

Contra, quia scientia subalternata est vera scientia ex eodem Doctore Subtili quæst. tertia, Prologi I. sed talis est de ente per accidens, vt patet de Musica, quæ est de numero sonoro, & de Perspectiua, quæ est de linea visuali; at quis non fateatur numerum sonorum, & lineam visualem esse entia per accidens, cum constent ex rebus diuersorum generum: ergo secundum Doctorem de Ente per accidens strictè accepto poterit esse vera scientia.

Respondetur admittendo maiorem, & negando minorem, quia licet subiectum Musicæ, & Perspectiuæ sint entia per accidens materialiter, & in actu exercito, tamen formaliter, & in actu signato, vel equiualenter sunt entia per se, vt dictum est in quæstione de subalternatione scientiarum: & cum probatur per Doctorem in citata quæstione Prologi, dico cum Bargio, ibi locutum fuisse conditionatè, & dubitatiuè, vt patet ex contextu, vbi dicit: nulla autem scientia prima est de conceptu vno per accidens, quia talis præsuponit scientiam de vtraque parte, & ideò si scientia subalternata sit de aliquo vno per accidens, præsupponit duas tractantes de partibus illius totius separatim. Ecce quomodo Doctor non asserit scientiam subalternatam esse de vno per accidens, sed vel dubitat, vel sub conditione, quæ nihil ponit in esse, loquitur.

Obijcitur secundo, contra tertiam conclusionem ex Mastrio loco præcitato, quia plures causæ partiales, siuè eiusdem, siuè alterius ordinis, & generis, in ratione causandi integrant vnam totalem, per quam possunt demonstrari, & prædicata, & passiones de aggregato ex illa pluralitate causarum, sed huiusmodi aggregatum est ens per accidens; ergo de Ente per accidens, vt ordinatur ad aliquem finem, poterit esse scientia.

Respondetur, maiorem esse veram quò ad vnitatem ordinis non tamen in entitate, quia vt, inquit Doctor in 1. d. 3. q. 7. H. causæ partiales, quamuis ordinentur ad eundem effectum causandum, concurrunt tamen per propriam causalitatem, vt patet de Sole, & homine in generatione hominis, & causa totalis, quæ complectitur Patrem, & solem

nòn habet aliquam vnam rationem formalem causandi, sicut non est vna causa, nisi vnitate ordinis; ex quo sequitur, quod illud aggregatum per accidens causarum, cum non habeat vnam per se rationem causandi, nec poterit habere vnum prædicatum commune de ipso demonstrabile, ac proindè de illo, vt sic non poterit esse vna scientia, sed plures, iuxtà pluralitatem causarum.

Obijcitur tertio, contra eamdem, quia de ente per accidens, cuius partes, se habent vt determinans, & determinabile, potest esse vna diffinitio: ergo, & vna scientia. Consequentia patet, quia diffinitio est medium sciendi demonstratiuè. Antecedens probatur, quia album est ens per accidens, cum aggreget in se res diuersorum generum, ordinatas tamen, scilicet subiectum, & albedinem, sed album diffinitur, quod sit disgregatiuum visus; ergo ens per accidens habens partes ordinatas est diffinibile, & consequenter scibile.

Respondetur negando antecedens, ad probationem dico album dupliciter considerari posse, & formaliter, & connotatiuè; primo modo significat albedinem in concernentia ad subiectum, & sic diffinitur, & non est ens per accidens, sed per se: at secundo modo importat subiectum informatum albedinem, & sic cum dicat res diuersorum generum est ens per accidens, & sic nequit diffiniri, & sciri, vt contendit Ruuius; cuius est argumentum.

Obijcitur quarto contra sextam conclusionem singularia, & indiuidua habent propriam diffinitionem, in qua conueniunt: ergo per ipsam poterunt demonstrari propriæ passiones, vt sunt vnitas, & distinctio numerica, ac proindè de illis haberi scientia. Antecedens patet ex Porphyrio capit. de specie, & ex dictis à nobis super Vniuersalibus disputat. 4. quæst. 4. per totam, vbi conclusimus abstrahi posse ab indiuiduis vnam rationem communem obiectiuam, cui competat illa diffinitio Porphyrij, scilicet Prædicari de vno solo. Consequentia patet, quia diffinitio est medium in demonstratione potissima, per quam habetur scientia.

Respondetur Antecedens, & eius probationem habere veritatem de diffinitione propria, quatenus singulare, & indiuiduum dicit aliquam entitatem distinctam ab entitate speciei, non tamen de diffinitione quiditatiua, quæ sola est medium sciendi; siquidem hæc diffinitio habet constare ex genere, & differentia, seu ex realitate potentiali importata per genus, & actuali signata per differentiam, at indiuidua non conueniunt in aliqua realitate potentiali propria, ad ipsa contrahibili per proprias differentias, vt diximus in loco citato, & consequenter nequeunt diffiniri diffinitione quiditatiua, & per ipsam demonstrari passiones singulares de eis.

Vel dicendum totum esse verum de singularibus pro secunda intentione, & in esse signato, quia sic singulare in communi induit rationem speciei, non tamen de illis pro prima intentione, & in esse exercito, quia vt sic, cum non diffiniantur quiditatiuè, nec de ipsis poterit esse propria scientia.

Contra, quia de singularibus vt talia sunt, conficiuntur veræ demonstrationes, vt patet de sole, & luna, de quibus demonstrantur Eclypsis, sed sol, & luna sunt singularia: ergo de singularibus vt talibus, potest esse scientia.

Respondetur Huiusmodi demonstrationes fieri de speciebus solis, & lunæ, siquidem à sole abstrahitur species solis, & species lunæ ab hac luna singulari, & per earum diffinitiones demonstrantur de ipsis, & Eclypses, & aliæ passiones, quamuis in actu exercito verificentur de suis singularibus.

Obijcitur quinto, contra eamdem ex Aristotele secundo Methaph. t. c. 11. vbi habentur hæc verba: Item ipsum scire perimunt, qui ita dicunt, (hoc est principia formalia esse infinita) non enim possibile est scire, antequam ad indiuidua deueniatur: ergo non solum de indiuiduis potest haberi scientia, sed illa esse primo scita, per quæ cætera sciuntur.

Respondet Doct. Subtilis in Expositione ad illum textum, indiuiduum hoc loco, non significare singulare, quia tale nullo modo potest sciri, etiam secundum Philosophum in primo Post. c. 24. ac alibi, sed denotare aliquod indiuisibile formaliter, vel in ascendendo, & sic significat supremum genus, quod resolui nequit in alia priora genera, vel in descendendo, & sic importat speciem

ciem specialissimam, quę indiuisibilis est per differentias formales; vel in resoluendo, & sic importat propositionem immediatam, quæ in priorem resolui nequit, vt sit sensus, qui ponit principia formalia infinita, ipsum scire perimit, siquidem infinitum pertransiri nequit; Scire autem perfectum stat in aliquo indiuiduo, idest indiuisibili, vel in ascẽdẽdo cuiusmodi est genus generalissimum, vel indescendendo, vt est species specialissima, vel demum in resoluendo, vt est propositio immediata, quæ omnia intellectu pertransiri possunt, cum in illis detur status, & non sit procedendum in infinitum, vt superius cum Aristotele demonstratum est. Et sic ad argumentum formaliter negatur consequentia, quia nomine indiuiduorum non veniunt singularia, sed solum indiuisibilia formaliter, vt declaratum est.

De Comparatione Scientiarum in Ordine ad principia.

CAPVT XXV.

IN hoc capite Aristoteles intendit probare principaliter principia scientiarum esse diuersa, & facit quatuor Primò probat non omnium syllogismorum posse esse eadem principia, & incipit ibi. Eadem autem esse principia etc. Secundò ostendit non esse eadem principia syllogismorum falsorum, & incipit ibi. Posteà neque falsam etc. Tertiò demonstrat idem in syllogismis, veris, dum dicit: Ex oppositis, autem sic est, neque enim verorum etc. Et quartò declarat intentum non omnium scientiarum esse posse eadem principia.

Quò ad primum ponit hanc primam conclusionem. Eadem principia esse omnium syllogismorum est impossibile, & eamdem probat per diuisionem, quia syllogismorum alij sunt veri, et alij sunt falsi, sed principia verorum sunt vera, et falsorum falsa: ergo non omnium syllogismorum esse posse eadem principia. Maior patet ex dictis superius, et in Summul, Tract. 3. sect. vltima de syllogismo sophystico. Minor etiam quia veritas, et falsitas syllogismorum attenditur, vel penes formam, vel penes materiam, vel penes vtramque, sed hæc sunt principia, vel materialia, vel formalia; ergo illi syllogismi sunt veri, qui constant ex veris; siue materialiter, siue formaliter, et illi sunt falsi, qui habent principia falsa altero illorum modorum, aut vtroque. Consequentia etiam est manifesta, alioquin principia vera essent principia falsa, quod est impossibile.

Quò ad secundum subiungit secundam conclusionem dicendo: Non omnium syllogismorum falsarum esse posse eadem principia, et probat quæ repugnantium, et impossibilium non possunt esse eadem principia, sed aliqua falsa sunt repugnantia, et impossibilia, vt quod iustitia sit iniustitia, quod homo sit equus, vel bos, quod æquale sit maius, vel minus, et huiusmodi; ergo harum conclusionum principia sunt repugnantia, siue incompossibilia in eodem consequẽtia patet, quia conclusiones deducuntur ex principijs, igitur quales sunt conclusiones, talia esse debent, et principia.

Quò ad tertium ponit tertiam conclusionem. Non omnium syllogismorum verorum possunt esse eadem principia, et probat illam multipliciter; tùm quia punctus est principium verorum continuorum, vnitas verò discretorum; sed punctus, et vnitas nequeunt esse eadem, cum sint omninò disparata, siquidem punctus dicit positionem in continuo, non sic vnitas: ergo horum verorum nequeunt esse eadem principia: tum secundo quia principia communissima non sufficiunt ad demonstrationem veram, sed requiruntur propria, vt suprà ostensum fuit, sed principia propria non sunt eadem omnium demonstrationum, sed diuersa, vt patet, quia alia sunt principia prædicamenti substantiæ, alia quantitatis, alia qualitatis, et sic de cæteris: ergo principia propria non sunt eadem, sed diuersa: tum tertio, quia principia non sunt multò minora conclusionibus, sed conclusiones non sunt eadem;

eadem: ergo nec principia. Maior patet, quia hæc conclusio, omne animal est corpus probari potest per corpus animatum tantum sic dicendo, omne corpus animatum est corpus; sed omne animal est corpus animatum: ergo omne animal est corpus. Similiter hæc omnis homo est corpus animatum ostēdi debet solum per hoc principium, omne animal est corpus animatum, & omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus animatum, & sic potest esse discursus in cæteris conclusionibus, ex quibus manifestè patet veritas maioris, principia nimirum non esse multò pauciora conclusionibus; ergo nequeunt esse eadem omnium conclusionum. Tùm quarto quia termini in quibus communicant omnes scientiæ sunt finiti, vt patet de ente, & eius passionibus, in quibus omnes scientiæ conueniunt, conclusiones autem sunt infinitæ, vel saltem innumerabiles; ergo præter illos terminos in quibus conueniunt, assignandi sunt alij termini proprij, ex quibus conficiantur principia illarum conclusionum, & sic non erunt eadem omnium conclusionum. Tùm quinto quia principia necessaria, & non necessaria, seu contingentia nequeunt esse eadem, sed aliqua sunt vera necessaria, & aliqua contingentia, vt patet: ergo non omnium verorum esse possunt eadem principia.

Quò ad quartū tamdem probat intentū, quod nimirum omnium scientiarum esse non possint eadem principia, & probat ex prædictis conclusionibus, quia omnium syllogismorum, aut verorum, aut falsorū nequeunt esse eadem principia; sed omnis scientia, aut est verorum, aut falsorum; ergo omnium scientiarum nequeunt esse eadem principia. Secundo probatur, quia omnis scientia est effectus propositionum immediatarū; sed propositiones immediatæ, non sunt eædem in omnibus scientijs: ergo etc. Maior patet, quia omnis sciētia est effectus demonstrationis ex cap. 2. huius 1. lib. sed omnis demonstratio constat ex immediatis ex cap. 4. eiusdem libri: ergo omnium scientiarum nequeunt esse eadem principia. Tertiò probatur quia diuersorum generum subiectorum diuersa sūt principia; sed diuersæ scientiæ sunt diuersorum generum subiectorū ergo etc. Maior probatur; quia principia scientiarum, continentur, virtualiter in earum subiectis, vt alias ostendemus: ergo si subiecta sunt diuersa, & principia erunt quoque diuersa. Minor patet inductiuè in omnibus scientijs, tum totalibus, tum partialibus; siquidem in tota Logica, genus subiectum est syllogismus in communi, in libro Porphyrij vniuersalia in communi, in libro Prædicamentorum, Prædicamentum vt sic, in libro Priorum, syllogismus simpliciter, Posteriorum Demonstratio, & in libris Elenchorum syllogismus sophysticus, quæ omnia sunt diuersa, similiter dicendum in Phylosophia, Metaphysica, Geometria, Arithmetica, & cæteris: ergo concludendum est omnium scientiarum genera subiectorum esse diuersa, & consequenter impossibile esse omnium scientiarum esse eadem principia propria, vel proxima.

De comparatione scientiæ cum opinione, & alijs Habitibus intellectus.

CAPVT XXVI.

Postquam ostendit in præcedentibus sciētiam debere esse vnius generis subiecti, & non omnium scientiarum esse posse eadē principia, in præsenti aggreditur demonstrare, qualiter se habeat scientia cum alijs habitibus intellectualibus, & præsertim cum opinione, & intellectu, & facit quatuor Primò enim ponit differentiam inter scientiam, & opinionem, & inter scibile, ac opinabile ibi. Scibile autem, & scientia differunt ab opinabili. Secundo ostendit scientiam differre ab intellectu, ibi. At verò neque intellectus etc. Tertio ponit conuenientiam aliqualem inter prædicta, dum dicit: Verus enim est intellectus, etc. & Quartò tandem demonstrat circa quæ versetur opinio dum subiungit. Certum autem est sic apparentibus, &c.

Quò

Quò ad primũ ponit talem conclusionem scientia differt ab opinione, & scibile ab opinabili. Probat, quia scientia est circa vniuersalia, necessaria, & quæ non possunt aliter se habere ex dictis superius cap. 4. 6. & 7. sed opinio est circa contingentia, & quæ possunt aliter se habere: ergo scientia differt ab opinione, & consequenter scibile ab opinabili. Minor probatur, quia opinio nõ est per causam per se, & secundum quod ipsum, sed tantum probabilem, vt melius patebit in quarta conclusione: ergo opinio non est circa necessaria, sed contingentia.

Quò ad secundum ponit secundam cõclusionem scientia differt ab intellectu, & eam probat, quia intellectus est habitus principiorum indemonstrabilium, & propositionum immediatarum, & scientia est habitus conclusionum, & propositionum mediatarum, ac demonstrabilium, sed principia, & conclusiones, propositiones immediatæ, & mediatæ differunt abinuicem: ergo & scientia, & intellectus abinuicem differunt. Maior, & minor sunt manifestæ ex dictis superius cap. 2.

Quò ad tertium ponit tertiam conclusionem, scientia, & opinio, ac intellectus aliqualiter conueniunt, & aliqualiter disconueniunt. Probat primam partem, quia omnes possunt esse circa verum, & quia etiam resoluuntur in immediata; siquidem tunc scire arbitramur cum cognoscimus rem per causam, & vsque ad elementa; similiter tunc opinamur cum nouimus reducere propositiones probabiles, & contingentes ad primam probabilem, & contingentem; & tandem principia cognoscimus, inquantum terminos cognoscimus: ergo scientia, opinio, & intellectus resoluuntur ad prima, & immediata. Secunda Pars probatur, quia sciẽtia, & intellectus sunt circa necessaria; opinio verò versatur circa probabilia, & contingentia, sed necessaria, & contingentia disconueniunt: ergo scientia, & intellectus disconueniunt ab opinione. Insuper scientia, & intellectus versantur circa vera absolutè, opinio, verò circa ea, quæ possunt vera esse, vel falsa: ergo inte · se disconueniunt. Antecedens patet, quia scientia, & intellectus versantur circa ea, quæ non possunt aliter se habere, vt dictum est cap. 2. huius libri, opinio verò ex opposito est de his, quæ cõtingunt aliter se habere: ergo sicut illa sunt necessariò vera, hæc possunt esse vera, vel falsa.

Quò ad quartum tandem subiungit quartam conclusionem dicens: opinio est circa contingentia, & possibilia aliter se habere, & probat eam dupliciter tum quia opinio est ex his quæ apparent; sed talia sunt contingentia, & possibilia aliter se habere: ergo etc. Maior patet ex consensu omnium. Minor similiter, quia ea quæ apparent sunt incerta, & dubia, cum possint esse, & non esse, sed talia sunt contingentia, & possibilia aliter se habere: ergo de his est opinio: tum secundò quia nemo putat se opinari, quando cognoscit ea, quæ non possunt aliter se habere, sed solum cum cognoscit ea, quæ possunt aliter se habere: ergo de ratione opinionis est versari circa, quæ possunt aliter se habere.

Deinde obijcit contra prædictas conclusiones probando scientiam esse opinionem, et è conuerso, tum quia scire est opinari: ergo scientia est opinio, consequentia patet, quia habitus distinguuntur per actus ex quibus constant; ergo ex eisdem actibus concluditur idem habitus. Antecedens probatur quia scitum est opinatum, cum eadem conclusio possit fieri nota, & per syllogismum dialecticum, qua ratione esset opinata, & per demonstratiuum, & sic esset scita; ergo et scire erit opinari cõsequentia patet, quia sicut ex distinctione obiectorum cõcluditur distinctio actuum, & potentiarum ex secundo de anima t. c. 33. ita ex vnitate obiecti habet concludi vnitas actuum; si ergo hæc est vera scitum est opinatum, quæ sunt obiecta, etiam hæc erit vera, scire est opinari. Tum secundo quia scientia, & opinio eodem modo acquiruntur siquidem, vt dictum est, tàm sciens, quàm opinans procedunt ex immediatis; ergo idem habitus erit scientia, & opinio. Tum tertio, quia eędem proprietates, quæ conueniunt scientiæ, & opinioni conueniunt, quãdo-

doquidem, sicut scientia diuiditur in propter quid, & quia, similiter & opinio diuiditur in propter quid, & quia; nam quemadmodum demonstrationum alia est à priori, & alia à posteriori, ita syllogismus dialecticus, qui est generatiuus opinionis, est à priori, cũ opinans putat se cognoscere per causam, & alius à posteriori, cum habeat suam probabilitatem ex effectibus tantum: ergo eadem proprietas, quæ conuenit scientiæ, & opinioni competit, ac proindè erit idem habitus scientia, & opinio.

Pro responsione ad hæc obiecta notat Aristoteles triplicem differentiam inter scientiam, & opinionem; & prima est, quod sciẽtia procedit ex necessarijs, & impossibilibus aliter se habere, opinio verò ex contingentibus, & quæ possunt aliter se habere. Secunda est, quod scientia procedit per diffinitiones ex quibus fiunt demonstrationes opinio verò per diffinitiones, ex quibus conficiuntur syllogismi dialectici. Tertia est, quod scientia procedit per accidentia propria .s. passiones, quæ insunt subiectis conuertibiliter, & fluũt à principijs specificis, opinio verò per accidentia communia, quæ fluunt à principijs indiuiduis, ex quibus infertur, quod opinans non est sciens verè, sed tantum putatiuè quia sibi non conueniunt conditiones scientiæ, sed tantum opinionis.

Secundo notat opinionem diuidi in quia, & propter quid, sicut scientiam. quia opinans, cum nouit resoluere ea, quæ opinatur in principia probabilia immediata, tunc habet opinionem propter quid, cum autem nescit ea resoluere habet tãtum opinionẽ, quia, & non scientiam, quia principia huius sunt necessaria, illius verò tantum probabilia, & quæ possunt aliter se habere.

Tertio notat, quod de eodem obiecto materiali bene potest haberi scientia, et opinio, quia de illo sciens potest demonstrare passiones specificas per eius diffinitionem quidditatiuam, & opinans poterit de eodem ostendere probabiliter accidentia communia, & indiuidualia, non tamen de eodem obiecto formali, quia tale nequit esse simul necessariũ, & contingens, ineuitabile, & probabile; sed scientia est de obiecto necessario, & ineuitabili, opinio verò de contingenti, & quod non est impossibile aliter se habere; igitur de eodem obiecto formali nequit esse simul scientia, & opinio.

His præmissis, ac notatis respondet ad argumenta, & ad primum negat antecedens, quod scire sit opinari, & cum probatur negat cõsequentiam ad cuius probationẽ dicit de eodem obiecto materialiter sumpto posse haberi scientiam, & opinionem, vt rectè procedit argumentum, non tamen de eodem formaliter accepto, cum idem non possit simul esse necessarium, & cõtingens; modo vnitas habituum attendi debet ex vnitate obiectorum formalium, & non materialium duntaxat.

Ad secundum negat consequentiam, quia sciens procedit per immediata necessaria tantum, & opinans per contingentia, & propter hanc diuersitatem diuersificãtur etiam habitus scientiæ, & opinionis.

Ad tertium dicit, quod propter quid, & quia per demonstrationem sunt proprietates scientiæ; at propter quid, et quia per syllogismum dialecticum, seù probabilem conueniunt opinioni; ex quo infertur non conuenire scientiam, & opinionem in eisdem proprietatibus, quinimo illas esse diuersas, sicut diuersificantur syllogismi demonstratiui, et dialectici.

Denique pro complemento huius capitis dicit Philosophus scientiam posse comparari, nedum ad opinionem, sed etiam ad cæteros habitus intellectuales .s. ad fidem, artẽ, prudentiam, et sapientiam, sed quoniam huiusmodi comparatio, ac diffinitio requirunt altiorem indaginem, siquidem aliqui spectant ad Philosophiam naturalem, vel moralem, alij verò ad Methaphysicam, et alij ad Theologiam, ideò in præsenti de illis silere intendit, et tantum logicalia pertractare.

De

De Solertia, seù subtilitate inueniendi medium in demonstrationibus.

CAPVT XXVII.

Postquam enim Philosophus determinauerit de demonstratione, & eius effectu, nedum secundum se; sed etiam in comparatione ad intellectum, & opinionem, consequenter intendit ostendere modum, seù medium, quo quis facilius possit, & demonstrationes conficere, & scientiam habere: Hoc autem medium vocatur ab ipso solertia, quæ sic ab ipso describitur.

Solertia autem est subtilitas quædam in non perspecto tempore medij, idest solertia est virtus, siuè naturalis, siuè acquisita, inuentiua medij ad conclusionem inferendam tempore imperceptibili, & exemplificat tripliciter, vt si quis videat lunam splendere ex ea parte, qua respicit solem, & dixerit hoc accidere, quia habet splendorem à sole, talis dicitur habere solertiam. Similiter si quis videns pauperem cum diuite litigãtem, intellexerit causam esse, quia diues mutuauerit pecuniam pauperi, pariter talis dicitur solers. Demùm, si quis videns duos inimicos adinuicem compositos, intulerit, hoc euenisse, vel quia ambo sunt amici alicuius tertij, à quo fuerunt compositi; vel quia inimici vnius tertij, ideò sunt vniti, vt illum conturbent, ac persequantur, talis etiam dicetur possidere solertiam, hoc est acumen, seu habilitatem ingenij ad inueniendam causam talis amicitiæ.

Aduertendum tamen solertiam esse duplicem scilicet inatam, & acquisitam. Solertia inata est subtilitas ingenij sequens dispositionem formæ in natiuitate, et talis spectat ad secundam speciem qualitatis .s. ad naturalem potentiam. Solertia verò acquisita est subtilitas ingenij, sequens studij, ac disciplinæ exercitium, & talis est virtus, vel naturalis, vel moralis, spectans ad habitum de prima specie qualitatis. De vtraque est sermo in proposito, sed præsertim de secũda, quid acquiritur ex frequentatione actuum inuenien di causas aliquorum effectuum, vel media in demonstrationibus ad praproperam illationem conclusionum.

Ex his infertur, quòd solertia versatur circa media duntaxat, scientia verò circa conclusiones, ac propterea esse habitus mentis adinuicem distinctos. Quomodo autem solertia se habeat ad prudentiam, & ad cæteras virtutes morales, cõsulendus est D.Tho.c.2. q.94.art.4. cum in præsentiarum tantum sit sermo de naturali, & non de morali. Et hæc de textu primi libri Posteriorum Analyticorum Aristotelis dicta sint satis.

Vtrum de eodem obiecto haberi possint simul scientia, Opinio, & Fides humana?

QVÆSTIO III.

Difficultas non exagitatur de obiecto incomplexo, quia, vt aliqualiter obseruauimus in expositione; idem obiectum materialiter sumptum potest esse simul scitum, opinatum, & creditum, sed est sermo de obiecto complexo, cuiusmodi est propositio, vel conclusio, vt sit sensus; An de eadem propositione, vel conclusione, possint haberi. Simul scientia, & opinio, & fides, ita vt dicatur simul & scita, & opinata, & credita ab eodem intellectu, siuè actualiter, siuè habitualiter?

Circa quam quæstionem hoc modo aliqualiter expositam, duæ extant famosæ, ac inter se omninò oppositæ, Doctorum sententiæ, quarum prior asserit, de vna, & eadem conclusione posse simul haberi scientiam, opinionem, & fidem humanam, nedum habitualiter, sed etiam actualiter, siquidem eadem conclusio potest ostendi per diuersa media, quorum vnum sit generatiuum scientiæ, alterum opinionis, & aliud fidei. Ita ex nostris Alexander Alensis 3. part. sum. q.75. memb.3. D.Bonau. in 3.d.24. art.1. q.3. Mayron. ibidem q. vn. art.6. Ricardus d. 25. q. 1. Bassolius in Prolog. sent. q. 1. & ex alienis non pauci, tùm Veteres, tum Recentiores relati à Ruuio Tract. 3. de opi. & Fide hum. sub n.50. & Mastrio disp. 13. q.2. n.12.

Post-

Posterior huic opposita defendit non posse de eadem conclusione simul haberi. Scientiam, opinionem, & fidem humanam, siuè actualem, siuè habitualem, si quidem inter se pugnant, vt non possint simul in eodem intellectu consistere. Ita docent D. Thomas de Merit. q. 14. art. 9. quamuis à Ruuio citetur pro priori in 1. 2. q. 67. art. 3. & 3. p. q. 9. art. 3. ad secundum) Scotus in tertio d. 24. q. vn. §. Contra hæc D. Thomam sequuntur Caiet. & Sotus in cap. 26. lib. 1. Poster. & communiter cæteri Thomistæ, sicut Scotum secuti sūt omnes eius discipuli. Et videtur expressa sententia Aristotelis hic cap. 26. & expositorum, quos refert, & sequitur Mastr. loco citato num. 11.

Quid autem secundum veritatem dicendum sit, & de mente Doctoris Subtilis, quibusdam notatis, aperiemus in conclusionibus infrà probandis.

Pro intelligentia igitur, ac resolutione totius quæstionis primo notandum est ex Doct. Subtili in lib. 1. Poster. q. 13. & in 3. d. 24. q. vn. in solut. quæst. scientiam tripliciter sumi posse, scilicet communiter, propriè, & magis propriè. Scientia communiter accepta est notitia alicuius propositionis, siuè necessariæ, siuè contingentis, siuè habeatur per demonstrationem, siuè non; siuè sit euidens, siuè ineuidens, & sic est communis ad opinionem, fidem, & scientiam, tùm propriè, tùm magis propriè sumptam, & est in illis potentialiter, veluti genus in suis speciebus. Scientia verò propriè est notitia propositionis necessariæ, siuè mediatæ, siuè immediatæ; siuè habeatur per demonstrationem, siuè ex sola intuitione terminorum, & sic distinguitur ab opinione, quæ non est de necessarijs, sed tantum de contingentibus. Scientia autem magis propriè accepta est notitia certa, & euidens, de obiecto necessario, causata à causa euidenti intellectui, & applicata ad scitum, idest ad conclusionem per discursum syllogisticum, & scientia hoc modo diffinitas differt, nedum ab opinione, & fide, sed etiam à scientia propriè dicta, quæ est notitia principiorum; nam per hoc, quod dicitur notitia certa, & de obiecto necessario, differt ab opinione, quæ non est certa, sed habet annexam formidinem de opposito, & non de obiecto necessario, sed contingenti: Per ly euidens distinguitur à fide, cuius propria ratio continet in se obscuritatem; cùm autem subiungitur, causata à causa euidenti intellectui, & applicata ad scitum per discursum syllogisticum, per has particulas distinguitur à scientia propriè sumpta, quæ tantum habetur ex intuitione terminorum.

Secundo notandum est, opinionem dupliciter sumi posse, vno modo largè, alio modo strictè; opinio priori modo accepta, est assensus determinatus alicuius propositionis, siuè contingentis, siuè necessariæ cum formidine de opposito, & sic coincidit cum scientia communiter sumpta, nec ab ea vllo modo distinguitur. Opinio autem posteriori modo dicta, est assensus determinatus alicuius propositionis contingentis cum formidine de opposito, & hæc est duplex, scilicet immediata, & mediata iuxtà duplicem acceptionem propositionis contingentis. Immediata est assensus determinatus propositionis contingentis immediatæ cum formidine de opposito, vt assensus huius propositionis, omnis Mater diligit filium suum, siquidem huic non assentitur intellectus per aliquam propositionem priorem, sed immetè per intuitionē horū terminorum, scilicet Matris, & Filij, cum formidine tamen de opposito, quia inuentæ, sunt nonnullæ Matres, quæ occiderunt proprios filios; & opinio hoc modo sumpta pugnat cum scientia propriè accepta, quæ est assensus determinatus, ac certus alicuius propositionis immediatæ necessariæ. Mediata verò est assensus determinatus alicuius propositionis non necessariæ, & contingentis mediatæ, per syllogismum probabilem habitus, & cum formidine de opposito, vt assensus huius propositionis, Helena diligit filium suum, habitus per hunc discursum probabilem, omnis Mater diligit filium suum, sed Helena est Mater: ergo Helena diligit filium suum, & opinio hoc modo diffinita, opponitur directè scientiæ magis propriè acceptæ, quæ est assensus certus conclusionis necessariæ, per demonstrationem acquisitus.

Tertio notandum, quod opinio vtroque modo considerata differt etiam à dubitatione, suspicione, & fide humana: Primò differt à dubitatione, quia opinans habet assensum determinatum, licet non certum, circa alteram partem contradictionis; at dubitans in neutram partē determinatur, sed manet anceps

ceps, vt docet D. Thom. 2.2.q.4.art.1. Secūdo differt à suspicione, quia licet ille, qui suspicatur videatur declinare in alteram partem contradictionis, & propterea quò ad hoc conueniat cum opinante, quia tamen mouetur, leuibus indicijs, & coniecturis, proinde nō habet determinatum assensum, sicut opinans vtpotè innixus probabilitati rationum, quibus motus determinatius in alteram propendit contradictionis partem. Tertio differt etiam à fide humana, quia opinio est assensus mediatus, vel immediatus circa propositionem contingentem, vel per medium probabile, vel ex immediata terminorum cognitione habitus; at fides humana est assensus probabilis, nō rationibus, aut cognitione terminorum expressus, sed tantum per testimonium alicuius fide digni habitus, cui tantum potest subesse falsum; & quia est circa rem contingentem, & non necessariam, & quia testimonium, cui innititur, est defectibile, cum proueniat à creatura, quæ secundum se potest falli, & fallere; ad differentiam fidei diuinæ, quæ innititur testimonio infallibili veritatis Dei, qui nequit falli, aut fallere, vt aliàs dicturi sumus.

Quarto notandum est, formidinem, quæ comitatur assensum opinitatiuū esse in duplici differentia, siquidem alia est actualis, & aptitudinalis altera. Prior importat timorem actualem de veritate conclusionis syllogismi probabilis, vel quia præmissæ, aut rationes non sunt ita apparentes, vt intellectus in eis conquiescere possit; vel quia oppositæ habent maiorem apparentiam veritatis, & minorem falsitatis, & hæc non est de essentia, vel intrinseca opinioni, cum possit ab ea separari, siquidem Scotistæ, & Thomistæ in Logica, & Philosophia, ita firmiter adherent proprijs opinionibus, vt videantur potius habere scientiam, de conclusionibus, quas defendunt, quàm opinionē. Posterior verò est virtualis de veritate, aut falsitate conclusionis, aut præmissæ probabilis timor, inclusus in propositione contingenti, cum eius prædicatum non necessariò, sed contingenter inhæreat subiecto, & hæc formido constituit in esse assensum opinatiuum, & per eam distinguitur essentialiter opinio à scientia, quæ secundum se exigit, & certitudinem, & necessitatem conclusionis demonstratæ, ac scitæ.

Quinto notandum est, tàm scientiam, quam opinionem esse duplicem scilicet actualem, & habitualem. Actualis scientia, vel opinio est notitia actualis alicuius conclusionis, vel necessariæ, vel contingentis. Habitualis est habitus, vel scientificus, vel opinatiuus acquisitus, vel genitus ex frequentatis actibus, demonstrationis, vel syllogismi probabilis, ostendentis, vel necessitatem, vel probabilitatem cōclusionis. Modò quæritur an opinio, & scientia tam actualis, quàm habitualis, inter se pugnent, vt nequeant de eodem obiecto complexo, & in eodem intellectu simul consistere, quin ab inuicem se expellant? Et de actuali quidem omnes conueniunt non posse simul consistere opinionem, & scientiam, quia impossibile est, quod idem intellectus habeat simul de eadem conclusione, & assensum certum, & incertum necessarium, & non necessarium, cum hi opponantur contradictoriè; at de habituali aliqui negant, cum asserant non adesse inter illos repugnantiam actualem, sed tantum quasi potentialem; siquidem opinio dicit semiplenam determinationem intellectus, scientia plenam, & perfectam determinationem eiusdem circa idem obiectum, quæ non opponuntur contradictoriè, sed se habent sicut magis, & minus; at isti certè falluntur, quia cum habitus generentur ex actibus, si isti inter se pugnant, & habitus inter se formaliter pugnare necesse est.

Ex his ergo fit prima conclusio, scientia communiter accepta, & opinio largè sumpta non pugnant adinuicem, immò se compatiuntur in eodem intellectu, non tantum successiuè, sed etiam simul. Probatur quia idem non pugnat cum seipso, sed scientia, & opinio his modis sumpta sunt idem: ergo nō pugnant adinuicem. Maior patet. Minor probatur ex dictis in primo, & secundo notabili. Præterea genus non pugnat, sed stat simul cum specie, sed scientia communiter accepta se habet tamquam genus ad scientiam, & opinionem propriè sumptas: ergo possunt simul consistere in eodem intellectu, etiam si versentur circa idem obiectū. Minor est notat ex dictis in primo notabili.

Secunda Conclusio. Scientia propriè sumpta, & opinio circa propositionem contingentem immediatam nequeunt stare simul.

simul. Probatur quia scientia propriè sumpta est circa propositionem immediatam necessariam, & opinio est circa immediatam contingentem: ergo de vna, & eadem propositione immediata nequit intellectus habere simul scientiam, & opinionem. Antecedens patet per earum diffinitiones. Cõsequentia etiam est manifesta, quia vna, & eadem propositio nequit esse simul contingens, & necessaria; sed hoc sequeretur, si de eadem propositione immediata posset haberi simul scientia, & opinio: ergo &c. Minor patet, quia inquantum esset contingens esset obiectum opinionis, & quatenus esset necessaria esset obiectum scientiæ.

Tertia Cõclusio. Scientia magis propriè, & opinio mediata actualis nequeunt esse simul de eodem obiecto complexo, & in eodem intellectu. Est Scoti in 3.d.24. qu.vn.§. Contra hæc & ad tertium argumentũ principale sub M. Probatur, quia extrema contradictionis nequeunt esse compossibilia in eodem, & respectu eiusdem, sed scientia, & opinio actualis de eadem conclusione inferunt extrema contradictionis: ergo non sunt simul compossibiles in eodem intellectu. Maior patet. Minor probatur quia scientia importat assensum certum, excludentem omnem formidinem, & dubitationem, opinio verò non certum, & formidolosum, cum sit circa obiectum, quod potest aliter se habere: ergo sciẽtia, & opinio actualis inferunt extrema contradictionis. Antecedens patet ex diffinitione scientiæ, & opinionis.

Quarta Conclusio. Scientia habitualis, & opinio habitualis respectu eiusdem non stãt simul in eodem intellectu. Est Scoti in 3.d. 24.q.vn. M. Probatur, illi habitus sunt repugnantes in eodem, quorum actus sunt incõpossibiles, sed actus scientię, & opinionis sũt huiusmodi, vt probatum est in præcedẽti: ergo & habitus scientiæ, & opinionis debent esse similiter incompossibiles. Maior patet, quia habitus generantur ex frequentatis actibus: ergo quales sunt actus tales pariter debent esse & habitus. Deindè Habitus cum formidine, siue actuali, siue aptitudinali repugnat in eodem, cum habitibus sine formidine, sed scientia habitualis est habitus sine formidine omninò, & opinio habitualis includit saltem virtualiter formidinem, cum sit genitus ex actibus circa propositiones cõtingentes per media tãtum probabilia: ergo nequeunt simul in eodem, & respectu eiusdem consistere. Maior patet quia contradicunt adinuicem esse cum formidine, & sine formidine: ergo habitus formidolosi, & non formidolosi respectu eiusdem repugnant in eodem.

Quinta Conclusio. Scientia, & opinio possunt haberi de eodem successiuè. Probatur quia eadem conclusio, quæ prius est probata per rationes probabiles, potest ostendi denuò per demonstrationem: ergo scientia succedet opinioni de eadem conclusione. Antecedens patet cõsequẽtia similiter, quia rationes probabiles sunt generatiuę opinionis, demonstrationes verò scientiæ: ergo notitia de eadem conclusione, quæ prius erat opinio, posteà erit scientia, accedente syllogismo demonstratiuo.

Sexta Conclusio. Si verò eadem propositio sit prius scita, non poterit amplius ab eodem esse opinata. Est Scoti loco proximè citato. Probatur quando sunt duæ causæ, quarum vna sit in agendo fortior alia, si prior causat posterior non poterit causare, siquidẽ impeditur à fortiore, sed syllogismus dialecticus, & demonstratiuus sunt duæ causæ generatiuæ notitiarum, & opinionis, & sciẽtiæ, & syllogismus demõstratiuus est fortior dialectico, cum procedat ex necessarijs, hic verò tantum ex probabilibus: ergo si demonstratiuus genuerit scientiam de aliqua conclusione, non poterit de eadem per dialecticum haberi opinio. Maior patet præsertim de causis naturalibus, quæ agunt toto conamine: ergo virtus fortior impediet debiliorẽ.

Septima Conclusio. Nec sciẽtia, nec opinio si magis propriè sumantur, possunt consistere in eodem respectu eiusdem, cum fide humana. Est Scoti in 3.d.24.q.vn. Probatur prima pars quia de ratione scientiæ est certitudo, & euidentia, & de ratione fidei humanæ incertitudo, & inuidentia: ergo nequeunt esse simul in eodem respectu eiusdẽ. Antecedẽs patet ex suis diffinitionibus. Cõsequentia similiter, quia alioquin contradictoria possent esse simul respectu eiusdem, quod est impossibile. Secunda pars probatur quia opinio est assensus mediatus, vel immediatus de aliqua propositione nõ necessaria, vel per syllogismum dialecticum, vel per solam cognitionem terminorum expressus in intellectu; fides verò humana est assensus pro-

probabilis per testimonium duntaxat alicuius fide digni habitus: ergo si eadem conclusio sit prius opinata, non poterit amplius esse credita. Antecedens patet ex diffinitionibus opinionis, & fidei humanæ, positis in secūdo notab. Consequentia probatur quia causa fortior naturaliter agens, impedit debilioré; sed syllogismus dialecticus est fortior ad gignendum assensum probabilem de aliqua conclusione, quàm testimoniū hominis, etiā fide digni: ergo &c. Minor probatur, quia syllogismus dialecticus innititur rationibus probabilibus, quæ magis, inclinat intellectū ad assensum, quàm testimonium vnius fide digni, cui facilius potest subesse falsum: ergo syllogismus dialecticus erit fortior, quàm testimonium fide digni, ad gignendum assēsum de eadem conclusione. Antecedens patet, quia syllogismus dialecticus est medium intrinsecum ad habendum assensum, at testimonium dicētis est medium extrinsecum eiusdem: ergo intellectus magis inclinatur virtute illius, quàm istius ad assentiendum eidem conclusioni.

Octaua Conclusio. Opinio sine actuali formidine nequit absolutè consistere simul cum scientia de eadem conclusione habita. Est contra Mastrium, & Poncium ab ipso citatum, disp. 14. q. 2. sub n. 18. Probatur quia scientia excludit omnem formidinem, incertitudinem, & dubitationem circa conclusionem demōstratam, vt docet Scotus in 3. d. 24. q. vn. sub lit. D. Ex Aristotele in hoc 1. Post. cap. 2. & 1. Physic. c. 1. vbi inquit, tunc scire opinamur vnumquodque simpliciter, & non sophystico modo, qui est secundum accidens, cum causam arbitramur cognoscere scilicet necessariam, & quando illius est causa, vsque ad elementa, per quæ tollitur omnis incertitudo, formido, & dubitatio circa rem scitam, sed opinio, etiam absq; actuali formidine, non præbet certitudinem absq; aliqua incertitudine, ac dubitatione, circa eandem conclusionem: ergo nequit simul consistere in eodem intellectu cum scientia propriissimè accepta. Maior etiam suadetur, quia scientia est effectus demonstrationis, quæ procedit ex primis veris, necessarijs, & quæ non contingit aliter se habere: ergo excludit omnem incertitudinem, & formidinem, siuè actualem, siuè aptitudinalem. Minor probatur, quia incertitudo, & formido aptitudinalis constituit opinionem essentialiter à scientia: ergo si hæc relinquatur, semper pugnabit formaliter cum scientia, vt nullo modo possit esse simul in eodem intellectu.

Objicies tamen primo probando scientiā, & opinionem propriissimè sumptas posse stare simul in eodem de eadem conclusione, quia vna, & eadem conclusio potest probari diuersis medijs, quorum aliqua sint tantum probabilia, & alia demonstratiua, sed hec sūt generatiua sciētiæ, & illa opinionis: ergo sciētia, & opinio possunt stare simul de eadem conclusione. Minor patet. Maior probatur, quia etiam Aristoteles hoc sæpè sæpius facit in hoc 1. lib. Poster. & experiētia constat idē fieri à diuersis Auctoribus, vt patet legētibus eorum scripta: ergo eadem conclusio probari potest, & medijs, & probabilibus, & demonstratiuis.

Respondetur. Minorem esse veram successiuè, nō tamen simul, quia si præcesserint media probabilia, atque ideò opinionem genuerint aduenientibus demonstratiuis corrumpitur illa opinio, & inducitur scientia: si verò hæc præcesserint, vt prius gignant sciētiam de illa conclusione, aduenientia probabilia nihil omninò facient, vtpotè impedita à medijs fortioribus, cuiusmodi sunt demonstratiua in comparatione ad probabilia.

Objicies secundo. Si quid obstaret, vt sciētia, & opinio non possent simul consistere de eadem re, maximè esset formido, quæ comitatur opinionem, & repugnat scientiæ; sed talis nihil officit: ergo poterunt simul consistere. Sequela maioris patet. Minor probatur, quia formido potest separari ab opinione: ergo hac seclusa poterūt stare simul. Cōsequentia patet. Antecedens probatur, quia opinio vera non est de falsis, sed si esset cum formidine, esset de falsis: ergo formido potest separari ab opinione vera. Maior patet, quia verum, & falsum oponuntur: ergo nequit esse opinio vera, & esse de falsis. Minor probatur quia opinari cū formidine est existimare rē posse aliter se habere, quàm modo sit opinata, sed habens opinionē de hac propositione, homo est animal, falsum putat, si existimat, eum posse aliter se habere: ergo si opinio talis esset cum formidine, opinio vera esset de falsis, quod implicat.

Respondetur. Negando minorē, ad probationem, negatur antecedens, de formidine

Tt apti-

aptitudinali, ad cuius probationem negatur minor, & cum probatur dico maiorem esse falsam, siquidem opinari cum formidine nō est existimare rem aliter posse se habere, sed solum timere, vt possit aliter se habere; vndè posito, vt quispiam habeat opinionem de illa propositione homo est animal, nō existimat rem posse aliter se habere, sed solum timet, cum nondum perceperit vnionem necessariam animalis cum homine: ac proindè nō sequitur, si opinio sit cum formidine, vt debeat esse de falsis, sed ad summum, vt timorē habeat, nè sit de omninò veris.

Obijcies tertiò opinio aliqua potest esse sine vlla formidine: ergo poterit eadem conclusio esse simul opinata, ac scita. Consequētia patet, quia formido impedit, quin scientia possit simul esse cum opinione de eadem re. Antecedens probatur, quia, si multiplicentur rationes probabiles, magis augetur opinio, & tamen non crescet formido: ergo in tantū possent multiplicari, vt in totum tollatur formido, & sic poterit posteà opinio simul stare cum scientia de eadem conclusione.

Respondetur. Negando antecedens, quia cum formido aptitudinalis cōstituat opinionem inesse, nequit esse sine illa; & cum probatur quod in tantum possent multiplicari rationes probabiles, vt tollant omnem formidinem, est falsum, quia rationes probabiles, cum non pariant euidentiā de veritate conclusionis, si multiplicentur etiam in infinitū, non poterunt auferre omnem formidinem, & sic in illa erit semper repugnantia cum scientia, quæ excludit omnem incertitudinem, & dubitationem.

Obijcies quarto contra quartam conclusionem, quia non repugnat eundem intellectum esse imperfectè determinatum actu, & posse plenè determinari; sed per habitum opinionis est imperfectè determinatus actu ad veritatem, & per habitum scientiæ potest plenè determinari: ergo habitus opinionis, & scientię non repugnant in eodem intellectu.

Respondetur totum argumentum esse verum successiuè, non tamen simul, quia adueniente plena determinatione intellectus per habitum scientiæ circa aliquam veritatem, corrumpitur illa semiplena, seu infirma determinatio, quæ præcesserat per habitū opinionis circa eamdem: nam habitus, quorum actus sunt incompossibiles in eodem, sunt adinuicem repugnantes, vt dictum fuit in probatione nostræ conclusionis.

Obijcies quinto contra septimā, quia eadē conclusio solet probari, nedum rationibus probabilibus, vel demonstratiuis, sed etiam auctoritatibus, vel Philosophorum, vel Sanctorum, sed illæ generant opinionē, & scientiam, & hæ fidem humanam: ergo scientia, & opinio possunt stare simul cum fide humana de eadem conclusione.

Respondetur negando cōsequentiā, quia si præcedant auctoritates, & sequantur posteà rationes, vel probabiles, vel demonstratiuæ, statim corrumpitur fides, sin autē præcedant rationes, accedentes nihil omninò agunt, vtpotè ab illis impeditæ, tamquam à causis fortioribus.

Obijcies sexto contra octauam conclusionem ex Mastrio l.c. in cōcl. Ratio cur opinio formaliter opponatur scientiæ est ipsa actualis formido de opposito, & positiua incertitudo de proposito, sed opinio absolutè sumpta non habet actualem formidinē de opposito, aut positiuam incertitudinem de proposito: ergo non habet formalem repugnantiam cū scientia, quin possint simul consistere in eodem. Maior patet. Minor probatur, quia si quis assumeret ad probādum hominem esse risibilē, & medium necessarium, & medium probabile, posset hoc vti absq; iudicio de necessaria, vel nō necessaria cōnexione prædicati cum subiecto; sed data hipothesi nulla adesset actualis formido, aut positiua incertitudo de variabilitate obiecti, verùm tantum esset negatiuè incertus, iudicando connexionem prædicati cū subiecto, præscindēdo à necessitate, & contingentia connexionis: ergo, vt sic posset habere assensum opinatiuum, & simul scientificum de illa propositione, homo est risibilis.

Respondetur primo. Negando primam partem maioris, siquidem scientia, vt dictū est, excludit omnem formidinem, & dubitationem, nedum actualem, sed etiam aptitudinalem, modò opinio aliqua, quamuis reperiri possit sine priori, nequit tamen esse sine posteriori, & sic semper habebit repugnantiam cum scientia, quæ est de obiecto omninò certò, ac necessariò.

Vel dicendum secundo, negando minorē, ad cuius probationem admisso casu, nego consequentiam, quia assensus scientificus, quem haberet de illa propositione, homo est risibilis, impediret opinatiuum, etiam absolutum.

utum, sumptum circa eandem; siquidem, vt inquit Doctor in 3.d.24.q.vnic.M. medium dialecticum impeditum à demonstratiuo, velut à causa fortiori, & totaliter conuincete intellectũ ad assensum illius conclusionis. Et hæc sufficiant pro complemento huius per difficilis quæstionis, & totius primi libri Posteriorum Aristotelis.

POSTERIORVM ANALYTICORVM ARISTOTELIS. LIBER SECVNDVS.



Xplanatis in 1. libr. ijs omnibus, quæ spectant ad quiditatem, quantitatem, & qualitatem demonstrationis, ac eiusdem effectus, qui est scire, in hoc 2. aggreditur Aristoteles tractatum de diffinitione, non quatenus est modus sciendi ab argumentatione, & diuisione distinctus, sed in ordine ad ipsam demonstrationem, prout nimirum est principium, & causa & medium demõstrandi passiones de subiecto, & inhærentiam prædicati cum suo subiecto in conclusione demonstratiuè syllogizata: sed quoniam tota hæc doctrina est ferè tradita in præcedentibus, & quæ superesse poterit, ad sufficientiam dabitur in sequentibus quæstionibus, idcircò, & breuitati, ac præcisæ necessitati studentes, abstinebimus ab expositione textus, & vna, vel altera difficultate persoluta, finem imponemus huic secundo libro Posteriorum.

De medio Demonstrationis. Disputatio Vnica.

Vtrum quæstiones verè scibiles sint tantùm quatuor scilicet si est, quod est, quia est, & propter quid est?

QVÆSTIO I.

HAs quatuor quæst. recensuit Arist. c. 1. huius 2. lib. Posteriorũ, & quia omnis quæstio, ex eodem, c. 2. est quæst. medij scibilis, ideò quæritur an sint tantum quatuor quæstiones verè scibiles, vt exindè deducere valeamus scibilium genera esse tantum quatuor, & non plura.

Pro cuius intelligentia 1. Not. est nomen quæstionis dupliciter sumi posse, vno modo largè, & sic indicat propositionem cũ signo dubitationis acceptam siuè talis propositio sit necessaria, siuè contingens, siuè possibilis sit, siuè impossibilis, & sic non sumitur in præsenti, alio modò significat propositionem necessariam cum signo dubitationis acceptam, scilicet vtrum, an, si, vel alio simili, & hoc modo accipitur strictè, & facit ad propositum, vt sit sensus, an propositiones necessariæ sub aliquo signo dubitationis sũptæ sint tantũ 4. vel plures, aut pauciores?

Secundo notandum est quæstiones verè scibiles esse tantum quatuor posse tripliciter intelligi, scilicet in numero in specie, vel in genere; primo modo nõ sumitur hic quia sic sunt ferè infinitæ: nec secundo modo, quia sic non tantum questiones methaphysicæ; & physicæ, sed etiam logicales differũt specie, & plures sunt quà m quatuor, sed tantũ tertio modo, vt sit sensus, quæstionum verè scibilium tãtum quatuor sunt genera, sub quibus omnes continentur, siuè sint logicales, siuè methaphysicæ, siuè naturales, siuè morales, scilicet si est, quid est, quia est, & propter quid est.

Tertio notandum est. Aliquid esse verè scibile posse dupliciter sumi, vno modo totaliter, propinquè, & formaliter: Alio modo particulariter, remotè, & elicitiuè. Primo modo sola conclusio demonstrationis, dicitur verè scibilis, cùm in ea demonstretur inhærentia passionis de subiecto, in qua consistit vera scientia, vt dictum est in primo libro Posteriorũ. Secundo modo nedum conclusio verùm etiam termini eiusdem, scilicet subiectum, & prædicatum dicuntur sciri, siquidem si est, & quid est dicuntur de subiecto; quia est de inhęrentia prædicati ad subiectum, & propter quid est, quod indicat causam talis inhærentiæ; cognoscitur pariter de subiecto, & sic accipitur in proposito, & non primo modo.

Quarto notandum est, quod si est, potest dupliciter capi, vno modo prout dicit, si est essentiæ subiecti, & sic non accipitur in proposito, cum vt sic nõ distinguatur à quid est. Alio modo, vt dicit existentiam eiusdem subiecti, & hæc duplex est, scilicet actualis, & aptitudinalis. Hic non loquimur de si est actuali, quia talis, cum sit contingens, nequit

sciri, sed tantum de aptitudinali, vt sit sensus, si est, id est si res aptitudinaliter existit; Hoc autem sensu adhuc potest dupliciter intelligi si est, vel complete, & perfecte, & sic est quæstio, quæ per demonstrationem dignoscitur; alio modo imperfecte, & incomplete, & sic est præcognitio, secundum quam præcognoscimus de subiecto esse saltem aptitudinale, quia de non ente nequit haberi scientia.

Quinto notandum est, quid est esse duplex scilicet quid nominis, & quid rei. Quid nominis est semper præcognitio, & de tali non est sermo in proposito: quid rei verò est duplex; vel vt dicit cognitionem subiecti incompletam, & imperfectam, & sic est præcognitio indicans diffinitionem eiusdem: vel prout importat cognitionem perfectam per demonstrationem habendam, & sic est quæstio, & sumitur in præsenti, cum queritur an quid est sit verè scibilis.

Sexto notandum est, quod etiam quia est, duplex est, scilicet præmissarum, & subiecti, ac prædicati conclusionis. Quia est præmissarum est earundem veritas, & talis est præcognitio, siquidem ante conclusionis illationem præcognoscenda est veritas principiorum demonstrationis, alioquin cõclusio, non esset vera, nec euidens: quia est subiecti idem est, quod si est eiusdem, & duplex est sicut dictum est de illa. Quia est verò prædicati est causa inhærentiæ eiusdem cum subiecto, & sic est quæstio terminabilis per demonstrationem: Cæterum propter quid semper est quæstio, cum quærat causam veritatis conclusionis, hoc est quare prædicatum insit subiecto, siquidem habita demonstratione, ac notitia conclusionis, habetur similiter notitia causæ inhærentiæ prędicati cum subiecto, quæ causa nil aliud est, quàm ipsũ demonstrationis medium effectiuè, materialis verò sunt extremitates, quæ vniuntur medio in præmissis demonstrationis.

Septimo notandum est, quod ly tantum potest expendi tripliciter, scilicet gratia infinitatis, alietatis, & pluralitatis, vt dictum est de vniuersalibus, & prædicamentis: at in proposito expenditur vltimo modo, vt sit sensus, an genera quæstionum per demonstrationem scibilium, & terminabilium sint tantum quatuor, & nõ plura, nec pauciora?

Ex his fit vnica Conclusio. Genera quæstionum verè scibilium, ac per demonstrationem terminabilium sunt tãtum quatuor, & non plura. Est conclusio Aristotelis in textu 1. c. 1. huius 2. lib. Poster. & Scot. in 2. Post. q. 1. vel 48. Probatur quia illæ sunt quæstiones verè scibiles quæ per demonstrationem, vel formaliter, vel elicitiuè soluuntur, ac terminantur, sed tales reducuntur tantum ad quatuor genera, & non plura: ergo tantum quatuor sunt genera quæstionum verè scibilium. Maior patet. Minor probatur, quia omnis quæstio per demonstrationem verè scibilis, vel est de conclusione, vel de partibus eiusdem; si de conclusione hoc dupliciter, vel de eius veritate, & sic habetur quia est; vel de causa talis veritatis, & sic est propter quid est, si verò est de extremis, vel est de subiecto, & hoc dupliciter, vel de eius existentia, & sic est, si est: vel de quiditate eiusdem, & sic est quid est: si autem est de prædicato, vel erit de inhærentia eius ad subiectum, & sic erit quia est, vel de causa talis inhærentiæ, & sic erit propter quid est, cum autẽ nulla alia quæstio sit verè terminabilis per demonstrationem præter quatuor prædictas, sequitur genera quæstionum scibilium esse tantum quatuor, & non plura.

Obijcies tamen primo probando, si est, nõ esse quæstionem, quia omnis quæstio vnum quærit; & aliud supponit, sed si est, cum sit prima nil presupponit: ergo si est nequit esse quæstio.

Respondetur. Maiorem esse veram in ordine cognoscendi, non tamen quærẽdi; modò in proposito, ly si est, supponit se, tamquã precognitionem incompletè, & sic verificatur, quod & ipsa vnum quærit, & aliud supponit; quærit enim cognitionem perfectam, & supponit imperfectam, existẽtiæ subiecti.

Obijcies secũdo. Quid est, & propter quid est non distinguũtur: ergo non sunt quatuor quæstiones. Consequentia patet. Antecedẽs probatur, quia vtraque quærit de medio, quod est diffinitio subiecti.

Respondetur quid est, vt est diffinitio subiecti, posse dupliciter sumi, vno modo realiter, alio modo formaliter. Primo modo nõ distinguitur à propter quid est, cum eadem diffinitio sit cõstitutiua subiecti, causa passionis, & causa inhærentiæ eiusdem cum subiecto in conclusione; at secundo modo distinguuntur, quia diffinitio appellatur quid est, vt dicit habitudinem quiditatiuam ad diffinitum, & propter quid est, prout causat neces-

essariam inhærentiam prædicati cum subiecto.

Obijcies tertio. Plura sunt genera dubitationum, quam quatuor: ergo plura sunt genera quæstionum quam quatuor. Consequentia patet, quia quæstio est propositio dubitabilis. Antecedens patet, quia omnes questiones motæ à Doctoribus sunt dubitationes, sed tales sunt multò plures, quàm quatuor, vt est inconfesso apud omnes: ergo plura sunt genera dubitationum, & sic quæstionum, quàm quatuor.

Respondetur. Antecedens, & eius probationem habere veritatem in numero, vel in specie, non tamen in genere, quia sic sunt tãtum quatuor, vt probatum est.

Vtrum medium in Demonstratione potissima, sit diffinitio passionis, vel subiecti, aut vtriusque simul?

QVÆSTIO II.

HAnc difficultatem pertractat Scotus q.56. in lib. Poster. occasione verborũ Aristotelis in hoc 2. capit. 17. vbi loquens de medio habendi scientiam, inquit; Est autem medium ratio primi extremi, ex quo omnes scientiæ, per diffinitionem fiunt, circa quam refert ipse duas famosas Doctorum opiniones, quarum prima asserit, diffinitioné passionis, quæ est primum extremum, esse medium in demonstratione potissima. Ita Ægidius de Roma hic c.10. Paulus Venetus ibidem, & alij plures, quos recensent Moderni.

Secunda sententia, quam, & ipse secutus est, nedùm in citato loco, sed etiam in 1. sent. d.2.q.2.A. & in 2.d.3.q.6.M. & in 3.d.14.q.2. H. negat diffinitionem passionis esse posse, medium in demõstratione potissima, & defendit hoc idem munus competere diffinitioni formali subiecti. Hãc eamdem posteà tutati sunt omnes eius discipuli, vt Tatar. hic q. penultima. Trõbeta in 6. Meth. q.1. Faber. in Theorem. Philosoph. theor. 14. & 15. & alij, quos refert, & sequitur Mastrius in log. disp.13.q.2. art.2.

Alij verò, putantes euadere difficultates, quæ pro vtraque sentẽtia afferuntur, conati sunt mediam incedere viam, dicentes, nec diffinitionem passionis, nec subiecti tãtum, sed aggregatum ex ambabus necesse est ponere pro medio demonstrationis potissimæ. Ita D.Th. lib.1. Poster. c.1. & Opusc.38. Caiet. & alij ex Thomistis non pauci, quibus adiũgi possunt ex alienis Balduinus, Coninbricenses, & Amicus, quorum meminit, idem Mastrius in præcit. loco sub n.28.

Pro declaratione totius controuersiæ, & fundamento Scoticæ sententiæ 1. Not. est, quod etiam obseruauimus in sũmulis tract. 1. sect.3.c.1. diffinitionem diuidi in quid nominis, & quid rei, hæc autem, quæ & causalis dicitur, est quadruplex iuxta quatuor genera causarum, scilicet efficiens, formalis, materialis, & finalis. Diffinitio efficiens est, quæ datur per causam efficientem, vt hæc homo est genitus à Deo, sole, & homine. Diffinitio finalis est, quæ datur per causam finalem, vt homo est creatus, vt felicitatem cõsequatur. Diffinitio materialis est quæ datur per causã materialem, vt homo est, quid constans ex corpore organico per animam rationalem informabili. Diffinitio tandem formalis est, quæ datur per causam formalẽ, vt homo est, quid constans ex anima rationali. Hæc autẽ est duplex scilicet Physica, & Metaphysica. Physica est, quæ datur per formam Physicã, vt homo est quid compositum ex anima, & corpore. Methaphysica est, quæ datur per formam methaphysicã, vt homo est animal rationale, & hæc etiã est duplex .s. purè quiditatiua, & nõ purè quiditatiua; Prior datur tantum per genus, & differentiam, vt homo est animal rationale. Posterior est in qua ponitur aliquid impertinens ad essentiam rei diffinitæ, vt albedo est color disgregatiuus visus, vel habitus est qualitas de difficili mobilis à subiecto, siquidem in priori ponitur ly visus, qui non est de quiditate albedinis, & in posteriori additur ly à subiecto, quod est extra quiditatem habitus, quamuis vtrumque requiratur necessariò ad quietandum intellectum. Diffinitio purè quiditatiua tantum datur de substantijs, quæ ad sui cognitioné tantum exigunt genus, & differentiam intra limites suæ Cathegoriæ: at diffinitio per additamentum competit solum accedentibus, siuè absolutis, siue relatiuis, siquidem priora sinè subiecto, posteriora vera, sine termino perfectè, & quietatiuè intelligi nequeunt. Insuper diffinitio causalis est duplex .s. simplex, & mixta. Simplex est quæ datur tãtum per vnum genus causæ, vt superius exemplificauimus in vnaquaq; causa. Mixta est quæ includit, vel omnes, vel saltem plures causas: exemplum primæ, vt homo est quid constãs ex corpore organico, & anima rationali, ge-

dito à Deo, sole, & homine ad beatitudinem quærendam. Exemplum secundæ, vt homo est compositum ex corpore, & anima; vel est animal rationale, in quibus ponuntur tantum duo genera causarum, scilicet materialis, & formalis.

Secundo. Notandum est causam efficientem esse duplicem, scilicet extrinsecam, & intrinsecam. Prior est, quæ agit actione transeunte in subiectum distinctum, vt sunt Deus, sol, & homo in generatione hominis. Posterior est, quæ agit actione immanente in se, & hæc est duplex physica, scilicet vt cum aqua causat in se frigus, & methaphysicas, quando videlicet per resultantiam methaphysicam causatur aliquid tantum diuersum formaliter à seipsa, vt essentia hominis respectu risibilitatis, quæ in ordine ad ipsum hominem dicitur causa formalis, cum sit eius quod quid est, at in ordine ad risibilitatem dicitur causa efficiens methaphysica, cum ab ipsa fluat in genere causæ efficientis, & non formalis.

Tertio notandum est. Passiones rerum esse in duplici differentia, quædam enim sunt intrinsecæ, & tales proueniunt tantum à quiditatibus, & nullo modo à causis extrinsecis, vt risibilitas ab animali, & rationali, quæ complent quiditatem hominis: Quædam verò sunt extrinsecæ, quia non insunt rebus ratione suarum quiditatum, sed per causam extrinsecam, vt eclypsis respectu Lunæ, quæ non inest sibi ratione quiditatis Lunæ, sed per interpositionem terræ inter ipsam, & Solem, quæ est quid extrinsecum: Passiones primi ordinis demonstrantur de suis subiectis tantum per eorum diffinitiones, à quibus causantur, si quidem demonstratio potissima fit per causam immediatam, vt patet ex dictis in primo libro posteriorum, at passiones secundi ordinis non demonstrantur per diffinitiones subiectorum, cum non habeant esse ab illis, sed tantum per causas extrinsecas, à quibus ponuntur in esse.

Quarto notandum est, has passiones extrinsecas posse adhuc dupliciter considerari, scilicet in actu, vel in aptitudine. Primo modo causantur ab extrinseco, vt patet de eclypsi Lunæ, quæ actualiter ponitur in esse tantum per interpositionem terræ, inter ipsam, & Solem, & per hanc solùm de ipsa demonstrari potest: Secundo modo verò cum insint rebus à proprijs quiditatibus, (si quidem omnis aptitudo fluit à quiditate rei cuius est aptitudo) per ipsas etiam demonstrari possunt de suis subiectis, sicut dictum est de passionibus intrinsecis, quia vt sic consideratæ non sunt amplius extrinsecæ, sed intrinsecæ, Ex quo sequitur; quod huiusmodi passionum poterit assignari triplex diffinitio, scilicet formalis, causalis extrinseca, & mixta ex illis, vt patet de eclypsi Lunæ; si quidem per formalem diffinitur, quod sit priuatio luminis in Luna à Sole recepti; per causalem, quod sit interpositio terræ, inter Solem, & Lunam, & per mixtam, vt sit priuatio luminis in Luna à Sole recepti, causata per interpositionem terræ, inter ipsos, & iuxta hanc triplicem diffinitionem posset fieri triplex demonstratio de Luna, sed nulla erit potissima, vt patebit ex dicendis.

Quinto notandum est, ex dictis superius in primo libro, demonstrationem propter quid, seu per causam esse in duplici differentia, si quidem alia dicitur potissima, & alia non potissima; Potissima, de qua est sermo in præsenti, est quæ datur per causam propinquam, immediatam adæquatam, & conuertibilem cum suo effectu, & hæc est duplex, scilicet simpliciter potissima, & secundum quid potissima. Prior est quæ datur per causam ab ipso effectu omninò inseparabilem, & cum ipso omninò conuertibilem, vt hæc omne animal rationale est risibile, omni homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis, & in hac diffinitio subiecti formalis, & methaphysica duntaxat potest esse medium, quia hæc solum est intrinseca causa passionis, & inhærentiæ eiusdem cum subiecto; & dicitur notanter methaphysica formalis, quia physica non conuertitur cum subiecto, cum distinguatur realiter ab eo, vt alibi dicturi sumus; similiter efficiens, & finalis, cum sint extrinsecæ, & materialis tantum, cum sit quid superius ad ipsum diffinitum, non conuertuntur cum ipso, ac proindè nequeunt esse medium in hac demonstratione simpliciter potissima. Posterior verò est, quæ datur per causam immediatam, & conuertibilem cum suo effectu, non tamen sibi intrinsecam, vel non eamdem sibi realiter, & in tali etiam diffinitiones efficienter, finales, & formales physicæ, poterunt esse media, vt patet in hac, omne

ne animal creatum à Deo ad imaginem, & similitudinem suam, propter beatitudinem, est risibile, sed omnis homo est huiusmodi: ergo omnis homo est risibilis.

Sexto notandum est, demonstrationem potissimam posse dupliciter considerari; vel in ratione causalitatis, vel in ratione euidentiæ tantum. Demonstratio primo modo necessariò exigit pro medio diffinitionem subiecti, quia talis est causa, nè dum passionis in esse, verùm etiam inhærentiæ eiusdem cum subiecto in conclusione; at secundo modo nec diffinitio subiecti, quæ est causa formalis eiusdem, nec vlla alia causa est necessaria in huiusmodi demonstrationibus, sed euidentia conclusionum habetur per sensum, vt patet in Demonstrationibus mathematicis, in quibus euidentia non pendet à ratione mediorum, sed ab experientia per sensum habita; modò nos loquimur de demonstratione potissima in ratione causalitatis, & euidentiæ simul, non verò in ratione euidentiæ tantum.

Septimo Notandum est, Demonstrationem propter quid, dupliciter posse attendi, vel ex parte prædicati tantum, vel ex parte prædicati, & subiecti simul. Demonstratio primo modo considerata est illa, quæ exprimit rationem prædicati tantum, & in hac diffinitio passionis dumtaxat est medium, vt in ista omne aptum ad ridendum est risibile, sed omnis homo est aptus ad ridendum; ergo omnis homo est risibilis. Demonstratio verò secundo modo attenta est illa, quæ exprimit, nedum quiditatem subiecti, sed etiam esse prædicati, & causam inhærentiæ eiusdem cum subiecto, & in hac exigitur de necessitate pro medio diffinitio subiecti, quia hæc exprimit, & quiditatem subiecti, & esse prædicati, idest passionis, & causam inhærentiæ eius cum subiecto, vt manifestè conspicitur in hac demonstratione omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis. Demonstratio priori modo considerata non est simpliciter potissima, quia medium non est causa, nec prius extremorum, siquidem passio, & eius differentia sunt posteriores, & subiecto, & eius diffinitione, & ambæ causantur à diffinitione subiecti. Demonstratio autem secundo modo est simpliciter potissima, quia procedit ex primis, & immediatis quæ sunt causa extremorum, & de hac loquimur in præsenti, & non de illa.

Ex his fit prima Conclusio. In demonstratione propter quid prædicati diffinitio passionis est dumtaxat medium. Probatur quia demonstratio propter quid prædicati tantum exprimit tantum rationem, & naturam prædicati sed prædicatum demonstrationis est passio, & eius ratio, seù quiditas notificatur per suam diffinitionem: ergo diffinitio passionis est medium in tali demonstratione.

Secunda Conclusio. In demonstratione tàm subiecti, quàm prædicati propter quid, seu potissima, non est ponendum pro medio aggregatum ex diffinitione subiecti, & prædicati simul. Est Scoti in lib. Post. quæst. 56. Probatur, medium demonstrationis est causa scientiæ, sed per huiusmodi aggregatum non potest aliquid sciri: ergo tale nequit esse medium in demonstratione potissima. Maior patet. Minor probatur, quia per ens per accidens nequit aliquid sciri; sed tale aggregatum est ens per accidens: ergo per ipsum nihil potest sciri. Maior probatur, quia causa nequit esse imperfectior suo effectu: sed id quod scitur est ens per se: ergo ens per accidens nequit esse medium, & causa scientiæ. Minor probatur, quia ex diffinitione subiecti, & diffinitione passionis nequit fieri vnum per se saltem primo modo, cum hoc constet ex genere, & differentia; sed tale aggregatum includit vtramque diffinitionem: ergo nequit esse vnum per se primo modo, & sic erit vnum per accidens. Secundo probatur, quia Aristoteles secundo, Poster. cap. 10. diuidit diffinitione in eam, quæ est principium, seu medium demonstrationis, & in eam quæ est conclusio, & in illam quæ sola positione differt à demonstratione; sed aggregatum ex diffinitione subiecti, & diffinitione prædicati continetur sub hoc tertio genere diffinitionis: ergo nequit esse medium, seu principium in demonstratione potissima. Minor probatur exemplificando sicut facit Aristoteles de tonitruo, sic dicendo tonitruum est sonus factus in nube, est conclusio: dum verò subiungit tonitruum fit extinctione ignis in nube, tunc

tunc est diffinitio, quæ est medium: cum verò aggregat vtramquè diffinitioné dicendo: tonitruum est sonus factus in nube ob extinctionem ignis in ea, tunc est tota demonstratio sola positione differens, cum contineat tres terminos, ex quibus potest confici demonstratio in modo, & figura: ergo aggregatum ex vtraque diffinitione nequit esse medium in demonstratione, alioquin idem esset medium, & demonstratio, quod non est dicendũ.

Tertia Conclusio. Diffinitio passionis non est medium in demonstratione potissima. Est Scoti in loco præcitato contra primam opinionem. Probatur, quia medium debet esse prius vtroque extremo demonstrationis; sed diffinitio passionis non est prior saltem minori extremo: ergo, &c. Maior est Aristotelis in primo Post. cap. 2. vbi dicit demonstrationem procedere ex primis, & immediatis, & causis conclusionis, sed talis primitas, & causalitas conuenit sibi ratione medij; siquidem extrema includuntur in conclusione virtute medij: ergo medium debet esse prius vtroque extremo. Minor probatur, quia passio est posterior subiecto, quod est minus extremum: ergo etiam diffinitio passionis est ipso posterior, cum identificentur saltem realiter inter se passio, & eius diffinitio. Antecedens est notum, quia passio fluit à principijs quidditatiuis subiecti. Secundo probatur à Scoto loco citato, quia illud non est medium in demonstratione potissima, quo posito adhuc restat quærere propter quid prædicatum in sit subiecto, sed diffinitio passionis est huiusmodi: ergo diffinitio passionis non est medium in demonstratione potissima. Maior patet, quia medium in demonstratione potissima non solum debet esse causa passionis, sed etiam causa inhærentiæ passionis cum subiecto alioquin non esset causa scientiæ, cum hæc consistat in cognitione inhærentiæ passionis ad subiectum in conclusione. Minor probatur, quia cognita passione per eius diffinitionem formalem adhuc restat scire cur insit subiecto, siquidem huiusmodi diffinitio non est causa inhærentiæ passionis in subiecto: ergo diffinitio passionis non est causa inhærentiæ, passionis ad subiectum, igitur ipsa posita adhuc restat quærere propter quid de passione.

Quarta conclusio. Diffinitio tamen causalis passionis est medium in demonstratione potissima. Probatur primo, quia Aristoteles secundo Post. t. 25. vocat maius extremum, idest passionem id, cuius medium est causa, & minus extremum, scilicet subiectum id, cui medium est causa, cur passio in sit subiecto, sed diffinitio causalis passionis est etiam diffinitio subiecti, & causa cur passio insit subiecto: ergo diffinitio causalis erit medium in demonstratione potissima. Consequentia tenet, quia in demonstratione potissima concluditur inhærentia passionis ad subiectum per medium, quod est causa maioris extremi, idest passionis. Secundo per diffinitionem causalem passionis satisfit quæstioni propter quid terminabili per demonstrationem potissimam: ergo diffinitio causalis est medium in eadem. Consequentia patet ex Aristotele secundo Post. t. 8. Antecedens probatur, quia per causam passionis satisfit quæstioni propter quid in demonstratione potissima ex Philoph. secundo Post. cap. 1. sed diffinitio causalis passionis est eiusdem causa, cum passio fluat à principijs intrinsecis subiecti, ex quibus conflatur diffinitio causalis passionis: ergo per diffinitionem causalem passionis satisfit quæstioni propter quid in demonstratione potissima.

Quinta conclusio. Diffinitio formalis Methaphysica subiecti, est medium in demonstratione potissima. Est Scoti in locis citatis pro secunda sententia. Probatur, id est medium in demonstratione potissima, quod est causa adæquata inhærentiæ passionis ad suum subiectum, sed diffinitio subiecti est huiusmodi ergo talis est medium in demonstratione potissima. Maior patet, quia munus medij est coniungere extremitates ad inuicem in conclusione. Minor probatur, quia quod est causa passionis est etiam causa inhærentiæ eius ad suum subiectum, sed diffinitio subiecti causat passiones, cum pullulent à principijs intrinsecis subiecti, quæ per diffinitionem exprimuntur: ergo diffinitio subiecti est causa inhærentiæ passionum ad subiectum. Maior patet, quia causa efficiens intrinseca agit actione immanente ad differentiam causæ efficientis extrinsecæ, sed quod causat passionem causat illam efficienter intrinsecè, vt dictum est in not. secundo: ergo causat illam in subiecto,

cto, & sic inhærenter ad ipsum.

Sexta conclusio. Diffinitio efficiens, finalis, & materialis physica nequit esse medium in demonstratione potissima. Est contra Zabarellam lib. 2. de Medio demonstrationis, dicentem quodlibet genus causæ sufficere ad demonstrationem potissimam. Probatur prima pars de causa efficienti; & finali, quia demonstratio potissima procedit ex propositionibus vniuersalibus, per se, & secundum quod ipsum, vt probat Aristoteles primo Post. cap. 6. & 7. sed causæ extrinsecæ, cuiusmodi sunt efficiens, & finis non conficiunt propositiones per se, vniuersales, & secundum quod ipsum: ergo &c. Minor probatur, quia etsi effectus sequantur per se ad causas extrinsecas, non tamen causæ necessariò sequuntur ad positionem effectuum, cum aliundè possint oriri, Deus enim potest supplere causalitates causarum extrinsecarum, demptis imperfectionibus: ergo effectus non conuertuntur cum suis causis, & è conuersò. Secunda pars de causa materiali physica probatur, quia est causa inadæquata, & communis respectu sui effectus, vt patet: ergo ex ipsis non potest fieri aliqua propositio conuertibilis, quæ possit esse medium in demonstratione potissima. Confirmatur, quia causa intrinseca physica distinguitur realiter à suo effectu, vt aliàs probabimus: ergo ex ipsis nequeunt fieri propositiones vniuersales, & secundum quod ipsum, vt exiguntur in demonstratione potissima.

Objicitur tamen multipliciter contra prædicta, & primo contra secundam conclusionem, quia Aristoteles secundo Poster. cap. 2. docet idem esse quid est, & propter quid: ergo medium debet includere diffinitionem subiecti, & passionis simul consequentia patet, quia quid est passionis est eius diffinitio formalis, & propter quid eiusdem est diffinitio subiecti, qua mediante passio inest subiecto in conclusione.

Respondetur, quid est passionis esse duplex, scilicet formale, & causale, primum est diffinitio formalis passionis, secundum est diffinitio subiecti, quæ non tantum dicit esse passionis, sed etiam inhærentiam eiusdem ad subiectum, & sic idem erit quid causale, & propter quid passionis, scilicet eadem diffinitio essentialis subiecti, quod est propositum. Modo ad formam argumenti dico antecedens esse verum de quid causali passionis, non tamen de formali, & negatur consequentia, quia vtrumque præstatur per eamdem diffinitionem subiecti, vt declaratum est.

Objicitur secundo, id est medium in demonstratione potissima, quod magis facit scire: sed aggregatum ex diffinitione subiecti, & passionis magis facit scire: ergo tale erit medium in huiusmodi demonstratione. Maior patet, quia demonstratio potissima facit magis scire, quam non potissima; sed hoc præstat per medium: ergo id est medium in tali demonstratione, quod facit magis scire. Minor patet, quia plura magis faciunt scire, quàm vnum tantum, atqui tale aggregatum dicit plura: ergo &c.

Respondetur. Negando minorem, ad probationem dico veram esse, si talia plura faciant vnum per se, dicantque vnum conceptum, & sint causæ per se inhærentiæ, prædicati cum subiecto, ac priora, & notiora vtroque extremo, quæ tamen non accidunt in proposito, tum quia diffinitio subiecti non facit vnum per se cum diffinitione passionis, nec diffinitio passionis est prior, & notior subiecto, cum pullulet ab eius essentia; tum etiam quia illa diffinitio non est causa, cur passio insit subiecto, cum hoc præstetur solum per diffinitionem subiecti.

Objicitur tertio contra tertiam conclusionem quia Aristoteles secundo Post. cap. 17. inquit, medium in demonstratione esse rationem primi extremi; sed primum extremum est passio, & secundum subiectum: ergo diffinitio passionis, & non subiecti secundum Aristotelem est medium in demonstratione.

Respondetur Aristotelem locutum esse de ratione causali primi termini, non tamen de formali; talis autem non est diffinitio formalis passionis, sed subiecti vt dictum est.

Vel dicendum cum Doctore Subtili in secundũ Post. q. 56. Phylosophum locutum fuisse de demonstratione non potissima, de qua videtur loqui ferè in toto illo libro, vt patet in exemplis ibidem adductis, non tamen de potissima, de qua nos loquimur, quia sic diffinitio causalis passionis, quæ est essentialis subiecti est tantummodo medium.

Obij-

Obijcitur quarto, quia diffinitio formalis passionis est immediatior passioni, quam diffinitio subiecti: ergo talis debet esse medium in demonstratione potissima. Antecedens patet. Consequentia similiter, quia demonstratio potissima est ex immediatis.

Respondetur negando consequentiam, ad probationem dico demonstrationem potissimam procedere vtique ex immediatis, non tamen vtcumque, sed ex ijs, quæ sint causa inhærentiæ prædicati cum subiecto, modo hoc non habetur per diffinitionem passionis formalem, sed tantum per causalem, quæ est diffinitio subiecti.

Obijcitur quinto contra quintam conclusionem. Si diffinitio subiecti esset medium, sequeretur petitio principij in demonstratione potissima, siquidem probaretur idem per idem, cum diffinitio subiecti, & ipsum subiectum non distinguantur secundum se, sed tantum secundum esse confusum, & distinctum, quod enim confusè significatur per hominem distinctè declaratur per animal rationale, quæ est diffinitio eius: ergo, &c.

Respondetur ex Doct. Subt. in primo d. 2. quæst. 2. A. negando sequelam, ad probationem dico diffinitum, & diffinitione distingui ab inuicem ex natura rei, cum diffinitio sit constitutiua diffiniti, & non constituta per ipsum, & diffinitum constitutum, & non constitutiuum, quod sufficit, vt non sint idem terminus in demonstratione, sed distincti.

Obijcitur sexto contra sextam conclusionem quælibet causa proxima, etiam extrinseca, parit perfectissimam scientiam, vt patet ex Aristotele secundo Post. cap. 1. vbi demonstrat per interpositionem terræ inter solem, & lunam satisfieri omnibus quæstionibus de eclypsi, scilicet an sit, quid sit, qualis sit, & propter quid sit, sed interpositio terræ inter solem, & lunam est causa extrinseca respectu lunæ: ergo etiam per causam extrinsecam potest haberi perfectissima scientia, ac proinde esse medium in demonstratione potissima, per quam solam habetur perfectissima scientia. Tùm etiam, quia eclypsis de luna, & huiusmodi accidentia extrinseca, sunt Demonstrabilia de suis subiectis per causas sibi proprias, sed huiusmodi causæ sunt extrinsecæ efficientes, & non formales; ergo demonstratio potissima potest fieri per omne genus causæ, & non tantum per formalem. Antecedens declaratur etiam alijs exemplis adductis ab Aristotele in hoc secundo Post. cap. 9. & 10. scilicet Tonitruum esse in nube per extinctionem ignis in nube; accretionem luminis in medio per figuram sphæricam, at certum est tales diffinitiones esse causales, & non formales, extrinsecas, & non intrinsecas: ergo, &c.

Respondetur negando consequentiam, quia quamuis cognitio illa de eclypsi, & alijs accidentibus, habeatur perfectè in suo genere per tales causas extrinsecas; non indè sequitur haberi per demonstrationem potissimam, in qua medium sit causa extrinseca, cum huiusmodi demonstrationes non sint potissimæ siquidem propositiones non sunt necessariæ, nec vniuersales, nec conuertibiles, cum possit fieri, nè sequantur effectus ad positionem prædictarum causarum, & è conuersò vt ponantur in esse effectus, & non causæ.


Obijcitur septimo quia Aristoteles primo de Anima t. c. 11. inquit quodquid est, siuè diffinitionem esse vtilem ad cognoscendas causas accidentium substantiæ: ergo videtur distinguere causas accidentium à diffinitione substantiæ: ac proindè per illas causas, & non per diffinitionem substantiæ poterunt demonstrari accidentia huiusmodi, tamquam per medium in demonstratione potissima.

Respondetur negando consequentiam si sermo sit de accidentibus proprijs substantię, quia diffinitio substantiæ non distinguitur à causis talium accidentium, immò, fluunt ab illa: si verò per accidentia intelligat Aristoteles communia, fateor equidem talia demonstrari per proprias causas distinctas à diffinitione substantiæ; cæterum huiusmodi demonstrationes non erunt potissimæ ob rationem allatam in præcedenti responsione; & in probatione conclusionis sextæ.

Obijcitur nono. Si medium in demonstratione potissima, non possent esse aliæ causæ, sed solum diffinitio formalis subiecti, sequeretur demonstrationem potissimam esse ex communibus, & non ex proprijs; sed hoc esset contra Aristotelem primo Poster. cap. 2. 3. & 8. ergo, & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quia tunc animal rationale, quod est diffinitio hominis, non solum esset

esset medium ad ostendendum risibilitatem, sed etiam flebilitatem, & capacitatem disciplinæ de ipso, atque ideò diffinitio hominis non esset medium proprium, sed commune ad omnes illas passiones.

Respondetur negando sequelam maioris, ad probationem negatur vltima consequentia, quia huiusmodi passiones, cum fluant immediatè ab eadem diffinitione hominis, per eamdem, tamquam per causam proximam, propriam, & non communem, benè possunt de ipso demonstrari. Et hæc, quæ pro mei ingenioli imbecillitate hactenus dicta, ac disputata sunt, nedum super his duobus libris Posteriorum, sed etiam super reliquis, cedant, vt obnixè deprecor, ad maiorem Dei gloriam; cui sit honor in sæcula sæculorum. Amen.



F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGES.

Errata	Pag.	Col.	Lin.	Correct.
Sciderant	In Dedicatoria			Scinderant
refectur	ad Tyrones			refertus
aberretur	In Epistola ad Lectores			aberretur
nouo methodo	in approbatione			noua methodo
Filius	27	2	39	Filio
proportionum	56	1	6	propositionum
subiecto	68	2	46	substantia
Friseromorum	69	2	54	Frisesomorum
Frisemorum	71	2	25	Frisesomorum
Iuxta ea	71	2	24	Iuxta ea, quæ diximus, secunda figura, est,
habet	73	1	29	habetur
quatuor	73	1	32	quadrupliciter
Frisemorum	73	2	35	Frisesomorum
quædam est	73	2	39	quædam substantia est
argumentis,	77	2	46	argumentatio,
confirmatiuam	79	2	26	affirmatiuam
secundus	81	1	45	duplex
zinus	82	1	48	asinus
sufficiendo	86	2	6	subijciendo
correlatione	103	2	53	conclusione
sciis	133	1	32	scientijs
Theodestem	136	2	49	Thodectem
diuisa	139	1	6	diuisiua
ad subiectum	158	1	46	ad substantiam
& subiectum	162	2	25	& substantia
vel sicut	167	1	51	vel sint
& non prima	198	1	38	& non pro prima
non tantum	211	2	55	numero tantum
zimalm res	215	2	1	ad plures
quoad pad pru	225	1	2	quoad primam
& physicum	222	1	16	& non physicum
differentiam	236	1	42	difficidonem
prima secunda	243	1	35	pro secunda
& pro prima	260	2	38	& non pro prima
æquiuocantur	295	1	9	æquiuocorum
ergo	333	1	45	ego
Secundo	359	2	12	Tertio
quem	376	2	27	quam
indiuidicentur	385	1	9	indiuiduentur
Successamus	392	2	16	Suessanus
deuenit	393	2	41	deuenio
& parte in parte	405	1	49	& pars in parte
materialis	405	2	41	materialiter
veritate	407	2	7	vnitate
secundum	407	2	52	tantum
numerum	407	1	51	numeratum
caritates	408	1	23	vnitates
quaternio	408	1	24	quaternario
quæ	408	2	3	quod
viuum	410	2	16	ciuium
mamentibus	412	1	6	manentibus
501 & 51	413	1	41	50 & 51.
rectus	414	1	38	reflexus
muri	416	2	6	numeri
natura	433	1	34	nam
nostræ	450	1	53	naturę
natura mutualis	452	2	43	non mutualis
admissio	462	2	39	admisso
sententiam	481	1	26	sententia
emirti	482	1	47	remitti
acquista	493	2	42	acquisita
fero	492	1	43	foro
temporalium	499	1	45	temporalem
quę	500	1	24	quod
triplex	503	1	1	quintuplex
alteras	510	1	38	altera
quæ	510	2	3	quod
quorum modo	514	1	18	quonam modo
possibiles	514	2	21	plures
præcognoscis	520	1	48	præcognosci
completam	521	1	28	complexam
tom. 4.	522	1	23	tex. 4.
perfectioris	523	1	31	perfectionis
quidem est	526	2	32	quid est
quidem	526	2	34	quid
quatuor	527	1	46	quarto
subulnxit	527	2	32	subiunxit
causas	528	1	27	causa
alrel	529	2	35	alteri
intellectu	531	1	2	intellectui
nam	531	2	27	natura
tractum	532	2	28	tractatum
diffinitiuo	533	1	18	diffinitio
eius causas	533	1	18	eius per causas
diffinitiuo eius causas	533	1	28	diffinitio eius causa
probaretur	534	1	37	probarentur
antequam	536	1	19	antiquam
par	537	2	35	pars
priora	540	2	24	propria
principia	543	1	39	prima
quia	543	2	48	quam
audibilis	544	2	32	rudibilis
veroum	544	2	39	verorum
Scoti	549	1	44	Soti
Disces	553	2	15	Dicet
primo	556	1	39	ergo
motum	558	2	52	notum
par	558	2	31	per
circulares	560	1	25	circulare
hominem	560	2	22	homine
concertibile	561	1	9	conuertibile
perfectus	563	1	51	perfectius
rel	569	2	31	re
seu	572	1	2	sed
quidem	579	2	37	quid est
Arithmetriæ	588	1	5	Arithmeticæ
Actionum	596	1	44	actum,
quæ	595	1	33	quia
partis	598	1	44	puris
quia	601	1	7	quin
fine	603	2	3	fint
quia	608	1	21	quod
coordinari	612	1	34	coordination
immediatè	615	2	46	immediata
anima	617	1	16	animal
sensus	618	1	25	sensus communis
immediata	622	2	28	ad immediata
qui	623	2	41	quia
vel	625	1	23	de
vnica	626	1	18	vncia
possint	626	2	22	potest
efficiens	626	2	28	effectu
quia	629	1	30	quam
paribus de paribus	629	2	42	particularibus de particularibus
videntior	631	1	33	videtur
hinnieibile	634	2	59	hinnibile
postea	635	2	12	posterior
cercitius	637	1	2	certius
formositatem	639	1	50	famositatem
finitudinem	640	2	46	firmitudinem
essent	642	1	2	esset
per	645	1	24	pro
albedinem	641	1	30	albedine
syllogismus	649	1	31	syllogismis
falsarum	649	2	15	falsorum
quæ	649	2	16	quia
diffinitas	654	1	45	diffinita
notat	655	2	49	nota
& quando	657	1	38	& quod
quod est	659	1	20	quid est
accedentibus	661	2	43	accidentibus
fluit	662	2	2	fluit
efficienter	662	1	52	efficientes
diffinitione	663	2	41	diffinitionem
præseas	665	2	13	præstat

